LOGICA TRIPARTITA

Ideſt

VOCALIS, REALIS, ET RATIONALIS

Philoſophi ARISTOTELIS, & Interpretum eius,

SS. PP. AVGVSTINI, ET THOMAE

Doctrinæ, valde conformis.

Illuſtrata tribus Commentarijs poſt Præfationem, quæ continet proœmiales Quæſtiones communes Logicæ vniuerſæ

A P. FRANCISCO GONZALEZ

Sanctacruzano apud Calatrauam,

E SOCIETATE IESV,

Olim in vlterioris Hiſpaniæ Prouincia Bætica Philoſophiæ Profeſſore, nunc vero S. D. N. PAPAE, ad S. Petrum Pœnitentiario Hiſpano;

Inſcripta, & dedicata

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO DE MORA CORTE REAL,

Comiti de Lumiares, &c.



Ex Legato   Illustrissimi Cocini

ROMAE, Typis, & Sumptibus Ludouici Grignani.

Anno Salutis cIↃ IↃc xxxix.

SVPERIORVM PERMISSV.

LOGICA TRIPARTITA

idest. Vocalis, Realis, et Rationalis;
Aristotelis, et interpretum eius.
SS. P P. AVGVSTINI, ET THOMÆ
Doctrinæ valde conformis:
Disposita, et illustrata a P. Francisco
Gonçalez Sanctacruzano
SOCIETATIS IESV.
SS. D. N. Papæ ad S. Petrum
Pœnitentiario Hispano;
Dedicata EXCELLENTISS.^mo DÑO
D. FRANCISCO DE MORA
CORTE REAL COMITI
DE LVMIARES &c



Romæ Typis Iudouici Grignani
Sup. permissu. Valerian. Regnartius sc.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO DE MORA CORTE REAL COMITI DE LVMIARES.



FRANCISCVS GONZALEZ SOCIETATIS IESV F.

LOGICAM editurus modo, & methodo perfacilem, Eccellentissime Princeps, iam tum, cum Collegium Romanum frequentans, eisdem studijs magna cum Professorum voluntate, & voluptate operam dares, destinabam animo, vt Tibi, quo maiorem, & nobiliorem Mecœnatem non haberem, eam inscriberem, & dedicarem: Et licet, dum operi limando, perpoliendoq; incumbo; Tu, Deo sic prouidente, magnæ Domus Tuæ, magnus hæres, & adscita nobilissima Coniuge, tui iuris factus, statum mutaueris, at non ego quem habueram animum. Quid enim? An viro Principi, Reipub. gubernaculis admouendo, negligenda scientia est, posthabenda Philosophia? Platonem audiamus, cuius hæc est absoluta sententia, *tum felicem, tum saluam fore Rempub. cum in ea, aut imperant Philosophi, aut Principes sapientiæ studio incumbunt: tamq; necessariam esse Principi Sapientiam, quam animam corpori.* Quod vel maximè in Magnatibus Hispaniæ, ex quibus existis, locum habet: quibus præcipua quæque munia, tum domi, tum militiç, tam extra, quam intra Regna, à Regibus imponuntur, quæ vt per seipsum prudenter obeat, cum dignitate, non ex alieno pendens arbitrio, aut consilio, vnius præsertim; quod ruinæ proximum iudicat *Cumineus* sapiens historicus; egregie sapientem esse oportet. *Qualis* in primis fuit, Sapientissimus ille Arragoniæ Rex ALPHONSVS (cuius ex Domo lectissima Coniux nobilissimam tibi progeniem datura est,) qui teste *Aenea Siluio*, postea PIO II. Pontifice, seipsum Regibus viuam exhibens imaginem, dicere solitus: *Aut noscere per sese Regem omnia optauerim, aut adeò dementem esse, vt catena constrictus consiliariorum arbitrio regatur.* Vnde nam verò petenda sit Principi viro tanta sapientia, verbo absoluam; Ex Logica: quæ sola est medium vniuersale, instrumentum, &

Plato in Repub.

Cum. c. 44.

Aen. Silu. de dictis & factis Alph. si Reg.

ostium,

ostium, ac quasi Regia clauis ad quarumnis scientiarum intima penetralia. *Ipsa sola*, dicit Augustinus, *scientes facere non solum vult, sed etiam potest*. Huius itaque præceptis imbui, in hac palęstra exercitari, in primis Principem decet. Quod quidem CAROLVM V. Cæsarem post Magnum Maximũ, omninò non latuit: quem tota licet t.: moles Imperij, quin mathematicas præceptiones à Sanctacrucio exceptas, cum FRANCISCO *de* BORGIA nostro, tum Marchione de Lombay, sedulo conferret, absterrere non potuit, gloriosum plane exemplum, quod Principes sequantur. CAROLVM ergo, & *Franciscum Francisce* imitari ne pudeat: quos iure maiori, quam *Gedeonem*, & *Abimelechum*, Generose Comes, illud exhortantes audies. *Quod nos facere, videris facito*. En præsto est nobilissimus frater tuus LVDOVICVS, & ipse Philosophiæ Candidatus, cum quo de omnibus, quæ huc pertinent, disserendo, docte otieris. quem proinde in partem quoque huius operis, Dedicatoriæq; adscisco.

S. August l. 1. de Ord c. 13.

P. Ribaden lib. 1. vitæ B. Francis. Borgiæ c. 6.

Iudic 7 & 9

Sed erit forsasse, qui hic intercedat Tribunus, nimium quàm blandiloquus: Sat esse viro Principi, Tibiq; in primis, quibus à natura, & institutione præditus es donis, & ornamentis, præclara indole, ingenio, prudentia, morumq; splendore; ac ipso denique rerum vsu, quem Curiæ Principum abunde suppeditant; vt mandatos à Regibus, honores, & magistratus, recte & cum dignitate gerere posss. Nec esse, vt tantis laboribus, in addiscendis scientijs fatigeris, eo loci natus Princeps, qui sit maximus.

Hæc equidem de nobilissimo genere, & prosapia tua, nemo iuerit inficias, quisquis illud ab Auis & Proauis, longa retro serie, in varijs, & veridicis Scriptoribus relegerit. Tot enim repetenti originem Excellentissimi D. EMANVELIS DE MORA CORTE REAL, Marchionis de Castel Rodrigo, Magni Hispaniæ Dynastæ, Genitoris Tui, occurrent magnanimi Heroës & Principes; tot celebratissimi Proreges, Præsides, Legati, Oratores, tot Armatæ iuxta, ac Sacratæ Militiæ Ordinũm Ductores, atque Magistri, & Mandatarij Maximi; vt in hanc gentem Tuam, iure vsurpauerim illud Pœtæ:

Semper bonos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

quodque præcipuum censetur, Regibus suis hæsère semper coniunctissimi; sed duo præsertim, nempe PETRVS Militiæ S. IACOBI Magister, & ALVARVS frater, Commendatarius Moræ Toletanæ, nepotes magni PETRI RODERICII Legionensis Castri Mouræ, & multorum aliorum expugnatoris; ob eximias virtutes, & ob res præclare gestas in bello item contra Sarracenos, Catholico Regi Castellæ, & Legionis FERDINANDO III. cognomento SANCTO. qui,

RR.PP. Lucas Vuad. tom. 4. Ann. Min. in Dedic. & P. de Vega 1. p. in Ps. item in Dedicat. Ad D. MARGARITAM CORTE REAL. & l. S. D. T.

quod

MVTIVS VITELLESCVS,

SOCIETATIS IESV

PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVm Logicam Tripartitam P. *Francisci Gonzalez nostræ Societatis, aliquot eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint; & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt Typis mandetur, si item iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus Romæ 9. Martij 1638.*

Locus ✠ Sigilli.

Mutius Vitellescus.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sac. Pal. Apost.

Io. Bapt. Alterius Episc. Camerinen. Vicesgerens.

CENSVRA OPERIS.

I*Vssu Reuerendissimi Patris Fr. Nicolai Riccardij Ordinis S. Dominici, Sacri Palatij Apostolici Magistri; peruidi hanc* Logicam Tripartitam *P. Francisci Gonzalez è Societate Iesu; Placuit & merito methodi, & in explicando, claritate doctrinæ, cum ingenij acumine coniuncta. In qua præterea cum nihil offenderim, quod fidei* Catholicæ*, aut bonis moribus pugnet, non minus digne, quàm pro re literaria vtiliter, Typis mandandam, publiciq; iuris faciendam censeo, iterumq; voueo. Romæ in Domo professa die 3. Ianuarij. Anno 1639.*

Melchior Inchofer eiusdem Societatis.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apost. Magister.

DISPOSITIO SERVANDA IN TRADENDA LOGICA DISCIPLINA.

I.

Dedicatio Operis huius.

II.

Præfatio in Logicam Vniuersam, vbi quæstiones Procemiales tribus Partibus Logicæ communes exponuntur, à numero 7. & continet septem Capita Sectionibus diuisa.

III.

Prima Pars Logicæ dicta à nobis *Logica Vocum*, siue *Vocalis*, quia de vocibus artificiose componendis agit, quæ vulgo *Summulæ* dicuntur. traditur à numero 188. & continet tres Disputationes.

IIII.

Secunda Pars nominata à nobis *Logica Rerum*, siue *Realis* & *Topica*, quia tractat De Rebus omnibus, docendo regulis suis Rerum assumptionem, & vsum: & indicando Media ad scientifice concludendum, continet tres alias Disputationes, & habetur à numero 480.

V.

Tertia Logicæ Pars communiter nuncupata *Philosophia Rationalis* siue *Mentalis*, quoniam versatur circa actus intellectus, qui vocari consueuit *Ratio*, & *Mens*, explicatur à numero 1117. & complectitur alias tres Disputationes.

VI.

Compendium doctrinæ totius logicalis proponitur per varias conclusiones à numero 1246.

VII.

Postremo ponitur Index copiosus Rerum, & Verborum.

EX-

quod & ipse Rex Optimus esset, & exercituum Domini fortissimus Imperator non nisi simillimos sibi diligeret, ac deligeret.

Sed & multo maiora in hac Genealogia tua, ego considero, quæ mirificè eminent, & nonnulla Tuæ Familiæ præcipua sunt, & propria, quæq; pro loco, & tempore, in tria vel quatuor Capita breuissimè includam. Primum sit, Generis Tui Antiquitas & Magnitudo: nimirū, quod iam à primordio Regni Lusitaniç, clarum erat. Nam *Rolinus*, qui inter primos Tuæ Gentis recēsetur, *Britannicus* erat Princeps, & celebris, cùm auxilio Lusitanis ad Vlyssiponem venit, & expugnata Vrbe Regia, Regium nomen primo Regi asseruit. Indeq; Alterum continuò sequitur Decus admirabile, Maiores inquam, Tuos, etiam Regibus ipsis sua Regna cōciliasse. *Rolinus* enim ipsā Regni Sedē ALPHONSO I. *Vascus* autem tum Moram, tum alia quoq; munitissima loca, Barbaris extorta, Regi suo, Regnoq; subiecit. Sed hæc prisca Auorū memoria.

Rolinus Anglus.

D. Vascus Martini Serranus frater Petri, & Aluari.

Nostra verò tēpestate, ille magni nominis *Christophorus de Mora*, Auus tuus, quanta prudentia, & auctoritate, quàm insigni in rebus agendis industria, ac facilitate, absq; alia maiore vi, & sanguine, Lusitanicum Imperium vniuersum, PHILIPPO Regi II. submisit! Neque verò tantam rem, Regum vterq; cum verbis, tum rebus ipsis dissimularunt. quando ALPHONSVS consortem victoriæ *Rolinum*, participem & Imperij esse voluit in Vrbe Regia: Illo tamen recusante, quò solus ALPHONSVS imperaret. PHILIPPVS verò Christophorum, cum Regem facere non conueniret, fecit Secundum à Rege; ac quasi id suæ in illū voluntatis, parùm fuisset, seipsum insuper, quà viuum, quà mortuum; ac demùm PHILIPPVM III. filium, moriens commendauit.

Sed pergamus inter eximia decora, ad Tertium, idq; clarissimum: quo iidem Maiores Tui, heroicis factis Regna ipsa nobilitarunt. Prodibat in mediū, Goliathi instar, hostis præferox, & formidabilis, Regi Regnoq; nisi vinceretur, perpetuum dedecus inusturus: It aduersum Heros magnanimus *Vascus Añez de Costa*, neque pedem refert è certamine, quàm superato aduersario, opprobrium omne à Regno, & Regia depulisset. Quæ exinde mutati nominis veteris, in *Corte Real*, causa fuit. quòd Rex, demōstrata Regia Curia sua, quasi per *Vascum* splendori suo restitutam; Eamdē voluerit, ad tam generosi facinoris nunquam intermorituram memoriam, adeò glorioso cognomento præferret. Simul vt & Posteri, eodē sibi nomine adoptato, ipsi quoq; ad res praeclaras obeundas inuitarentur.

P. Vega vbi supra & ibi illustris Poeta Lusitanus Camoes.

Quartùm denique, quod primum esse debuerat, quippe fons cęterorum; quoque nullum aliud præstantius esse potest, audi Princeps: Gentem nimirū Tuam, ad tantæ celsitudinis fastigium consurrexisse, quod

quod in fide Christi,contra Mahometi perfidiam afferenda, tuenda, & propaganda,solidissimum posuerit fundamentum. Ea namque de causa Lusitaniæ Regina BEATRIX. *Vascum* honoratura, (qui illam è Castella ALPHONSO coniugem deduxerat, quemq; in diplomate suum quoque illa Consanguineum indigetat, *Mauram* Ei, siue Mouram insigne oppidum (vti & ALPHONSVS Rex partem stemmatis sui) in perpetuum donum, ac præmium attribuit: quod Auus eius D. *Petrus Rodericius* Legionensis, eiectis Agarenis, suis ipsius stipendijs, Eam, cum pluribus alijs oppidis, Regno, & Christo adiecisset. Atque indidem Tibi,*Comes Francisce*, Domuiq; Tuæ, generosa nata nomina, *De Mora*, & *Corte Real*.

Resendius lib. 4. de Antiq. Lusitan.

Neque hìc stetit Diuina erga Te munificētia,sed voluit vt ex ipso etiam sanguine Regio nascerère, ducta à proauo Tuo *Ludouico de Mora*,in cōiugē *Beatrice de Tauora*,nobilissima fœmina, à RAMIRO II. Legionis Rege, paterna linea descendente. à duabus scilicet beatus BEATRICIBVS.Quem quidem sanguinem Regium, & à Materno ducis vtero: à Melis,inquam,& inde à Brigantinis,ab Astoricensibus. Ad extremum,ne tam illustri prosapiæ Tuæ,quidquam deesset, quod ad dignitatem,ad splendorem faceret,accessit nuper Adiutorium simile Tibi:ducta nobilissima coniuge,cum qua Germaniæ, Sicaniæ, Arragoniæ,Castellæ, ac Hispaniarū diademata pene omnia tibi copulasti.

S. Doña LEONOR de MELO.

S. Doña ANA MARIA de MONCADA ARAGON I DE LA CERDA.

En Princeps Excellentissime quibus Te illi titulis, & luminibus, veris equidem ac probatissimis, illustrant,& exornant, vt inde conficiant, nihil præterea requiri in Magnate Hispaniæ, cui sic maxima quæque Regni,Regumq;mandentur officia.Cùm quibus profectò non sentio; Nā etsi quæ allata sunt hactenus,sint testatissima, adeoq; vera, vt cum prima clarissimæ Tuæ Domus,cum postremis confero, mirari cogar in Tua, quod in *Deciorum* olim familia, miratus fuit *Cassiodorus: Domus hæc*,inquiens,*tot annis continuis simul splendet claritate virtutis*, (Tua scilicet, septem annorum fermè centenarijs.) *& quamuis rara sit gloria, non cognoscitur in tam longo stemmate variata. seculis suis producit nobilis vena Primarios; nescit inde aliquid nasci mediocre: tot probati,quot geniti,& quod difficile prouenit,electa frequentia.* Vt hìc Tibi iure cum *Seneca* dixerim: *Quocunq; miseris oculum, id tibi occurrit, quod eminere posset, nisi inter paria legeretur:* Verumtamen quod ista satis sint viro Principi, vt locum suum, decusque,in Repub. cum dignitate tueatur, id nemo cordatus affirmauerit. Cùm Principis boni vera laus, & fama, non Imaginibus aut statuis, sed virtute & meritis propagetur. quod Satyricus Poëta his versibus seriò lusit:

Cassiodor.

Seneca ep. 33.

Plin. Panegir. ad Traianum.

— *sed*

—— sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, si tu nihil ipse futuræ
Laudis agas, miserum est aliorum incumbere famæ. Iuuen Satyra 8.

Sed audiamus Hispani Philosophi hac de re sapientiam propè diuinam: *Nemo*, inquit, *istorum, quos nobilitas generis, diuitiæ, honoresq; in altiori fastigio ponunt, magnus est: quare ergo magnus videtur? cũ basi illũ metiris, nõ est magnus pumilio, licet in mõte constiterit. Colossus magnitudinem suam seruabit, etiam si steterit in medio. hoc laboramus errore: sic nobis imponitur, quod nimirum neminem æstimamus eo quod est, sed adijcimus illi, & ea quibus adornatus est. Atqui cum voles veram hominis æstimationẽ inire, & scire, qualis sit, nudum inspice, ponat Genus, ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus suum exuat, animum intuere, qualis, quantusq; sit, alieno an suo magnus.* Senec. ep. 76

Ita res habet, Generose Princeps: & hæc est ardens illa virtus, quæ Maiores Tuos, ad honores & tantum gloriæ culmen euexit, à quibus vt spiritum hausisti, ita & vitæ morumq; vestigijs insistas necesse est. quod quidem D. *Bernardi* consilio, facies expeditius, si Tu ipse Tibi ex omnibus Maioribus Tuis, vnum aliquem delegeris, *cuius vitæ exẽplar, sic cordi tuo insederit, reuerentia inhæserit; vt quoties eius recordatus fueris, ad reuerentiam cogitati assurgas, & temetipsum ordines, atque componas: qui cogitatus, ac si præsens sit, emendet in te, omnia emendanda.* S. Bernardus ad Fratres de Monte Dei. Qualem me hercule, virum, neq; in Excellentissimo D. Parente Tuo, neq; in Aui gloriosa memoria desideraueris: nisi quod fortasse nõ ferret illius modestia, quod huius nequit dissimulare, toto penè orbe celebrata gloria. Præterquàm quod & statuæ, ab aliquo remotiore spatio, gratiores sunt intuenti. Hunc itaque secure inspicies, & sequeris Magne Nepos; si illius in Te virtutes, sapiẽtiamq; expresseris, quibus ille aurigãtibus promeruit, vt quãdo *Christophorus* Christũ in pectore, & ipse Regum sapientissimus, atque Monarcha PHILIPPVS II. *Christophorum* ferret in oculis, quantũ neminẽ alium. Macte igitur virtute noua, Generose Princeps; pete è Domo Tua, quod imitere prototypon: audenti arduus nimiũ non erit, ad virtutẽ Callis: *Multa verò, non quia difficilia sunt, non audemus; sed quia nõ audemus, difficilia sunt.* Seneca.

Cæterùm hanc Tibi dedicare Logicam, & eius etiam lectionem commendare, deliberato consilio ausus ego; quod nihil æquè virum Principem decere, iam olim ALEXANDER ille Macedo, re, & nomine Magnus, memorabili sane suo ipsius exẽplo demõstrarit. Ea enim tẽpestate, refert *Agellius*, cũ ille armis exercituq; omnem prope Asiam teneret, Regemq; ipsum *Darium*, prælijs & victorijs vrgeret; cum cognouisset *Aristotelem* Magistrum suum, Logicam, cæterasq; recon- Agell. li. 20. cap. 4. noct. Attic.

ditæ

ditæ Philosophiæ partes, in vulgus edidisse: literas ad eum misit, non eum rectè fecisse, quod disciplinas *Acroamaticas*, quibus ab eo, ipse eruditus foret, libris foras editis inuulgasset. *Nam qua*, inquit, *alia re, præstare cæteris poterimus, si ea, quæ ex te accepimus, omnium prorsus fient communia? Quippe Ego doctrina anteire malim, quàm copijs, atque opulentia.* Vide Generose *Francisce*, quo loco *Alexander* Orbis Domitor, Logicam habuerit? rectè scilicet arbitratus, quod quanto interuallo ipsa Ratio hominem supra animalia cætera extollit, tantundem inter reliquos homines eminere Principem debere, Rationali Disciplina. Sed quid ad hæc *Aristoteles*? Rescripsit is ad hanc Ei sententiã. *Acroamaticos libros, quos editos quereris, non, perinde vt arcana, absconditos; neque editos scito esse, neque non editos: quoniam ijs solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt.* O quantum bonum contineri Logica necesse sit, cuius inuidia ne dicã, an gloria, tantus Magister, tantusq; Discipulus laborarint? Ego verò in Schola Christi edoctus, Excellentissime Princeps, quam didici sine fictione, & diuina illustratione Sapientiã, sine inuidia communico, & honestatem (seu facilitatem) illius non abscondo. Logicam enim, obscuris euolutam tenebris, dilucidam, vt pretiosum thesaurum, in apertum profero, vt vel sine alio magistro, solo perspicaci tuo ingenio, in adyta illius penetrare, facillimo negotio possis. Fruere itaque labore meo, Generose Princeps, nec fecisse pœnitebit. *Pænituisse quàm plures adepti Regni*, dicebat Sapiens ille Arragonum Rex ALPHONSVS, *at qui literas didicisset, neminem. Est enim doctrina Sapientiæ similis, quam omnis anima concupiscit, nulli onerosa: Regni molestiæ multos oppressere.* Quas quidem humanę vitæ miserias, nulli Principes vitare potuerunt, sapientia tamen suffulti, se suosq; & alios sibi commissos, incolumes seruarunt. Quare vt hanc Tibi *Francisce*, cum cætero virtutum maximarum choro, impetrent; quatuor omnino cæli ciues FRANCISCOS, apud Principum Principem deprecatores, adiunxi. Tu interea hunc infimi tui clientis laborem, æqui, boniq; consule; & qua polles, augenda in dies sapientia, auctoritate, atque potentia, ab obloquentium dente defende.

Alexander Rex.

Aristoteles. Alex. Magister.

Sapient. 7.

PIVS II, vbi supra.

Aristoteles 1. Met. c. 1. & ibi. *S. Thomas.*

PRAE-

PRAEFATIO
IN LOGICAM VNIVERSAM.

Explanat Quæstiones, quas dicunt Proœmiales. Sed prius pauca de nostris stylo, industria, & inuentione, de modo, & moderatione in Disputationibus seruanda. Ac demùm de Logicæ Authoribus, & Scriptoribus, præsertim Aristotele, SS. PP. Augustino, & Thoma nostris Præceptoribus.

1 ENIOR Plinius in Præfatione sua, *res ardua*, scribit Vespasiano, *vetustis nouitatem dare, nouis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem.* ego vero dico Lectoribus, *vetustis* iam renouatis recentium Doctorum graui authoritate suffultis; *obsoletis*, & *obscuris* præfulgenti nitori, ac præclaræ luci restitutis ab industria solerti magistrorũ præeuntium; ac demùm *fastiditis, ac dubijs* gratiæ iucundissimæ, & propè certitudini donatis, aliquid, vel modicum, vlterioris nouitatis, authoritatis, lucis quidpiam leporis, & firmitudinis feliciter addidisse, fore longè difficilius: quamobrem mihi vel id etiam nõ assequuto, voluisse, abundè pulchrum, atque magnificum est, assequuto autem, gloriæ nihil, quæ tota Deo est. quidquid vero illud est, quod in Logicæ splendorem, & in Scholasticorum obsequium contulimus, ita sanè placuit eruditis huius temporis, & ingeniosis viris, vt me aliquando, quæ per multos annos didici, & publicè dictaram Bœticis meis auditoribus, ad euulgãda adhortati fuerint, & quamuis *aliquibus fortassis hæc nota sunt*, (describo ex Bernardo) *quibus similiter reuelata sunt; sed propter eos, qui forte non aduertunt sublimioribus intenti, aut alijs occupati, seu etiam propter eos, qui minus capaces intelligentiæ sunt, mihi incumbit loqui, quæ sentio.* Plinius. S.Ber.Serm. de Ascensione.

2 In assertis vero meis producendis, & referendis alienis, loquar semper quam honorificentissimè de omnibus, etiam quando eorum aliquot placita refellere contingat, licet enim falsa, quæ mihi videantur, displiceant, eorum authores displicere non debent, quoniam *ad Magistri consummationem*, ait S. Thomas, *plurimum valet frequenter, & reuerentur applicare animum documentis maiorum, & ea non negligere propter ignauiam, nec per superbiam contemnere.* S. Tho. 22. q. 49. ar 3. ad 2. & 3.

3 *Succinta breuitas*, vt inquit Boetius. *licet voce sit tædiosa, non tamen infructuosa*. idcircò placet magis stilus medius inter contractum, & fu- S. Boetius de discip. Schol. c. 1. in fine.

A sum,

ſum, ſed qui delectet perſpicuitatis, & lenitatis condimento præciſis vocabulis obſoletis, quem ſic probaui magis leuando legentium faſtidio, non eleuando emolumento, atque in ipſo ingreſſu quæſtionum reſolute dicam, quod ſentio, poſtremo autem loco iaciam cum ſuis fundamentis, & reijciam aliorum ſententias. quamuis enim vſitatior methodus Scholaſticorum, vt plurimum alijs videatur commodior ad docendum, quæ prius proponit ſententias refutandas, & poſtremo veram ſententiam explicat, ac defendit, attamen in hoc tempore, quando tantum excreuit faſtidium ſtudendi, varietas, & multitudo prauia opinionum, & refutationum obruit memoriam, & cõfundit intellectum, & voluntatem incipientiũ ab ſtudio auertit antequã veritas ſincera ex puris fontibus hauriatur. *Stilus ſeruãdus.*

Plerumque procuro contractiores eſſe diſputationes meas reciſis ſuperfluis, ſed pro re nata magis neceſſarijs abundè diſcutiendis operam dabo: quod ſi ſcriptura hæc quandoque videatur prætergreſſa breuitatis terminos, id fiat neceſſe eſt, vel quia ſit editura aliquod recens inuentum Reipublicæ diſcentium perutile. mens quippè quæ parit, quod ipſa concepit, & alienæ prolis ſuſceptrix nõ eſt, debet fœtus recẽtes hinc inde communire, maxime fouere, & aſſolet impunè eoſdem ornatu, & monilibus ſuperfluentibus veſtire, atque adornare. vel quia eſt vitium gẽtis noſtræ, vt vulgo fertur, profuſa longitudo. vt vt vero ſit, factum laudabile meum, vel grato animo acceptandum, aut ſi peccatũ eſt, in Hiſpano homine diſſimulandum erit, vel ei condonandum.

Methodus, vel diſpoſitio ad ſtylum pertinet. noſtra euidenter apparebit commodior cunctis infrà à num. 33. & alibi frequenter. ne vero quis me condemnet, & arrogantis ſpiritus inſimulare audeat, excuſat me, ac defendit S. Thomas ſic pro me loquutus. *conſiderauimus namque huius doctrinæ nouitios plurimum impediri in his, quæ à diuerſis ſcripta ſunt, partim quidem propter multitudinem inutilium quæſtionum, articulorũ, & argumentorum; partim etiam, quia ea, quæ ſunt neceſſaria talibus ad ſciendum non traduntur ſecundum ordinem diſciplinæ. hæc igitur, & alia huiuſmodi euitare ſtudentes tentabimus cum confidentia diuini auxilij, ea, quæ ad doctrinam pertinent, breuiter ac dilucide proſequi, ſecundum quod materia patietur.* Logica diſcutiemus pro'ixius; Phyſica, & Metaphyſica, quatenus ſeruiant Logico inſtituto. atqui in his præſtandis, quæ pollicitus ſum circa ſtylum, & nouam, ac facilem diſciplinæ huius diſpoſitionẽ, elaborabit maxime induſtriæ noſtræ ratio, & inuentionis, cõtentus ſi exequar præceptum dicentis. *Scripta tua adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem: intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur: per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur, eadem tamen quæ didiciſti ita doce, vt cum dicas noue, non dicas noua.* plane *nihil* eſt *ſub ſole nouum, nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt, iam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos*. Licet modus dicendi, atque docendi poſſit eſſe nouus, & valde vtilis, vt recte docuit *Hugo Victorinus*. *S. Thom. 1. p. in principio.* *Lirinenſ. lib. contra Prof. Hæreſ. Nouat. c. 27.* *Eccleſ. c. 1. 10* *Lib. 3. Didas alica.*

5 Authorem Logicę fuiſſe Deum indubitatũ eſt, eamq. cũ cæteris donis *infudiſſe Adamo* primo parenti, à quo emanauit in poſteros, viguitq. inter eos, quouſque ipſorum incuria penè extincta fuit, quam tamen adhuc in *S. Thom. 1. p. q. 94. art. 3.*

in animo scintillantem exsuscitare conati sunt, conatu non ita felici, complures, Socrates vero definitionem, nobilem Logicæ partem instaurasse, siue inuenisse dicitur, Platoq. diuisionem. Sed *Aristoteles* artem syllogisticam sese inuenisse gloriatur, & quia Logicā vniuersam, auxilio speciali, vt par est credere, Diuinæ Prouidentiæ, congessit, & congrua methodo disposuit, inuentoris sibi nomen arrogauit. *Fonseca lib. 1. lib. Instit. c. 5. 2. Elenc. fine.*

Scriptores autem interpretes, qui eandem Logicam Commētarijs elucidarant, extant ante alios *S. Augustinus.* & *S. Thomas.* libris, ac locis afferendis Cap. sequēti, atque ex ipsorum sacris Ordinibus *Caietanus* scribens super Porphyriū. libros Periher. & Analyticos. *Aegidius Romanus. Sotus. Veracruz. Sedeño. Iauellus. Iustinianus. Bañez*, & alij. E Societate item Iesv. *Toletus. Conimbricenses. Rubius. Vallius. Hurtado. Lorinus. Smiglecius. Amicus. Arriaga.* DD. *Franciscus Suarez.* & *P. Fonseca* in suis Metaphysicis, & alij sine numero tam Religiosi, quàm Sæculares. quorum authoritate assertiones fulciemus, insistentes, vti volumus, & debemus, placitis Aristotelis, Augustini, & Thomæ, quorum doctrinam è vestigio sequimur, & illustrare tentamus, quoniam præscripsit Chrysostomus *non oportere quidquam dicere sine testibus solaquè animi cogitatione.* *Logici Scriptores.* *S. Chrysost. in Psal. 95.*

De modo vero, quo debeam sequi, & imitari tres istos Præceptores meos, ipsi me verbis conceptis informāt. legantur *Aristoteles* in 1. Etich. & ibi *S. Thomas.* & 22. q. 29. ar. 3. ad 2. & *S. Augustinus* to. 2. epist. 111. ad *Fortunatian.* quorum doctrinæ compendium est illud commune, *amicus Plato, sed magis amica veritas.* Videantur insuper *Vasquez* 1. p. q. 1. disp. 3. c. 4. & nostræ societis *ratio studiorū* pag. 42. & 69. ego enim, qui scio scopum Ordinis nostri, sicut & aliorum, vbique esse veritatem, in præsenti materia Logica omnino imitabor tres illos veritatis puræ fontes, ac principes, quod si aliquando vel transuersum vnguem, quod maxime nolim, ab aliquo mihi proposito authore reuerenter desciuero, me cōsolor *quia*, dicit vbi supra S. Thomas, *dissentire in aliquibus paruis*, vel paucis, *quasi non videtur esse dissensus. nec hoc repugnat paci, quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur.* *Aristoteles. S. Augustin. S. Thomas.* *Vasquez.* *S. Thom. 22. q. 29. a. 3.*

A 2 CA-

CAPVT I.

De huius scientiæ nominibus, vtilitate & excellentia. De Logicis libris Aristotelis. S. Augustini & S.Thomæ, ac de ipsorum, & nostra nouantiqua Logicæ tripartitione.

7 *Arist. 1. Elen. c. 1. & 1. Post. tex. 2. & 23.* NE *ignorantia nominum*, quod ait Aristoteles, *faciat vos halluZinari*, premonnit ipse *ante cuiusuis rei cognitionẽ, nomen illius esse indagandũ* idcirco præsciendum nomen *Logica* ἀπὸ τοῦ λόγου, idest à sermone deriuari, interno, scilicet, vel etiam externo, quem vtrumque expedit ordinare, qui volet ritè disputare, & scire. nam aliud nomen illud *Dialectica* oritur item à verbo græco Διαλέγεσθαι, quod significat dissero, aut disputo. quare nomina *Logica*, & *Dialectica* significant scientiam, siue artem disputatricem, hoc est, docentem in quauis proposita materia ritè disputare, atque cognoscere, siue scire. scio quod quidam Dialectici distinguunt hanc scientiam sic, vt Dialecticam vocent eam partem, quæ docet probabiliter, Logicam vero illam, quæ docet certo edisserere. sed nos qui in Aristotele non vidimus distinctionem eiusmodi, nõ reijcimus, sed plerumque nomen vtrũque confundimus, & periode valere existimamus.

S. Augustin. Lib. 1. de Ordine c. 13. Vtilitatem Logicæ, & excellentiam ex ipsius officijs, & necessitate valde cõmendat S. Augustinus dicens. *quando transiret ratio* (idest intellectus) *ad alia fabricanda, nisi ipsa sua quasi machinamenta, & instrumenta distingueret, notaret dirigeret; proderet ipsam disciplinam disciplinarum, quam Dialecticam vocant, hac docet docere, hac docet discere, in hac seipsam ratio demõstrat, atque aperit quid sit, quid velit, quid valeat, scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.*

8 *Aristoteles.* Logicam vniuersam cõplexus fuit *Aristoteles* Stagyrita Peripateticæ Scholæ Princeps, & Author, in septẽdecim libros. Liber primus continet tres partes, prima dicitur *Antepredicamenta*, quia doctrina eius parat viam ad melius cognoscenda prædicamenta. pars secunda nominatur *Prædicamenta*, quia de eis tota tractat. tertia demum vocatur *Postprædicamenta*, quæ agit de quibusdam consequẽtibus ad prædicamenta. & quoniam prædicamenta sunt quædam res incomplexæ, & sic obiecta apprehensionis, liber iste circumfertur potissimum ordinari ad dirigendam primam operationem intellectus.

Deinde in libris sequentibus 1. & 2. περὶ ἑρμηνείας, vel de interpretatione externa sermonis interioris, egit Philosophus ipse magis fuse de vocibus omnis generis, tàm complexis, quàm incomplexis, quæ nimirum sunt Vicariȩ sensibiles cogitationum mentis, præsertim pro dirigendo nostro iudicio, quæ dicitur secunda operatio intellectus.

Tertio in duobus libris de Priori ἀναλύσει siuè resolutione, ac duobus alijs de Posteriori item resolutione, tractauit de structura varia Syllogismorum, de ipsorum Vi in demonstrando. Deniq. in 8. libris Topicorum, & docuit modum differendi de qualibet re proposita, & designauit loca, & sedes, vnde argumẽta petantur ad quidpiã persuadendum, vel refellendum. atque in duobus vltimis libris Elenchorum tradidit modum construendi, & cognoscendi, dissoluendique syllogismos sophisticos, & apparentes, quæ omnis syllogismorum doctrina conducit maxime ad directionem discursus, qui est tertia intellectus operatio.

Hos omnes Libros illustrarunt sacri Interpretes *Augustinus*, & *Thomas*, ille to. 1. Vbi de principijs Dialecticæ, & Categorijs, siue prædicamentis, hic vero in commentarijs super duos libros de Interpretatione, & duos alios Priorum. Et in opusculis 37. 38. 39. 40. 41. 42. 48. 50. 55. 56. & sæpe alibi. Nos vero colligentes ex tribus his Doctoribus, postquã in hac Præfatione difficultates proœmiales scripserimus, Logicæ totius controuersiam, Deo bene iuuante, trina parte complectemur, & quamlibet eius partem trina itẽ disputatione partiemur. Et quidem in parte prima cõiunctim agemus de Vocibus omnibus, & eam vocabimus *Summulas*, *Logicam Vocum*, *siuè Vocalem*, in secunda parte tractabimus de rebus omnibus, & propterea eam nominabimus *Logicam de rebus agentem*, *siue realem*. tertia demùm pars tota dicetur *Logica mentalis*, *seu rationalis*, quia tota occupatur in dirigendo conceptus mentis, vel rationis. Hæc est Logica tripartita Aristotelis, & SS. Augusti- 9 *S. Augustin. S. Thomas.*

ni,

al, & Thomæ, ab ipsis tradita; non à me innenta, vt ostendam euidenter inferius cap.5. Sectione tota 2. vbi illa dilucidius exponitur. sat mihi fuerit rem antiquissimam nouis quibusdam nominibus,& pulchra methodo illustrasse, obtemperasseque imperio prudentissimo S. Ignatij Patris nostri, qui scientiarum Professoribus iniunxit, studentibus proponere non tantum sanam doctrinam, sed modum facilem, ad eam percipiendã, quod vtrumque reor præstitisse me ad maiorem gloriã Dei.

4.par. Const. in Proœmio.

CAPVT II.
Ostendit Logicam existere, quid sit, quotuplex, & propter quid.

10 Logicam existere in rerũ natura, idest, illam scientiam, vel artem, quæ docet facere rectas apprehẽsiones, iudicia, atque discursus, qualiter sunt definitiones, diuisiones,& multæ argumentationes, certum est, & experientia compertum, quamuis Epicurei, Cyrenaici, & Aristochius relati à *Seneca* in Epistola 99. incõstantes dubitauerint, & illam modò ab scholis procul amandent, modo commendent in eisdem. ea vero sic est,& sic definiri potest conformiter ad Aristotelem, SS. Augustinum, & Thomam. *Logica est scientia doctissimorũ hominum vsu,& obseruatione inuenta, dictans in generali modum, quo artificiosus aliquis actus, & modus sciendi efficiatur, & quo actum, siue modum sciendi contemplatur.* Hoc est, Logica, nempe actualis, de qua semper potissimum loquimur, sunt quædam regulæ generales residentes in intellectu docentes nos quo pacto certò, & sine errore facturi simus artificiosos actus scientificos, & modos sciẽdi regulis eisdem omnino conformes.

Aristoteles. S. Augustin. S. Thomas.

11 De numero similium regularum sunt hæ. *Omnis definitio constare debet genere, ac differentia definiti. Omnis diuisio constet diuiso,& membris diuidentibus diuisum. Omnis syllogismus in Darij constare debet triplici propositione hac, & illo modo disposita*, vt alibi edocetur. *quidquid essentialiter prædicatur de superiori, prædicabitur de illius inferiori.* Quibus regulis, & alijs afferendis infra in quæst. de locis. tota Practica Logica constat, atque componitur,& instruitur Scholasticus, vt efformet in quacumque materia, vel scientia quemlibet actum directum, & quemcumque modum sciendi, quem sine dubio scite,& sine errore efformabit, si attentus ad regulas Logicales, & iuxta earumdem imperium operetur, ac tandem sibi scientiam rerum comparabit.

Spectant præterea ad Logicã alij actus speculatiui, qui non procedũt practice docendo, sed tantum, vel cõtemplando possibilitatem effectionis modorum sciendi, vel eos declarando. vt hi. *definitio fit, vel potest fieri per positionem generis ac differentiæ. definitio est oratio declarans essentiam rei per genus, & differentiam.* Et huiusmodi alij, quorũ faciemus mentioné inferius cap.7. Sect. 2.& eos dicimus esse intrinsece quidem speculatiuos,& practicos ab extrinseco, sed ad sciendũ sufficientes.

Logica etiam sunt quidã alij actus spe- 12
culatiui, qui sunt quasi examinatores, ac Iudices, quia similiter non procedunt docendo nos, nec dirigendo ad opus, sed res reflectẽdo supra artificiosos actus,& modos sciendi factos iam ex directione, & imperio regularum practicarum, curiose examinant, & inspiciunt an eiusmodi artefacta euaserint, aut non euaserint prædictis Logicæ regulis conformia,& quoduis artefactum mox iudicant ita esse, quẽadmodum vident, & inueniunt illud esse. talis est actus ille speculatiuus, quo mediante, postquam tu effecisses modũ sciẽdi, v.g. definitionem hanc (edoctus à regula dicente, *quod definitio constare debet genere, ac differentia sui definiti.*) *homo est animal rationale*, diceres, *bona est hæc definitio, quia constat genere, & differentia*, Id quod regula imperat: dicuntur ergo eiusmodi reflexi,& examinatores actus, & iudicia critica, actus logicales speculatiui, quasi otiosi, & nihil faciẽtes, ad differentiam illorum, qui sunt regulæ practicæ,& efficaces. hoc est instruentes,& quodammodo inclinantes ad opus.

Atque ex his explicata manent Logicæ 13
essentia,& definitio, quam si examines, bonam comperies, siquidem constat genere, & differentia, vt iubet regula Logicæ, loco enim generis ponitur quod sit *scientia*, per quod cõuenit cum alijs scientijs, loco vero differentiæ ponuntur reliquæ partes definitionis, per quas sine du-

blo Logica distinguitur à cæteris alijs, siquidem Logica sola est, quæ occupatur in concinnandis & artificiose componendis, seu efficiēdis actibus intellectus, & modis sciendi,& in eis ritè factis contemplandis.

Logica sic definita, ac declarata diuiditur primo in Logicam. *Vocalem, realem, mentalem*, seù rationalem, de qua diuisione tracto inferius à Cap.4.ad tollendas multas cōfusiones ab animis studentium.

Diuiditur secundo Logica in *habitualem, & actualem*, Logica, habitualis est habitus, siue facilitas quædam, quæ producitur in intellectu ab actibus,& regulis logicalibus, ibique perseuerat facilitans, & quasi inclinans intellectum ad producēdos alios actus,seù regulas similes illis,à quibus antea habitus ipse fuit productus. Logica verò actualis sunt omnes illi actus intellectus, & regulæ supra declaratæ, ex quibus veluti ex partibus, Logica actualis tota constat, atque componitur.

Tertio diuiditur Logica in *naturalem, & artificialem*. Logica naturalis est ipsū lumen intellectus,qui sine Doctore, ac sine generalibus alijs documentis iam olim inuentis, sola sua innata vi,& energia potest,& solet elicere aliquos actus quasi artificiosos, directos, & aliunde conformes artis præceptis; videt,v. g. quis literarum inscius,& Logicæ regularum,& audit hominem quempiam esse Pastorem, & statim paulatim secum ratiocinando concludit illum pascere oues, & finaliter hunc syllogismum perfectum efformat. *Omnis Pastor pascit oues, hic est Pastor, ergo pascit oues*. quem syllogismum tutè vides esse in forma, ac figura, ac esse in *Darij*, effectum tamen naturaliter,ex solo ductu naturæ, sed cautè aduerte illum syllogismum Logicam naturalem non esse, sed Logicę,quę est dictamen quoddam docēs eum facere,effectum, vt declaratur infra.

14 Vnde colliges posse fieri optimos modos sciendi ex solo lumine naturæ, conformes quidem arti, sed sine arte, hoc est sine auxilio regularum generalium artis, quamuis non sine aliquo Logicæ naturalis iudicio dictante hoc, vel illo modo ritè fieri posse. quemadmodum effici etiam solent alia opera quasi artificiosa ab aliquibus, vti à pueris domunculæ, ballistæ, saltationes ad numerum, & soni, & cantus cum concentu, ex solo ductu naturalis iudicij,& dictaminis; nemo enim adeo tardis est, aut ingenio hæbes, qui naturæ ingenio non possit, & soleat ex cognitione vnius rei sibi notæ procedere in vlteriorē notitiam rei olim ignotæ; dedit quippe natura naturans, idest Deus, homini principia artium omnium, nempe intellectum possibilem, & agentem, quorum virtute plurima efficiat arte digna, ac ritè apprehendat, definiat, diuidat, & argumētetur, perinde, ac si operaretur attentus ad alicuius artis præcepta, & secundum ipsa; propterea crediderim Logicæ artis, sicut & aliarum documenta, & regulas originem traxisse à natura, saltem quo ad earum instaurationem. immoratus sum libēter in declaranda Logica naturali, quam item infrà Cap.7. Sect.3. declarabo vberius; Hoc enim est vnum,in quod impingunt, nec satis capiunt Tyrones,plerumq; ignorantes discrimen Logicæ naturalis ab artificiali, & ita similiter in alijs nodis explicandis, quibus, sæpe expertus sui, eosdem implicari,immorabor libenter, atque de industria.

Logica ergo artificialis est, quæ tradit regulas,& præcepta,siue, vt rectius,& formalius loquar, sunt ipsæmet regulæ, & præcepta, iuxta quæ fiunt artificiosè definitiones, diuisiones,& argumentationes variæ formæ, & figuræ, & iuxta quæ fiūt propositiones oppositæ quouis genere oppositionis. & item propositiones ęquipollentes, & huiusmodi alia; Diuisionem hanc Logicæ in naturalē, & artificialē dici ex *Arist.* in 5.Rhetor.ad Theode.c.1. *Aristoteles.*

15 Quarto diuiditur Logica in *cōiunctam, & auulsam*. Logica coniuncta dicta fuit olim, quia simul, & coniuncta cum alijs scientijs tradebatur, & addiscebatur,sicut & contingit etiam in hoc tempore,quādo simul cū Metaphysica edocetur, quod videtur reprehendere *Aristoteles* dicens in *Aristoteles.* 2.Metaph. cap.3. *absurdū esse simul quærere scientiam, & modum sciendi*, idest Logicam, quæ docet facere modū sciendi, an vero bono iure id reprehendat Philosophus,nos examinabimus inferius c. 4. in parte Sectionis 5. quando vero traderetur Logica pura,& seorsim ab alijs sciētijs Logica auulsa diceretur. Scio quod ab Antiquis nominata est Logica, *vtens* alijs scien-

ſcientijs coniuncta vel immerſa, ſicut *docens* auulſa, de quibus infra.

Quinto tripartitur Logica in *analyticã, Topicam, & ſophiſticã*; illa prior reputatur perfectior, quoniam tractat de ſyllogiſmis perfectis, ac demonſtratorijs, ſiue eos docet efficere. Topica agit de ſyllogiſmis opinatiuis, & probabilibus, ac demum ſophiſtica docet facere, ac diluere ſyllogiſmos fucatos, & apparentes.

Sexto diuiditur Logica in *practicam* & *ſpeculatiuam*, quæ diuiſio declarata ſufficiẽter eſt in principio huius Capitis, ſolum animaduerto numerari ab aliquibus intra gregem actuum ſpeculatiuæ Logicę quoſdam actus, qui explicant eſſentias modorum ſciendi, & alias eorum proprietates, quales ſunt hi, & huiuſmodi. *definitio conſtat genere, & differentia. definitio explicat eſſentiam rei, definitio eſt clarior ſuo definito.* Ego autem dico hos, & ſimiles actus eſſe in rigore loquendo metaphyſicæ, ſed vero, vt multiplicemus, ac ditemus Logicã, eos auferamus à propria ſede, & ſuperaddamus Logicæ, vt verum ſit quod ait P.D.*Suarez* to.1.metaph. diſp.1. Sect.4.nu.28.nempe metaphyſicã auxiliari Logicæ, quamuis auxilium metaphyſicæ erga Logicam, potiſſimum aſſumitur ex eo, quod metaphyſica definiat res per genus, & differentiam, vnde ſumpſit occaſionem Logicæ inuentor ad ſtatuendum generale documẽtum Logicum dicens. *Omnis definitio debet conſtare genere, & differentia*; & ſic in cęteris Logicæ metaphyſica adiumento eſt. Parum diſtat, aut nihil ab hac diuiſione illa, qua.

Septimo diuiditur Logica in *inuentiuam*, & *iudicatiuam*, quoniã inuentiua eſt ipſa Logica docens practica, quæ non alio modo inuenit media & modos ſciendi, & alia artefacta, niſi regulas præſcribendo
16 quomodo ea inueniantur, & fiant; & iudicatiua eſt ſine dubio Logica ſpeculatiua, quia ſolum ſpeculatur, & iudicat de bonitate modorũ ſciendi & artefactorũ alio
S. Thomas. rum. tradidit diuiſioné hanc *S.Thom* ex *S. Boetio*, opus 48.tract. de ſyllogiſmo c.1.ad munus Logicæ huius iudicatiuæ pertinet ferre iudiciũ de alijs ſciẽtijs, eas examinare, approbare, aut reprobare, ac finaliter declarare, quæ ſit ſcientia, & quæ non, vt declarabo magis inferius ex *P. Vaſquez*.

Octauo diuidi poteſt Logica in *vniuerſalem*, & *particularem*, illa eſt quæ abſtrahit ab omni materia, hæc deſcẽdit quaſi ad materiam particularem. Sunt enim aliquæ regulæ Logicales, quæ docent efficere aliquid non ſignando materiam ex qua; alia vero materiam quodammodo aſſignant, vt videbis infra ſpeciatim in 2. par. Logicę diſp.4.q.8. Sect.2.

Poſtremo diuiſa eſt Logica (vt alia minutiora membra omittam) in Logicam *docentem*, & in *vtentem*, Logica docens eſt, quæ ſæpe declarata eſt, regulæ nimirum Logicales, quæ docent nos conficere artificioſos actus, ſeu modos ſciendi. Vtens verò eſt, aut ſunt ipſi actus, & modi ſciẽdi facti ſecundum eas regulas; v.g. hæc eſt Logica docens, *omnis definitio debet conſtare genere, & differentia*. hac regula Tyro edoctus definit hominem dicẽs *Homo eſt animal rationale*. Hæc definitio, quæ eſt actus, & ſcientia metaphyſica, dicitur Logica vtens, ideſt Logica exercita, Logica in vſu, & ſi liceret ita fari, eſt Logica vſa, vel vſata, ſine opus, & effectus factus ex Logicæ directione: ad eum modũ, quo dici ſolet *vlna* non ſola virgula lignea menſuratoria, ſed etiam quæuis res menſurata, & vt ait *S. Aug*.lib.1.de nupt & cõcup. c. 23. *ſicut vocatur lingua loquutio, quam facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus.* ità explicat Logicam vtentem *Vaſquez* 1.p. dip. 8. nu. 19. Dici etiam poteſt prædicata definitio pertinens ad metaphyſicã, Logica vtens, ideſt facta, & regulata à Logica, ita vt illud Logica ſit caſus ablatiuus à verbo petitus. *Sed quando de re conſtat, nil morandũ in verbis*: Lubet tamen deſcendere ad iſtas minutias propter incipientes, quorum captui, ita me ſemper procuro accommodare, vt omnes ſine magna difficultate me capiant, quia viderint ſubtiles admodum quęſtiones reduci quaſi ad praxim, vel oculis corporeis cõſpiciendas, allatis indiuiduis, & ſingularibus exemplis, id quod neque vltimus labor noſter erit in Logicæ progreſſu, nec inutilis diſcentibus, vt longa experientia compertũ habeo. *nunc autẽ*, ait *Auguſtinus* to.3. de Doctrina Chriſt. cap.6. *nemo ambigit, & per ſimilitudines facilius quæque cognoſci*. 17

Sed & alij multi, inter quos fuit Emi-

S. Auguſtin. *S. Auguſtin.* *S. Auguſtin.*

nentissimus Noster *Toletus* in q. 2. Proœmiali §. *sit secundum fundamentum*. dixerunt ex *S. Thoma* 4. Metaph. lect. 4. & *Scoto*, aliam intelligentiam Logicę docentis, & vtentis, & Logicam docentem vocant eam, quæ versatur circa structurā modi sciendi, & eandem appellant vtetem quatenus ex eius cognitione, & ex doctrina ipsius cognita, Logicus homo mouetur, & instruitur ad componendos actu modos sciendi varios in quacunque materia, iuxta exigentiam, & directionem Logicalium regularum, iste modus intelligēdi compatibilis est cum præcedenti: Vocemus ergo, & reliquas sciētias Logicas, siue Logica vtentes propter ea, quæ supra dicta sunt, & quia ita voluerunt plerique recētiores; atque cum Toleto, & reliquis appellemus item Logicā ipsam docentē, vtentē, quādo actu nos dirigat, ac in exercitio, & vsu nos manuducat ad effectionē alicuius artificiosæ operationis, quoniam vtroq; modo congruè veritas declaratur.

S. Thomas.

Ad finem dicendum erat propter quid esset Logica, sed quęstio hæc commodius capietur in principio Capitis sequentis.

CAPVT III.

Expendit Logicæ causas, ac decernit in hominibus, & in Angelis, atq; etiam in Deo Logicam reperiri.

QVatuor genera causarum adnumerātur communiter in quouis genere entis, nempe efficiens, materialis, formalis, & finalis, vel propter quid: Vndè de re quacunque fieri solent illæ quæstiones à quo sit, ex quo sit, quid sit, & propter quid: in proposito respondeo dicendum quod causa efficiens Logicæ actualis solet esse solus intellectus creatus, aliquādo comitatus cum habitu, seù Logica habituali, huius verò causa integra efficiens est Logica actualis; causa materialis, seù receptiua ex qua, & in qua Logica tam actualis, quam habitualis sunt, est intellectus, in quo ambę resident; formalis autem, sunt ipsimet actus, & habitus Logicales, quoniam in rebus, quæ carent compositione, & mixtione materiæ, & formæ, nō differt causa formalis ab earum essentia.

S. Tho. 1.2. q. 27. a. 3.

18 Finis verò *propter quem*, est Logica habitualis, & quem intendit, seù quasi intēdit, est actus suus, siue operatio, in quā inclinat facilitando intellectū, & simul cum eo comproducendo; dicitur enim veteri prouerbio desumpto ex Philosopho 9. *Metaph. textu* 15. & *S. Thoma* 3. *cōtra Gentiles cap.* 26. circa finem, *potentias esse propter operationes*. Vndè cum Logica habitualis sit quædam potentia, debet esse propter actus suos, & operationes tamquā propter finem. Finis autem Logicæ actualis, nempe finis regularum generalium, sunt etiam vlteriores alij actus, & operationes pertinentes plerumq; ad alias scientias, quas directiuè causant præfatæ regulæ, siue actualis Logica. Exempli causa. Hæc bona definitio *Homo est animal rationale*, est finis illius regulæ Logicalis. *Omnis definitio debet cōstare genere, & differentia*, & ita de regulis alijs Logicalibus, ex quibus tota Logica actualis componitur respectiuè philosophandum est. Finis item alter magis remotus vtrique Logicæ communis, dicitur esse reddere hominem habentem, scientiarum omnium habitibus plenum, ac omnino sapientem, atque vterq; finis declaratus dici solet finis sciētiæ, finis Logicę, *finis operis* huius Logici.

Aristoteles.

S. Thomas.

Est enim alter *finis*, qui dicitur, *operantis*, quem oportet esse in docente, & in discentibus, de quo sic loquutus est *S. Augustinus* lib. 2. de moribus Ecclesiæ, & Manichęorum cap. 3. initio ibi *finis quo referuntur ea, quæ facimus, idest propter quem facimus quidquid facimus si non solum inculpabiles. sed etiam laudabiles fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt*. Hunc ego finem summopere vellem (ita præfabar olim auditoribus meis) nobis omnibus esse communem, eum què imprimis esse Dei O. Max. gloriam, deinde Dei genitricis Mariæ Virginis immaculatæ. Sanctorum Ignatij Patriarchæ nostri Ordinis, & Angelorum Tutelaris, Thomæ de Aquino, Ludouici Gonzaga Scholastici Societatis Iesu, nobilitate, ingenio, & sanctitate pręstantissimi, laudem, & honorem. demum generaliter dico quod nequit esse. nec dici proprie finis artis, quem sibi præfigat artifex, vt artifex, si ars illum, vt obiectum non tangat, nisi dicatur finis extrinsecus attributus arti. 19

S. Augustin.

Vlterius pro doctrinæ præsentis cōplemento dicendum est Logicam posse reperiri

tiri in quocunque intellectu, qui in se possit habere regulas docentes facere definitiones, diuisiones, & argumentationes, vel etiam actus, qui contemplentur eos modos sciendi. Vnde infertur primo, non solum humanum intellectum esse causam materialem, in quo Logica recipiatur, vt nemo negat, sed etiam Angelicum. Angeli enim sine dubio sunt logici peritissimi, quippe, qui res definire, ac diuidere artificiose norunt, ac item arguere, saltem in materijs, ac rebus sibi non omnino notis, manuducti, & edocti à Logicalibus regulis in eorum intellectu residentibus.

Aduerto tamen Logicam istam Angelorum fore specie differentem à nostra secundum eius substantiam, licet eadem esse videatur quantum ad modum procedēdi, docendique facere modos sciendi. Quod vtrumque est manifestum, quia omnes actus naturales Angelorū sunt diuersi specie à nostris, vt ostendi in libris de anima; in modo autem procedendi sunt omnino similes, quoniam qui spectant, & ordinantur ad fabricam definitionis, v. g. omnes dictant eam confici debere adhibitis genere, & differentia; & ita in cæteris Logicalibus regulis nobis cum Angelis communibus, perspicuè cernitur; exemplum breue rem totam ponit ante oculos. Sigillum autem sine dubio differt ratione suæ substantiæ à sigillo æneo, licet sæpe contingat ab vtroque sigillari, & exprimi figuram, aut stemma, aut imaginem eiusdem modi, & speciei, ita in proposito cōtingit.

Ex quo infertur secūdo posse à Deo produci in nostro, vel in Angelorum intellectu Logicam supernaturalē tàm habitualem, quàm actualem, siue regulas Logicales in sua substantia supernaturales, quæ illos, & nos docerent facere modos sciendi, & disputare in quacumque materia naturali, siue supernaturali. an verò Logica ista infusa fuerit cum cæteris, Christo Domino, res est incerta, ego verò dico eam non fuisse necessariam: quia opinor sufficeisse Christo Domino Logicam ordinis naturalis, nostræ similem, vt ipse instrueretur, sine eius intellectus creatus, vt efficeret modos quoscumque sciēdi, nempe definitiones, diuisiones, & argumentationes etiam supernaturales mediāte sciētia supernaturali per se infusa. De hoc autem alibi cum sermo fit de scientia practica, sermo redibit: hic tamen obiter notetur aperte monstrari, ac deduci ex doctrina præcedenti ferè euidenter, posse, & solere esse scientiam intrinsece practicam in aliquo etiam respectu operis sibi impossibilis per vires naturæ. sic est hæc regula generalis *Omnis definitio debet constare genere, & differentia*, quæ non tantum nos dirigit ad faciendam definitionem naturalem, quam possumus; Verum etiam ad supernaturalem, quam per vires naturales non possumus: Vndè data nobis supernaturali potentia, statim possemus definitiones supernaturales facere cōstantes genere, & differētia; eadem illa regula naturali dirigente. vide infrà n. 152. & 1252.

20 Infertur tertio diuinum intellectū esse causam, quasi materialem Logicæ, non habitualis, quia habitus esse in Deo non decet, vt docent meliores Theologi, sed actualis, quatenus in Deo reperitur Logica increata perfectissima eminentissimo modo artificialis, quæ nihil est aliud, quā sapientia diuina, quæ Deo dictat modum, quo fieri possint modi sciendi, à quo quasi dirigitur diuinus intellectus, vt saltem producat ad extra si velit, & quando velit, definitiones, & alios quoscunque artificiosos actus intellectus, vel etiam, vt ipse Deus ad intra cognoscendo se, & creaturas suas definiat, ac diuidat iudicando, nō autem arguendo, siue discurrendo, quoniam communis opinio Theologorum tenet Deum nō vti discursu propter imperfectiones, quas inuoluit discursiuus modus cognoscendi.

S. Tho. 1. 2. q. 49. art. 4.

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 7

Sed tamen absolute, & in rigore loquendo Dei Logica artificialis non est, idest, comparata, vti ea solet, pedetentim per plures experimentales cognitiones; Sed naturalis omnino, & primo intuitu habita, dici autem potest artificialis quasi extrinsecè, quia ad artefacta ordinatur, & ea operatur, & ratio huius illationis est, quoniam Deo concedenda est omnis scientia, quæ non dicit, & eo modo quo nō dicit imperfectionem, sed Logica modo declarato nullam dicit imperfectionē, ergo Deo concedenda est; præterquam Deo competit absolutè esse artificem omnium de cuius sapiētia scriptum habemus *Sap. 8. 6. quis horum, quæ sunt magis, quā*

illa est artifex. ac certissimum omnino est omnium bonarum artium, Deum esse originem, & authorem, vt legis in *Ambrosio* 1. Corinth. 12. ad illud *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, *S. Augustin.* & in *Augustino*, *Clemente Alexan.* & alijs, quos allegat sapientissimus *P. Montoya* tomo de Trinit. disp. 15. Sect. 5. num. 3. Quocirca, non recusetis nominare Deum Logicum excellentissimum, siquidem ipsũ Philosophum, Metaphysicum, Mathematicum, & omnium scientiarum Principem, principium, & originarium fontem, & lucidissimum lumen, à quo descendit, omne lumen, creditis, & iure nominatis. & *S. Augustin.* quidem signatè aduertit *S. Augustin.* in lib. 1. contra Crescon. Logica vsum fuisse Christum Dominum, præsertim Cap. 17.

CAPVT IV.

Supponit ex alibi dicendis vberius, Logicam esse ex omni fere parte scientiam perfectam, partim practicam, & partim speculatiuam, & item artem actiuam, & factiuam ex parte, & vnam simplicem qualitatem non esse.

21 NOmen hoc *scientia* (loquendo de scientia actuali) vt minimum, quatuor habet significata apud bonos Authores, primo enim significat perfectissimam quamque cognitionem, & comprehensionem rerum omnium, qualis est scientia diuina.

Secundo significat congeriem quandã multorum actuum Intellectus creati, quę complectitur actus, quæ vocant prima principia, vt sunt hæc, & similia, *totum est maius sua parte*. *nemo dat, quod non habet*. & item certa alia iudicia, inductione, & longa experientia comparata, qualiter inter alia sunt documenta generalia artium, & item definitiones, ac diuisiones; & quidem esse scientiam eiusmodi iudicia, indubitatum debet esse; Primo, quia taliter est scientia Angelorũ. *Aristoteles.* Secundo, quia definitiuam cognitionem, appellat *Aristoteles* alicubi scientiam. Tertio, quia prædicta iudicia solent esse principia, causæ, & præmissæ, vnde deducitur conclusio certa, & euidens, quæ certitudo, & euidentia prius est in principijs, quæ propterea vocantur certiora conclusione, *nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. in rei huius confirmationem lege Cap. 7. infra Sect. 3. §. *quinto*.

Tertio significat nomen *scientia* cognitionem quandam euidentem, quæ dicitur, ac definitur ab *Aristotele* 1. Post. c. 2. *Aristoteles.* *conclusio certa, & euidens habita per præmissas certas, & euidentes*. vt hæc. *ergo Petrus est animal*, quæ sic colligitur ex illis præmissis, vt ex causis, & principijs suis. *Omnis homo est animal; Petrus est homo*, ergo *Petrus est animal*, & item collectio, seu multitudo similium conclusionum eodem vocabulo rite nuncupatur.

Quarto significat magis latè quandam congeriem cognitionum, & actuum, intra 22 quorum numerosum gregem admixti sunt boni cum malis, idest actus certi, & euidentes cum actibus incertis, ac solũ probabilibus, qui solent dici opiniones, & plerumque, quod alias euenit, mali isti actus, & opinatiui consueuerunt esse multo plures. Sic ponitur, siuè componitur Logica ab aliquibus, qui me iudice neque eã pro meritis æstimant, esto multis laudent, neque plenè norunt; coguntur tamen velint, nolint, eam appellare scientiam lato modo, eo nomine sumpto. Primo, quia denominatio quæuis modo attribuatur composito per se, modo composito, aut cõcreto per accidens, sumi non solet à parte principaliori, si ea sit minor numero, vt patet exemplis physicis & moralibus, & ex Prouerbio. etenim propterea homo non dicitur spiritualis, licet potior eius pars sit spiritus, quia videlicet, is est vna sola pars, & corporales partes sunt plures; similiter bene, vt assolet, aduertit *P. Thomas Sanchez* in suis manuscriptis allegans *Marantam* de ordin. iudic. d. q. 5. nu. 23. & 25. *in indiuiduis quando plures conueniunt, vt Collegium, denominatio fit à maiori parte, licet ea indignior sit*. præter quam est quasi regula iuris, vt *maior pars trahat ad se minorem. Cap. 1. de his quæ fiunt à maiori*, Ratio autem quæ potest mouere Philosophos neotericos, vt scientiam non rigorosam appellent

lent Logicã in illo proloquio continetur. *S.Dionys. de Diuinis nom. cap. 4.* *bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu*, idcircò hæc propositio *Deus est, & Petrus currit*. non est necessaria, neque certa, quando solum est probabile Petrum currere. Vnde efficax argumentum sumitur contra aduersæ partis Authores, qui adhuc Logicam suam nominandam esse in toto rigore sciẽtiam inmeritò contenderint.

23 Respondit quidam modernus proposito illo principio generali. Tunc quidem ritè quadrare aliquod nomen alicui rei, quando tale nomen, & significatum eius non repellunt, nec destruunt partem aliã magis occupantem rem subiectam, cui nomen imponitur. Et propterea nomen *scientia* ritè accommodari posse Logicæ habenti plures opiniones, & actus, qui non sunt scientia, quoniam id nomen, & eius significatum compatiuntur simul cũ eis opinionibus, neque eas repellunt. Hęc responsio pro me est, non pro Aduersario, illamque illustro hoc exemplo, ideo enim benè vocamus hominem *corporeum*, quia id nomen patitur in subiecto esse aliquẽ spiritum, idque ex Philosophorũ, & Theologorum beneplacito, qui nomen *corporeum* aliquando sumunt strictè, hic in proposito, largè, quemadmodum de nomine *scientia* dictum est: concluditur ergo debere nominari à Recentioribus suã Logicam scatentem, vt ipsi loquuntur, pluribus opinionibus, non scientiam, sed opinionum congeriem, vel si scientiam, largo modo sumpto scientiæ vocabulo, quatenus significat congeriem conclusionum, quarum aliquod sunt certæ, ac pleræque incertæ & solum probabiles opiniones.

His ita præsuppositis dico primo cum bonis authoribus *Logica est perfecta scientia* ita dixerunt ante me plerique recentiores, qui pro nobis allegant in primis *Aristoteles.* *Arist.* in lib. 17 metaph. cap 3. & 7. *S.Augustinum* *S.Augustin.* lib. 3. contra Accadem. cap. 13. & lib. 2. de Ordine c. item 13. & initio suæ *S.Thomas.* Logicę *S.Thomam* 1. Post. lect. 1. & 4. metaph. lect. 4. *Toletũ* in Logica q. 4 proœ. *Conimbricen.* ibidem à 3. *Suarez* tom. 1. metaph. disp. 1. sect 4. *Rubiũ* q. 2. P. *Hurtado* disp. 2. 5. 1. n. 5. *Pla.* q. 2. *Barazanum* q. 3. Proœm. dub. 4. *Zauardũ* q. 2. Præambula. lect. 3. & 4. *Collegium Complutense* disp. 1. q. 5. ubi referuntur *Scotus, Sanchez, Maffius, S.Isiderus, Plato* de Rep. & alij innumerabiles ex antiquis, & modernis afferuntur.

Sententiam nostram probant plerique Iuniores producendo in medium quasdã formulas, siue demonstrationes Logicales, quarum è numero est illa, *illa est perfectè scientia, quæ constat multis conclusionibus scientificis, hoc est certis, & euidentibus, deductis similiter ex principijs certis & euidentibus; sed Logica cõstat multis eiusmodi conclusionibus, ergo Logica est perfectè scientia*. Probant minorem afferendo vnam vel alteram conclusionem Logicam, quarum hæc est vna. *Definitio debet constare genere & differentia*, quæ deduci dicitur ab illis principijs, in quæ resoluitur in hunc modum. *Omnis artificiosus modus, qui explicat essentiam rei, debet constare genere, & differentia, definitio est modus artificiosus explicans essentiam rei, ergo definitio debet constare genere, & differentia*; & ita possent prosequi afferendo alios demonstratorios syllogismos, vt eruant, aut exprimãt aliquas Logicales cõclusiones euidenter probantes essentiam, & proprietates Logicæ obiecti.

Ego autem, qui faciliorem viam ineo, & veriorem, non sic procedo semper. 24 nec probo sententiam; probo autem sic, etenim illa est perfectissima scientia, quæ componitur, & constat pluribus principijs primis, aut quasi primis longa experientia, longo, & obseruanti vsu compertis, & comparatis; sic est Logica; ergo est perfectissima scientia. Maior est euidens ex dictis supra in secundo significato *scientia*. Probo minorem, Logica constat ex regulis illis toties repetitis, & reperendis inferius, quæ docent nos facere definitiones, diuisiones, argumentationes omnis generis, & alios artificiosos actus, & quæ sunt documenta quædam, & præcepta generalia certissima inuenta diuturna obseruatione, & attentissima experientia hominũ sapientissimorũ, si à Deo illis infusa non credimus ad suæ fidei ornamentum, ac defensionem; quæ quidem documẽta si à nobis obseruentur numquã sinent nos errare, vt monstrat experientia. vnde scite dixit Plato in *Alcibiade*. *rectè verò se habet quod secundum artem fit*.

Quo-

Quocirca dicendum est eiusmodi documenta,& regulas infallibiles esse veluti prima principia, & Logicam ex eis compositã esse eminentissimo quodam modo, scientiam, quod enim in hoc tempore post affecurationem,& approbationẽ omnium Doctorum, certius principium est, quam illud ? & cui firmius adhæret intellectus ? *Omnis definitio debet constare genere, & differentia.* & ita sunt cætera Logicæ practicæ præcepta, de qua loquutus sum,quę omnia per se patent ex sola terminorum apprehẽsione, saltem doctioribus. incertitudo sane, & opinio potuit suboriri ex eo, quod quis nõ benè sciret adhibere genus, aut differentiam in suæ definitionis structuram, sed hoc Logica non curat, metaphysica sola est, quæ docet quid sit genus, quidue differentia, vt inferius ostendo, præclarissimè discernendo officia Logicæ ab officijs reliquarum sciẽtiarũ, in Cap.7. Præfationis huius Sect.7. Hic tamen aduerto Logicam dici *διδασκαλικὴν* idest, certo docentem.

25 Dico vlterius, Logica practica non habet aliquam opinionem, seu nullum habet actum opinatiuum. Dictum facile probatur ex dictis, quoniam omnes eius regulæ sunt certę, & infallibiles probatæ, & approbatæ vt tales ab omnibus Philosophis ac Theologis,quod si quisquam nõ credit, quærat, & ostendat aliquam regulam Logicalem fallibilem,& incertam, & tunc demum nos falsitatis conuicerit. interim audiamus & credamus *Augustino* dicenti Logicæ *regulas esse incommutabiles, ingeniosorum sagacitate compertas*. ipsamque esse *scientiarum scientiam, siue docentem*,lib.2.de Doctr.Christ.c.7.& 1. de ordine cap. 13.

S. Augustin.

Sed obiecit ingeniosus Discipulus, qui credit ita esse, quod audit, quia illud sibi dixerit aliquis licet sapientissimus, fidem habet, non scientiam, siquidem fides est ex auditu.ergo Tyrones,qui discunt Logicæ præcepta, & credunt ea esse certa & scientifica, quia ita esse audiunt a nobis cum Augustino, & aliis id asserentibus, fidem habebunt, & non scientiam, & subinde acquirere non poterunt medijs illis Logicis præceptis alias scientias, vel notitias euidentes. quia eæ omnes fundabuntur in incerta radice, nẽpe in humana fide,vnde in credẽtiũ intellectu erit Logica ad summũ,vt solet esse pretiosa Margarita in manibus rustici valorẽ ignorantis.

Et confirmabat suum discursum. quoniam si tota Logica non est fides, maiori ex parte constat opinionibus. siquidem Logicæ opiniones sunt hę,& aliæ sine numero. *Ens rationis est entitas ficta.Vbi est modus. Veritas est extrinseca propositioni.*

Respondeo ita esse, & plerumque contingere Logicam in Tyronibus meram fidem esse, & ita oportet esse, quia dixit Aristoteles *oportet addiscentes credere*, quando vero prouectiores sint,& doctiores reflectant supra Logica pręcepta,& ea reducant ad sua certa principia, si ipsis non pateant ex terminorum apprehensione, vel ex euidenti inductione. Aristoteles.

Ad Confirmationẽ admoneo Lectores, vt caute aduertant illas opiniones,& multas alias, quas scriptas habent in volumine Logico, Logicæ actus non esse formaliter, sed obiectiue, & subinde pertinere ad metaphysicã,vel ad aliã scientiã.vt ostẽdo,infra Cap.7.Sect.7. Vbi discerno actus Logicos ab actibus aliarum scientiarum.

Dico Tertio. contingere potest aliquos actus Logicæ speculatiuæ esse solum probabiles, & incertos, præsertim illos, qui à Tyronibus eliciuntur. dictum hoc solum indiget sui explicatione. Etenim potest euenire vt postquam Tyro studiosus instructus à regula generali Logica docente facere, v. g. definitionem, definiturus equum dicat *equus est animal quadrupes*, & deinde examinando opus suum,& credendo se adhibuisse legitimum genus, & differentiam, iterum dicat, Hæc definitio à me facta conformis est regulæ, & similiter facere, opinari, dicere, & errare potest in alijs modis sciẽdi iudicando cum dubio, aut formidine de alijs proprietatibus, Logicę obiecta concernentibus. coniunge tu modo, vt ad propositum redeamus, sinistra hæc, & imperfecta iudicia, & errores,& voca eos opiniones,& si placet,dic eos ad Logicã pertinere. Siquidem *Vtile per inutile non vitiatur*, est regula iuris 37. in 6. ego enim tantum vellem illam constari ex actibus omnino certis, tam practicis, quam speculatiuis, nempe vt habetur ab Angelis, & sapientioribus, & errores Tyronum Tyrocinia Logicę initia 26

tia non omnino formata nominarem, aut
fæcem procul a Logica proijciendā: Et
idem sentio de aliqua regula Logica ab ali-
quo moderno inuenta, quousque examina-
ta diligenter à Philosophis approbetur, &
vt certa, & infallibilis commendetur.

Dico quarto. Logica est ars, patet, quia
dictat modum, quo plura artificiosè fiant,
vt ex dictis, ac dicendis manifestum erit;
& consequenter infertur primo, eandem
esse scientiam practicam, quia complecti-
tur plures regulas practicè docentes quo-
modo à nobis fiant artificiosi modi scien-
di, qui propterea dicūtur artefacta, & pra-
xis. Infertur secundo Logicam ex parte
item esse speculatiuam scientiam, quoniā
habet plurima iudicia certa, indicantia
certò, & infallibiliter modos sciendi factos
secundum regulas Logicæ, esse illis omni-
no conformes, eos modos sciendi cōtem-
plando, ac merè speculatiuè, & quasi in-
efficaciter considerando; in hoc enim ma-
xime differunt scientia speculatiua, & pra-
ctica, quod hæc tendit ad opus, illa verò
non, sed sistit in sola affirmatione, & con-
templatione veritatis. Tertio infertur Lo-
gicam non esse simplicem vnam qualita-
tem, ideò, vnam regulam, aut vnum actū
speculatiuum, sed plurimorum congeriem;
27 sed neque esse posse vnicum solum habi-
tum, qui inclinet ad tam varias regulas, vt
alibi monstratur contra *Capreolū*, & alios
graues Thomistas, quos imitatur *P. Vas-
quez* 1. 2. disp. 80. cap. 3. a num. 15. In-
fertur quarto Logicam esse simul scientiā,
& artem, scientiam, quatenus de aliquo
nos reddit, ac facit certos: artē verò, qua-
tenus nos ad opus dirigit, atque in propo-
sito perinde valet Logicam esse artem,
ac esse scientiam practicam.

Quoniam verò, vt infrà num. 1221. fu-
sius de his omnibus tracto, ars diuiditur
in actiuam, & factiuam: & ars actiua di-
citur illa, quæ versatur dirigendo circa
actus, siue actiones immanentes intrà sup-
positum, & artificem, in quo est; & fa-
ctiua dicitur, quæ nos dirigit, vt efficia-
mus opera externa. Dico vltimo, Logicæ
partem, quæ versatur circa directionem
actuum intellectus esse artem actiuam,
illam verò partem ipsius Logicæ, quæ nos
docet disponere voces in formam externā,
& vocalis alicuius modi sciendi, appellari
posse factiuam; quo autem modo hoc
vtrumque genus actionum Logica exe-
quatur, dicam inferius: hic solum pro cō-
plemento Capitis aduerto me de indu-
stria, mihi obiecisse nihil soluendum per
modum contrariæ obiectionis, nam ple-
raque ex dictis, licet vsque adhuc aliter à
doctis Dialecticis intelligātur, spero cun-
ctis placitura exposita modulo nostro no-
uissimo, & vero, *quod autem verum est*,
vt dixit Plato in Gorgia, *refelli nequaquā
potest*. His verò addenda sunt, quę dicam
infrà à num. 1224. vbi iterum probo Lo-
gicam esse scientiam.

CAPVT V.
Tractat de Logica obiecto materiali, & formali.

SECTIO I.
Declarat prius quid, & quotuplex sit obiectum in communi, & varias eius conditiones.

PRimo. obiectum scientiæ, vel artis,
ita nominatum, vt inquit *Aristoteles* *Aristoteles.*
in Metaphys. texto 25. & 43. quia obij-
citur, seu proponitur tractandum scien-
tiæ vel arti; aliud est primarium, atque
per se, nempè illud sine quo nequit salua
consistere scientia, vel ars. aliud est secū-
darium, atque per accidens, sine quo ab-
solute potest consistere scientia, vel ars; &
consequenter illud, videlicet, primarium,
principaliter intēditur à scientia, vel arte;
hoc verò minus principaliter, ac nimis per
accidens, siue, vt rectius loquar, nullo mo-
do intenditur ab ipsa scientia, vel arte,
quæ ita benè se habebunt cum illo, atque
sine illo; sed vel intenditur ab artifice, seu
ab habente scientiam, per alios actus; vel
aliunde propter alios respectus concomi-
tanter cum obiecto per se intento à scien-
tia, vel arte, simul retinetur. 28

Exemplum perillustre doctrinæ huic
declarandæ nobis præbent Astrologia,
Cosmographia, & Hydrographia, quæ
scientiæ primario, & per se considerant
orbes cęlestes, arte, & eorum motus, ter-
ras, & maria; secundario verò, & minus
principaliter, siue vt obiectū per accidēs,
dicuntur considerare sphærulas paruas,
quas earum scientiarum magistri habent
præ manibus, vt facilius terrasq; tractusq;
maris,

maris, Cælumque profundum valeant intueri, ac ostentare discentibus. quocirca Cælum, Terra, & Mare sunt respectiuè obiecta primaria, atque per se earum sciẽtiarum; sphærulæ verò obiecta per accidens, & secundaria censentur, quoniam eæ sciẽtiæ, sine prioribus illis obiectis nequeunt consistere, benè autem sine posterioribus sphęrulis, vt considerãri planũ fit.

Diuisio hæc facta est à me accommodate ad vulgus, etenim absolutè, & in rigore loquendo nullum est obiectum per accidens respectu alicuius scientiæ, aut artis, siue nulla scientia propriè habet aliquod obiectum per accidens; quoniam obiectum, quod non tangitur, aut respicitur ab aliqua scientia saltem per aliquem actum suum, eius nullo modo obiectum est, siquidem ei nullo modo obijcitur; ita dico in proposito exemplo, sphærulæ non sunt obiectum Astrologiæ v. g. cuius omnes actus adæquatè solum cõsiderant grãdes orbes Cælorũ; dici autem possunt per quandam attributionem obiectum Astrologiæ duplici quasi titulo: primo, quia si minus Astrologia per se ipsam dignatur respicere paruulas sphæras, attamen eas quodãmodo respicit per administros quosdam actus, quibus, vel Artifex fecit sphęrulas, vel etiam Astrologus easdem contemplatur; & secundo, quia considerantur à suo alumno, vt ex earum cõtemplatione, vti gradu, & medio ascendat ad cõtemplandas sphęras maiores. sed hęc omnia abusiue dicuntur, latè, & per quandam accommodationem. hæc doctrina sine dubio est ad mentem *Aristotelis* tum alibi sæpe, quoties agit de rebus, quæ alijs adueniunt per accidens, tum 2. Phys. textu 33. & 50. *Aristoteles.*

29 Secundo obiectum primarium, siue per se aliud est obiectum per se formale, aliud per se materiale. obiectum per se materiale dicitur illud, quod recipit, aut quasi recipit in se formale: obiectum verò per se formale est, quod recipitur, vel quasi recipitur in materiali. exempli causa, in hoc actu. *Petrus est albus*. Petrus est obiectum materiale per se, quia in se recipit albedinem, quæ propterea quod recipitur in Petro, est obiectum per se formale, sumpta, videlicet, similitudine a composito naturali, cuius altera pars, nempe subiectum dicitur materia, quia recipit in se alteram partem, quæ quia recipitur, dicitur forma. Hic tamen aduerto frequenter à Theologis nominari obiectum formale, *Primarium*, obiectum verò materiale *Secundarium*.

Præterea diuisionem hanc obiecti materialis, & formalis solebam ego declarare duplici hac regula generali, loquendo tamen de actibus enunciatiuis, prima est, *obiectum materiale cuiuslibet scientiæ vel artis, aut actus assertiui est quidquid in actibus earum repræsentatur, siue affertur ex parte subiecti*. secunda sic est. *formale obiectum est è contrario, quidquid in eis actibus repræsentantur, seù affertur, vt prædicatum*. Vndè si me interrogas. quid sit in hoc actu Metaphysico. *Petrus est animal*. materiale obiectum, dicam id esse subiectum, nempe illud *Petrus*, & quod formale obiectũ dicam esse *animal*. quoniam animal est ratio, quæ quasi recipitur in Petro, & ratio *sub qua* Petrus ab eo actu cognoscitur: idcirco item communiter obiectum materiale dicitur res, quæ scitur, & cognoscitur, siue subiectum, vel obiectum *quod* scitur, & obiectum formale dicitur res, aut obiectũ *sub quo* illud aliud scitur, aut etiam ratio formalis, quæ scitur, vel sub qua scitur: quæ omnia vocabula, quæ sunt in vsu, concernunt veritatem, nam vere in proposito exemplo *Petrus* est res quam scimus, sed non secundum omnia, quæ habet, sed secundum quod habet esse animal; vndè bono iure *Petrus* est materia, quæ scitur, & *animal* forma, seù ratio, quæ in eo scitur; atque id ipsum intendunt declarare cætera vocabula, & nomina differentia. atque ista nostra regula innui videbitur à *S. Thoma* 1. p. q. 13. à 12. c. *S. Thomas.*

Tertio obiectum per se tam materiale, quam formale dicitur *terminans*, & *terminatiuum*, quia vtrumq; terminat actum, & vtrumque ab actu tangitur, ideſt vtrũque obijcitur actibus sciẽtiarum, & ab eis cognoscitur, & vtrumque dicam inferius in Logicæ p. 3. esse specificatiuum actus versantis circa ipsum; licet solum formale soleat esse obiectum magis diuersificatiuum, & distinctiuum, seù per quod vna scientia, vel vnus scientiæ actus signatius, & plenius differt specie ab altero, dici etiam id solet motiuum, ac determinatiuum, vt infrà.

Quar-

Quarto, obiectum per se aliud dicitur directum, aliud quasi indirectum, & in obliquo, quod aiunt, importatum; directum est, quod directe repræsentatur ab actu, vel à scientia, indirectum verò est, quod repræsẽtatur in obliquo, v. g. ab hoc actu Logico. *Omnis definitio mentalis debet repræsentare genus, & differentiam*. directè repræsentatur omnis definitio mentis, indirectè verò, & quasi in obliquo item repræsentantur res, quæ sunt genus, & differentia.

30 Quinto, obiectum formale determinatiuum, siue motiuũ, quod dici etiam solet *quo, & propter quod*, aliud tangitur ab actu, aliud non tangitur, exempli causa, dico ego, *sol lucet*, & inde infero, *ergo dies est*, ista conclusio vltra obiectum, quod tangit, ac repræsentat, quod est *dies præsens*, habet aliud obiectum motiuum, & determinatiuum, propter quod motus est meus intellectus ad afferẽdum diem esse; nempe *sol lucẽs* à me prius cognitus, quod si ita affirmarem, *quia sol lucet, dies est*, iam daretur actus, qui tangeret, simul obiectum suum, quod affirmat, & motiuum, siue rationem formalem mouentem, propter quam affirmet, an verò obiectum dum nõ tangitur specificet actum, est quæstio grauissima alibi examinanda, quando tractem in Logica, de præmissis, & in Physica de fine. Vnde colligitur vnum idemque obiectum solere esse multis modis ex dictis, nam in hoc actu *Petrus est animal*, animal est obiectum primarium, per se, formale, quod, sub quo, terminatiuum, directum, & forsan eiusmodi aliter.

31 Sexto, obiectum per se materiale, siue etiam formale, aliud est totale, & adæquatum, nempe illud, quod ita adæquat totam scientiam, vt de eo solo tractet scientia cum omnibus actibus suis. aliud est inadæquatum, atque partiale, quod non adæquat totam scientiam, de quo quidem tractat scientia, sed non de eo solo, sed de alijs simul cum illo. argentum, aurum, æs, ac metalla reliqua sunt obiectum adęquatum totalisque materies argentarię artis, aurum verò obiectum inadęquatum siuè partiale eiusdem artis dicitur, & est.

Septim. si illud obiectũ totale, & adæquatum sumatur pro omni collectione singularium rerum, quæ in scientia, vel arte tractantur, dicitur obiectum aggregationis, quia nimirum inibi gregatim veniant omnia obiecta singularia; si verò sumatur pro aliqua parte principali obiectorum, id dicitur obiectum adæquatum attributionis, idest quo cætera omnia reuocantur, & reducuntur à præceptoribus. Vtrumque hoc obiectum benè declarat *S. Thomas.* S. Thomas.
5. Met. lect. 7. & illud attributionis appellat principale.

Octauo. aliud, dicunt Iuniores, obiectũ est proximum, & immediatum, aliud remotum, & mediatum, quod etiam indirectum vocant; proximũ est quod ab actu tangitur immediate, & in se ipso. remotũ verò quod mediate, siue mediante alio intermedio tangitur, color v. g. est obiectũ proximum visionis, pomum verò, quod sustentat colorem, obiectum remotum, siue mediatum dicitur, & in quo, & hoc dici potest voluntarium, illud verò scientiæ necessarium.

Aliquot postremo conditiones exiguntur ad rationem obiecti vt sic, aut in communi, siue vt possit aliqua res, vel rerum collectio esse, ac dici obiectum artis, vel scientiæ. Prima est vt sit quodammodo vnum, quia vnius sciẽtiæ vnum obiectum oportet esse, & vnum obiecti genus, vt ait
Arist. 1. Poster. cap. 23. dupliciter autem Aristoteles.
potest esse obiectum vnum primo per modum vnius rationis cõmunis, vel analogæ, secundò per modum collectionis, siue aggregationis; modum vtrumque vnitatis significat *ens*, quod significat obiectum Metaphysicę. Ens enim significat rationẽ communissimam entis, in qua omnia entia conueniunt, & sic est obiectum Meta- 32
physicæ in communi, vel etiam omnium actuum eius, quatenus concernunt rationem cõmunem cum suo particulari obiecto identificatam; quo sensu ratio entis continet non actu, sed potentia, particularia entia, deinde ens significat collectionem omnium, quæ propterea omnia continet actu ratio significata per ens; quo sensu quando dicitur ens obiectum Metaphysicę, nomine Metaphysicę intelligendi sunt omnes actus eius particulares, sed de hoc alibi sermo redibit.

Secunda cõditio est, vt tale sit obiectũ, quod valeat discriminare scientiam suam ab alijs. Tertia, vt ad id possint omnia, quę tractantur in scientia reuocari; Quarta, vt contineat omnes veritates scientiæ, quæ

quæ de obiecto adæquato attributionis verificatur, nullus enim actus verus potest esse in scientia ex parte intellectus, cui nõ correspondeat veritas obiectiua possibilis affirmari ex parte obiecti. Denique obiectum dicitur ab *Arist.* vbi supra subiectum, quia materiale obiectum, vel etiam formale subijcitur prædicatis, & proprietatibus, quæ de eo demonstrantur, & prædicantur in sua scientia. Hæc de obiecto sufficiunt ad præsens propositum de Logicæ obiecto, de quo tracto post tripartitã Logicæ diuisionem. Legat qui plura volet *S. Thomam* in prologo Metaphysicæ, & lib. 4. lect. 1.

Aristoteles.

S. Thomas

SECTIO II.

Partitur denuo Logicam in tres partes, nempe in vocalem, realem & mentalem, siue rationalẽ; & partium singularum regulas dilucide componit, proponitque compẽdio Logicæ totius nostræ seriem cohærentem, & breuem acoluthiam; sed prius pauca differit de huius nouæ diuisionis antiquis inuentoribus.

33 COmpendium totius Logicalis doctrinæ, ac disciplinæ, quam per multos annos summo labore, & vigilijs plurimis comperi, & congessi, siuè, vt rectius, & verius dicam, quàm post multas preces à Patre luminum, idest, scientiarũ omnium originario fonte accepi, iterum eidem bonorum omnium Authori, largitoriq; Deo ter Optimo Maximo consecro, ac dicari etiam volui discentibus studiosis; quoniam fidenter spero illi honori, & glorificationi futurum (quò tendunt nostra omnia) his verò maximè profuturum, & breui, si tamen ab eis, vt par est, attenta mentis consideratione, ac voluntate agnoscendæ veritatis studiosa videatur.

Sed quod admirabile est, licèt non rarum, cogitanti mihi noui aliquid scientiarum cumulo addidisse imitatione Maiorũ, & eorumdem scripta sedulo euoluenti, occurrit inuentum, quod putabam nouissimum, antiquissimum esse, & iam olim traditum potissimum ab *Arist. SS PP. Augustino & Thoma*, sin minus sub eisdem terminis, re tamen ipsa. quare eorumdem doctrinæ antiquissimæ facilius capiendæ, solum oportuit rem omnem logicam redegisse in nouam, & facilem methodum, ac retinuisse noua quædam vocabula, & verba maximè congrua, & vtilia, quæ propterea non damnaret Apostolus scribens ad *Timoth.* cap. 6. *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates.* quia vt interpretatur *S. August.* in tract. 97. in Ioan. *non ait Apostolus verborum nouitates, sed addit profanas, sunt enim, & doctrina congruentes verborum nouitatis*, id quod ex iam dicendis manifestum erit.

Aristoteles. S. Augustin. S. Thomas.

S. Augustin.

Prima pars Sectionis exponit fundamenta, & congruentiam huius Logicæ tripartitionis, postquam retulit aliorum communes de Logica opiniones, & partitiones varias.

ANtequam de Logicæ obiecto tractarem, oportere iudicaui hic in primis rationem reddere cur nouo more diuiserim Logicam vniuersam in tres partes; & earum singulis singulariter nomina noua imposuerim, nominando vnam Logicam 34
vocalem; aliam *realem*; ac tertiam denique *mentalem*; quæ diuisio, si non reducatur ad quæstionem de nomine, sed firmo nitatur fundamento, plausibilis, & bona videtur, tum claritudini doctrinæ, & confusioni tollendæ ab animis studentium; tum etiam conciliandis Dialecticorum de Logicæ obiecto sententijs dissidentibus, & Magistrorum cõmunium, nempe *Aristotelis, SS. Augustini, & Thomæ* testimonijs super idem obiectum inter se pugnantibus secundum exteriorem apparentiam. Ego verò asseuerare audeo adeo necessariam esse eam Logicæ partitionem, vt sine ipsa difficile omnino sit, ne dicam impossibile prorsus, Logicam doctrinam omni ex parte tenere, & intelligere: id quod iudicabit, & merito quisquis attenta, sinceraque mentis consideratione perlegat Sectionem præsentem.

Aristoteles. S. Augustin. S. Thomas.

Ergo cum varia Logicæ volumina tum recentium Magistrorum, tum etiam antiquorum euoluissem, facile animaduerti plerosque eorum ex professo tractasse de tribus, nempe de vocibus, de rebus, de con-

conceptibus, siue de actibus intellectus; de quibus omnibus nō solum mixtim comperio actum esse; sed pro vocibus seorsim peculiarem tractatum vnum; pro rebus alterum; & pro conceptibus tertium fuisse institutum video; & quidem prædicti Dialectici priorem tractatum, vbi fuse agunt de vocibus, vocarunt *Summulas* alij alij *Introductionem* ad Logicam, alij alijs nominibus, de quibus infrà; qui tractatus in tantum aliquando excreuit longis disputationibus, vt iam non summa, aut summula, sed integra Logica, scientiaue sermocinalis vocaretur.

Deinde secundum tractatum, vbi fusè agi consueuit de rebus omnibus, veris, & quibusdam alijs non veris, sed fictis, & apparentibus, appellarunt *vniuersalia, prædicamenta, & ens rationis*. siuè quod idem est, *tractatum de eis omnibus agentem*. Tertio tandem plerique recentiores, quia non verè sunt opinati Logicā vniuersam, & omnia eius documēta occupari in actibus mētis, siue intellectus, tamquam in propria, totali, & adæquata materia, Logicam nominarunt *Philosophiam mētalem*, siue cum *Seneca, ratiocinalem*. Hoc est scientiam agētem de actibus intellectus, qui alijs nominibus dici consueuit, *ratio, & mens*.

35 Sed verò rogati præallegati Doctores, quæ è dicta materia triplici sit propria Logici instituti, illicò pro omnibus respondēt ex præceptoribus modernis, qui dicuntur doctiores, conceptus mentis solos, & ad summum voces addit vnus, vel alter spectare per se ad Logicam, tractatum verò de rebus spectare per accidens; Et idem pleriq; dicunt de vocum tractatu: nullus Magister, quod ego viderim, adhuc respondit voces, res, & conceptus ad Logicum institutum per se pertinere, præter *Arist. SS. PP. Augustinum, & Thomam* infra referendos; licèt multi voces solas, multi res solū, multi cōceptus solos toti Logicæ pro adæquata materia designarint, quod ex dicēdis apparebit.

Aristotel. S. August. S. Thom.

Ego autem rem hanc tam abditam vsque adhuc, & lubricam præ tantorum hominū opinatione tam varia, attentius considerās assequutus videor veram doctrinam, ad cuius facilem explicationem censui distingui oportere in *vocibus, rebus, & conceptibus* respectus duos in eorum singulis, & considerationes, vel rationes duas; in primis, prima consideratio, siue ratio vocum est earum essentia, ac definitio, secunda, est vocum earundem modus, secundum quem possunt componere definitionem vocalem v.g. deinde prima cōsideratio rei cuiuspiā est ipsius essentia, ac definitio. secunda est, eius abstractio, & adaptatio, vt prædicetur, vel etiam vt subijciatur, atque eiusdem rei passiua prędicatio, siue subiectio. Tertio demum, prima consideratio conceptus est similiter eius essentia, & definitio. secunda, est eius essentia, siue modus, secundum quem est mentalis aliquis modus sciēdi repræsentans obiecta, quæ, & prout ars docet, & imperat repræsentari; vnde dico voces, res, & conceptus pertinere ad Metaphysicam secundum primas rationes, & considerationes; ad Logicam verò secundū secundas: quod est vno verbo dixisse, res huius vniuersi omnes pertinere ad Metaphysicam, seù Philosophiā primam, vt aiūt, *secundum conditionem essendi*. ad Logicam verò *secundum cōditiones artificiosè cognoscendi, abstrahendi, & prædicandi actiuè videlicet, vel passiuè*. vt declaro magis suis locis inferius; vt & verum omnino sit illud solemne pronunciatum *Aristotelis* in 4. Metaphy. textu 5. *Dialecticum, & Metaphysicum agere de omni ente*. quod repetit *lib. 1. Poster. cap. 8.* fine, & est sententia *S. Thomæ in sua lectione* 1. in Metaphysico cōmento. 36

Aristotel. S. Thom.

Quoniam verò tam varia, & multiplex est Logica materia, claritatis gratia partior cum communi sententia cumulum immēsum rerum omnium in tres classes, & aceruos; & in primo pono voces præsertim vniuocas, quæ licet sint verè res, voces nominantur ad differentiam rerum, & cōceptuum, sicut & ista res, & conceptus dicūtur ad differentiam ipsorum à vocibus, & ipsorum inuicem. in secūdo aceruo repono res omnes tam veras, quàm fictas, & apparentes, tam singulares, quàm communes. in tertio constituo intellectus ferè omnes operationes, sed præsertim apprehēsiones, iudicia, atque discursus, quę directionis sūt capaces. & quidē *S. Aug.* to. 1. de Principijs Dialecticæ, c. 5. voces appellat *dictiones*, conceptus, *dicibilia*, reliqua vero rerū genera ipse quoque vocat *res*. & sic tria ista distinguit, atque illam Logicæ partem quę dirigit, componit, & ordinat voces, appello *Logicam vocum, siue vocalem*, & *summulas* appellabo; illam autem, quæ docet adaptare res, & eas, aut alias de alijs prædicare, nomino *Logicam de rebus agentem, siue realem*. denique partem Logicæ, quę

S. August.

 docet

docet elicere directos mentis conceptus, libenter cum Recentioribus, & *Seneca* voco *Philosophiam rationalem, siue Logicam mentalem*. & sane omnino conformiter ad *Aristot. S. August. & S. Thom.* allegandos in Sect. 7. & 9. nu. 87. & 104. *Aristotel. S. August. S. Thom.*

Duo autem hic aduerti volo diligenter: primũ est, vt omnis quæstio inutilis de nomine procul abscedat, me nõ appellare Logicã vocalẽ, tractatũ scriptum, siue vocalẽ de vocibus simplicibus, & complexis: neque Logicam realem, tractatum eiusmodi de rebus, nec rerum tractatarum congeriem; neque Logicam mentalem dico esse tractatum de conceptibus, siue conceptuum collectionẽ; cum ea omnia sint Logicæ obiectiua materies: sed Logicas vocalẽ, realem, & mentalẽ dico esse actus interiores, & intellectualia documẽta, & regulas versantes circa voces, circa res, & circa mentis cõceptus, iam vberius declarandas.

37 Secundum est optimo iure, & fundamẽto eiusmodi Logicæ partes præfatis nominibus à me fuisse insignitas, atque distinctas, sumpto, videlicet, nomine quolibet, ab obiecto partis cuiuslibet Logicæ, sibi correspondenti; quemadmodum scientiæ pleræque, & artes à suis obiectis nomina sortiuntur, vnde ars argentaria dicta est ab argento, & Theologia à Deo: quia *scientia diuina dicitur, aut quam Deus habet, aut quæ de diuinis est*. dixit *Arist.* 7. Metaph. c. 2. ita Logica vocalis à vocibus, realis à rebus, mẽtalis ab actibus mẽtis, dictæ à nobis sũt; esto tres omnes partes sint actus intellectus. quod ita facere speciatim in materia præsenti, ex parte nos docuit S. *Thomas* scribens initio Poster. ibi. *Logica rationalis est non solum ex eo, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam*. quapropter nomina hæc nona gratanter accipienda sunt, vtpotè quæ vana non sunt, sed congruunt maxime ad rei intelligentiam, atque doctrinæ, quæ propterea non damnarent Apostolus supra, & *Augustinus*. *Aristotel. S. Thom. S. August.*

Postulat verò ingeniosus adolescens, vt illi magis in particulari declaremus primo, quid sit Logica vocalis, secundo, quid sit Logica realis, tertio, quid Logica mentalis: cui nos, qui curiosis in hac parte, & studiosis morem gerere consueuimus, libentissimè respõdebimus per partes singulas, gratiosèque impartiemur, atque præclarissimè, quæ immenso labore, non sane sine diuini numinis sæpe vocati, speciali prouidentia comperimus; quæ postquam in medium prodierint, tam vera, tam facilia, & peruia cuinis videbuntur, vt ea quisque putet, aut velit esse sua, ego quidem sine inuidia, quæ didici serò, communico, nam antiqua, & communis est veritas. & cur inuideam, si veritas isthæc nostri temporis ætate maturuit? *& arrogantia non est vel quærere, vel asserere veritatem*. *S. August. l. 4. contra Cresc. c. 66.*

Secunda pars Sectionis proponit dilucide Logicam vocalem, siue Artem bene ordinandi voces vniuocas, vel terminos vocales vniuocos.

Est ergo Logica vocalis non vnus actus intellectus, sed plurimi, quorum primores sunt quædam regulæ practicæ, ac generales canones, vsu, & obseruatione Philosophorum inuenti, docentes hominẽ, in quo sunt, componere aliquam vocalem propositionem, aut aliquem modum sciẽdi, e vocibus constantem: post quorum fabricam, & compositionẽ, succedunt quidam alij actus intellectus speculatiui, veluti reflexè examinantes an vocales hæ orationes, & artefacta euaserint præfatis regulis conformia, atque eiusmodi speculationes ad Logicam vocalem pertinent. Regulæ aliquot sunt hæ. prima ponitur ab *Aristotele* 2. Poster. cap. 15. & 6. Top. c. 1. & 2. & ab *August.* de principijs Dialecticæ cap. 8. in tom 1. quatenus generaliter docent *vtendum non esse verbis obscuris, nec metaphoricis, & ambigua statim initio distinguenda*. secunda est, *omnis definitio vocalis constare debet voce vniuoca significante genus, & voce significãte differentiam*. tertia. *omnis diuisio vocalis constare debet vocibus vniuocis significantibus diuisum & membra diuidentia*. quarta. *omnis syllogismus vocalis in 3. prim. e. siue in Darij. debet constare tribus propositionibus vocalibus, quarum maior sit vniuersalis & minor, & cõclusio particulares &c. 4. omnis propositio cathegorica vocalis constare debet subiecto, copula verbali, & predicato vocalibus*. & aliæ regulæ complures, quæ nos docent facere reliquos syllogismos variæ figuræ & modi, ac cæteras artificiosas orationes, & propositiones; quæ regulæ 38 *Aristotel. S. August.*

læ disperſæ inueniuntur in Summulis,& in
duobus libris *Ariſtotelis* de interpretatio-
ne; præſertim vbi cum Philoſopho agimus
de oppoſitione propoſitionum, de earum
conuerſione, & æquipollentia, ac modis
ſciendi. atque iſtæ omnes regulæ coniun-
ctæ (quas ſine dubio omnes admittunt)
ſunt Logica ipſa vocalis, adiunctis actibus
prædictis ſpeculatiuis; iſta eſt pars Logicæ
quæ illuſtrata per nos, dicitur à nobis per
ſe, & primario conſiderare voces, circa
voces verſari, ac per ſe de vocibus tracta-
re; & propterea vocalis nuncupatur; quo-
niam, vt vos ipſi videtis, & auditis, regu-
læ prædictæ voces repręſentant, voces ſo-
39 nant, voces loquuntur, ac de alio directè
non curant, niſi de ordinandis vocibus ſi-
gnificatiuis vniuocis; ita vt ex eis aliqua
oratio artificioſa, vel modus ſciendi cum
artificio cõponatur. iſtæ ſunt regulæ, quas
alio nomine appello *artem bene diſponen-
di voces in formam alicuius modi ſciendi,
ſeu alterius artificioſæ orationis. el arte de
hacer modos de ſaber, y otras quales quier
oraciones compueſtas de voces.* Atque hæc
eſt illa Logica ars, quæ dicitur à *S.Thoma*
S.Thom. Ariſtotel. ex mente *Ariſtotelis, ordinare voces, quæ
pertinent ad principalem conſiderationem
ipſius,* vt lego in S. Doctore lib. 1. Ethicor.
lect. 1.& in procemio ſuper lib. 1. Periher-
S. Auguſt. menias, in lect. 2.& à *S. Auguſtino* in ſua
Dialectica c. 5. *tractatus de dictionibus.* Hæ
item regulæ dicendæ ſunt Logica conſide-
ratio circa voces,& ſignatè circa quinque
voces vniuocas, quibus ſignificantur quin-
que prædicabilia Porphyrij, ac decem Phi-
loſophi prædicamenta, quæ ex his prædi-
cabilibus coaleſcunt. qui ergo regulas iſtas
dicat Logicas non eſſe, euidenter opponit
ſe pręceptoribus noſtris *Ariſtoteli & Tho-
ma* vidẽdis in Periherm & *S. Auguſtino* in
Dialectica cap. 3. & ipſorum Logicas de-
ſtruit.

Ad aceruum itaque, & congeriem re-
gularum artis huius, & Logicæ vocalis,
reduco primo, actus illos ſpeculatiuos,
quos ſupra dicebam vobis, qui facto vo-
cali ſyllogiſmo, vel alia quauis artificio-
ſa oratione, reflectentes examinant, an
artefacta hæc euaſerint regulis practicis
conformia, & iudicant ita eſſe, vel non
eſſe. reduco ſecundo, quædam exemplaria
vocalia, quæ appellari poſſunt *Logica, ſiue
Logici hominis inſtrumenta, & directiua;*
qualia ſunt, quæ afferuntur exempli cauſa,
cum dicimus v.g. quare hæc vocalis defi-
nitio. *Petrus eſt animal rationale.* eſt Logi-
cum directiuum, quatenus ſumptũ vt exẽ-
plar dirigit, ac docet Tyrones negligentio-
res in perdiſcendis, & memoriæ commen-
dandis regulis, facere ſimiliter, ac dicere,
dum definire volunt Paulum, aut Bucepha-
lum, *Paulus eſt animal rationale. Bucepha-
lus eſt animal hinnibile.* & ita ſunt propor-
tionate reliqua Logica directoria. declaro
rem hanc euidentius.

Dupliciter procedit expertus,& ſtrenuus
Pictor, vt doceat artem diſcipulos igna- 40
uos præſertim huius æui, primo, proponen-
do regulas pingendi imagines variæ figurę
& ſtaturæ, & imperando, vt memoriæ cõ-
mendentur, & in exercitio pingendi om-
nino obſeruentur, examinando, ſi opus
fuerit poſt picturam, an ea euaſerit regu-
lis conformis. ſecundo, & ſæpius procedit
proponẽdo Tyronibus imagines, iam olim
à ſe, vel ab alio pictore famoſo, & anti-
quo perfectas, vt ab illis deſcribantur, *pro-
poniendo modelos, ò pinturas, para que las
copien.* & imitentur, & hic modus magis
connaturalis eſt, & facilior. *nam, & inſi-
tum eſt à natura,* inquit *Ariſtoteles* in Ariſtotel.
Poetica cap. 2. initio, *hominibus à pueris
imitari & differunt à cæteris animantibus,
tum quia aptiſſimi ad imitationẽ ſunt; tum
quia primas diſciplinas imitãdo acquirunt,
& vnuſquiſque iuxta imitationibus gaudet.*
propter hęc nõ audeo reprehendere omni-
no Tyronum in perdiſcendis regulis negli-
gentiam; & quoniam *in de alimento* fer-
tur dixiſſe Hippocrates *ceſſare ab arte, ali-
quando ars eſt.*

Ita facio in propoſito, monſtro regulas;
& exemplaria propono; & artefacta veſtra
à vobis illico examinari iubeo, & videri
an ſint regulis, vel ſaltem exemplaribus cõ-
formia, ne lapis quiſquam, qui vobis vti-
litati eſſe poſſit, & facilitati, intactus re-
linquatur: atque hanc Logicam vocalem,
ſiue Logicæ priorem partem volui eſſe in-
terpretem, & commentariũ duorum præ-
ſertim librorum *Ariſt.* de interpretatione, Ariſtotel.
vbi abunde de vocibus verba fecit Philo-
ſophus; ne autem quiſpiam me accuſet, ac
reprehendat, quod tanti faciam voces, vt
circa ipſas verſari velim bonã Logicæ par-
tem; animaduerto voces ſignificatiuas vni-
uocas, dignam materiam eſſe, quæ ab ali-
qua Logicæ parte conſideretur, præſertim
cum noſtra ſcientia multum pendeat à ſẽ-

sibus, à quibus voces sentiuntur; præterquam quod, à vocibus benè ordinatis auditis, scientia acquiritur, & propter male ordinatas voces, error in intellectu ingeneratur; vt magis ponderatur inferius. obiter item hic aduerto Logicę vocalis obiectum
41 & materiã esse voces significãtes res; vnde ab ea Logica per se considerantur, tanguntur, & repræsentantur voces, vt aiunt, directe, & in recto; & quasi principalius, & res minus principaliter indirecte, & in obliquo. de hoc tamen alibi fusius agendũ est, vt iam ad partem Logicæ principaliorem omnino ferme hucusque ignotam explicandam, accedam.

Tertia pars Sectionis producit in medium Logicam realem; idest regulas docentes adaptare omnia genera rerũ ad quascumque scientias pertinẽtium, in prædicationes varias: & artem inueniendi definitionem, & diuisionem, & medium ad argumentationes.

LOgica realis (cuius adstruendæ maius fundamentum inuenio in Philosopho *Aristotele*, vt monstro inferius) est similiter congeries quarundam regularum practicarum, quæ residẽtes in intellectu practicè docent adaptare res, rationesq; communes ad varias prædicationes; fabricari vniuersalia, genera, species, & reliqua, eaq. de suis inferioribus, modo affirmãdo, modo negando, enunciare: docent prætereа formare definitiones, diuisiones, & syllogismos obiectiuos; quibus regulis adiungũtur quidã speculatiui actus, qui succedũt in intellectu iudicantes, an praxis euaserit regulis cõformis, postquam, videlicet, executioni mandauimus ea, quę per prædictas regulas docebamur. Spectant prætereа ad hanc Logicæ partem, Logica directoria, siue directiua, nẽpe, quæ afferuntur exemplorum causa, vti in Logica vocali dicebã supra; & infra dicam de mentali.

Regulæ aliquot ex his, quæ componunt Logicam realem, sunt. Prima, *Vniuersale quodvis abstrahendum est à pluribus vnìuocè conuenientibus*. Secunda, *Omne genus abstrahendum est à pluribus differentibus specie, quorum sit pars essentiæ, per modum per se stantis, atque de eis affirmatiuè prædicandum*. Tertia, *Omnis species abstrahenda est à pluribus differentibus numero, quorum sit tota essentia, &c.* & ita sunt proportionate, & respectiue, alię regulæ docẽtes facere vniuersalia reliqua, ac ea de suis inferioribus prædicare: quæ regulæ simul cum subsequẽtibus speculationibus supradictis, sunt sine dubio, illæ tam repetitæ logicales considerationes circa prædicabilia, ob quas hęc dicuntur Logica, seù ad Logicum institutum, non ad metaphysicum, pertinere; quod est adnotandum diligenter pro plana, plenaq. intelligentia vniuersalium, quamuis de his logicalibus considerationibus fusè tractamus inferius, à num. 762. 42

Regulas alias huc spectantes colligo ex *Aristotele*, quæ sunt hæc axiomata Logica docentia prædicabilibus iam factis secundum præcedentes regulas, vti: Prima regula circa vsum generis sic est. *quid quid prædicatur de genere, potest prædicari de specie, & indiuiduo contentis sub genere*. excipiuntur ea, quæ prædicantur de genere, vt genus est, vt esse primum vniuersale, & alia prædicata, quæ simplicia dicuntur. Secunda. *quid quid non conuenit, nec potest prædicari de genere, non conuenit, nec prædicari potest de specie, neque indiuiduo*; Tertia. *cui non conuenit genus non conuenit species*. Quarta. *de quocunque negas genus, nega speciem, cui enim repugnat superius, repugnat item inferius*. Quinta regula circa vsum speciei affirmatiuè, & negatiuè *quid quid prædicatur de specie secundum omnes eius partes, conuenit generi ex parte*. Sexta. *quid quid prædicatur de omnibus speciebus, potest prædicari de genere ipsarum*. Septima. *de quocunque prædicatur species, potest & genus*. Octaua regula docet vti definitione, vt omittam, & remittam in locum suum, regulas docentes, vti reliquis prædicabilibus. *quidquid prædicatur de definitione, potest prædicari de definito*. Nona. *quid quid non conuenit definitioni, non cõuenit definito*. Decima. *omnis definitio debet constare genere, & differentia*. Vndecima. *res quæ definienda est, debet esse vna*. Duodecima. *de quacunque re quæri oportet an sit, quid, qualis, quotuplex, & propter quid*. Decimatertia. *idem est per se prædicari de aliquo, ac secundũ ipsũ de illo dici, quare quidquid prædicat necessario de aliquo, de eodem prædica reduplicatiuè*. banc regulam sumit P. *Vasquez* ex *Arist.* & benè ponderat 3. p. disput. 68. cap.

cap. 2. præsertim numero 10. vt vides infrà num. 1053.

43 Missas facio regulas alias innumeras, quarum aliæ docent inuenire media ad argumentationes, aliæ verò docent medijs iam inuentis vti; siue ea media sint intrinseca, siue extrinseca, coniugata, vel disiuncta, & huiusmodi; easque omnes remitto ad specialem quæstionẽ de his locis; quamuis in eis percẽsendis, nec omnino imitabor Magistros quosdã huius temporis; qui magis amant *Arist.* Metaphysicũ, quam Logicum, immemores Logicalium documẽtorum, & maximè memores Metaphysicorum quodlibetorum, nec nimius, aut prolixus ero; quoniam dixit *August.* lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 87. *multitudine præceptorũ inutilium magis obruitur mens, quam instruitur*. Seligam ergo vtiliores regulas, reliquas reijciam; non enim, vt cõfundam vos hæc scribo; in quo non vituperio, sed laude dignus iudicor à Mercado in principio Summularum lect. 1. sic scribente. *multo commodius rei Dialecticæ consuleret, qui ex ingenti regularum aceruo partem non modicam præscinderet, nam etiam si maiorem subcideret, nullam forsan necessariam auferret*. interim consulite Philosophum in Topicis. ipse quippe, si canones subobscuros suos, & axiomata inspiciamus, si non omnem, maiorem Logicæ partem putauit esse realem, in sensu à nobis declarato; vt admirabilis omninò sit inconsiderantia quorundam, qui nullam Logicæ partem tractare per se de rebus opinantur.

S. August.

Aristotel.

Hanc ergo Logicæ partem item appello, *artem vniuersalia fabricandi, construendi prædicamenta, & ea de suis inferioribus enunciandi; & artem inueniendi medium ad quoduis thema conuincendum*; aut persuadendum, vel etiam dissuadendum, & refellendum, affirmatiuè vel negatiuè, quandoque probabiliter, quandoque euidenter. & eiusmodi Logicæ partem dedicarem illustrãdis quinque vniuersalibus Porphyrij, & libris prædicamẽtorum, & Topicorum *Aristotelis*. in ijs enim Philosophus ex professo tractauit de rebus omnibus, monstrando quando, & quo modo sumendum sit argumentum de re quapiam ad intentũ quodlibet cõfirmandum, vel infirmandum, indicãdo regulas Logicæ docentis, quas sanè videre, & intelligere nequiuerunt, qui libros Topicorum per otium nõ legerunt: vbi tam fusè regulæ propositę sunt pro rebus inueniendis, disponendis, & prædicandis, vt libri Topicorum alio nomine dicti sunt, *ars inueniendi medium*, quod medium semper contingit esse in rebus. vocat istam Logicæ partem *S. Augustinus* in sua Dialectica cap. 5. *tractatum de rebus*. & consentiunt *Arist. & S. Thomas* in Sect. 5. & 9. sequentibus.

Aristotel.

44

S. August.

Aristotel. S. Thom.

Ego planè confiteor, ne quisquam de veritate addubitet, media, subiecta, & prędicata, res singulares, atque communes, quæ subijcienda, & prædicanda sunt, iuxta regulas assumi, subijci, & prædicari debere medijs actibus intellectus bonis, ac directis euasuris, si id omne exequantur, vti iubent regulæ; sed non propterea ab his regulis intenditur primario, nec directè eorum actuum directio; quinimmo si fieri posset id, quod regulæ imperant, actibus alterius potentiæ distinctæ ab Intellectu, nihil regulis, aut principali earum intento fini obesset, quia eæ regulæ quasi materialiter volunt sua iussa exequi mediantibus actibus intellectus; quoniam præscindi rationes communes, prędicari de alijs, & alia huiusmodi imperata fieri nõ contingit, nisi actibus intellectus, vt instrumẽtis & medijs, quare actus siue conceptus intellectus per se quidẽ petuntur à regulis istis, non quidẽ vt formale obiectũ, sed vt media, quibus obtineatur id obiectũ, quod sunt prædicandę res. quemadmodũ ab arte pingendi, cuius obiectũ est pictura, intẽditur penicillus & alia eius artis instrumẽta; id quod memini pulchre scriptũ fuisse a Card. *Toleto* in præl ud. 3. prędicam. ibi. *res sunt prædicatũ, & subiectũ passiuẽ, quod alij prædicari obiectiuè vocant, voces, & conceptus sunt prædicare quasi actiuum*, idest instrumenta, & mediæ quibus intellectus facit prędicationes suas.

Quarta pars Sectionis explicat, in gratiam Recentiorum, Logicam mentalem, seu rationalem, quæ communiter dicitur ars dirigendi mentis conceptus; seu Philosophia rationalis.

45 Logica demum mentalis est item collectio quædam regularum intellectualium, quæ nos docent elicere alios actus eiusdem intellectus directos. tales sunt illæ, quæ instruentes hominem, in quo sunt, ita quasi imperantes dictant. *Omnis definitio*

nitio mentalis debet esse actus repræsentans genus, & differentiam. omnis diuisio mentalis debet esse actus represẽtãs diuisum, & membra diuidentia diuisum. Omnis argumentatio mentalis debet repræsentare antecedens, & consequens, cum his, vel illis circumstantijs, ita sunt aliæ regulæ docentes nos formare varios syllogismos mentales varij modi, & figuræ.

Aliæ regulæ sunt. *Omnis genereitas, siue cognitio fabricatura genus, debet esse cognitio præcise repræsentans rationem communem pluribus, quorum sit pars essentiæ in eo quod quid. Omnis specieitas debet esse cognitio præcise repræsentans rationem communem pluribus distinctis numero, quorum sit tota essentia in eo quod quid*; & similiter, ac respectiue, sunt regulæ docentes fabricari de rebus, reliqua prædicabilia, nempe vnumquodque iuxta genus suum.

Ad aceruum Logicę huius spectãt actus speculatiui, qui iudicant, an alij actus artificiosi facti secundum regulas, eis euaserint conformes, & qui versantur circa eosdem artificiosos actus, modo ij sint definitiones, diuisiones, vel argumentationes, vel aliquis alius, effectus ex Logicæ directione, in eis quoquo modo considerando aliquot proprietates, Logicum artificium concernentes, siue, vt recentiores loquuntur, proprietates logicales obiecti, seu modi sciendi demonstrãdo; & sic de alijs actibus Logicæ speculatiuæ versantibus circa voces, & res, supra dicendum erat.

S. Thomas in Prolog. Metap.

Spectant quoq; ad Logicam hanc speculatricem exemplaria, & directiua Logica mentalia, quæ afferuntur exemplorũ causa: atque eandem Logicæ partem appellant cõmuniter, & benè, artem benè definiendi, diuidendi, & arguẽdi, siue docentem benè apprehendere res, rationesq; cõmunes, elicere bonas definitiones, diuisiones, iudicia, atque discursus. Hæc est illa ars, cuius necessitatem nobis commendat *S. Thomas*, dicens initio Poster. *ars quædam necessaria est, quæ sit directiua ipsius rationis, per quam homo ordinatè procedat, quæ est ars Logicæ rationalis* (siue mẽtalis) *quod est circa ipsũ actũ rationis, sicut circa propriam materiã*. & S. *August.* artem eandem vocat in *sua Dialectica tractatum de dicibilibus*. Vterque conformiter ad *Aristotelem*, vt ex dicendis apparebit.

S. Thom.

46

S. August.

Aristotel.

Habet propterea hęc Logicę pars vnam notabilem differentiam à reliquis duabus, quod nimirũ est magis reflexiua, idest, versatur circa alios actus rationis, siue intellectus, cuius & ipsa Logica actus sunt: nõ quidem, vt illi, dirigibiles, aut dirigendi, sed vt dirigentes, & idcirco sola Logica nominatur *dirigens, & directiua actiue*; actus vero, qui sunt obiectum eius dirigibiles passiue, seu dirigendi, nominantur. Vnde obiter itẽ colliges, quid velit *S. Thomas* secũdum quorundam intelligentiam, quando alicubi dixit Logicæ obiectum esse ens rationis, quia sæpe apud ipsum, perinde valet ens rationis, atque actus rationis, siue intellectus, qui dici solet ratio, & mens, Atque ista tertia Logicæ pars poterit deseruire pro commento librorum de Priori, & Posteriori resolutione, & item Elenchorum.

S. Thom.

Libuit propter recentiores magistros, qui hanc tertiam partem totam Logicam esse voluerunt, efformasse, & effinxisse præfatas regulas, & alias producendas inferius, non propter Aristotelem apud quẽ fere nullum potui inuenire fundamentum ad eas efformandas, ille enim solis regulis Logicæ realis contentus videtur, etiamsi intenderet directionẽ actuum intellectus potissimum, vt dici solet, ex intentione operantis; Hanc enim, illa sola Logica mediante, & dirigente, potuit assequi abunde satis, & obtinere; quantumuis non essent regulæ directè docẽtes efformare directos mentis conceptus; vt monstro inferius in Sect. 9. & alibi sæpe.

Quapropter vehementer desidero hic à modernis cõsiderari, & diligenter animaduerti suam illam solemnem diuisionem finis, nempè in *finem operis*, scientiæ, vel artis, & in *finem operantis* artificis, docentis, siuè addiscentis. Aristoteles quippe, & Magistri omnes Dialectici, Tyrones, item atque discipuli intendunt, ac desiderant, vt finem *scire omnia*, & sapientes esse, siue quod idem est, experiri in se ipsis, actus, conceptus ve, intellectus directos, qui, videlicet, sint mentales definitiones, diuisiones, ac legitima iudicia, atque discursus; ars verò Logica, quæ ab illis sumitur vt instrumentum, medium vtile ad sciendum omnia, sæpe non curat directè de directione prædictorum actuum intellectus, sed vel de directione vocum, vel de ordinatione rerum, rationumque cõmunium, earumque prædicatione; quibus obtentis, necessario resultat, & habetur quasi præter intentionem

Arist. 1. M. c. 1.

47

nem artis Logicæ, directio altera conceptuum, licet eiusmodi directio consequatur ex potissima intentione operantis, siue ea arte vtentis; & sane propter inconsiderantiam finium horum plerique recétiores à veritate quidem auditum auertunt, ad suam tantum Logicam rationalem, quam adæquatam Logicam putant, totaliter cõuersi; quod dixerim pace virorum tantorũ, id ipsum demonstraturus infrà in illa IX. Sectione circa finem, & alibi frequenter.

Quinta pars Sectionis deducit consectaria ad pleniorem statutæ veritatis, ac diuisionis intelligentiã; & doctrinæ totius methodum singulariter, modesteque producit; rem omnem finaliter declarando exemplo perillustri.

EX dictis colligo primo plusquam certum esse, tria prædicta genera regularum intellectualium existere, atque ad aliquam scientiam pertinere, ac reduci debere; cum omnes illæ sint, aut fere omnes, scientifici actus intellectus; & ad nullam reduci posse congruentius, quam ad Logicam, quam omnes adintegrent, atque gregatim componant: id quod viri grauissimi, de hac re consulti à me, mihi concesserũt. eas autem ego collegi, & ex magna parte congessi ex *Arist. S. August. & S. Thoma*; hi enim doctores, licet regulas varias circa varias materias, quod ego viderim, non ita expresserint, indicarunt tamen, quoniam assignantes tam expresse, licet in varijs locis suorum operum, vt infra ostendo, pro Logicæ obiecto adæquato, & integro *voces, res, & conceptus*, me quasi coegerunt quærere, & inuenire regulas, & axiomata varia, quorum alia speciatim curarent de directione vocum; alia de fabrica, vsu, & prædicatione rerum; alia demum, de directa repræsentatione earumdem rerum; ne tanti magistri repugnantia docuisse, sed maxime consona viderētur: licet, vt verum fatear, postea *Aristotelem* legens attētius, comperi ad longum, licet subobscure, apposuisse canones, & regulas docentes vti rebus, in argumentationibus; & alias prædicare de alijs legitime, *in lib. Priorum*, & potissimum *in Topicorum*; qui non solent ab omnibus recentioribus serio pertractari, & vt coniector, nec videri; præ breuitate temporis

Arist. S. August. S. Thom.

Aristotel.

Colligo secũdo certò certius videri, Logicæ vniuersim acceptæ, & secundum omnes regulas, & partes omnes suas, esse obiecta primaria, atque per se non solos actus, siue cõceptus mentis, sed etiam rerũ omnium prædicamenta, & signate voces omnes, quotquot aptæ sunt componendis propositionibus, ac modis sciendi vocalibus; nimirum Logicæ vocalis obiecta per se sunt voces; Logicæ realis, res omnes; Logicæ verò rationalis obiecta per se sunt conceptus mentis; vt ex *Aristotele, Augustino, & Thoma* iam ostendam.

Aristotel. S. August. S. Thom.

Vnde vlterius fit primo, Logicã non esse artem particularẽ, idest, non esse vni certæ materiæ alligatam, & multo minus esse vnã simplicem qualitatem, aut regulam, sed artem vniuersalem esse, vtpote per omnia rerum genera vagantem, & omnia attingẽtem, vt loquitur *Aristoteles* infrà referendus. fit secundo, Logicæ cuiuslibet partis regulam quamlibet abstrahere à determinata materia; quare dum dictat sic illa regula, *omnis definitio constare debet genere, & differentia*. non determinat quo genere, quaue differentia, tuum erit quærere propositæ rei, aut thematis genus, & differentiam, iuxtà quod alibi edoctus es ab alijs Logicæ præceptis, & ex iam inuentis genere, & differentia formare definitionem in quauis scientia, in qua te versari cõtingat.

Aristotel.

Collige tu tertio, nos cum Modernis libenter admittere Logicam rationalem, vt supra declarata est, & consectaria ex ea deducta; atque illius materiam directam esse solos mentis conceptus; sed verò non putamus eam solam, totam Logicam esse, sed superaddimus duas alias principales partes, quas nostri Magistri prætermisserunt, non considerantes regulas Logicales possibiles, sed solas iam inuentas; neque legentes attentius Aristotelis libros præsertim 8. Topicorum, qui cõtinent principalem partem Logicæ *Aristotelis*, quæ tota realis est, id quod ingenue nobis confessi sunt multi, quando nostræ huius Logicæ explanationem audierunt. Quorum aliqui pressi argumentis, licet mihi respondeant voces, & res respectu Logicæ rationalis videri obiectum per accidens, aut indirectum; tamen negare non audent voces ipsas, & res per se, & primario respici ab alijs Logicæ partibus, & regulis à nobis in Topicorũ libris inuentis; & tamen quod admirabile est partes ambæ istæ Logicæ sunt. Quocirca

49

Aristotel.

 nihil

nihil ego dico contra istos præceptores meos, sed præter ipsos, quoniam in lucem edidi alias duas Logicæ partes, illis vsque adhuc incognitas, quamuis *Aristotelis. S. Augustini. & S. Thomæ* dogmatibus maximè, vt video, conformes.

Aristotel. S. August. S. Thom.

Collige quarto officium Logicæ circa cæteras scientias. Etenim, vt omnes norũt, omnes desideramus scire omnia, idest, rerum omnium decem genera, non solum in communi, sed in particulari; scire, videlicet, & prædicare de qualibet re communi, vel singulari quinque prædicabilia, atque etiam definitionem, quæ est rei quasi comprehensio; vnde tunc nostrum desiderium satiatum fuerit, cum de re quapiam tot notitias habeamus, quot de Petro habemus, cum dicimus, *Petrus est animal, Petrus est rationalis, Petrus est homo, Petrus est risibilis, Petrus est bipes, aut albus, Petrus est animal rationale*, &c. quas notitias dum habemus, vel habitus ad eas inclinantes, & facilitantes, tum demum sumus sapientissimi Physici, & Metaphysici.

50 Sed verò, quoniam difficile admodũ est præfatas prædicationes, & notitias ductu solius naturæ elicere, vtitur humanus intellectus industria, & arte; idcirco inuenit Logicæ artem, eius regulas, & documenta, quibus seipsum adiuuat, *seipsum instruendo, & docendo* quo modo in quauis materia fabricanda sint prædicabilia, & quo modo, ac de quibus subiectis, siue inferioribus prędicanda; quando, & quomodo vtendum sit definitione, diuisione, & syllogismo ad quidquam sibi, aut alijs persuadendum; & item quod medium assumendum, & applicandum sit demonstratorio syllogismo, ad thema quoduis propositum conuincendum: quare Logicæ officium est homini cupienti discere, & tenere quamuis scientiam; siue noticias illas quinque, aut sex supra dictas (ex quibus omnis scientia, præsertim speculatiua componitur, & cõstat) habere de quacumque re, & materia, ad quancumque scientiam spectante; mõstrare modum, quo eiusmodi notitias, & prędicationes possit facile obtinere: docet autem talem modum regulis supra enumeratis, & alijs enumerandis, inferius. quod item egregie annotauit supra cap. 1. citatus *Augustinus*.

Aristotel. Mech. 99. initio. S. August. supra n. 7.

S. August.

51 Collige quinto, & animaduerte diligẽter, quam opportune, & quã necessario hic in Logica digredimur, cum moderatione tamen, ad quęstiones Metaphysicas, quando agentes personam magistri Metaphysici, tractamus in prima Logicæ parte, siue in summulis, de vocibus omnibus, earum naturas, & proprietates definientes; & in secunda parte, tam fuse de rebus, idest, de 5. prædicabilibus; de decem prædicamentis; de entibus rationis; ac de alijs, eorum naturas, & proprietates concernentibus: ac demum quando in tertia Logicæ parte, de omnibus actibus intellectus disserimus. Etenim cum ea omnia sint, non tantum reliquarum scientiarum materia, sed etiam Logicæ, circa quam eius regulæ versantur. vt supra declaratum est, ea omnia oportuit prius declarari; quoniam, si prius non scias quid, aut quomodo sunt voces vniuocę, significantes genus, & differentiã: si in tuam notitiam numquã venerunt res, quæ sunt genus & differentia; & huiusmodi alia; & si nunquã audiuisti quid, aut quomodo sint actus intellectus repræsentantes genera, & reliqua prædicabilia; quo pacto poteris executioni mandare, siue obedire regulis Logicæ docentis facere artefacta varia ex vocibus, rebus, & conceptibus constantia; aut quo pacto alter ille artifex argentarius vasa hoc, vel illo modo iuxta varia eius artis documenta, à fabre elaborata confinget, si prorsus materiam, aurum, scilicet, & argentum ignoret? quare non possumus non sustinere reprehensionem *Aristotelis* dicentis 2. met. c. 3. *absurdum esse simul quærere scientiã, & modum sciendi*. si ibi, nomine modi sciendi, Logicam significarit; quia omnino necessario debemus hoc anno simul discere Logicam, & Metaphysicã, id, quod videtur præceptum fuisse ab eodẽ Philosopho dicẽte in 1. lib. Phy. c. 1. initio cuiusque scientiæ tradenda esse, tum eius, tum subiecti ipsius elementa, siue principia, & partes, quibus subiectum constare solet, atque componi.

Aristotel.

Aristotel.

Pro maiore luce dictorum, si iux poterit dictis superaddi; Produco in mediũ illustre quoddam exemplum Argentariæ artis. Tres partes habet ars ista (vt omittam alias eius partes, aut particulas nominis minoris, ac notæ.) Pars prima versatur circa aurum; Secunda circa argentum; Tertia circa aurichalcum, aut æs: Petit, videlicet, sine dubio aurum elaborari in pluribus, modo differenti, atque petunt argentum, & æs; & similiter petit vnumquodque metallorum horum, Propterea ars, 52

quæ

quę versatur circa aurum, sunt quędam regulę interiores, & intellectuales lógo vsu, & experientijs inuentę, docêtes artificem, vasa, & alia varia varię architecturę opera fabricari ex auro ipso; & ars, quę occupatur in argento, similiter sunt regulę aliæ generales, dictantes quomodo ex ipso artefacta fiant; & simili modo est tertia pars artis, cuius materia est aurichalcũ, aut æs: Ecce deprendis manifeste, ac vides artem hanc Argentarij secundum varias eius partes habere pro obiectis per se, & primarijs pręfatas materias tres, siuè prædicta metalla tria; atque si ita vellent artifices, partes singulę eius artis, sumptis nominibus ab obiectis, possent nominibus varijs insigniri ac discriminari. ita sanè in proposito, non minori euidentia cõnicitur Logicę sumptę secũdum tres eius partes principales, esse tres materias, tria obiecta primaria, atque per se, nempe *voces*, siuè *vocales terminos; res singulares*, atque *communes; actus mentis*, siue *conceptus intellectus*. vt declaratur inferius ex professo.

53 Postremo non est animus, nec hic breue possum per consectaria plura, vel indicare, quanta lux Logicę accreuerit; quanta confusio euanuerit ex declaratione, distinctione, & prolatione variarum regularum harum; quotque opiniones versæ sint in sciétias; quam facilis via patuerit ad intelligẽtiam absconditam vniuersalium, & prædicamentorum, entium rationis; & aliarum grauissimarum difficultatum, ad Theologiá, Metaphysicam, & cęteras omnes artes, & scientias spectantium, indicabo, Deo benè iuuante, in Logicæ decursu.

Hęc sunt compendio comprehensa, quę nos non tam nostro labore summo, & industria comperimus, quàm à supremo Patre luminum dono accepimus, quibus ingenue ingeniosis multis confitentibus, Logicæ tenebrę ab animis studentium propulsantur, & anfractus eius difficiles; complanantur, quoniam ab omnibus etiam Tyronibus (vt experti iam sumus) facilimè percipitur id, quod à multis in intelligibile visum sæpe fuit, aut saltem explicatum satis non est; nempe quorsum in Logica mentio fiat tam ad longum de vocalibus terminis, de rebus, seù prædicamentis veris, & fictis, ac de actibus intellectus; & horum omnium admirabilis consonantia, & armonia necessaria valde, & idonea ad sciendum; quoniam si *ex verbis, aut vocibus malè ordinatis* solet incurri falsitas, & intellectualis error circa scibiles, aut sciendas res; quid ni, ex benè compositis, & ordinatis vocibus, rebus, & conceptibus acquiretur habitualis, & vera scientia? quæ in præsenti est nostri omnium finis non vltimus; vltimus enim est solus Deus trinus, & vnus, in cuius dicta sunt hęc maiorem gloriam, & honorem. *S. Thom. 3 p. q. 16. a. 8. c.*

SECTIO III.

Decernit obiectum materiale per se Logicæ vocalis, siue primæ Logicæ partis, esse voces omnes significatiuas; formale verò esse earum vocum rectè dispositarum significationem: vbi de eiusdem Logicæ obiecto directo, indirecto, attributionis, aggregationis, & fine.

Dico primo, *obiectum materiale per se primarium Logicæ vocalis sunt voces aliquid significantes*. Hæc est communis sententia Recentiorum, qui cum *Arist.* libris Perihermeni. & cum Petro Hispano in summulis, ita contestantur; & possunt allegare pro se, & pro nobis plurimos authores, qui absolute pronunciarunt Logicæ obiectum esse voces, vt *Seneca* Epist. 89. *Quintil.* lib. 12. cap. 2. *Cicer.* lib. de Orat. ad Brutum. *Nominales Greg. & Gabriel.* & alij apud Amicum in Logica tract. 1. q. 5. dub. 3. art. 1. *Mirandulanus* initio suæ Logicæ. *Ammon.* in Præfat. *Simplicius* ibidem columna 9. in dubio de vtilitate prædicam. *Fonseca* in lib. 2. Metaph. cap. 3. q. 1. Sect. 5. *Augustinus Hunæus* in Logicę Proœmio initio; & antiquiores Philosophi, vt refert *Toletus* quæst. 5. proœmij. vnde *Zeno Seciens*, referente *Tullio* lib. 2. de finibus, & *Quintiliano* in suis institution. *lib.* 2. vna, eadéq; manu demóstrare solebat, quid putaret interesse inter Logicá, ac Rhetoricam; Rhetoricam palmę Logicã pugno similem esse dicens, quod latius loquátur Rhetorici, Logici autem cõtractius, quod idem discrimen refert idem *Cicero* ex *Aristotele*. ibi *Aristoteles in principio artis Rhetoricæ, dicit illam artem, quasi ex altera parte respondere Dialecticæ, vt hoc, videlicet, differant inter se, quod hæc dicendi ratio latior sit, illa loquendi contractior*, videantur alij doctores apud *Conimbricen*. hic q. 5. à 2. initio & passim apud modernos, 54 *Aristotel.*

dernos, qui iam nobiscum sentiunt in hac parte.

55 Suffragantur eidem sententiæ Sancti Patres, in primis *Isidorus* lib. 2. Ethimolog. cap. 22. sic ait interpretãdo mentem Aristotelis. *istam scientiam Aristoteles Dialecticam nuncupauit, pro eo, quod in ea de dictis disputatur, nam λέξις dictio dicitur; ideo autem post Rhetoricam disciplinam Dialectica sequitur, quia in multis vtrique communia existunt*. Ecce Sanctus Pater communem materiam circa quam Rhetorica versatur, & Logica, affirmat esse voces; & quidem parum differre Logicam vocalem hanc à Rhetorica, & ambarum regulas quo ad substantiam complures esse easdem, alibi fusius monstrabo. Solum animaduerto hic regulas Logicales imperare fieri definitiones. v. g. certis, ac paucis verbis; regulas verò Rhetoricæ addere præter voces, quæ significant genus, & differentiam, alias voces, cõplures ad ornatum orationis. fauent etiam *S. August.* *S. August.* tom. 1 lib. de principijs Dialecticæ, cap. 5. & in Categorijs cap. 3. cuius verba expressa cito infra commodius in Sect. 5. *S. Nazian.* oratione ad Nicobol. *Clemens Alex.* 1. Stromatum.

S. Thom. Et *S. Thomas* super lib. 1. Periher lect. 2. ex sua, & *Aristotelis* sententia, ita scribit. *Præmisso proœmio Philosophus accedit ad propositum exequendum, & quia ea, de quibus promiserat se dicturum, sunt voces significatiuæ complexæ, vel incomplexæ, ideo præmittit tractatum de significatione vocũ.* id ipsum expressit in Ethica lib. 1. Sect. 1. dicens. *rationem ordinare tum conceptus suos, tum signa conceptuum, quæ sunt voces significatiuæ.*

Aristotel. Demum *Aristoteles* lib. Categor. libris Periherm. Priorum, & subsequẽtium, speciatim videndus 1. *Topicorum à cap.* 3. tam ex professo egit de vocibus, tradendo interdum regulas pro eisdem disponendis, ac dirigẽdis, hoc est pro cõponendis ex vocibus varias propositiones, ac modos sciẽdi, præsertim syllogisticos, vt qui legat, facilè intelligat magnæ partis Logicæ, siue regularum eius materiam esse voces, id quod *S. August.* efficaciter persuadet *S. Augustinus* in Ca- *Aristotel.* tegorijs cap. 3. vbi docet *Aristotelem* tractasse in Logica de vocibus, & cur. & probant omnino euidenter, rationes sequentes: quarum.

56 Prima est. illud est obiectũ materiale per se, & primariũ alicuius scientiæ, vel artis, circa quod talis sciẽtia, vel ars, primario, & per se versatur, tamquã circa propriã materiam; sed Logica vocalis primario, & per se versatur circa voces significatiuas, tamquam circa propriam materiam; ergo Logicæ vocalis obiectum materiale per se, & primarium sunt voces significatiuæ. maior est euidens ex dictis; minor demonstrari potest, tũ ex nomine ipso Logicæ vocalis, quę ita nominatur, quia de vocibus tractat, tum quia regulæ Logicæ eiusdẽ, quæ sunt quidã actus vitales intellectus, quarum mẽtionem fecimus Sect. pręcedẽti, de vocibus tractant, voces sonant, voces repræsentãt, voces cognoscũt, atque attingunt, ac de vocibus tamquã de materia propria docent nos facere, siue componere modos varios sciendi vocales, siue vocibus constantes; consequentia denique legitime infertur.

Quamuis pręcedens ratio est demõstratiua, tamen secunda ratio ponitur, quæ sic est. illud est obiectum materiale per se alicuius scientiæ, vel artis, in quo recipitur, vel quasi recipitur obiectum formale eiusdem scientię, vel artis; sed obiectũ formale Logicæ vocalis recipitur, aut quasi recipitur in vocibus significatiuis; ergo eædem voces sunt obiectũ per se materiale huius Logicæ vocalis. maior, & consequentia sunt euidentes; minor declaratur, & probatur in dicto sequenti.

Dico Secundo. *obiectum formale per se, & primarium Logicæ vocalis est vocum recta significatio; præsertim, quæ reperitur in vocibus rite dispositis componentibus aliquẽ modum sciẽdi vocalem, iuxta Logicales regulas dispositum.* exempli causa. voces istę. *homo est animal rationale.* vt sunt quidam soni significãtes ad placitum, sumptæ seorsim, sũt quidem materiale Logicę obiectũ; vt autem coniunctę, & dispositę significant genus, & differentiam definiti hominis, habent rectam, & directam significationẽ, quasi effectam ex imperio regulæ Logicalis, imperantis adhiberi eas voces, & nõ alias, in structuram bonæ definitionis vocalis, sunt formale obiectum: ita quod significatio illa generis, ac differentiæ, quæ reperitur quasi recepta in vocibus, sit, ac dicatur recta, & artefacta, siue artificiosa significatio, quoniam facta est, non casu, seu naturaliter, sed ex directione, & doctrina artis illius, siue regulæ Logicæ dictantis. *Omnis definitio vocalis constare debet* 57

vo-

vocibus significantibus genus & differentiã. & consequenter sit ratio formalis potissimum a Logica intenta.

58 *Aristotel.* *S.Thom.* Doctrina sic exposita est ad mentem *Aristotelis*, vt expressit *S.Thomas* illis verbis supra lib. 1. Periherm. lect. sua 2. ibi: *quia Logica ordinatur ad cognitionem de rebus sumendam, significatio vocum pertinet ad principalem considerationem ipsius.* Significatio ergo est potissima ratio, ob quã voces considerantur. Ergo ipsa est ratio formalis sub qua & secundũ quam, voces à Logica considerantur; id quod dilucide interpretatus est *Card. Toletus* initio lib. Periher. §. 2. dicens, *propterea liber Periherminias inscribitur, vel de interpretatione, vt intelligamus hic enunciationem vocalẽ considerari, vt rerum est significatiua, propterea multò melius interpretationẽ, idest, significationem, quàm propositionem dixeris esse obiectum* (formale subintellige) *non enim hic de ea, vt est argumentationis pars differitur, sed vt est rerum significatiua*. Verba hæc non indigent alio commento, vt sibi persuadeãt quidã Moderni obiectũ formale huius partis Logicæ esse vocum dispositarum significationem; Etenim ipsi putant obiectum summularum, siuè Logicę vocalis esse vocum rectam dispositionẽ, quam quia non satis declararunt, admonẽdi sunt, in rigore loquendo, dispositionem vocum quasi localem, vt videlicet, componunt ex imperio regulæ, definitionem v.g. esse quidem conditionem, & mediũ requisitum vt consequatur formale obiectum, quod solum est significatio recta, non autem formale obiectum; quocirca si nomine dispositionis intelligant dispositionem præuie requisitam ad formale obiectum, vera dicunt; si credunt illam dispositionem esse potissimum regulæ intentum, omnino falluntur, vt manifeste patet regulæ imperium auscultanti, audi *definitio constet vocibus significãtibus genus & differentiam*. fateor quod imperat disponi voces, atque coniungi, & adhiberi in fabricam, sed regulæ finis est significatio generis, ac differentiæ. Hæc prosequutus sum propter discentes, qui hic solent manere aut confusi, aut ieiuni. Venio ad rationes dicti huius.

59 Prima est. etenim illud est obiectũ formale scientiæ, vel artis, quod scientia talis vel ars cõsiderat, intendit, inducit, vel quasi inducit in suum obiectum materiale; sed Logica vocalis considerat, intendit, inducit, vel quasi inducit in vocibus rectam, seu artificiosam significationem; ergo recta hæc significatio est ipsius obiectũ formale. Aduerto non esse meam intentionẽ asserere Logicam imponere vocibus denuò significationẽ hanc, sed tantũ iam olim habitã ita coniungere, & quasi cõponere, vt quodammodo, & artificio quodam, denuò facta videatur, ex sola Logicæ applicatione, secundum eius regulas effecta, quasi de nouo resultans.

Secunda ratio facilis, & alibi sæpe repetenda est. illud est obiectum formale alicuius artis, quod ex artis ipsius præceptis, & regulis, quas olim didicimus, scimus rite facere, aut quasi facere; sed ex regulis Logicæ scimus facere definitiones, & reliquos modos sciendi vocales; ergo hi modi sciendi sunt regularum Logicæ formale obiectum. Sed non sunt earum obiectum nisi secundum significationem, quam regulæ imperant, & intendunt, ergo intentum.

Dico Tertio. *obiectũ materiale adæquatum aggregationis Logicæ vocalis, sunt omnes voces quotquot aptæ sunt componendis modis sciendi, & quæ correspondent tripliciti operationi intellectus*, nempe apprehensioni, iudicio, atque discursui; formale vero item aggregationis, est earum omnium vocum significatio imperata, & applicata secundum aliquam Logicę vocalis regulã; & ratio breuis est; quia obiectum adæquatum aggregationis est, quod adæquat totã scientiam, & de quo toto, & solo illa tractat, sed Logica vocalis tractat de omnibus & solis vocibus prædictis, ergo eæ voces sunt eius adæquatum obiectum aggregationis.

Quoniam verò principalior, siue artificiosior modus sciendi vocalis, est argumẽtatio, ea dicitur communiter obiectum adequatum attributionis; & probatur; quia illud est obiectum attributionis adæquatum, ad quod cætera partialia obiecta referuntur, aut possunt referri, sed ad argumentationem possunt referri cętera omnia, quæ Logica vocalis considerat, ergo argumentatio est eius obiectũ adæquatum attributionis. Maior, & consequentia sunt certæ: probatur minor, quia in argumentatione vocali v.g. in syllogismis reperiri solent definitiones, diuisiones, & aliæ artificiosæ orationes, atque præmissæ vocales, & consequenter reperiuntur termini 60

signi-

significantes genera, & species, & reliqua prædicabilia; vt docet experientia; ergo ea omnia ad argumentationem possunt reuocari. & quia argumétatio demõstratiua est perfectior, eam volunt aliqui esse attributionis obiectum, & merito.

Rursus finis Logicæ vocalis idem est ac formale obiectum, quoniam, vt habetur in prouerbio, *in scientijs practicis, & in artibus idem est finis, ac formale obiectum.* supra autem ostẽsum est Logicam esse artem, seù scientiam practicam, quæ regulis suis omnibus nihil aliud intendit, nihil quasi vult, nisi directionem, vt finem.

Dico 4. *res item huius vniuersi omnes sunt obiectum indirectum, & quod dici solet, in obliquo importatum, respectu Logicæ vocalis*. Probatur, quia obiectum indirectum alicuius scientiæ, aut actus, dicitur illud, quod ab ea scientia, aut actu attingitur, repræsentatur, atque cognoscitur indirectè, & quasi in obliquo, seù de connotato; sed ita tanguntur, & cognoscũtur res omnes, à regulis Logicæ vocalis, ergo eius obiectum sunt indirectum; maior est certa; minor fiet euidens considerãti hunc specialem actum Logicæ. *Omnis definitio vocalis debet constare vocibus significantibus genus, & differentiam.* Ecce iste actus, ista regula tangit, cognoscit, ac repræsentat non solum voces vtcumque, sed significantes genus, ac differentiã; ac proinde repræsentat ipsũ genus, & differentiam, quæ sine dubio sũt quædam res; id ipsum cernitur in quauis alia regula. Concludo ergo, & dico Logicæ vocalis obiectum directum, & importatum in recto esse voces; indirectum verò nihil obesse, quod sint res; vt supra declaratum est. denominatio autem Logicæ *vocalis* ab obiecto directo sumitur congruentius.

61 Postremo ex dictis colligitur obiectum Logicæ vocalis seruare illas conditiones, quas supra ad finem Sectionis primæ præcedentis, necessarias esse duximus ad rationem obiecti cuiuspiam scietię; nam primo, hoc obiectum est vnum saltem vnitate aggregationis, quod significatur nomine hoc, *recta significatio vocum.* Secundo. hoc obiectum differre facit hãc partem Logicę à reliquis duabus, & ab alijs scientijs. Tertio. ad hoc obiectum reuocãtur omnes regulæ partis huius Logicæ, quæ omnes directionem huiusmodi concernunt, sed vario modo vnaquæque iuxta modum suum. Quartò. hoc obiectum continet omnes veritates huius Logicæ modo supra in Sect. 1. declarato. denique animaduerto, quando assignati pro obiecto adæquato Logicæ vocalis, voces omnes, me solum assignasse obiectum adæquatum, & totale quidem respectiue ad hanc partem Logicæ. nam respiciendo ad tres partes Logicæ, siue ad Logicam vniuersam; sine dubio illud non totale, sed partiale obiectum est; sed benè, ac sæpe contingit id, quod vni rei est totum, alteri esse partem; vt monstrant plurima exempla omnibus peruia.

SECTIO IV.

Respondet obiectis multorum; qui contendunt nec voces, nec earum quouis modo dispositarum significationem posse per se ad obiectum Logicæ pertinere.

SEd quidam Iuniores, qui opinati sunt cum *Toleto* in q. de Dialectica in communi, & *Conimbricensibus* in quæst. proœmiali quæst. 5. art. 2. & cum multis alijs, qui vulgo circumferũtur: Logicam tractare de vocibus, non gratia vocum ipsarum; sed conceptuum, quorum illæ sunt externæ vicesgerentes. obijciunt nobis 1. Philosophum dicentem in 4. metaphys. cap. 5. de his, qui disputant; *qui enim dubitando eo progressi sunt, vt ita existimarent, neque enim eorum sententia de sermone est, sed de intelligentia.* quibus verbis clarè ostendere videtur Aristoteles artem hanc disputatricem, siuè Logicam per se non agere de vocibus, siuè de sermone externo, sed de interno, seù de intelligentia: idest de actibus intellectus, quæ solæ sunt intelligentiæ: id ipsum confirmante *Auicenna*, cap. 3. Logicæ ibi, *Logicus ex hoc, quod est Logicus nõ habet primo occupari circa verba.* & rursus, *si doctor artis posset vmulare id, quod est in anima alio modo, supersederet à verbis.* *Aristot.*

Respondeo Philosophi authoritatem allegatam, qua aliqui moderni triumphant, non esse ad rem; vt patet legentibus: ibi enim non tractat Aristoteles de Logica, neque de arte disputatrice, sed solum docet quo modo trahenda sunt ad sanam mẽtem, & ab errore abducenda duo genera errantium; alij enim errant, quia dubitãt, siuè ignorant principium, vnde veritatem 62

eruant,

erunt & hi, inquit, facile sanantur, quia nimirum sinceram rei, de qua dubitant intelligentiam quærunt, principia rei ignoratæ quærentes, non procurantes malitiosè veritatem celare verbositate, & loquacitate sophistica; quod faciunt alij, qui veritatem quidem agnoscunt, sed multiplicatione verborum ex quadam proteruia, nos eludunt, ac nos prouocāt ostētatione quadam, volentes defensare, & sustentare suas assertiones, quia oppositæ, à nobis non demonstrantur, neque contra illos probantur
S. Thom. euidenter. ita ferme *S. Tomas* interpretatur textum allegatum in sua lect. 10. in qua nulla mentio est de obiecto Logicæ, vt manifestum est, sed inest vtilis cōtra sophistas reprehensio, satis cōformis doctrinę Apost. scribentis 2. *ad Thim. cth.* 2. *noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium* vbi neque Apostolus, neque *Aristoteles* reijciunt Logicam vocalem docentem rite ordinare voces ad sapientem, & conuincentem loquelam cōponendam: maxime enim decet homines sapientes, ac sanctos, rite, ac legitime loquēdo desputare, præsertim de rebus diuinis, ne serio reprehendantur à spiritu Dei, dicente *Iob* 38. *quis est hic qui inuoluit sententias sermonibus imperitis?* condemnat autem doctor vterque sacer, & prophanos inutiles de verbis pugnas, quæ, vt ait noster Iustinianus ad locum Apost. ex
S. Aug. S. *Ambrosio, & Augustino*, nullam habent vtilitatem sed aliorum potius subuersionem pariunt.

63 Auicenna verò Maurus famosus neque ipse agnouit Logicam vocalem, sed contētus est cum mentali, quam Logicam integram fortasse putauit, vt putarunt, & alij, & sic nil mirandum si dixerit voces, solum quasi secundario, ac per accidens spectare ad Logicam; & quidem, & nos infrà dicemus id ipsum respectu Logicæ mentalis. quod si ille Saracenus agnouisset regulas pro vocibus componendis, vtique non negasset harum regularum occupationem primam esse voces.

Secundo ex ratione petunt argumenta, & obijciunt sic. eatenus Logica vtitur vocibus, quatenus sunt vices gerentes conceptuum & instrumenta sensibilia ad foris exprimendos intus latentes cōceptus, dum sumus in hoc mortali corpore; *nudi enim*, inquit *Ammonius* alibi referendus, *si essent animi, nec corporibus impedirentur, nudis inter se agerent conceptibus*, ergo voces ad summum erunt Logicæ obiectum per accidens; antecedens est euidens ex dictis, aut dicendis in Summulis siue in Logicæ parte 1. dispot. 1. q. 2. Sect. 6. consequentia manifesta videtur; nam si Logica vtitur vocibus non ratione vocum ipsarum, sed ratione conceptuum; perspicuum est Logicam agere per se de conceptibus, de vocibus verò per accidens.

Confirmant primo; quia sine vocibus haberi potest directio conceptuum, vt infra monstratur, & à nobis conceditur, & patet in Christo infanti, & Angelis, qui sine vllo vsu vocum in omnibus scientijs fuerunt, & sunt sapientissimi. Confirmant secundo etenim propter easdem omnino rationes Astrologus, qui per se tractat de sphęris gradibus Cælorum, ac de Astrorum motibus, tractat per accidens de sphærula lignea, vt vicaria sphærę grandis, eiusque manuali instrumento.

Aliqui docti magistri quamuis putent per se loquendo totam Logicam absolute haberi posse sine vocibus, vt conuincit prima argumenti confirmatio, tamen confitentur ab hominibus præ humana, & corporea conditione, quæ indiget aliquo sensibili signo, Logicam haberi non posse sine vocibus, sed hi doctores vera dicunt, nam eo etiam ex titulo, & capite, voces à Logico homine, non à Logica per se requiruntur, sicut & requiruntur sensus exteriores, & interiores. id quod nemo negare potest, quo supposito, vt recepto apud vtrimque disputantes.

Respondeo longe aliter argumento, cōcedendo Logicam mentalem siue, vt formalius loquar, Logicum mentalem, siue qui tractat immediate de directione conceptuum, vti per accidens, attento, quod per se petit ea sua Logica, vocibus, vt signis externis ad finem manifestandi occultos conceptus mentis, & interiores cogitationes cordis; vnde concedo vtramque consequentiam loquendo de Logica mentali, de qua sola loquitur argumentans, quod si absolute loquatur de quacunque Logicæ parte, neganda sunt ambo antecedentia, & ambæ consequentiæ, nam Logica vocalis non vtitur vocibus in illum supradictum finem, sed vt voces ritè disponat in formam modi sciendi vocalis, vt legitima resultet significatio eius, quod Logica, seu Logicus vocalis intendit, & vult, vt supe- 64

superius declarauimus, & declaramus inferius.

Ad primam confirmationem dic distinguendo sic, sine vocibus potest obtineri directio conceptuum, concedo antecedens; sine vocibus potest obtineri directio vocū ipsarum, nego antecedens; peccat ista confirmatio in eo, quod supponit nullam aliā materiam esse, quæ dirigenda sit à Logica, nisi conceptus mentis, & ideo non vrget: cum hoc tamen stat Christum infantem, & Angelos habuisse Logicam etiam vocalem, quia habuerunt omnes regulas eius qui sunt actus interiores de se parati ad dirigendas voces, quotquot sint, aut possint esse, siuè eæ possint effici ab habente regulas, siuè ab alio.

Ad secundam confirmationem addo id, quod magnopere placuit ingeniosis Tyronibus, Astrologum per accidens quidem, vt Astrologus, inquam, est, tractare de sphærula parua, quia per se solum agit de grandi sphæra cælorum, sed vero illum artificem, qui ex proprio officio, & secundum propriam artem architectatus erit illam sphęrulam ex sua qualicūque materia, sine dubio per se eam respexisse, & vt obiectum primum, atque per se; similiter cōtingit in proposito, respectu Logicæ mentalis obiectum per se sunt soli mentis cōceptus, eorumq; directio sola, respectu verò Logicæ vocalis voces, vocumq. directio sunt obiectum per se; etiamsi aliunde ex particulari intentione Logici hominis suam hanc Logicā vocalē, & voces, siue obiectū eius, ordinaret ad exprimendos cōceptus mentis, siue itē ad eos dirigendos, vti debet, nā vt vtar, verbis *Auicenna* paululū variatis, *Logicus vocalis ex hoc quod est talis Logicus, nō habet primo occupari circa mētis cōceptus, sed circa verba, occupari enim circa mentis conceptus est officium Logici mentalis*, nec oportuit quempiam falcem mittere in alienam messem, sed contentus sit Logicus mentalis cum actibus mentis; & Logicus vocalis cum suis vocibus.

S. Thom. sup. Bo. de de Tr.

65

Tertiò obijciunt, illa bona concordantia, & cohærētia, quæ inducitur in vocibus à Grammatica præceptis suis, & reperitur in hac oratione, exēpli causa, verbi substantiui, *homo est animal rationale*, est vocum directio, & recta dispositio; simili modo, directio quædam est cōcinnitas, & elegantia sermonis artificiosa, quæ prouenit à Rhetorica; vt cernitur in illa oratione, qua *Cicero* de legibus, describit hominem dicens, *est animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consily, præclara quadam conditione generatum à Deo*. ergo directio vocum benè dispositarum non est obiectum formale Logicæ, sed Grammaticæ, atque Rhetoricæ.

Respondeo concesso antecedenti, negādo consequentiam; nam præter Grammaticalem concordantiam, & Rhetoricā elegantiam; quas nō recuso vocare rectas vocum dispositiones, ac directiones passiuas, artificiosas, quia fiunt secundum directionem actiuam, seu regulas earum artium; reperitur alia tertia directio in vocibus eisdem ab ea vtraque distincta, quæ consistit in vi significandi, & declarandi rem ignotam; idest, in recta vocum significatione, qua significant hominis genus, & differentiā conformiter ad Logicæ regulam imperantem voces idoneas, quæ id ipsum significent, adhiberi, & applicari; quod verò eiusmodi recta, & artificiosa significatio intendatur solum à Logica vocali, ac diuersa omnino sit à directionibus intentis à Grammatica, & Rhetorica, demonstrat eadem hæc hominis definitio, *homo est animal rationalis*, in qua reperitur directio Logica, quoniam ea definitio affert voces significantes genus hominis, & differētiam, vti iubet toties repetita regula, at ibidem, nec est concordantia Grammaticæ, neque Rhetoricæ elegantia; quia est oratio cum solœcismo, & sine ornatu. mecum sentit *Agricola* lib. 2. de Inuent. cap. 3.

Quamuis autem hoc verum sit, Logicum tamen decet, & oportet scire Grammaticā, & Rhetoricam, vt illa semper vtatur, hac tamen rarenter; quoniam vt veritatis puræ vis appareat, & argumenti, ait *Aristoteles*, *quod Dialecticus tamquam pugil nudus in Gymnasium descendat operæpretium est*. idest, necesse est, vt Logicus disputator vtatur verbis nudè, & clarè, ac sine tropis, & superfluo ornatu, aliàs necessariò, & iucundissimo, ad veritatē collimantibus, & significantibus. legatur circa hæc *S. Augustinus* tomo 1. de Principijs Dialecticæ c. 7. sub finem. 66

Aristotel.

S. August.

Sed instas etiam Rhetorica suis regulis docet facere definitiones, & reliquos modos sciendi, & propterea habet suos locos, & sedes, vnde sumantur argumenta omnino similes locis logicalibus; ergo nō differt à Lo-

à Logica, Antecedens probatur manifestè exemplo illo allato ex *Cicerone*, in quo reperitur hominis definitio tradita per genus,& differentiam,nam perinde est dicere. *Homo est animal plenum rationis atque cõsilij,ac dicere homo est animal rationale.*

Respondeo concedendo Rhetoricã,quo ad substantiam non differre ab hac Logica,sed tantum quoad modum, idest,ornatum,quem superaddit Rhetorica; differũt ergo Logica,& Rhetorica in eo, quod Logica iubet adhiberi voces paucas nudas, & sine ornatu, Rhetorica autem easdem voces iubet adhiberi, sed alijs associatas, & circumuestitas,ad maiorem elegantiam sermonis, quod discrimen collegi ex *Cicerone, & Aristotele* allegatis supra Sect.3. initio,& ex ipsa experientia; & sufficit, vt hæ quasi duæ artes dicantur, ac nomine diuerso compellentur. Aristotel.

Quarto obijciunt. Summulæ,siue Logica vocalis tractat de vocibus æquiuocis, & analogis, ac de vocibus nihil significantibus; sed in ijs vocibus nequit induci, neque inesse recta significatio, ergo aliud est obiectum Summularum,siuè huius Logicę vocalis, distinctum à significatione;maior est certa, minor suadetur; quia significatio, quæ vel est indeterminata,& æquiuoca; & quæ nulla est, nequit dirigi, vt manifestum est.

67 Respondeo primo distinguendo maioré Logica, siue Logicus vocalis tractat de prædictis vocibus primario,ac per se,nego maiorem,per accidens,& secundario,concedo maiorem. tractant quippe Dialectici de vocibus omnibus bonis, & malis,idest vniuocis,& ęquiuocis,vt eas omnes probe norint discipuli,atque ex eis bonas,& idoneas ad modos sciendi assumant,malas autem,& inutiles,quales solent esse æquiuocæ, amãdent procul, nisi forsan,vt ait Porphyrius apud S *Thomã* lib.1.Perih.lect.2. lit.C. fine. *qui vtitur terminis æquiuocis, eos reddat vniuocos, eos referendo ad aliquod determinatum significandum*. tunc enim rectã significationẽ habere poterũt. S.Thom.

Responderi potest secundo,eam Logicæ vocalis partem,quę dicitur sophistica;quia regulis suis nos docet facere syllogismos apparentes, per se tractare, vt de proprio obiecto de vocibus ęquiuocis, & quãdoq. de nihil significantibus; quæ aptissimæ sunt ad decipiendum, id quod intendunt, qui eis regulis vtuntur, siue abutuntur.

Quinto potest objici. indignum videtur Logicã, vel partialiter, de vocibus per se tractare;ergo nulla pars Logicæ fingenda fuit, quæ de vocibus tractet per se.

Respondeo negando antecedens,nam satis digna materia sunt voces, quoniam valdè necessarium est vocibus benè dispositis vti, præsertim viris catholicis, & in materia fidei,& morum; dixit enim *S.Hieronymus*, quem allegat *S.Thomas* 3.p quæst.16.ar.8. corp. *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis*; *& Aristoteles* admonuit 1. *Ethic.* ad acquirendam scientiam oportere vti vocibus aptis, & benè ordinatis, idest, vniuocam significationem habentibus, vt tollantur ex animis audientium ambiguitates; tum præterea maximè decet nos vti vocibus idoneis semper, & vbique,ne nobis contingat aliquando cum *Iob* carpi à Domino dicente cap. 38. *quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis*. S.Thom. Aristotel.

Præterquamquod illæ regulæ mentales infallibiles, & certæ, ac scientificæ, quæ nos docẽt fabricare externos modos sciendi vocales, ad aliquam scientiam debent pertinere, ad nullam autem congruentius reducentur, quam ad Logicam, ad quam *Aristoteles*, *S.Augustinus*, *& S.Thomas*, & multi alij reduxere, si non putarunt, aut totam Logicam, aut maiorem eius partem de vocibus per se tractare, etiamsi isti Doctores pro fine haberent vltimo, directionem actuum intellectus,quę mediante sola Logica vocali potuit obtineri, vt alibi declarabo vberius, & tetigi supra in Sect. 2. par.5.Sectionis. istud responsum confirmarunt Pontifices, Imperatores, & Iurecõsulti instituentes titulum *de Verbor. significat*. Vt vides in doctissimo *Azor.1. par. lib.5. cap.27.* non mihi oppono hic, argumenta, quæ contra hanc veritatem cõgerunt docti PP. *Hurtado disp.1.sect.3.* *& Arriaga, disp.2. sect.3.* quia Logicam vocalem, non impugnant, nec possunt, si suis stant principijs de specificatione actuum vitalium. 68 Aristotel. S.August. S.Thom.

SECTIO V.

Assignat secundæ Logicæ parti, nempè Reali, obiectũ per se materiale, & formale, adæquatum aggregationis, attributionis, & finem; vbi de modo, quo Logica res huius vniuersi omnes directè, atque per

se

se consideret, ad mentem Aristotelis, & SS. Thomæ, & Augustini præsertim & aliorum.

NE in principio difficultatis grauissimæ, sint studentibus impedimento faciles quædam, & aliquantum ambiguæ quæstiones; duo præmittenda sunt, quæ debent esse certa apud vtrimque disputantes. primum est tractatuum de vniuersalibus, & de prædicamentis obiectum per se esse res omnes huius vniuersi, vt benè aduertit Cardinalis *Toletus in Logica* tractando *de subiecto libri prædicabiliū q. 1. & de subiecto libri Prædicamentorum*, pro se,
Aristotel. & pro nobis allegans *Arist. Eustratium*, & *Auerroem*, contra quosdam antiquiores, qui obiectum prædictorum tractatuum, seu librorum dixerunt esse voces significātes res, siue conceptus repræsentantes res ipsas.

Secundum est Logicam mentalem, seu rationalem quam, quidam recentiores integram Logicam appellant, per se tractare de rebus omnibus particularibus, & vniuersalibus, non solum mediate; & remote, quatenus per se tractat de conceptibus illas immediate tangentibus, & cognoscentibus, vt confitetur cum, & pro
69 Recentioribus *Toletus* q. 5. §. 5. conclusio.
Verum etiam immediate, exprimendo, & tangendo res ipsas, licet indirectè, & quasi in obliquo: quod satis insinuat Pater *Suarez* tomo 2. Metaph. Disput. 39. ante Sectionem primam; id quod attendenti ad regulas Logicæ manifestum apparet: considera obiectum per se regulæ huius, quod est quidquid ea tangit, quidquid repræsentat, nam sine aliqua parte repræsentari esse nequaquā potest. *Omnis definitio mentalis debet repræsentare definitæ rei genus, & differentiam.* ecce tangit regula definitū & eius genus, ac differentiam, quæ sine dubio sunt res, & ita de cæteris Logicalibus regulis dijudicandum erit. his suppositis.

Dicendum est primo circa difficultatem præsentis quæstionis; *obiectum materiale per se Logicæ realis*, siue partis secundæ Logicæ, quæ de rebus agit, modo iam declarando, *esse ipsas res siue quinque vniuersalia, ac decem rerum prædicamenta*, tum physice, & fundamentaliter, & vt iacent sumpta, tum formaliter etiam, & vt facta sunt, prædicabilia ab intellectu, ex quibus vlterius solet ipse intellectus instructus per Logicæ huius varias regulas assumere, & facere, aut quasi facere subiecta, prædicata, media, & extremitates, ad cōponendos modos sciendi obiectiuos. dico ergo Logicæ partis huius, res omnes esse obiectum materiale per se, immediatum, proximum, atque directum.

Hanc nostram sententiam expressit, ac docuit nos *Aristoteles* verbis, & luculentius exemplis, verbis quidem in libro pri- *Aristotel.*
mo Poster. cap. 8. dicens *Dialecticum non habere certum aliquod genus subiectum, de quo differat, sed per omnia rerum genera vagari*. Vide quam plane, & quam amplum assignauit Logicæ obiectum, omnia rerum genera, & quā merito, est enim Logica ars non particularis, seu alligata vni determinato generi entis, vt est argētaria, & huiusmodi, sed vniuersalissima, & ad omnia entia se extendens, abstrahens ab omnibus ex modo suo procedendi; vti dicam inferius.

Deinde idem Philosophus sibi consonat
in 4. Metaphys. cap. 2. ibi *& Dialectici de* *Aristotel.*
omnibus disputant, omnibus autem (nempe 70
Dialecticis, Sophistis, & Metaphysicis)
commune est ens, nam circa idem genus versatur, & Sophistica, & Dialectica cum Philosophia. Manifestum autem est Philosophiam, seu Metaphysicam, quam nomine Philosophiæ intelligit Aristoteles, agere de omnibus rebus, tamquam de propria materia, & ideo inquit *S. Thomas* in
Commentario eius loci lect. 4. *Subiectum* *S. Thomas*
Logicæ ad omnia se extendit, de quibus ens naturæ prædicatur; quod subiectum Logicæ æquiparatur subiecto Philosophiæ, quod est ens naturæ, & pauló superius dixerat. *manifestum est quod Dialectica materia est ens, & ea quæ sunt entis de quibus etiam Philosophus considerat.* consentit expressè *S. Augustinus* tomo primo de Princip. Dialecticæ cap. 5. ibi *tractandum est* *S. August.*
igitur nobis in hac parte Dialectica de dictionibus de dicibilibus, siue conceptibus, *De rebus.* vbi vides Logicam tractationem tripartiri; & clarius in Categorijs cap. 3. vbi ex *Aristotele* concludit. *mixtam de tribus disputationem debemus accipere.* nempe de rebus, vocibus, & conceptibus.

Ergo omne ens, seu res omnes secundū Aristotelem, S. Augustinum, & S. Thomā sunt Logicæ obiectū, de quibus agit Me-
taphy-

taphysica inuestigando earum essentias, & passiones: Dialectica verò, siue Logica, vt ex eis efficiat artefacta sua, docendo nimirum modum, quo efficiantur ex decem rerum generibus existentibus à parte rei quinque prædicabilia, & quo modo ex his fiant variæ propositiones, & modi sciendi reales, & obiectiui, quod est dicere Metaphysicam agere de omnibus entibus *quoad conditionem essendi*; Logicam, *quod ad conditionem, aut modum fabricandi ex eis vniuersalia, & ea prædicandi*. id quod dixit ante me doctissimus *Suarez* in Metaph, disput. 6. Sect. 8. nu. 4. *ibi, Dialecticus per se solum considerat rationem prædicabilis, non quidem eius quidditatem vel entitatē considerans, sed solum quoad definitiones, vel prædicationes nosse oportet.*

71 Exemplo eamdem sententiā docuit Philosophus siquidem in sua Logica longum tractatum instituit de rebus omnibus, videlicet de decem prædicamentis, & scripsit 8. libros Topic. vbi fusè posuit res, quæ vocauit media, & sedes, vnde argumenta petenda sunt, interim miscendo regulas, quæ docent his medijs vti in argumētis ad quoduis persuadendum, aut refellendum; licet enim Aristoteles in allegatis Logicæ suæ libris, quandoque Metaphysico more tractet res omnes, easque definiat, & intime perscrutetur, tamen id præstare debuit ea intentione, & fine, vt facilius ab eius discipulis regulæ Logicales executioni mandarentur, fierentque genera, species & reliqua prædicabilia, atque ea de suis inferioribus prædicarentur, qui est scopus, finis, & ratio, sub qua à Logica res considerantur, & propter quam Logica à Metaphysica discernitur. Vide me supra dilucidè hæc declarantem nu. 51.

Aristoteles posuit in Topicis regulas Logicæ versantes circa res.

Aristoteli S. August. & S. Thomæ re ipsa subscribunt *Themista*, & alij antiquiores, quos magno numero recensent *P. Rubius* q. 6. procem. in 1. opinione, *Sodeño* lib. 1. quæst. procem. q. 57. quibus adde *Toletum* hic q. 5. concl. 5. & potissimum in præludijs prædicament. sub titulo, *an liber prædicamentorum ad Logicam, potius quam ad metaphysicam pertineat*, & de vniuersalibus *de subiecto libri* q. 1. §. *ad secundum*, & *Conimbricenses* in lib. Cathegor. sub titulo huius libri materia §. *communis tamen sententia*. vbi prosequuntur, & ex cōmuni sententia declarant optimè nostram. *Patrem Vasquez* 3. p. disp. 68. cap. 2. nu. 9. & 10. vbi mirificè illustrat, & nobis commendat regulam quandam admirabilem Logicæ realis, siuè quæ versatur circa res. *Eustratium* 2. Poster. *Iandun.* 2. Metaph. q. 12. *Zabarellam* in lib. 2. de natura Logicæ c. 17. & 19. *Massium* q. 13. sect. 1. concl. 6. & *Petrum Hurtado*, disp. 1. Logica sect. 5. *Rodolphum Agric.* lib. 2. de inuent. Dialect. cap. 5. circa medium, *Arriagam* in Log. disp. 2. subsec. 1. *Auerroem*, & *Gandauens.* apud *Zabarellam*, & *Platonem* in Sophista.

72 Adde etiam omnes recentiores magistros, quatenus huius veritatis immemores sectarij, & amatores, alibi proponunt suis discipulis regulas, quas Logicales esse credent, pro inueniendis bonis definitionibus, & medijs ad syllogismos; quæ regulæ sine dubio per se versantur circa res, rationesue communes, vt regulas propositas consideranti euidenter apparebit, quidquid sit, si magistri sapientissimi nunquam fecerint reflexionem circa regulas suas, qui sunt actus vitales pro proprio, & proximo obiecto habentes, quidquid repræsentant; rursus ijdem Iuniores nescio quas considerationes Logicas admittunt, ac defendunt versari circa vniuersalia, ob quas ea denominantur Logica, subijcibilia, & prædicabilia; sunt vel non sunt diuersa specie Logica inter se, quoniam si eiusmodi considerationes non sunt regulæ nostræ Logicæ realis, intelligibiles nō sunt, & rē difficilem, qualis est machina vniuersaliū, reddunt impossibilem intellectu, quod si regulæ nostræ admittantur omnia consonant, & facillima redduntur, eisdem aduersantibus olim ingenuè confitentibus.

Ratio huius doctrinæ plana demonstratio est, etenim illud est obiectum materiale per se alicuius scientiæ, vel artis, circa quod per se versatur talis scientia, vel ars; sed Logica realis, siue quæ agit de prædicabilibus, & prædicamentis, per se versatur circa res; ergo res sunt eius obiectum materiale per se. Minor euidens videbitur audienti, & consideranti has, & similes regulas, quæ sunt ipsa Logica realis. *Omnis definitio constare debet vna re, quæ sit genus, & altera, quæ sit differentia. Omnis diuisio constare debet diuiso, & membris diuidentibus. In perfecto syllogismo extremitates ambæ identificantur cum medio, medium hic cognoscendum, ac repetendum in*

præmissis perfectis; & in modis primæ figuræ, medium in maiori subijci debet; in minori prædicari. Genus abstrahi debet à pluribus rebus distinctis in specie, quarum sit pars essentiæ in eo quod quid. Quidquid prædicatur essentialiter de superiori, prædicari potest de inferiori. quæ omnes regulæ, & aliæ quarum mentionem fecimus supra
37 cap.5.Sect.2.p.3.& faciemus inferius in
speciali quæstione de locis à n.996. sine dubio res directe sonant, res attingunt; res repræsentant; a rebus pendent omnino, & à rebus specificantur; ergo circa res versantur per se tamquam circa propriam materiam, & quidem, vt nemo non videt, immediatam, & proximam.

Secunda ratio nō est minus euidēs; quia illud est obiectum materiale per se sciētiæ in quod inducitur, vel in quo est, vel reperitur eius obiectū formale, sed in rebus est obiectum formale Logicæ realis; res ergo sunt eius obiectum materiale per se. maior & consequentia sunt certæ, minor probabitur in assertione sequenti.

Tertia ratio sic sumitur à paritate, idcirco cōceptus mentis dicuntur, & sunt obiectum materiale per se Logicæ rationalis, quia huius Logicæ regulæ de illis tractant, eosque intendunt, procurantque dirigere, sed similiter regulę Logicę realis intendūt, & procurāt dirigere, siue disponere, & adaptare, & assumere res ad prædicationes varias: ergo simili modo dicendum est res esse Logicæ huius obiectum per se, sicut dicuntur Logicæ illius obiectum per se mentis conceptus.

Altera pars Sectionis cōuincit Logicæ obiectum formale esse res, quæ cum artificio Logicæ cognoscuntur, & ostendit, quo discrimine Metaphysica, & Logica cōsiderent prædicamenta rerum, & prædicabilia.

Dicendum est secūdo, *obiectum formale Logicæ realis esse res omnes, pro vt sunt obiecta, siue quæ sunt obiecta cognita ab aliqua directa operatione intellectus;* nēpe apprehensione, iudicio, vel discursu, definitione, diuisione, vel argumentatione formalibus, idest vt sunt prædicabilia, genus, differentia, species, proprium, & accidens, vel vt sunt subiectum, aut prædicatum in reali propositione, & obiectiua, vel definitiones, diuisiones, & argumentationes item reales, & obiectiuæ, intelligendo illā reduplicationē *prout*, ita vt significet cognitiones abstrahentes, vel actus intellectus ea obiecta repræsentantes, esse conditiones, & instrumenta, & quasi manus, quibus medijs regulæ Logicæ huius realis exequūtur intentum principale, nempe fabricam vniuersaliū passiuam, eorumq; adaptationē ad
varias, & sciētificas passiuas prædicationes. 74

Hoc secundum assertum continentur cū *S. Thoma*, inferius allegando Doctores citati supra pro primo; & continetur in illo axiomate *Auicennæ* 1. Metaph. cōmuniter recepto. *Logica agit de secundis intentionibus adiūctis primis,* quatenus prædicti omnes Authores docēt Logicę obiectum formale esse res omnes, non nudas, & solitariè cōsideratas, sed vt cognitas, & vt dicūt sub. stractas, & pro vt substant secūdis intentionibus, & eas terminant, siuè quo ad esse intentionale, & rationis, & quasi acceptā ab intentionibus intellectus, siuè quo ad extrinsecas denominationes, (fundamentales intellige) generis, speciei, & alias, quæ rebus proueniūt ab intellectu eas cognoscēte secūdū regularū imperia, de quib⁹ dico infra.

S. Thom.

Quare si intimius inspicias perscrutādo quid Logica realis potissimum intendat in rebus, quid illę Logicales regulæ, & similes, *genus abstrahendum est à pluribus distinctis in specie quarum sit pars essentiæ in eo quod quid. Infima differētia abstrahi debet à pluribus differentibus solo numero, vt pars essentiæ in quale quid. Ex genere, & differentia constet definitio subiectum reale tale debet esse, vt ei attribuatur, atque cōueniat prædicatum. omnis bona prædicatio debet fundari in identitate prædicati cum subiecto. posita causa necessaria, ponitur effectus quidquid essētialiter prædicas de superiori, prædica de inferiori.* liquido cōperies totam Logicam realem, atque eius regulas occupari primo in efficiendis prædicabilibus, atque in docendo ea de suis inferioribus prædicare intrà reales propositionas, vel intrà modos quoslibet sciendi reales, & obiectiuos. His ita expositis.

Sic formo rationem dicti huius secundi. illud est obiectum formale scientiæ, quod intendit, & considerat scientia receptum in suo obiecto materiali, sed Logica realis intendit, & cōsiderat in rebus, quæ sunt eius obiectum materiale, essentiam vniuersalis, vel prædicabilis aptitudines, & potentias,

co-

cognationes, & connexiones quas vniuersalia habēt erga sua inferiora, & simili modo considerat horum conuenientiam, aut differentiā inter se, & item essentiā medij, extremitatum,& cōclusionis cum omnibus proprietatibus requisitis; ergo isti præfati respectus, & relationes in rebus inuentæ, sunt Logicę huius obiectum formale. Lege infra Disp. 5. de locis, Sect. 12. n. 1033. Vbi res hæc probatur euidentius. Sed hic.

75 Cōfirmatur hæc ratio,& declaratur magis supponendo dupliciter cōsiderari posse, quod attinet ad præsens propositum, rem quamlibet, v.g. *animal*, quod est genus, primo modo, inquantum est quoddam ens radix suarum proprietatum, & passionum, quæ continentur in illa barbara dictione, *reubau*. siue inquantū est peculiare quoddā ens, radix quinque sensuum, siue quoad conditionem essendi, & in ista priori consideratione *animal* estvnū ex obiectis Philosophiæ primæ, siuè Metaphysicæ, & ita sunt reliquæ rationes communes,& particularia entia, propterea dixit *S.Thomas*, 1. Poster. lect. 20. *Philosophia prima est de communibus, quia eius consideratio est circa res ipsas communes scilicet circa ens,& partes eius siuè passiones.* dixit hoc S. Doct. ad mentē *Aristoteles* ibidē,& 4. Metaph. c. 2.

Altero modo considerari potest *animal*, quod terminat cognitionem abstrahentem illud, & facientem vniuersale genus iuxta regulæ Logicalis directionem, videlicet, inquantum habet aptitudinem,& potentiā late patentē ad plura, & ordinem ad ipsa, quæ respicit transcendentaliter, vt inferiora, de quibus potest prædicari, & cum quibus quasi appetit identificari, idest secundū conditionem obiectiuè, & passiue, de suis inferioribus prædicandi, vt loquitur alibi allegatus Cardinalis *Toletus*; vel etiam quandoque se subijciendi suo superiori, quod vtrumque contingit quando dicis *Petrus est animal*, *animal est principium sentiendi*, & secundum istam secunda cōsiderationem res hæc, & essentia animalis est obiectum formale Logicæ realis, & ita de reliquis rebus rationibusque communibus,& modis prædicandi, ac sciendi obiectiui, dicendum est, quod etiam indicauit *S.Thomas* vbi supra ibi, *Logica erit de his, quæ communia sunt omnibus idest de intentionibus rationis, quæ ad omnes res se habēt, nō ita quod ipsa Logica sit de ipsis rebus omnibus sicut de subiectis, considerat enim Logica sicut subiectum, syllogismum, & enunciationē,& prædicatū, aut aliquid huiusmodi* quasi dicat S. Doctor non sunt subiectū, 76
nec obiectum Logicæ res vniuersales, neque aliæ res attentæ secundum earum essentias, quomodo sunt obiectū Metaphysicæ, sed attenta solum quoad esse intentionale, idest, secundum quod sunt prædicata, vel subiecta componentia enunciationes, syllogismos, & alios modos sciendi obiectiuos, vnde Opus. 56. dixit. *Logica non cōsiderat hominem, in eo, quod homo est, sed in eo quod species*.

Rationes verò formales subiecti, prædicati, generis, speciei, & cæterorū huiusmodi, solent vocari communiter à *S.Thoma*, & eius sectatoribus *entia rationis, entia intentionalia, intentiones, respectus*, & *relationes*, vt videbis in *Caietano* super c. 4. de ente, & essentia, & infra in *S.Thoma*; vel quia credunt esse aliquid fictum ab intellectu, & quasi adnexum rebus cognitis in prædicabilia, vel subijcibilia, vel saltem, vt ergo opinor, quia quomodolibet fiunt ab intellectu, qui dicitur ratio; quoniam res, vel rationes præsertim communes, quando tales factæ sunt ab intellectu illas abstrahente, manent in statu nouo, effecta quasi denuo,& reddita quasi concreta, composita ex sua materiali, & quasi physica quidditate,& quibusdam trāscendentalibus respectibus non fictis, sed veris, quæ antea in rebus,& à parte rei non elucebant; & quibus, modo declarādo inferius, sua inferiora rationes illæ communes verè respiciunt: quare quælibet prædicabilia, prædicata, vel subiecta, meritò propter hoc, entia rationis nominantur, quoniam, vt dicit ipse S. Pater iam allegandus ita fabricata, & cū eiusmodi relationibus, *non inueniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur*.

Duo ergo sunt, quæ cōsequuntur considerationē rationis, siue abstractionē intellectus abstrahētis v.g. *animal* in genus, quę meritò possunt dici entia rationis, seu effecta intellectus. Primum est secūda intentio obiectiua, siue ratio cōmunis, quæ est animal in communi factum iam commune pluribus, ac de eis potens prædicari; quomodo non erat ante intellectus abstractionem,& consequenter cum respectu denuo illi extrinsecus, quasi annexo, vel intrinsecus ipsi aduenienti, ac de ipsius natura resultanti ergà plura, de quibus pre- 77

ptereа poteſt prædicari ; ita quod animal
abſtractum, & factum genus, ſit quoddam
concretum , (non ex ipſo & cognitione
abſtrahẽte de quo cõcreto, modo nõ curo)
ſed de ipſius natura materiali, & illo tran-
ſcendentali reſpectu ficto , vel vero erga
plura ſpecie diſtincta ; qui reſpectus eſt
forma , & differentia conſtitutiua generis
formaliter , & hoc modo conſideratum
animal appellatur, vt dicebam à *S. Thoma*,
S. Thom. dicit ens ratioris eſſe propriè obiectũ Logicæ. & eius diſcipulis *Ens rationis, intentio generis , & proprium obiectum Logicæ*, accipe
verba Angelica pro noſtra ſententia , quæ
legi 4 Metaph. Sect. 4. *ibi. ens eſt duplex
ens ſcilicet rationis, & ens naturæ, ens au-
tem rationis dicitur propriè de illis inten-
tionibus, quas ratio adinuenit in rebus con-
ſideratis , ſicut intentio generis , ſpeciei , &
ſimilium , quæ quidem non inueniuntur in
rerum natura , ſed conſiderationem ratio-
nis conſequuntur , & huiuſmodi, ſcilicet ,
ens rationis eſt propriè ſubiectum Logicæ ,
huiuſmodi autem intentiones intelligibiles
entibus naturæ æquiparantur, eo quod om-
nia entia naturæ ſub conſideratione ratio-
nis cadunt, & ideo ſubiectum Logicæ ad om-
nia ſe extendit, de quibus ens naturæ præ-
dicatur* ; qui verba hæc penetrabit , com-
periet putaſſe S. Thomam obiectum for-
male Logicæ inter alia eſſe prædicabilia
quinque, & conſectariè illius obiectum
per ſe materiale eſſe res , formalius verò
illas res alias , aut formas , relationeſue
fictas, aut veras, quibus res, rationeſque
communes conſtituuntur formaliter præ-
dicabilia, nẽpe genera, ſpecies, & huiuſmo-
di aliter, quę vocant cõmuniter, *entia inten-
tionalia , intentiones ſecũdas obiectiuas*; de
qua doctrina dubitabit nemo, ſi reflexionẽ
fecerit ad noſtras regulas ſupra poſitas .

Secundum quod cõſequitur animal ab-
ſtractum in genus , aut quaſi conſequitur ,
eſt denominatio generis , ſiue nomen ex-
trinſecum, quod ab intellectu habito prius
78 conſilio de cõgruentia nominis, impoſitũm
eſt; quod nomen propterea rite dici poteſt
ens rationis, quia eſt opus rationis , atque
conſilij. ſed huiuſmodi entia rationis, quid-
quid alij dicant , ſine dubio ad Logicam
nõ ſpectant, quoniam licet *animal* v. g. nũ-
quam nominaretur *genus* , eſſet re vera ge-
nus, ac de ſuis inferioribus æquè benè præ-
dicaretur, eiſque conueniret ; & ex alia
parte non video eſſe Logicalem aliquam
regulam , quæ curet de imponendo no-
mina rebus , vt fuſius animaduerto infra
Sect. 2. cap. 6. quarè concludendo dico ſe-
cundũ mentẽ *S. Thomæ*, & fideliũ ſectatorũ *S. Thom.*
eius , res huius vniuerſi omnes eſſe propriè
ſubiectum Logicæ conſideratas ſub ea
ratione , qua ſunt prædicabilia , ſubijcibi-
lia, aut partes enunciationum , & ſyllogiſ-
morum, aut etiam aliquorum realium mo-
dorũ ſciẽdi, id quod ſufficienter probatum
eſt ab authoritate, & ratione prima. Venio
tamen, ad maiorẽ abundantiã, ad ſecundã.

Secunda ratio generaliter probat Logicę
materiale, & formale obiectum eſſe res, ra-
tioneſque communes , & particulares ſub
explicata relatione, & reſpectu ; quoniam
circa eas omnes verſari ſolet Logica tripli-
citer , primo modo docendo regulis ſuis ,
atque præceptis , quo pacto ex illis fiant
prædicabilia ; quo pacto collocandæ in
prædicamento , vt inde aſſumantur in præ-
dicationes varias ; quomodo, ac de quibus
prædicandæ ; qua ratione ex illis facienda
definitio, diuiſio , & argumentatio, aſſum-
ptis hoc , vel potius illo medio , & illis ,
aut alijs extremitatibus , quæ cum medio ,
& ſecum identificentur , quorum omnium
Logicæ artefactorum materias, ſemper vſu
venit eſſe res , vt manifeſtum eſt , vel ſi vo-
ces, & conceptus, ſumpta, vt res Secundo
verſatur Logica circa res non practicè , vt
ſupra, & modo inuentiuo, ſed ſpeculatiuè,
& iudicatiuè , nimirum examinando præ-
fata artefacta , & inuentiones ſuas , vt ſpe-
culetur, videat, & iudicet an euaſerint ſuis
regulis, & documentis conformia, nec ne .
Tertio demum de rebus artefactis Logica
nobis monſtrat eſſentias , & proprietates ,
& item eorum varias diuiſiones ; nam de
genere docet totum eſſe potentiale reſpe-
ctu ſuorum inferiorum ; de eis prædicari vt
partem definitionum ; deinde propoſuit 79
varias leges pro definitione , ac diuiſione ,
illa eſt celebris pro definitione, *quod defi-
nitio non conueniat alijs rebus à definito* ,
& item illa pro diuiſione , nempe , *quod
nullum membrum diuidens contineat in ſe
plus quam diuiſum , ſi diuiſio eſt actualis,
nec ſub ſe , ſi diuiſio eſt potentialis* , omit-
to cæteras leges Ariſtotelis , quas fuſius
produco infra diſputatione 5. quæſt. 10.
de locis , & medijs , per totam , quæ ſicut
iſtæ allatæ , rebus congruunt , non voci-
bus , neque conceptibus , niſi iſti ſuman-
tur

tur, vt res; res ergo, ac rerum adaptationes, vt modo res alias inferunt, vel quatenus ab alijs inferuntur certo, vel etiam probabiliter, & vt quandoque alijs subijciuntur, quandoq. de alijs sibi subiectis prædicantur, sunt obiectum per se huius partis Logicæ. & confirmatur, quia loci seu regulæ legales, & Theologicæ versantur circa res, eæ vero sunt plerumq. eædem cum regulis Logicis.

Tertia; & vltima ratio conuincens est, etenim illud est obiectum formale sciētiæ, vel artis, quod nos discimus, & scimus facere ex eius præceptis, & directione; sed nos discimus, & scimus facere prædicabilia, definitiones, diuisiones; propositiones varias, & syllogismos reales, ex Logicæ præceptis, ac directione; ergo ea omnia sunt obiecta formalia Logicæ realis, & ab ea primario intenta.

Tertia pars Sectionis huius quintæ declarat Logicę Realis obiecta reliqua: nempe adæquatum, aggregationis, & attributionis, & finē.

TErtio dicendum est, ***obiectum materiale per se adæquatum aggregationis Logicæ huius***, esse non solum decem rerum genera, aut prædicamenta formaliter, ac etiam realiter, seù fundamentaliter sumpta, & quinque prædicabilia, quæ ex illis fiunt, & illa componunt, verum etiam decem alia prædicamenta ficta, quæ possunt ad similitudinem verorum prædicamentorum confingi, & item alia quinque prædicabilia chimærica. & vlterius pertinent ad obiectum istud quæcunque aliæ res, rationesue communes, etiam analogæ, vel soli Deo propriæ, vel etiam communes Deo, & creaturis, nam circa prædicta omnia versātur regulæ Logicales triplici illo modo declarato, quæ propterea considerata secundum illum respectum, secundum quem à Logica considerantur, constituent obiectum ipsius formale adæquatum aggregationis. Hoc dictum, non indiget maiori alia probatione, quoniam patet ex terminorum apprehensione.

Aristotel. S.Thomas. S. August. suprà.

80

Sed quoniam modus sciendi etiam inter obiectiuos, magis artificiosus, & qui dicitur à plerisque principalior (licet mihi longe melior videatur definitio, vtpotè digna Deo) est argumentatio, & eius species, ad quam cætera reduci possunt; argumentatio, sed præsertim syllogismus demonstratiuus, & scientialis, siue scientiam generans, censetur obiectum adæquatum attributionis; quæ vera doctrina est, quia pendet à libero arbitrio, & plerique Dialectici voluerunt ad eam argumentationē omnia reuocari, vt videbitis quando sermo sit de Logica rationali; vnde postremo colligitur finem Logicæ realis esse ipsius formale obiectum iuxta ea, quæ dicta sunt superius in Cap. 3. num. 18.

SECTIO VI.

Soluit argumenta Doctorum plurium, qui probare intendunt neque res, neque earū directionem, siuè adaptationem spectare per se ad obiectum immediatum Logicæ, quod vocant proximum.

PLerique nouiores magistri sibi persuaserunt res omnes omnino esse extra obiectum directè intentū à Logica, ac præter ipsius primariam intentionem, & pro sua persuasione allegant multos, & graues authores, qui opinari videntur Logicæ adæquatum proximum, & immediatum obiectum esse aliquam, vel omnes tres operationes mentis, vel omnes, aut aliquem ex modis sciendi mentalibus: remotum vero, mediatum, vel indirectum, & subinde secundario intentum, esse res, hi Authores sunt ***Conimbricenses in quæst. Procem.*** q. 5. art. 2. & 3. & ibi ***Auicenna***, ***Scotus***, ***Aegidius***, ***Fonseca***, ***Mirandulanus***, ***Albertus***, & noster ***Smigletius*** in Logica disp 2. q. 1. §. dico primo. Vbi dicit res non esse proximum Logicæ obiectum, & ***P. Arriaga*** in Logica disp. 2. Subsec. 1. licet fateatur res esse obiectum proximum, id vocat materiale: pro quibus.

Primo obijcies. Decem rerum genera, siuè prædicamenta, & omnia, quæ in eis, & sub eis sunt, sunt obiecta aliarū scientiarū, ergo non sunt obiecta Logicæ realis; antecedens patet, probas consequentiam, quia nihil est in rebus, quod à Logica possit, vt obiectum considerari, nihil quod in rebus ex Logicæ consideratione, aut directione inducatur, aut intendatur, neque quod à rebus, à Logica auferatur, aut remoueatur, non est in rebus obscuritas, non probabili- 81

tas, nō confusio, neque error, falsitas, ignorantia, aut incertitudo: non est claritas, certitudo, neque directio, neque quid simile dignum, aut indigens Logica consideratione: nihil demū est in rebus, quod possit illa suis documētis emēdare, aut emendatū contemplari; ergo res non sunt obiectum eius.

Respondeo cōcesso antecedenti, negando consequentiam: quoniam certum est rem eandem materialem posse considerari à multis scientijs sub diuersa ratione formali, sicut supponit argumentum. illustre exēplū, & in proximo, est *homo* quę, vt materiale subiectū multæ scientiæ cōsiderant, sub diuersa vnaquęq; ratione, ac prædicato, sic prædicat Metaphysica. *Homo est animal rationale.* Physica verò dicit. *homo intellectiuus est, ac mobilis.* Sic medicina. *Homo est sanabilis* Mathematica ait. *Homo est mensurabilis*, quid ni dicat Logica. *Homo prædicabilis est de pluribus, vt tota eorum essentia?* Legatur super hoc *S. Thomas* 1. part. q. 1. ar. 1. ad 2. & sæpe alibi. *S. Thom.*

Ad consequentiæ probationem dico in esse rebus à parte rei, quasi indigestam quandam dispositionem, ineptitudinem, & omnimodam, repugnantiam, vt applicentur ad propositiones, & modos sciendi, & vt aliæ de alijs prædicentur; præterea licet in rebus non sint illæ imperfectiones, & perfectiones, quas enumerat argumentum, frequenter sunt in studentibus, qui propterea instruendi fuerunt ab aliqua arte, quæ eos edoceret fabricari vniuersalia, ac eis iam factis vti in suis enūciationibus intra, & extra modos sciendi, vt sic ab eorum animis omnis error, confusio, & ignorantia, & huiusmodi, procul abscederent, & scientia, claritas, ac distinctio in perdiscēdis rebus succederent, quocirca necessaria fuit ars, vel scientia, quæ circa res versaretur adaptando eas ad modos sciendi, & varias prædicationes, & consequenter auferret rerū ineptitudinem ad einsmodi prædicationes, & indicaret loca, & sedes, argumentorum, prædicata legitima, & subiecta, quibus illa conueniant; vt sic studentes attenti ad eius Logicæ regulas, illisque obedientes, rite procedant, rite prædicent, rite definiant, diuidant, & argumententur, & applicantes materiam, & res iuxta præscripta Logicæ, demum euadant sapientissimi procul propulsatis erroribus, & similibus, quæ scientiæ sunt impedimento. 82

Sed instas. Logica se extendit ad consideranda omnia, ad quæ se extendit Metaphysica, vt nos docuit *Aristoteles* in 4. Metaph. ergo illa ab hac non distinguitur, probas consequentiam, quia Logica considerat res sub eadem ratione formali, & sub eodem prædicato, ac Metaphysica; siquidem ad quamcunque scientiam pertinet scire, & considerare essentiam sui obiecti, & eius proprietates. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, ad probationem nego considerari res à Logica sub eodem prædicato, & ratione formali, quamuis Logica considerare debeat, & scire essentiam sui obiecti; essentia enim sui obiecti non est essentia obiecti absolutè sumpti secundum se, vel secundum quod consideratur à Metaphysica, sed secundum quod obijcitur Logicæ, Logicæ autem obijcitur vt aptum est prædicari, aut subijci, vt aptum est fieri prædicabile, aut subijcibile, & huiusmodi aliter, vt, videlicet, obiectum est, & terminat, aut terminare potest artificiosum actum cognoscentem ipsum, huiusmodi ergo aptitudo, prædicatio, fabricatio, & effectio passiuè, sunt essentia obiecti Logicæ, quæ considerare debet ipsa, non vero aliæ quasi essentiæ plures, quæ reperiuntur in eodem obiecto materiali, quæ veniunt considerandæ ab alijs scientijs. *Aristotel.*

Secundo obijcies, scientia non agit per se nisi de eo, quod per se cōducit ad suum finem primarium consequendum, sed res vt directæ, & vniuersales effectæ non conducunt per se ad finem primarium Logicæ consequendum; ergo Logica non agit per se de rebus directis; vel de eis vniuersalibus faciendis, aut effectis. Maior certa videtur, probatur minor, quia finis primarius Logicæ, siuè, quod idem est, obiectum primarium formale est conceptuum directio; sed ad hanc non conducunt res etiam directæ; quia illam non præcedunt, vt ad eam adiuuent, sed sunt post illam, & illam consequuntur: ergo res vt directæ per accidens pertineat ad Logicam, & solum ex consequenti. 83

Confirmant exemplo recentiores, quia sicut rideretur ille, qui virgulam veiiet dirigere media ipsius vmbra, cum potius vmbram per virgulam dirigi oporteret, ita dignus

gnus est, qui rideatur, qui conceptus directionem dimetitur,& mensurat per rem directam, cũ potius rei directio dispicienda, & mensuranda sit penes conceptum, qui concipit rem, ac denominat, vel reddit directam directione, quam res antea non habebat.

Respondeo omissa maiori, distinguendo minorem: sed res vt directæ, & vniuersales effectæ non conducunt per se primario ad finem directum, & primarium Logicæ mentalis consequendum; concedo minorem; non conducunt per se, & primario ad finem primarium Logicæ realis; nego minorem; ad minoris probationem simili modo dicendum directionem actuum intellectus, siue conceptuum, esse quidem primarium obiectum Logicæ mentalis, sed rerum directionem siue adaptationem esse item obiectum formale directum Logicæ realis; cum quo benè stat, quod res, ac rerum directio sint,& obiectum secundarium siue indirectum Logicæ rationalis, & item quidpiam ad eius Logicæ obiectũ directum necessario consequutum; vti diximus supra, ac dicemus inferius. peccat hoc argumentum in eo, quod eius authores non nouerint regulas Logicæ realis, quas tamen oporteret vidisse, & eruisse ex libris Topicorum, & ex alijs *Aristotelis* authoris nostri, atque magistri. *Aristotel.*

Exemplum virgulæ, & quæ ibi adducutur, non possunt esse contra nos, qui non mensuramus, nec intendimus primario,
84 aut directè dirigere conceptus mentis, medijs rebus directis, sed eos dirigimus media Logica mentali, vti faciunt, & ipsi recentiores; res autẽ adaptamus,ac disponi curamus media Logica reali, quamuis ingenue fateamur ita esse hæc omnia concatenata,vt ex directione rerũ facta secundũ regulas Logicæ realis, necessario consequatur, vel cum illa coniungatur directio conceptuum; & e conuerso, ex directione cõceptuum facta à Logica mẽtali, necessario item consequatur, vel cum ea coniungatur directio rerum; cum ea tamen differentia notanda, quod, scilicet, rerum directio indirectè solum & quasi mediate intenditur à Logica mentali, ac resultat quasi præter eius primariam intentionem; sicut, & vice versa, conceptuum directio indirectè solum, & mediate intenditur à Logica reali, ac resultat quasi præter intentionem directam, & principalem Logicæ eiusdem.

Etenim regulæ docentes res adaptare, & rebus vti, sine dubio circa res tendunt directè, quia tamen adaptandæ sunt res, assumendæ, & prædicandæ mediantibus conceptibus mentis, eædem illæ regulæ tendunt indirectè circa eosdem conceptus, qui non possunt non esse directi, si res adaptant bene, directè assumunt, ac prædicant legitime, idest secundum leges Logicæ realis: quemadmodum dici solet à communi Theologorum cum *S. Thoma*. 1.p.q.91. ar.1. lex humana versari directè circa actionum externarum directionem, indirectè vero circa directionẽ actionũ internarum, quæ ad illã necessariò cõsequitur.rursus è contrario,elicit quis hanc definitionem mentalẽ directam, & factam secundum regulã Logicę mentalis. *homo est animal rationale*. præter conceptum directum,apparent simul res directæ, nempè genus, *animal*, & differentia, *rationale*, bene fabricata,bene applicata, & prædicata, & rite conuenientia, & congruentia soli definito, quod est *homo*. *S.Thom.*

85 Objicies Tertio. gratis, & sine fundamento distinguitur Logica realis, & talis denominatur; ergo non distinguenda est à Logica mentali; confirmas primo; quia similis Logica adstruitur contra omnes Recentiores, non sine aliqua præsumptionis specie, quoniam, vt ait Theodoricus Rex *in lib. 2. epist. 6. magna ars est contra artifices loqui,& apud illos aliquid agere,qui putant omnia prauidere*. confirmas secundo; quia si Logicæ huic parti assignãtur pro obiecto res, oportebit, & Logicam connumerari inter scientias reales; quod à sæculo non est auditum, quoniam semper Logica inter sermocinales scientias adnumerata est, vel fuit.

Respondeo negando antecedens; nam re vera distinctio hæc facta est ab Aristotele potissimum,quando assignauit Logicę obiectũ omne ens; nos verò; vti decet interpretes,mentẽ eius illustrauimus, tũ formando clarius regulas Logicæ realis, quas, licet non ita claras, inueniet, qui volet lectitare libros *Arist.* præsertim Topicorum; tum etiam imponendo nomen satis accommodatum, vt videre est supra n.42. ne autem quis nimis religiosus ægrè ferat nos inuentare noua nomina, qui sanè pro- *Arist otel.*

pteres, nulla, sumus reprehensione digni; quia si c Logicæ lucem non modicam, nos dedisse opinantur multi; addo me hoc fecisse tum quia dicit *Augustinus* to. 4. in lib. 83. quæst. q. 946. *licere cuique rei incognita, qua nullum habeat vsitatum nomē, quodlibet nomen imponere*, quod antiqui non imposuerint, licet tē significatam norint. tum imitatione Antiquorum, de quibus ita loquitur *Card. Toletus* in Proœm. Porphyrij, vbi de inscriptione libri: *Alij verò, qui putant Dialecticam non de rebus, sed de vocibus agere, titulum faciunt iuxta eorum sententiam*, Ita fecimus nos, nomen iuxta sententiam antiquissimam *Aristotelis*, satis congruenter imponentes, quoniam, vt iterum ait *S. Augustinus* ad illud *Thimot. 6. verborum nouitates, &c. sunt Doctrinæ religionis congruentes nouitates, quando res ipsa, & ante nomina sua erant*, ne dum doctrinæ Philosophiæ. quando res tam ab antiquis sæculis, fuerunt Logicæ realis obiectum.

S. August.

S. August.

86 Ad primam confirmationem dico me nihil in hac parte inuētasse cōtra *Aristotelē*, neque contra interpretem *Thomam*, vel *Augustinum*; neque contra omnes Recentiores, sed contra quosdam, qui non viderunt nostra fundamenta, nec, vt opinor, legerunt totam Logicam *Aristoteles*. Sed neque procedo contra istos paucos, quoniam ipsi me docuerūt aliquot regulas Logicæ realis in summulis, quando me docebant inuestigare bonas definitiones, & assignarunt leges pro bonis definitionibus, ac diuisionibus; quæ regulæ, ac leges sine dubio per se versātur circa res, & à rebus specificātur. Quod si adhuc resistant ij Iuniores veritati, amici erunt. quod ait *Aristotel.* in 1. Ethicorum, & ibidem *S Thomas*, *sed magis amica veritas*, quæ aliquando magnos etiam artifices præterijt.

Aristotel.

S. Thom.

Secunda confirmatio est similis primæ; & sic parum vrget, ergo inter scientias sermocinales annumera Logicam, quoniam sermocinalis est duplex eius pars, nempè *vocalis*; quæ tractat de sermone externo, & *mentalis*, quæ tractat de interno; neque proprerea verearis appellare hanc tertiam partem Logicæ scientiam *realem* cum tantis fundamentis, quamuis congruentius videbitur nuncupare Logicam totam *mixtam* scientiam, seu partim sermocinalem, partim realem. de industria non pono hic contra me argumenta, quæ modo comperio in *Arriaga* disp. 2. Sect. 1. Subsec. 2. quia, & ipse dicit ridicula esse, & facile ex dictis diluuntur, neque enim nos dicimus Logicam istam versari circa res, producendo ipsas, sed eas iam olim productas disponendo, & ipsis vtendo, & alijs modis explicatis in hac Sectione, & præcedentibus, considerando.

SECTIO VII.

Assignat Logicæ mentali obiectum materiale, & formale, per se, adæquatum aggregationis, & attributionis, & finem, quæ omnia sunt conceptus mentis, eorumque passiua directio; ac refert, refellitque contrarias aliorum opiniones.

DEuentum est iam ad partem Logicæ nobiliorem, siuè notiorem, nempe ad Logicam mentalem, quæ agit de actibus intellectus, & quam Magistri recentes, tanti faciunt, vt eam solam esse totam Logicam opinentur; atque eamdem honorifico nomine *Philosophiæ rationalis*, accepto *ex Epistola* 89. *Luc. Seneca*, cum *S. Augustino* & *S. Thoma* nobilitarunt, quibus tamen, vt spero, non displicebit nostra hæc Logicæ partitio, tum quia contra ipsos non est, sed eorum assertis valde conformis; tum etiam, quia omnino necessaria est ad tollendas confusiones plurimas, & Logicæ insuperabiles difficultates penetrandas; vt autem magistros istos, quibus respectum debemus, reddā magis beneuolos, decreui in eorum obsequium, cōmunem hanc nostram Logicam magis ac magis illustrare, eamque captu facillimam, sic studentibus propinare. 87

S. August. S. Thom.

Dico primo. *obiectum materiale per se Logicæ mentalis*, siue Philosophiæ rationalis, sunt omnes actus intellectus, quotquot directionis sunt capaces, considerati materialiter, ideft secundum suam substantiam, ac realitatem; vel, vt ego, soleo declarare, vti afferuntur à regula Logica ex parte subiecti, & quadam confusione cogniti. Ita docent communiter hi magistri, & meritò allegaut pro nostra sententia SS.PP. *Augustinum* tom. 3. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 35. & 36. & tom. 5. in lib. 8. de Ciuitate Dei, dicentem, *proprium est Logicæ*

S. August.

ea agere de ratione intelligendi. quod idem docuit S. Doctor *de principijs* Dialect. c.5. in fine. *Boetium*, qui tripartitus est Logicã 1.Top. in principio, in eã scilicet quę docet definire, & in eã, quæ docet diuidere, & in eam, quæ docet argumentari, & *S.Thom.* qui in principio lib. 1. Posterior. magis ad mentem *Aristotelis* etiam diuisit Logicam in tres partes cum respectu ad tres solemnes intellectus operationes dirigendas, & cum discretione, & correspondentia explicata supra nu.8. Vnde concludunt Dialectici nouiores secundum Philosophum, & Sanctos Patres allegatos, materiam Logicæ esse mentis conceptus.

S. Thomas

Aristotel.

88

Adhuc tamen magis se declarauit pro hac sententia *S. Thomas*, tum 1. Ethicor. lect. 1. tũ Poster. initio ibi. *ars quædam necessaria est, quæ sit directiua ipsius rationis, per quam homo ordinatè procedat, & hæc est ars Logicæ rationalis scientia; quæ non solum rationalis est ex eo, quod est secundum rationem; quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam,* quoniam, vt paulo antea dixerat *ratio*, idest intellectus, *non solum dirigere potest inferiorum partium actus; sed etiam actus sui directiua est. Hoc enim est proprium intellectiuæ partis, vt in se ipsa reflectatur, nam intellectus intelligit se ipsum, & similiter ratio de suo actu ratiocinari potest.* Verba hæc Angelici Doctoris non indigent ponderatione, neque commento; sed hoc perillustri exẽplo. Ecce quomodo intellectus reflectẽdo supra suos actus eos ordinat. Hæc regula, *omnis definitio mentalis debet repræsentare genus, ac differentiam*, est quasi reflexa, quia cognoscit, ac repræsentat alios actus intellectus, nempe definitiones possibiles fieri ab intellectu, cuius, & ipsa actus est; repræsentat autem eas definitiones, non tantum curando scire earum essentiam, quantum docendo modum, quo ritè, ac directè faciendæ sint, vt magis declaratur inferius.

S.Thom.

89 *Aristotelem*, & Sanctos Patres imitantur Patres *Suarez* in Metaph. disp. 39. initio, *Vasquez* 1.par. disput.4. c.1. *Granado.* 1.p. quæst.1. disp.3. Sect.1. n.9. *Toletus in Præfatione Logicæ, seu de Dialectica in communi à conclusione 2. Rubius* q.6. *Proœmiali* concl.3. *Fonseca* lib.2. Metaph. c.3. Sect.5. *Conimbricens.* quæst.5. art.3 *Baranzanus* in Logica q.4. Proœmiali dubitatione 6. *Petrus Hurtado*, disput.1. Logica Sect.1. *Lorinus* in proœmio Logicæ quæst. 1. *Amicus* tractat. 1. quæst. 5. dub.3. art.1. *Pla.* quæst. 1. *Logica*, & apud ipsos *Simplicius*, *Ammonius*, *Philoponus*, *Auicenna*, & alij Arabes, *Scotus*, *Albertus Magnus*, *Aegidius Romanus*, *Mirandulanus*, & plerique recentes, quorum nõn vltimus est *Martin. Smiglecius*, disp.2. q.1. §. dico 3. & nouissime *Arriaga* in Log. disp. 11. Sect.4.

Prima ratio est facilis demonstratio sępe repetita supra, quia illud est obiectum materiale per se scientiæ, vel artis, circa quod per se versatur scientia, vel ars; sed Logica mentalis per se versatur circa actus intellectus, ergo actus intellectus sunt materiale obiectum; maior, & consequentia certæ sunt. Minorem demonstrant regulæ Logicales productæ supra à nu.45. & producẽdæ inferius; quæ omnes repræsentant, tangunt, atque cognoscunt actus intellectus, à quibus pendent omnino, & à quibus specificantur, & sine quibus non possunt saluæ consistere.

Secunda ratio est, etenim illud est obiectum materiale per se scientiæ, vel artis, generaliter loquendo, in quod inducit scientia, vel ars suum obiectum formale; sed in conceptus mentis, siuè in actus intellectus inducit Logica suum obiectum formale, nempe directionem; ergo hi conceptus mentis sunt huius Logicæ materiale obiectum per se, sola minor propositio indiget probatione, ac demonstratur in sequentibus.

Dico secundo, *obiectum formale per se Logicæ mentalis est conceptuum intellectus passiua directio, ac dispositio ipsorum facta secundum regulas Logicales, & ex earum doctrina, ac directione actiua.* Continentur hoc assertum secundum, doctores alligati pro primo, & probatur primo, quia illud est obiectum formale scientiæ vel artis, quod scientia, vel ars inducit, vel inductum considerat in suo obiecto materiali; sed Logica mentalis inducit in actus intellectus, qui sunt eius materiale obiectũ, directionẽ, vel rectã dispositionẽ, & inductã cõsiderat; ergo eiusmodi dispositio, siuè directio est eius formale obiectum; maior est certissima, minorẽ demonstrant regulæ Logicæ mẽtalis, quas efformauimus, & posuimus 90

mus supra n. 45. quas oportet sępe inculcare, ac meminisse, ipsæ enim nos instruunt, vt faciamus bonas definitiones, diuisiones, & syllogismos; docent rite apprehendere iudicare, ac discurrere in quauis materia, vbi nos versari contingat; atqui bona definitio, bona diuisio, bona apprehensio, & huiusmodi boni actus, quales sunt omnes, quotquot fiunt ex regularum directione, ijdemmet sunt actus directi, quoniam habent directionem passiue in se inuentam regulis omnino cōformem, ac sunt qualiter esse iubet, & quasi intendit, & vult regula. Pono exemplum, vt minorem probem euidentius, & ostendam quo pacto Logicę regulæ intendant directionem inducere in actus, & in eis inductam considerent. sic est, & sic imperat regula pro faciundis directis, ac bonis definitionibus. *omnis definitio mentalis repræsentare debet genus, ac differentiam.* hæc regula prætendit fieri denuò, quando voles exequi eius imperium, bonas, & directas definitiones, quarum bonitas, & directio consistit in eo, quod repræsentent genus, & differentiam; ita quod ipsa repræsentatio generis, & differentiæ, sit bonitas, & directio à Logica primo intenta, vt formale obiectum; quemadmodum supra dicebamus de directa vocum significatione, quam item diximus intendi à Lo-
91 gica vocali, vt formale obiectum; nam eo
S.Thom. *modo, quo est vocibus significatio, est conceptibus repræsentatio*, vt ait *S. Thomas* in 4 dist. 9. §. ad q. 4. *dicendum*. postquam vero facta est definitio, iterum reflectit Logica supra definitionem, eam examinando, & si videt in ea repræsentari genus, & differentiam, iudicat bonam esse, ac directionē habere, sicut & conformitatē ad regulā. simili modo procedunt reliqui Logicales actus docendo nos facere, & examinando facta, vnusquisque iuxta genus suum.

Probatur idipsum secundo satis præclare. illud est obiectum formale scientiæ, vel artis, quod ea docet facere, & homo eius alumnus discit, & postmodum scit facere ex eiusdem scientiæ, vel artis directione; sed nos ex Logicæ mentalis directione, vel regulis discimus, & post edocti scimus facere actus directos, & bonos: nempe definitiones, diuisiones, & huiusmodi alios actus artificiosos; ergo hi actus secundum, & propter suam directionem, & bonitatem, sunt Logicæ huius obiectum formale. Maior apparebit euidens contēplanti artes præcipue mechanicas, ne nos attexamus longissimam omnium artium inductionem. Minor est certa; & consequentia legitime infertur: & syllogismus est in tertio primæ.

Probant tertio recentiores à paritate, etenim ideo dicitur rectitudo, & directio, siue bonitas actuum voluntatis formale obiectum Philosophiæ moralis, quia hæc scientia suis regulis, & præceptis intendit illam rectitudinem inducere in actus voluntatis, tamquam in suum materiale obiectum. ergo propter similem rationem Logicæ huius erunt obiectum formale directio actuum intellectus. hæc probatio desumitur ex *S. Thoma* 1. Ethic lect. 1. sæpe S.Thom.
verò ego aduerti, & hic rursus repeto, hęc in pręsenti synonima esse. *Logica mentalis; regula, seu præcepta Logicalia; directio, vel doctrina actiua Logica, vel Logica* quæ nomina idem significant, & solum differunt grammaticaliter, seu syllabarum varia dispositione.

Dico tertio. *obiectum adæquatū aggregationis Logicæ mentalis nō esse solam vnā, vel alteram speciem modi sciendi, neque vel tres omnes sed præter eas etiam esse tres operationes intellectus; nempe apprehensiones, iudicia, atque discursus, ac prædictorum omnium directionem* assertum hoc videtur esse ad mentem Sanctorum Patrum supra, & Aristotelis, qui generatim ponunt pro materia Logicæ omnem operationem intellectus; vt dicebamus supra initio Sectionis; & speciatim addit *Aristoteles* 1. Aristotel.
Politic. cap. 5. materiā artis esse eam, quæ supponitur, ex qua aliquid fit; & nos iam ostendimus in omni actu intellectus esse aliquid, quod à Logica fiat. deinde nobiscum sentiunt multi huius temporis magistri, & alij antiquiores, quos allegat *Scotus* in q. 1. Prædic. & imitatur *P. Arriaga* allegans *S. Thomā*, & vbi supra *Baranzanus*. S.Thom.

Prima nostra ratio est: quoniam nos inuenimus, & habemus in promptu regulas Logicales docentes non tantum facere tres modos sciendi, sed etiam elicere bene, directe, & artificiose actus pertinētes ad tres operationes intellectus: ergo horū actuum omnium collectio, & eorum directio sunt obiectum adæquatum aggregationis huius Logicæ mentalis; antecedens fiet manifestum

stum legenti nostras regulas supra positas à num. 45. quibus regulis inspectis, nemini deinceps veniet in dubium veritas asserti huius. Trãseamus ad rationem, qua id probant recentiores.

Eorũ ratio est desumpta ex officio Logicæ, quod esse dicitur remouere ab intellectu, atque ab eius operationibus illos sex celebres errores, nempe, *ignorantiam, difficultatem, obscuritatem, confusionem, falsitatem*, & *incertitudinem*, quos quidẽ in mentibus nostris inueniri suadet quotidiana experientia; nostrum quippe intellectum huice erroribus obuolutum non raro fugit veritas, & propterea dictitabat alicubi *Plato paucis admodum datum esse spectaculum veritatis*. manifestum vero videtur prædictis omnibus, vel saltem aliquibus erroribus obnoxias esse tres omnes intellectus operationes: oportuit ergo dari scientiam, vel artem eis erroribus auferendis; quemadmodum ad auferendam, aut præcauendam, vitandamue malitiam, introducendamque bonitatem in omnes actus voluntatis, posita est Philosophia moralis: illa autem esse non potest ars alia, nisi Logica hæc rationalis; ergo eius adæquatum obiectũ aggregationis sunt omnes actus intellectus, eorumque directio.

Aristotel. Ethic. 1. S. Thom. ibi lect. 1.

93 Sed verò curiosius animaduerto præfatos errores ões non tolli, siue nõ vitari à regulis Logicę directe, sed ex cõseqnẽti, & quasi indirecte: Logica enim solũ directe curat practice, vt sua artefacta fiant sicut ipsa quasi iubet, & vult; & speculatiue inspicit an euaserint artefacta regulis conformia; ac demum cõsiderat aliquas proprietates artefactorum, nobis dicendo, quod definitio declaret essentiam rei, quod diuisio tollat confusionem, & quod syllogismus demonstratorius contineat, & generet in nobis scientiam & huiusmodi alia demonstrat, de reliquis actibus intellectus; sed non video regulam Logicalem directe curantem de tollendo errore licet ex obseruantia regularum Logicalium error omnis abscedat. est Logica practica cum suis regulis, veluti sigillum, quo æs, monetaue euditur, quod quidem de se paratum est sigillare, sigillatque metalla omnia, siue materiam quamlibet indifferenter, siue veram, siue falsam; sed veram materiam adhibere, & applicare sigillo, pertinet ad artifices, seu sigillatores; ita in proposito, materiam ordinandam, disponendamque à Logica, ipsius regulis applicare veram, & omnino congruentem, spectat ad Logica vtentes, nempe ad alumnos, scientiarum reliquarum quarum omnes actua sunt informandi, sigillandi, faciendique Logicis præceptis, doctrina, ac directione.

Quoniam verò principalior, & artificiosior modus sciendi videtur argumentatio; in eaque non raro inueniuntur inclusi reliqui modis sciendi, ac reliqui actus ad eãdem solent alij remotius, alij proximius ordinari ex natura rei, vel ex nostro beneplacito, vulgo dicitur argumentationem esse obiectum adæquatum attributionis, præsertim demonstrantem.

Vnde colliges primo falli quosdam doctores, qui curte, & presse procedunt assignando Logicæ obiectum aggregationis adæquatum, siue totale, in primis *Lemosium* qui lib. 1. cap. 6. opinatur solam argumentationem esse, & nihil præterea; deinde *Scotum*, qui q. 3. in Logicam, putat solum syllogismum. Tertio. *Rubium* q. 6. Procem. assertione 3. qui credidit cum alijs nempe *Conimb.* hic q. 5. art. 3. e *Toleto*, ibidẽ, q. 5. & antiquis quibusdam Philosophis, obiectum aggregationis adæquatum esse tres modos sciendi, & *Petrum Hurtado*, qui disp. prima Logica Sect. 8. §. 32. reij. cit ab obiecto partiali Logicæ simplicem apprehensionem, quam credidit esse directionis artificiosæ incapacem; qui omnes Doctores, si considerauissent speciales regulas Logicales pro dirigenda qualibet intellectus operatione, sine dubio veritatẽ integre tradidissent, sed, quod humanum est, eos altiora perscrutantes, minutiora hæc præterijsse videntur. 94

Collige secundo directionem omnium actuũ intellectus esse obiectũ Logicę huius, eique competere obiecti cõditiones; quia est vna saltem vnitate aggregationis, & ad eam pertinent omnia, quæ tractat, hæc Logica. ipsaque facit differre Logicam ab alijs omnibus, eãdemque directionem esse Logicæ finem: nam vt alibi dictum est, in scientijs practici, *idem est finis, ac formale obiectum*. nam cum directio Logicæ, practicæ præsertim, sit quoddam opus, aut operatio à Logica profecta tamquam à causa, & potentia efficaci, & aliunde dicatur veteri alio prouerbio *potentias esse propter effectus suos, siue operationes, tam quam*

Aristotel. 9. met. tex. 15. S. Tho. 3. contra Gen. c. 26.

quam propter finem, manifestũ fit directionem actuum intellectus, siue eius omnes actus directos, ac dirigibiles esse Logicæ mentalis finem.

SECTIO VIII.

Respondet argumentis, quæ probare conantur, nec conceptus formales mentis, nec eorum omnium directionem passiuam pertinere per se ad immediata Logicæ rationalis obiecta, & illustrat opinionem docti recentioris assignantis pro Logica obiecto Hominem, siue intellectum eius demonstrantem.

95 Contra primum assertũ Sectionis præcedentis, in quo dicebamus materiale obiectum Logicæ mentalis, esse conceptus mentis, secundum suam substantiã. idest, secundum quod sunt quædam entitates spirituales cognoscitiuæ, ex parte subiecti in regulis Logicæ importatæ obiectiue, quando regulæ sunt enunciatiuæ.

Obijcitur primo. Philosophia agit tanquam de propria materia de actibus intellectus, eosque considerat secundum propriam eorũ substantiam; ergo ijdem actus non sunt Logicæ obiectum, neque materiale. antecedens est certum; probatur consequentia, quia, vt supra aiebat *Arist.* Aristotel. in 1. Poster. *vnius scientiæ vnum subiectum oportet esse*; siquidem subiecta, siue S.Thom. l.41. obiecta faciunt, scientias inter se discriminari; cum ergo Logica diuersa scientia sit à Philosophia, eam oportet habere diuersum obiecti genus; vnde ipsius obiectum materiale esse non poterunt actus intellectus; ne duas distinctas scientias versari circa vnum, & idem obiectum concedamus: satius videbitur dicendum, intellectum fore obiectum materiale Logicæ, in quo velut in tabula rasa, ea ponat directos actus suos, sicut tabula pertinet ad obiectum materiale picturæ, quia in illa hæc ponit opus suũ, præsertim quando in definitione v.g. non possint discerni duo, quorum alterum sit obiectum materiale Logicæ, alterum formale.

Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam: nec enim inconuenit, vt supra dictum iam est, & tradit *S.Thomas* 1.p.q.1.a.1.ad 2. duas, aut plures scientias differentes conuenire in vno, eodemque obiecto materiali, respecto tamen, sub diuerso prædicato, vt apparet in eadem Philosophia, & medicina; quæ habent idem obiectum materiale, nempe hominem. ad illud quod addebatur ex Aristotele ad consequentiæ probationem, dico id intelligendum de obiecto formali; quod quidem oportet esse vnius generis, vt sic possit suam scientiam ab alijs distinguere; & sic quoniam homo sanabilis, vel sanitas eius, quam medicina in homine considerat, est formale obiectum valde diuersum ab homine mobili, sine à motu eius, quem considerat in eodem homine Philosophia, idcirco medicina, & Philosophia inter se differunt; & propter similem rationem differt Logica hæc mentalis à Philosophia, quia nimirum illa respicit actus intellectus sub prædicato dirigibilitatis, siue vt dirigibiles; hæc verò respicit eosdem actus sub prædicato mobilitatis, siue vt sunt quidam motus facientes aliter se habere hominem eos habentem.

Accipe exempla in quibus apparebunt plures scientiæ versantes circa idem obiectum, seu obiectum materiale sub diuerso 96 tamen prædicato, vel obiecto formali. Hic est actus metaphysicus. *Petrus est homo*; hic Physicus, *Petrus intelligit, & amat*; hic est medicus, *Petrus adeptus est sanitatem pristinã*. hic est mathematicus, *Petrus habet vlnas duas longitudinis*. hic demũ est Logicus, *Petrus est inferius ad hominẽ, qui est species*. Hæc est mens *Aristotelis* 1. de anima à 2. textu ad 17. & 2. Physic. Aristotel. textu 18. & sæpe alibi. Ad illud quod additur de intellectu dico, ipsum dici posse obiectum materiale mediatum, & remotũ, & sustentãs, in quo est proximũ, & quod non tangitur à Logicæ regula, quod est dicere absolute obiectũ illius non esse, quidquid sit de tabula respectu picturæ, illa enim erit obiectum eius materiale, si à regula picturæ tangatur, præscribente nimirum colores in tabula dispergi. habet quippe actus directus à Logica rationem vtramque, obiectique vtriusque, quoniam definitio possibilis v. g. ipsa vt affertur à regula Logicę, quæ enunciatiua est, ex parte subiecti, est obiectum materiale, vt vero affertur ex parte prædicati est formale, vt apparet ibi, *Petrus est animal*. vbi

Petrus

Petrus est materia, animal forma. iuxta dicta supra nu. 29.

Quod si efformetur Logica regula docens sic. *Homo scire volens debet ex talibus præmissis construere demonstrationem.* eius regulę obiectum erit *homo demonstrās* seu potens demonstrare. Secus cauendum ne per æquiuocationem, Logicæ voluntarié attribuatur obiectū Logici Magistri, vel Discipuli *Omnes enim scire desiderant.* Sed tamen homo demostrans nō debet assignari pro obiecto totali Logicæ totius, quoniam supersunt alia Logicę præcepta, quæ varias alias scientias, etiam demonstratione nobiliores, inducunt in humanū intellectum. vt sæpe alibi demonstraui, præsertim quando aduerto definitionem esse scientiam perfectiorem. & ideo probabilius dici posset Logicæ obiectum esse hominem dirigibilem secundum tres suas intellectuales operationes, & tunc effingendæ erunt nouæ Regulæ, quæ tangant ipsum hominem vt materiam, & operationes directas vt formam; quemadmodum tangunt actus Philosophiæ *ens mobile*, & actus medicinæ *corpus sanabile*. Vnde rite Philosophi cum *Aristotele*, & *S.Thoma* 6. metaph. tex. 1. & 9. Reth. c. 2. assignarunt ijs scientijs mobilitatem, & sanabilitatem in concreto, ideſt, in subiectis suis, & cum ipsis, tamquam obiecta materialia, & formalia. tandē si voles, adhuc quod homo demonstrans sit obiectum attributionis Logicæ, ideſt, voluntarium, illi à te attributum, & datum, licet illius nō sit, nō curo.

Aristotel. l. 1. meta. c. 1.

Aristotel. S.Thom.

Sed instat alius primo. directio actuum intellectus, quæ à nobis dicta est Logicæ formale obiectum, propter quod dicernitur ipsa ab alijs scientijs, est substantia actuum intellectus, vel essentia; ergo ea directio est item obiectum metaphysicæ, aut Philosophiæ.

97 Respondetur omittendo pro nunc, vel concedendo antecedens, & distinguendo consequens, directio actuū est item obiectum formale Philosophiæ, nego consequentiam; est obiectum materiale Philosophiæ, id ipsum quod est formale Logicę, concedo cōsequentiā. itaque directio ista, & est obiectum formale Logicæ, & materiale Philosophiæ; contingit enim non raro obiectum formale vnius scientiæ, vel artis, esse materiale alterius, vt cernitur in arte, quæ docet facere aurum ex alchimia, vel alia materia, cuius obiectum formale est aurum, quod item est materiale obiectum artis argentariæ. atque idipsum contingit in his duobus actibus, vt omittam sexcentos alios. *Petrus est animal, animal est principium sentiendi*. in quorū priori, *animal*, est formale obiectum, & idem in posteriori, est materiale.

Instat secundo. directio actuū identificatur cum actibus ipsis, qui sunt obiectum formale Philosophiæ, & prout sunt obiectum formale eius scientiæ; ergo impossibile est Philosophiam agere de actibus intellectus primario, ideſt, tamquam de obiecto suo formali, quin similiter agat de ipsorum actuum directione primario, & non tantum materialiter, & secundario.

Solutio huius instantiæ lucem afferet compluribus difficultatibus tam Philosophicis, quam Theologicis, idcirco memoria retinenda erit. concedo ergo antecedens, nimirum directionem intentam à Logica identificari cū actibus intellectus, etiam inquantum hi sunt obiectum formale Philosophiæ, hoc est cum ipso obiecto formali Philosophiæ; sed nego consequētiam. ratio autem est, quoniam sæpe vsu venit vnam scientiam, aut vnum actum intellectus, vel etiam voluntatis, & sensus cuiusuis externi, habere pro obiecto formali vnam partem, vel quasi partem rei obiectæ, & non alias partes, aut quasi partes eiusdem rei, quantumuis inter se omnes coniunctas, & identificatas. rem hanc illustrant exempla.

Quoniam medicina in homine eodem considerat sanabilitatem, Philosophia mobilitatem, Metaphysica rationem hominis, & entis, eiusque passiones, quæ omnia identificantur in homine; & non propterea medicina agit tanquā de proprio obiecto formali, de hominis mobilitate, aut essentia, quantumuis identificatis cum sanabilitate; sicut vice versa, neque metaphysica, nec Philosophia curant de hominis curatione, aut sanabilitate. Sed vnaquęque scientia de eodem omninò materiali obiecto capit portionem, quæ sibi contingit, & primario considerat id solum, quod ad illā specialiter pertinet, id quod clare colligo ex *S. Thoma* 1. p. q. 1. ar. 1. ad 2. & *Caietanō* ibidem. 98

S.Thom.

Rursus visio corporalis respicit colorem luce conspicuum, vt obiectum formale; visio

visio clara Dei videt diuinam essentiam; & actus voluntatis beatorum amat summam Dei bonitatem; & præter ea ad nihil aliud creatum, nec diuinum, tanquam ad obiectum formale attendunt, quantumuis cum colore identificentur rationes communes accidentis, & entis, & cum essentia, & bonitate diuina sint omnino identificatæ aliæ multæ, & grandes perfectiones.

Ergo in proposito præsenti deprehende, quo pacto vna scientia possit considerare vnam partem, seu formalitatem vnius rei, tanquam proprium, & integrum obiectum formale, vt nō propterea debeat cōsiderare omnia, quæ coniuncta sunt, vel identificata cum illa re, aut etiam illas alias formalitates, quæ item identificantur cum illa eadem formalitate, quæ est illius obiectum proprium, & formale; quare eas alias formalitates potest relinquere considerationi aliarum scientiarum, sat erit si eas considerare dicatur tamquam obiectum materiale indirectum, & secundarium, vel remotum.

Instas tertio. actus directi plerique, nēpe definitiones, diuisiones, argumentationes, ac reliqui ferè omnes pertinēt ad alias scientias, à quibus cum sua directione procedunt; ergo eorum directio non pertinet ad Logicam. Respōdetur omnes prædictos actus pertinere ad alias scientias elicitiuè, vt aiūt, & effectiuè, idest tamquam ad causas, à quibus simul cum intellectu producuntur, & fiunt, ad Logicam verò pertinere solum tamquam ad causam dirigentem, & cui propterea titulo peculiari debent suam directionem, vt declaratur magis inferius à num. 145.

99 Sed vrges. actus eliciti, siuè effecti ab intellectu, & habitibus aliarum scientiarum, nullo titulo debent directionem suam sicut nec indirectionem Logicæ: ergo falsa est solutio. probas antecedens primo, quia in eis actibus productis, & semel elicitis indirectis, nequit Logica inducere directionem, quoniam quod semel distortum, aut mancum prodijt à natiuitate, naturaliter videtur corrigi non posse. Probas secundo quia aliqui actus fiunt, & euadunt directi casu, & contingenter, vel etiam solo ductu, ac lumine naturæ, sine vlla prorsus attentione ad regulam directiuam; fiunt quippè non rarò etiam à rusticanis bonæ definitiones, diuisiones; & frequentius legitimæ argumentationes, sinè regulis, quas nunquam norunt; ergo artis huius Logicæ obiectum formale nec sunt omnes modi sciendi, nec omnes actus directi, & indirecti.

Respondetur negando antecedens, inquantum dicit actus elicitos cum arte, non debere directionem arti Logicę; ad antecedentis probationem dicendum est verum esse, quod Logica non possit iam dirigere eos actus, qui semel prodiere indirecti, quoniam id est impossibile, & *ad impossibile non datur potentia*: intendit vero Logica regulis suis instruere nostrum intellectum, vt sciamus inducere in rationem cōmunem actuum directionem congruentē, quādo ad eos efficiendos nos applicamus; quod tunc facimus, quando attenti ad regulas Logicales, & iuxta eas apprehendimus, iudicamus, discurrimus; definiendo, diuidendo, & arguendo in quacumque scientia, vel materia, & ideo dici solet, & meritò Logicæ obiectum esse actus faciendos, vel fieri possibiles. *Aristotel. 1. de Gen. cap. 1.*

Ad secundam probationem respondeo reuocando in memoriam doctrinam supra sæpe repetitam, videlicet, triplici modo solere Logicā versari circa actus intellectus, qui pertinent ad ipsam. primo docēdo nos quomodo fiant directi, quomodo versatur circa actus possibiles, & ante quam fiant. Secundo examinando eosdem iam factos, explorando an euaserint suis regulis conformes. Tertio, contemplādo eorum essentias, & proprietates: sed tamen necesse non est, quod eo triplici modo Logica semper versetur circa quemlibet actum, & circa omnes partes sui obiecti; quare sat erit Logicam versari circa actus prędictos directè elicitos, vel casu, vel solo ductu naturę speculatiue, vno, vel duplici modo illo posteriori, ad hoc quod illi actus pertineant ad eius adæquatū obiectum. præterquāquod ijdem illi actus potuerunt effici Logica dirigente, sicuti fiunt alij illis consimiles. 100

Obijcies secūdo, obiectū scientiæ cuiuslibet, vel artis debet esse prius tali scientia, vel arte, vtpotè quod scientiam, vel artem erga se tendentem specificet, & illis quasi det esse à priori; sed directio actuum, vt modo dicebamus, non potest esse prior, sed posterior Logica, non ergo est Logicæ formale obiectum. Respondetur directionem esse saltem nostra consideratione priorem

Lo-

Logica,& regulis eius,quæ prioritas sufficit ad hoc, vt possit esse obiectum eius,eamq; specificare,& ei quasi dare esse à priori per modum obiecti.

Exempla huic rei declarandæ suppetunt plura,sed præclarum est,quod afferunt *Conimbricenses* hic q.5 art.3,ad 1. desumptū à potentia visiua,quæ specificatur, & quasi sumit suum esse à suis actibus à se producēdis, vel qui à se possunt produci; qui licet sub ea cōsideratione,qua sunt effectus,sunt potentia visiua posteriores, sub alia tamen consideratione, quatenus nimirum sunt termini,& finis eiusdem potentiæ, *quoniā potentiæ dicuntur esse propter operationes, tamquam propter finem*; sunt illa priores: simili modo directio actuum, inquantum procedit,vt effectus à Logica,est eā posterior, quatenus verò est Logicæ terminus, obiectū,& finis,est prior quam ipsa Logica prioritate naturæ,& nostræ cōsiderationis, sed sufficiēti ad hoc,vt dicatur,& sit Logicæ formale obiectum.Consonant doctrinę huic *S.Thomas* 2.2.q.26.a.4. & cōmuniter scriptores, & quæ dicam infra num.991.

Aristotel. 9. Meta. t.5.

S.Thom.

101 Contra Tertiū assertum; in quo assignamus pro obiecto Logicæ mētalis aggregationis adequato,omnes actus intellectus & eorum omnes directiones,Obijcies Tertio,ars ædificandi v.g.nō intendit directionem, siue rectam dispositionem laterū, lapidum, calcis, & arenæ,nec trabium, nec aliorum materialium cōducentium ad domus structuram; sed solum structuram mirabilem ex illis omnibus arte disposi is resultantem,domusue integræ situm, & figuram;ergo neq; Logica curabit de directione actuum apprehensionis, iudicij, definitionis, ac diuisionis,sed de structura sola argumentationis, aut syllogismi, ad quem actus prædicti cōducunt,atque disponunt, & ex quorū congrua iunctura resultare solet syllogismorū mira fabrica,& structura.

Respōdetur negādo antecedens,etenim ars ædificatoria, vtpotè quæ non est vna simplex qualitas, aut regula, vel per proprias regulas docet adaptare, ac disponere prædictas materias,vel saltè per artes alias mechanicas sibi subiectas, & sui administras, & deinde mediante vlteriori alia regula perfectiori,intendit ædis structurā, ac fabricam benè disposi.ā. Similiter cōtingit in nostro casu, habet enim Logica regulas varias,vt vidimus supra,quarum alię deseruiunt dirigendis actibus præcedendibus, aliæ subsequentibus: aliæ non ita nobiles dirigunt actus minus principales, aliæ nobiliores occupantur in actibus perfectioribus,doctrinę huic fauent *Aristoteles*, in 2. Phys.tex.25.& *S.Thom.* 3.p.q.32.a.4 ad 2. quare non est cur ita restringamus Logicā, vt credamus in ea nullas esse regulas alias, nisi eas, quæ nos docent facere syllogismū, aut solū vnū, aut alterum modum sciendi.

Aristotel. S.Thom.

Sed contra dices,nō habet Logica regulas docentes dirigere apprehensiones,ergo apprehensio non pertinet ad eius obiectū. Respondetur negando antecedens, plures enim regulas Logica habet pro dirigenda apprehensione,quarū catalogum posuimus 102
supra in Cap. isto 5. Sect.3. & 4.& ponemus in tertia parte Logicæ circa principiū earū,aliquot hæ sunt, *actus intellectus, qui cognoscat significatum nominis substantiui, illud debet apprehendere, vt aliquid per modum per se stantis significatum verò nominis adiectiui apprehēdet per modū alteri adiacentis. & eodem modo apprehendet respectiuè substantias, & accidentia. deinde actus, qui concipiat subiectum, seù inferius aliquod, id debet apprehendere, vt quid alteri subijcibile. prædicatum autem, vt quid alijs superius. ante iudicium affirmatiuum, vt rectè fiat, præcedere debet apprehensio complexa, quæ per modum vnius apprehendat prædicatum, & subiectum*,& contrario, *ante iudicium negatiuum præcedat apprehensio complexa apprehendens prædicatum, & subiectum per modum plurium non sibi cohærentium. actus facturus genus*; siue is sit abstractio,siue comparatio.*sit talis, qui repræsentet vnam rationem communem pluribus specie distinctis, quorum sit pars essentiæ in eo quod quid*. & ita suo modo sunt regulæ. quæ docent facere reliqua prædicabilia,eaque benè,scilicet,vnamquodque iuxta genus suum, & modum, docent apprehendere.

Denique in opinione illorum, qui tenēt definitionem esse apprehensionem complexam præclara,& solemnis est illa regula pro ea dirigenda. *omnis definitio mentalis debet repræsentare genus, & differentiam*. quam regulam sic efformāt iuniores re vera admittentes Logicam realem. *omnis definitio constat genere & differentia*. omitto cætera in locum suum: & aio negari nō posse quin ea, quæ ritè apprehendunt ingenio-

geniosiores, sinè regula, & solo lumine naturali, possint item ritè apprehendi à tardioribus, si tamen edoceantur, & instruantur à præceptis alicuius artis, inuentis longo vsu ritè apprehendentium.

103 Prædictæ ergo regulæ sine dubio persuadent apprehensionem esse directionis, & aliqualis artificij capacem, tum quia hæ regulæ possibiles sunt, & possibilem materiam habent, tum etiam, quia vtiles, & sæpe necessariæ videntur, quoniam necessitatis ratio, quæ cogit concedere, & inuentare regulas directorias iudicij, atque discursus, definitionis, ac diuisionis, & argumentationis, eadem cogit concedere regulas directorias apprehensionis (præsertim si putares iudicia esse congeries apprehensionum, vt opinatur multi) quoniam nisi bonis, ac directis apprehensionibus intelligere incipiamus, & bene instructi ab imperfecto modo cognoscendi, qualis apprehensiuus est, ad perfectum procedamus; statim in iudicio aderit error, vel confusio, aut saltem errandi periculum, & timor: dicitur enim communiter, *qualiter quis apprehendit, taliter iudicat. bene apprehendere ad benè iudicandum iuuat plurimum*. Fateor ingenue non multum esse artificium in apprehensione, aliquale tamen est, dignum sane, ac sufficiens, quod ab aliqua regula Logicæ consideretur, saltem, vt melius fiat; id quod in plerisque artibus contingit; nec enim omnia opera artis eiusdem, æquale habent artificium, æqualemuè difficultatem; alia enim artefacta tam artificiosa sunt, vt ea tamquam miracula admiremur, alia tamen contémnimus, quia facillima videntur; & quia à nobis sæpe eius artis ignaris, fieri solent ex solo ductu naturæ, quod tamen non tollit, quominus ea fiant etiam ab arte, & propterea capacia artificij, & directionis dicantur, & sint. quare sine dubio prima intellectus operatio est bona, expetibilis, & digna quę ab ista scientia intendatur.

SECTIO IX.

Colligit compendio doctrinam præcedentem de Logicæ obiectis, & ostēdit iterum breui, quo pacto obiectum primarium vnius partis Logicæ, sit secundarium, aut per accidens respectu aliarū; & prius re vera Logicam iam olim tripartitam fuisse, ac defendi debere ab antiquis pluribus, & à Modernis plerisque.

Postquam assidua consideratione, Deo in primis benè iuuante, quasi inueni Logicæ tripartitam diuisionem, experientia comperi *nihil esse sub sole nouum*, & eam iam olim sin minus expresse, & clarè, re vera traditam fuisse ab antiquis; præsertim à Dialecticorum Principe *Aristotele*, qui Logicam suam longe ante me tripartitus est; quatenus in vna eius parte egit de vocibus significatiuis omnibus; in alia de rebus item omnibus; in tertia demum parte contestantur omnes Recentiores ex professo illum egisse de actibus intellectus, cum quibus consonant *S. Thomas* & *S. Augustinus* locis allegatis. Atque prædictas tres partes; (quarum prima, quæ de vocibus est complectitur librum *Prædicamētorum* ex bona parte; & integros duos libros *Periher.* & magnā partem *Priorum*; secunda potissimum libros *Prædicamentorum*, & *Topicorum*: ac tertia, quæ dicitur de conceptibus agere, mixtim in prædictis libris & in reliquis continetur) pertinere ad institutum Logicum, siue ad eius obiectum docent *Conimbricenses in Procemijs* eorum librorum; & apud ipsos omnes interpretes & Iuniores. Ego verò ne locus dubitationi relinqueretur, confugi ad regulas meas, quas in Aristotelis doctrina latitantes collegi pro dirigenda ea triplici assignata ab ipso materia, nempe, pro vocibus, rebus, & conceptibus; eo semper fine, & animo, vt finaliter habeamus actus intellectus directos, ac tandem scientiam rerum omniū nobis comparemus; id quod scopus, & intentio Aristotelis fuit, & cæterorum. 104 *Aristotel.* *S. Thomas* *S. August.* *Aristotel.*

Vnum verò non debeo fiere bona pace Recentiorum, videlicet, raro aut nunquā in Logica sua tractasse Philosophum immediatè, ac directè de directione cōceptuum mentis, sed omnia eius documenta immediatius ad res dirigi, siue ad voces vicarias conceptuum, quamuis ipse Philosophus pro fine vltimo haberet directionem eorum; & quoniam is finis non est Logicæ, aut operis, se Logici hominis, & operantis, nequit enim esse finis, vel obiectum artis, quod ars per aliquem actum proprium

prium non tangit; ideo necesse habui in gratiam Recentiorum confingere regulas Logicæ mentalis, & quæ directè, & immediatè dirigerent, & intenderent mentis conceptus, quarum nullibi mentionem inueni; sed ne quis sciolus euidenter nos falsitatis conuicisse opinetur, allegans de facto esse, & fuisse sapientissimos Viros plenos actibus directis, id quod euenisse non potuit sine regularum directione; animaduerto, & repeto iterū optime posse haberi actus directos ex directione regularū Logicæ *vocalis*, & *realis*, quæ indirecte queūt ordinare cōceptus, & quarū inuenio memoriā apud Dialecticos antiquos, & modernos; quo modo auté hoc fiat, & dixi sæpe, & dicam inferius in hac eadē Sectione.

106 Deinde Logicam tripartitam comperio ab interpretibus, eodem modo, ac ab *Aristotele*, nā primo *S. Augustinus*, quem allegaui supra Sect. 3. & allegabo infrà. *S. Thomas, Ammonius, Simplicius, S. Boetius, Albertus Magnus, Scotus, Alexander*, & alij, quos asserunt, & sequuntur *Conimbricens.* in Procem. libror. de Interpret. docent eius partis Logicæ in eis libris contentæ, materiā esse voces 2. *S. Thomas*, à nobis citatus supra Sect. 3. & *Auerroes, Auicenna, Caietanus*, quos allegant *Conimbricenses*, & sequuntur in lib. Categor. sub titulo *huius libri materia, S. communis tamen sententia omnium grauium interpretum est prædicamenta ad Metaphysicum simul, & Logicum alia atque alia ratione pertinere.* vbi ita concludūt. *Tertia* consideratio, *meritò adscribitur Logicæ, nam tota consideratio, quæ ad prædicationes instituitur, est dialectica, vt nullus diffitetur.* similia verba habet *Card. Toletus* in lib. Prophyr. q. 1. & in lib. Categor. sub titulo *an liber prædicamentorum ad Logicum, an ad Metaphysicum potius pertineat*, & pro nobis paulo ante citarat *Ammonium*, & *Boetium* 9 *quarta sententia*. Eodem modo loquitur *Suarez* in Metaph. Sect. 8. nu. 4. quem citaui supra in Sect. 5. & fauet *Hurtado* vbi supra, & *Aquarius* in libello de contradictionibus S. Thomæ id tenet expressè cum ipso in contradictione 1. & 3. vbi benè carpit *Balduinum*, qui vocarat S. Thomam variū in assignando Logicæ obiecto, cuius mentē nos putamus assecutos in hac parte.

Aristotel. *S. August.* *S. Thom.*

Tertio denique magistri iuniores allegāt plurimos doctores ex citatis, & alios; qui saltem alicuius magnæ partis Logicæ dixerunt materiam esse mentis conceptus, e quorū numero sūt *SS. PP. Augustinus, Boetius, S. Thomas*, & Patres *Conimbricenses*, *Toletus, Suarez, Hurtado*, & alij allati supra in Sect. 7. atque *S. D. Augustinus* pro omnibus ita expressius cæteris Logicam tripartitus est to. 1. de Princip. Dialecticæ, cap. 5. circa finem ibi, *tractandum est igitur nobis in hac parte Dialecticæ de dictionibus*, seù vocibus; *de dicibilibus*, seù conceptibus mentis; *de rebus*. & vberius de Categorijs cap. 3. tradit ipse S. Doctor rationem cur Aristoteles in Logica tractat it *de vocibus, & conceptibus, & rebus*, & concludit ab Aristotele *mixtam de tribus disputationem debemus accipere*.

S. August. *S. Thom.* *S. August.*

Postremo Logicam à cunctis recentioribus in suis lecturis ordinarijs video tripartiri, vel inuitis, qui sane, si suis dictis stare velint, id negare non possunt, quia nō solum fecerūt tres tractatus, nempè vnum de vocibus; alterum de rebus; tertium de conceptibus; se accomodantes Aristoteli, & communi Dialecticorum, sed etiam assignarūt, vel saltē indicarunt tria illa genera regularū pro dirigēda ea triplici materia, vt iā ostendo; quarè non licet illis cōfugere ad distinctionē obiecti per se, ac per accidens, sed ingenuè fateri se ipsos esse magistros meos, & gaudere, me esse eorum fidelem sectatorem, id verò sic ostendo euidenter. 107

Etenim primo Recentiores isti, quando commentando libros Perihem. vt ipsi dicunt, scribunt, quas vocant Summulas, nō solum fusè tractant de vocibus, & de vocibus, vtcumque, sed vt sunt materia modorum sciendi vocalium, vti declarabo initio Logicæ vocalis, siue Summularum; & propterea interdum miscéāt multas regulas docentes facere varios modos sciendi, ex vocibus constantes, vt manifestè cernitur in eorum scriptis: quare sic alloquor ad ipsos, si Logicæ materia sunt voces, vt cum *Aristotele* nos superius docebant omnes interpretes; & vos ipsi regulas proponitis directè versantes circa voces; quid ni huiusmodi regulæ component vnam Logicæ partem, saltem ignobiliorem, quæ nominari congruè possit *Logica sermocinalis*. *Logica de vocibus*, siue *vocalis*? præsertim cum exploratum sit legentibus Aristotelis Logicam in Periherm. eius maiorem partē circa voces ordinandas versari; sed iam multi

Aristotel.

D

multos nobiscū sentire video in hac parte, non scio an nostris ducti rationibus an suis.

108 Secundo ijdem Doctores tractant fusè de rebus omnibus, de prædicabilibus quinque; ac de decem prædicamentis; & interdum, opinor fortasse præter intentionem suam, proponunt regulas, & considerationes Logicales directè versantes circa res, tam pertinentes ad Logicam inuentiuam, quam iudicatiuam; siue ad practicam, & speculatiuam: ad inuentiuam Logicam spectant illæ regulæ, quas tradunt ad inueniē dam bonam definitionem, & media, & ad faciendas item bonas definitiones, ac diuisiones, & aliæ leges, quæ pro alijs modis sciendi ritè conficiendis, frequēter ab ipsis magistris præscribuntur, quarum mentionē fecimus supra. & faciemus infra in quæst. de locis.

Rursus multi credunt vniuersalia Logica fieri per comparationem; alij per meram abstractionē; qui debuerunt, vt probarent intentum efficaciter, nobis ostentare regulas Logicales docentes vniuersalia facere vtrouis modo; sed quando non illas ostendunt, supponunt tamen; eas nos in eorum obsequium producemus inferius. denique ipsorum opinio frequentissima est aliquot vniuersalia in Logica consideratione non differre, benè tamen in alia physica, aut quasi physica; eiusmodi autem Logicæ cō siderationes oportet esse Logicas, & in Logica, easque esse vel regulas docentes facere vniuersalia, atque ea de suis inferioribus prædicare; vel actus aliquos speculantes vniuersalium factorum naturam, aut affectiones: sic debuerunt supponere Recentiores, licet istiusmodi considerationes nusquam satis declararint; eas nos in Tyronum gratiam declaramus infrà à n. 762. sine quarum declaratione est impossibile prædicabilia posse sciri.

Has ego regulas accepi ab istis doctoribus; & alias erui à communi fonte *Aristotele*, & quoniam video euidenter eas omnes versari circa res per se, & primario, quidquid sit de intentione operantis; ex eis composui Logicam de rebus agentem, quā satis congruè appellaui Logicam rerū, siue realem, quam etiam, ingenue fateor, potui discere à Dialecticis tum antiquis, tum modernis, sed præsertim ab *Aristotele* in Topicis, vt magis euidenter declaro infra Disp. 5. q. 10. de locis, & alibi frequenter. *Aristotel.*

Tertio demum accepi à Recentioribus Logicam mentalem, quantum ad eius materiam; quam plerique me docuerunt esse mentis conceptus, non quantum ad formam: quia nimirum ipsi de regulis directè versantibus circa eam materiam, non curarunt, contenti regulis directè curantibus de directione vocum, ac rerum; quibus medijs sufficienter potuerunt obtinere directionem conceptuum, directè ab ipsis intentā, non à regulis, quas sumpserunt, vt medium; quo ergo iure hi viri doctissimi, qua gratitudine aspernabuntur regulas Logicæ *vocalis*, ac *realis*; quibus tantum profecerunt? Sed nos, vt iam alibi promissimus regulas istas componemus, & iam ex parte composuimus supra num. 45. 109

Ad finē volo ab his Neotericis animaduerti, neque se ipsos; nec antiquiores Patres; neque Aristotelem; neque antiquos interpretes, aut Dialecticos secum pugnare, aut varios fuisse; quando diuersis in locis, assignarunt Logicæ materiam tam variam; sed eorum omnium asserta ritè cohærere inter se, & cum veritate; si nimirum credamus ducti efficacissimis rationibus, supra positis, Logicam non esse vnam simplicem qualitatem, aut regulam; sed plurimas; quarum aliæ ordinent voces; aliæ disponant, ac doceant prædicare res; aliæ dirigant conceptus. Hæc dixisse sufficiat pro inuestiganda communi sententia, aut veritate, quam magis dilucidamus explicando quomodo, & quādo obiecta per se vnius Logicæ partis soleant esse per accidens respectu aliarum. Incipiamus ergo à Logica vocali, & tu lege iterum *S. Augustinum* tom. 1. de principijs Dialecticæ à cap. 5. circa doctrinam præ statutam. *S. August.*

Prima pars Sectionis de Logicæ vocalis obiecto per se primario, ac directo, & de secundario, indirecto, & per accidens.

EX dictis in superiori Capite colligo primo, obiectum per se primarium, & directum Logicæ vocalis esse voces, vocūque directionem, seu rectam significationem; obiectum verò per se quidem, sed secundarium, & indirectum esse res significatas; prodeat im medium vna regula quę hoc esse verum ostendat; regula esto hæc. *omnis definitio vocalis constet vocibus significatis.* 110

gnificantibus genus, & differentiam. ista regula mentalis habet pro obiecto primario, ac directo voces significatiuas; & genus ac differentiam, quæ sunt quædam res, habet pro obiecto secundario indirecto, sed per se; quoniam ab ipsis rebus pendet in suo esse, quod consistit in repræsentare prædictas voces, & res.

Colligo secundo Logicæ vocalis obiectum omnino per accidens, & quod nullo modo ab ipsa intenditur, aut tangitur, esse mentis conceptus, & eorum directionem; licet ferè semper horum directio, ex vocũ directione necessario resultet, & consequatur; quod adeo verum est, vt certum sit nobis sat esse Logicæ huius regulas ad directionem nostrorum omnium actuum; & vt sapientissimus quisque euadat. declaro me breui per istud exemplum. quisquis enim instructus illa regula Logicæ vocalis, quæ dictabit. *definitionem vocalem debere constare vocibus significantibus genus, & differentiam rei definiendæ cuiuslibet.* efficiat vocalem hanc definitionem v.g. *homo est animal rationale.* efficiat, dico, cordatè, & serio, & humano modo, & non psitacorũ more, sine dubio effecerit simul definitionem mentalem, immo, & realem artificiosas, atque directas; sed primario quidem, & directè intenderit definitionem vocalẽ, interioris definitionis vicariam; quam necessario illa presupponit; nam dum cordatè loquimur, interiora sensa, & conceptus, quę intus sunt, verbis palam facimus; quoniam verò, quantumuis perscrutemur prędictam regulam, in ea nullam mentionem inueniemus de cõceptibus; idcirco asserimus, cõceptus non esse eius obiectum per se, sed omnino per accidens; & præcisè attenta regulæ eiusdem essentia illam consistere posse sine conceptibus, quia eos non repræsentat, nõ verò sine vocibus, & rebus, quas repræsentat, & quarum est signum formale.

Secũda pars Sectionis de Logicæ realis obiecto per se primario, ac directo; ac de secundario, indirecto, per se, & per accidens.

111 Colligo ex superioribus secundo, obiectum per se primarium, ac directum Logicæ realis esse res, rerumque directiones, siue adaptationes, ac prædicationes, atque aliquarũ regularum, seu partis illius esse obiectum indirectum secũdarium, sed per se, aliquos mentis conceptus; alterius verò partis, & aliarum regularum eiusdem Logicæ, esse conceptus obiectum omnino per accidens; sicut etiam sunt voces plerumque respectu huius Logicæ totius. declaro rẽ per partes afferendo exẽpla varia, regulas differentes in medium producẽdo.

Prima est. *quidquid essentialiter prædicas de superiori, prædicabis securè de inferiori.* hæc regula, vt nemo non videt, directè repræsentat rem superiorem, & inferiorem saltem vage, sed quia docet prædicandam esse vnam de altera, & prædicatio necessario fiat per conceptũ mentis, vt ipsa regula innuit expresśe, idcirco aio conceptum esse eius regulæ obiectum indirectum, sed per se: quoniam sine ea prædicatione formali, siue intellectuali (nam de vocali regula loqui non videtur, ni fortè abstrahat à prædicatione vocali, & mentali, sed non puto, nec volo) regula non potest salua consistere.

Secunda regula esto. *omnis definitio debet constare rebus, quæ sint genus, & differentia;* ecce ista non repræsentat nisi res solas, res solas cognoscit de alio non curat, nec alterius est signum formale, attenta eius sola repræsentatione; vnde respectu huius regulæ, & similium, conceptus, & voces omnino obiecta per accidẽs censeantur: sicut est effectus, & obiectum omnino per accidens thesaurus inuentus, respectu voluntatis hominis terram effodientis, immemoris omnino thesauri inueniẽdi, pro pter eandem rationem; nimirum quia voluntas illa non vult, nec tangit, aut fertur ad aliud, nisi ad effodiendam terram. *Arist. 2. Phys. t. 33. & 50.*

Sed quoniam, vt plusquàm sapienter annotauit *Card. Toletus* in lib. Categor. initio sub titulo. de subiecto libri prædicam. ibi. *existimo esse dicendum res prædicari, enunciari, dici; voces verò prædicare instrumẽtaliter, dicere, & enunciare; conceptus verò formaliter, &c.* si fortè quis quando tradit regulam pro faciẽda bona prædicatione aliqua, intendat, ac velit eã fieri, non solũ mentaliter, sed etiam vocaliter; vt contingit quando Magistri assuescere, & experiri volunt discipulos; tunc dicendum regulæ illius obiectum directum fore res, indirectum verò voces; huiusmodi autem regula ita potuit efformari. *quidquid prædicas loquendo sermone externo de homine, prædica de Petro statim coram me.* 112

Denique regula generalis esto pro quibuscunque actibus vitalibus, modo hi sint regulæ, modo nō. Eorum obiectū per se, & à quo necessario dependent, est quidquid ab eis tangitur quoquo modo; si tangitur directè, obiectum directum est, si indirectè, obiectum indirectum; quidquid verò ab actu nullo modo tangitur, licet alijs titulis expediat, & necessarium sit, (vt est potentia, & causa actus) respectu eius est obiectum per accidens, titulo, aut prætextu obiecti consideratum; sed de hoc alibi fusius agendum, interim remitto lectorem ad dicta superius à num. 28.

Tertia pars Sectionis de Logicæ mentalis obiecto per se primario directo, & secundario, siue indirecto; & per accidens; vbi soluitur argumentum in lucem maiorem doctrinæ, & eius coharentiæ.

113 Colligo tertio, Logicæ *mentalis*, siuè Philosophiæ rationalis obiectum per se primarium, ac directum esse mentis cōceptus, & eorum directionem; indirectum vero per se, esse res omnes conceptas; voces autem omnino per accidens. consectarium non potest cuiquam displicere; nam euidenter cernitur in hac regula, & alijs. quæ possent afferri. *Omnis definitio mentalis debet repræsentare genus, & differentiā sui definiti.* Ecce ex primaria intentione, illa repræsentat omnem definitionem intellectualem; ex secundaria autem item repręsētat genus omne, & omnē differētiā, siue prædicabilia ea in communi, cum definito item in communi; quæ res sunt: de vocibus nihil curat, vocum non est signum formale; & idcirco voces sunt eius obiectum accidentarium, à quo non pendet.

Sed obijcies. fateor Logicæ vniuersim acceptæ partes esse tres enumeratas, & pręclarè satis expositas, & vt vir doctus dicebat olim, vel à pueris infimæ classis, intellectu faciles; atque ea trina diuisione conciliari varia asserta Dialecticorum, *Aristotelis*, Sanctorum Patrum, ac cæterorum inter se primo aspectu pugnantia, circa assignationem Logici obiecti; sed tamen medijs istis tribus Logicis magistri debemus intendere primario reddere nostros discipulos sapientes, ideſt actus, & conceptus eorūdem benè ordinatos, ac directos; ergo sola directio conceptuum erit Logicę totius obiectum primarium, quod intendant potissimum eius omnes regulæ.

Aristotel. S. August. S. Thom.

Respondeo iterum, & sanè desiderando attentionem in legente, seu obijciente; aliud esse obiectum primarium necessariū artis, vel scientiæ, ideſt *operis*; aliud longe diuersum obiectum, & finem primarium voluntarium, eam artem, vel scientiam habentis, siuè docentis, ideſt, *operantis*: vt supra declarabam nn. 46. & quidem obiecta Logici *operis*, siue Logicæ partium singularum, sunt illa, quæ declarata sunt, & modo, quo cuilibet parti applicata sunt: obiectum verò *operantis*, vel magistri Logicæ, vel etiam discipulorum, solet esse sola directio actuum intellectus, quomodolibet adipiscenda, modo per hanc, modo per aliam Logicam, dummodo quæ assumitur sit medium proportionatum ad illam directionem, sapientiamue obtinendā; huiusmodi autem obiectum, scopus, & intentio operantis non tollit, quominus vnaquæque pars Logicæ semper respiciat suum peculiare obiectum, sibi proprium, atque directum: quemadmodum egomet non tollo, aut muto obiecta sua artibus, & scientijs Grammaticæ, Rhetoricæ, Poeticę, Musicæ, Logicæ, Philosophiæ, Theologię, neq; virtutibus fidei, & spei, & alijs actibus quos possū habere; ex eo quod eas omnes artes scientias, & actus didicerim, exercuerim, aut docuerim ad maiorē gloriā Dei, & animarum salutem; tamquam propter finē à me primario intentum. quare concedo antecedens, & nego consequentiam.

Sed instas secundo. sufficit Logica sola vocalis non tantum ad dirigendas voces, 114
verum ad dirigendos etiam conceptus, & res; ergo illius obiectum per se directum non tantum sunt voces, sed etiam conceptus, & res. antecedens sæpe supra à nobis concessum est; & videtur necessariò concedendum; nam qui seruans illam regulam Logicæ vocalis, quæ iubet adhibere ad faciendam bonam definitionem vocalem, voces, aut terminos vniuocos significantes genus, & differentiam, dixerit, *homo est animal rationale*, fine dubio effecerit simul mentalem definitionem, ac realem, quarum duarum vocalis illa vicaria est, & interpres; quod si ita contingit necessario sequitur ista cōsequentia. ergo sola Logica vocalis admittēda est, & alię duę reijciēdę.

patet

patet consequentia ex communi Parœmia, quia *frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; & non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate.*

Aristotel. 2. Phy. c. 6.

Respondeo tamen concesso antecedēti, negādo cōsequentiā vtrāque. probatio verò consequentiæ secundæ, nō conuincit, propter duo. 1. quia non sunt frustra causæ plures eiusdem operis, siue quæ seorsim simpliciter sufficerent ad id opus faciendum, quando tales causæ habent maximā differentiam inter se, & non solum vario modo, sed ad varia opera ordinātur ex natura sua, vt contingit in præsenti, quoniam Logica vocalis ordinatur primario, ac directè ad disponendas voces; non verò res, aut conceptus, nisi indirectè, aut per accidens; quantumuis res, & conceptus (de quibus directè curant aliæ duę Logicæ partes, vt supradictum est) propter naturalem connexionem, & inseparabilitatē, quam inter se habent, & cum directione vocū directę resultēt ex harū directione: quod fit quasi præter intentionē primariā Logicę vocalis, licet persæpe ex intentione primaria Logicā docentis, & discentis.

115 Secundo non conuincit illa probatio. quoniam licet nō admittendæ fuissent duę causæ in natura, ordinatæ ad eundem omnino effectum, & idem opus; secus tamē in arte, de qua Parœmiæ illæ non loquuntur. Sicut nec istæ, *nihil est frustra in natura, natura nihil facit frustra.* Secus, inquam, est ars, quæ persæpe producit in medium plura instrumenta ordinata, non solum ad idem, verum & ad idem eodem modo faciendum. exempla suppetunt plurima artificum Officinæ, vbi videbis, si mathematicorum, adieris, circinos plures variæ tamen materiæ, hunc ferreum, illum argenteum, illum chimicum, aut ex auro, aut auricalcho, ordinatos ad easdem lineas & circulos, deseruientes solum ad ornamentum artis, & facilitatem inuentu, dum sunt artifici opus; cum ergo Logica sit ars inuenta ad ornandum intellectum humanum, & ad eum facilitandum in acquisitione scientiarum, pro libito inuentorum Logicæ, potuerunt, illi offerri regulæ variæ, etiamsi ei ad idem omnino opus, & eodem modo deseruirent. quod tamen nō contingit, vt demonstratum iam est.

Aristotel. de gen. ani. c. 4.

Sed tamen ad pleniorē doctrinæ intelligētiā interrogat ingeniosus adolescēs duo: primū est, quando quis loquēdo fecit hanc definitionē, *homo est animal rationale*, quę sunt, & vbi opera tria; tres res, aut directiones, quæ correspondent tribus partitibus Logicarū triū? ostendātur in definitione obiecta tria, vt regularū triū differentia clarè dignoscatur. secundum est qui potest fieri, vt opera tria, & effectus tres, quiverè pertinēt ad causas tres, fiant a causa vna? Ego vero qui semper morē gero curiosis in literaria materia libenter ex dictis, respōdeo ad primū. in prædicta definitione quasi reperiri tria; primū est voces significātes, hæ cū sua significatione, sunt obiectū primariū Logicæ vocalis secundū est res, quæ sunt genus & differentia, & definitum, nempe *homo, animal, & rationale*, & hæ cum sua adaptatione, & passiua conuenienti prædicatione, sunt obiectum Logicę realis. tertium est conceptus mentis interior, qui adest in intellectu formaliter definiens, ac prædicans; hic est obiectum Logicæ mentalis directum: ecce dedi tibi tria, materias tres, & item directiones tres correspondentes regulis, & Logicis tribus, & consequenter distinguentes Logicas tres.

Respondeo ad secundum. quod cum ita constituti simus à natura, vt dum loquimur humano more, & non ioco, sed serio, loqui soleamus, & manifestare verbis, quę interius cogitamus: hinc fit nostros sermones habere naturalem quandam connexionem cum nostris cogitationibus, seu conceptibus, & cum rebus cogitatis, seu conceptis: quare quando quis sola regula Logicę vocalis instructus facit definitionem vocalem, facit ex consequenti alias duas, nempe mentalem, & realem, quæ faciēdæ fuissent à regulis quæque suis, si directè, & non ex cōsequenti fierent. declaro me per istam similitudinem materialem. 116

Vis tu aliquando claudere illam fenestram, quæ in prospectu est, ne nobis noceat *la tramentana*, aut Boreas, & quæ habet, vt de more est apud Romanos, ianuas duas, alteram nempe exteriorem vitream, alteram ligneam; dupliciter ergo potes fenestram claudere, vt omittam alios modos; primo impellendo ianuam interiorem ligneam, & vno ictu, & quasi vice vna, ianuam vtrāque ligneam cum vitrea antelata cōcludendo: secundo modo claudes etiam ictu & impulsu, siue attactu vno,

vno, fenestram, si prius alliges, & connectas ligneam portam cum vitrea, & deinde impellas portam vitream, quæ secum deferet ligneam sibi annexam; non secus ac ante cogebat lignea vitream: ita vsu venit in propofito. Sunt res, & conceptus ita connexa cum vocibus, vt impossibile sit dirigere has sine illis; atqui similiter impossibile est dirigere res, quin dirigantur conceptus; & e conuerso conceptus nequeunt dirigi, quin simul secum trahant directas res. connexionem horum trium ante me aduertérat *S. Thomas* opusc. 48 in prologo omnino legendus in tomo 17. & hanc fuisse causam teor, cur antiqui plures, & moderni putarunt totam Logicam esse de vocibus, vel saltem hæc causa potuit illos mouere, & excusare ab inuestigatione aliarum regularum; cum Logicæ illius regulæ sufficiant ad scientias omnes acquirendas ab hominibus præsertim, qui omnino indigēt vocibus ad explicandos conceptus.

S. Thom.

117 Ad finem reduco in memoriam Logicæ prædictas tres partes esse regulas mentales, & interiores actus intellectus; denominari verò per extrinsecā denominationem, quasi deriuatam ab obiectis, alias *vocales*, quia versantur circa voces: alias *reales*, quia cognoscunt res; alias *mentales*, quia versantur circa mentis cogitationes, postquam ergo satis egimus de Logicis regulis, quæ residere solent in intellectu, iterum agendum est magis ex professo de earum obiectis, quorum pleraque sunt extra intellectum.

CAPVT VI.

An directiones, quæ sunt formalia obiecta trium partium Logicæ, sint intrinsecæ obiectis illarum materialibus; nempè vocibus rebus, & conceptibus? vbi quando sint entia realia concluditur.

Dictum iam est de præceptis, & regulis, quibus vnaquæque Logicæ pars intendit, & procurat inducere obiectum formale proprium, in suum obiectum materiale; idest directiones in vocibus, rebus, & conceptibus, ad quascunque scientias pertinentibus. dicendum modo est, an, & quo modo istæ directiones sint intrinsecæ, ac de essentia, vel de substantia vocum, rerum, & conceptuum. quæstio est aliunde ex Metaphysica petita, sed hic, sicut aliæ plures, interserenda fuit propter vsum, absumue Dialecticorum.

SECTIO I.

Monstrat directionem vocum illis esse absolutè extrinsecam, intrinsecam tamen secundum quid, & ens reale morale.

118 Præmitti oportet ex dictis ca. 5. Sect. 3. vocum directionem esse significationē earumdem, qua significant aliquod prædicabile, vel aliquē modū sciendi obiectiuū, & huiusmodi aliter. v.g. directio huius vocis. *animal.* est vniuoca significatio, qua significat rationem communem prædicabilem de pluribus, vt eorum pars essentię per modū per se stantis; & directio huius modi sciendi vocalis. *homo est animal rationale.* est earum vocum bene dispositarum, & coniunctarum significatio, qua significant definiti hominis genus, & differentiam: & ita de reliquis vocibus tam simplicibus, quam complexis philosophandum est. vocatur autem ea significatio recta, vel directio, quia mensuratur, & est conformiter ad artem dirigentem, siue regulam directricem Logicæ vocalis, & applicata, seu quasi facta ex eius directiuo imperio.

His præiactis dico primo. *directio vocum est extrinseca vocibus, & absolutè extra earum physicam essentiam.* probatur quia directio vocum nihil aliud est, quam earum significatio; sed vocum significatio est ipsis vocibus extrinseca; ergo similiter est extrinseca directio. maior probata est supra in illo Cap. 5. Sect. 3. minor probāda est, aut supponenda infrà in 1. p. Logicæ, siue in Summulis disp. 1. q. 2. sect. 2. vbi dicemus significationes vocum, qua ex hominum arbitrio, ac libera impositione significant res, esse voluntates imponentium eas ad significandum hoc potius, quam illud, moraliter quasi adhærescentes vocibus, dum proferuntur, aut sunt, durando physice, vel solū moraliter. Euidens autem est volūtates imponentium, siue actus voluntatis horum, esse omnino extraneos, & alienos ab essentia vocalium sonorum, siue vocum, & illis valde extrinsecus aduenientes; & propterea significatio vocum dici consueuit ab aliquibus denominatio extrin-

trinseca, siue ens rationis; vt animaduertunt *Conim.* q. 5. Proœm. a. 2. §. in secũda classe.

119 Id quod fieri ita potuisse reor, si ita factum non est: conuenerunt in vnum consilium ineuntes primores illi homines latinæ linguæ inuentores, ad quos pertinebat dare sermonem infinitæ multitudini, & eorum vnus in medium protulit vocem, quam ipse inuenerat, nempe hanc, *Deus*, vt viderent, ac definirent Patres conscripti, an ea idonea foret significandæ supremæ Maiestati, nec ne; ac post varias sententias, definito consilio, illi decreuerunt, ac iudicarunt eam vocem esse tantæ maiestati significãdæ idoneã, & eãdem, illã significari deinceps apud plebẽ se velle dixerunt, & statim suas voluntates promulgari fecerunt: idcirco dicta est significatio *ens rationis*; idest opus rationis, atque consilij, non quia sit aliquid omnino confictũ, & chimericũ.

Dico secundo. *directio, vel significatio ista est vocibus intrinseca secundum quid.* Etenim voces, quibus freqũeter vtimur in nostro familiari sermone; & de quibus Logica tractat, sunt voces significatiuæ rerũ; voces verò significatiuæ, vt tales, idest, vt significatiuæ sunt reduplicatiue, includunt sine dubio significationem; sicut duorum coniunctum, & concretum includit ea duo; in quo sensu dici quodammodo potest vocibus esse intrinsecè suam directionem; sicut, & significationem; non quidem vocibus nudè sumptis, & secundum suam physicam naturam; secundum quam sunt quidam soni ore producti, sed vt iam sunt impositæ ad significandum aliquid, ad placitum hominum, & habent aliam quasi naturam nouam pristinæ superadditam, & nouam essentiam moralem declaratam supra, & declarãdam prædicto loco Summularum; quam esse essentialem vocibus docuit item *S. Thomas* de verit. q. 1. a. 6. ad 4. *S. Thom.*

Demum ex his colligitur directionem vocum, seù significationem esse ens reale, non physicum, & intrinsecum; sed morale, & extrinsecum, & ens rationis: idest opus, seù effectum rationis, atque consilij; non vero fictum, & chimæricum, cum nihil aliud illa sit quam voluntas impositorum moraliter, hoc est, iudicio, & æstimatione prudentum perseuerans adhuc quasi annexa vocibus; donec à prioribus impositoribus, vel ab eorum posteris, illorum vices, & potestatem gerentibus, retractetur: ad eum modum, quo est ens reale morale, peccatũ, v.g. odij Dei, quod in morali, prudentique æstimatione cẽsetur perseuerare annexum in eo; qui aliquando odio habuit Deum, donec per dolorem, & pœnitentiã, illud retractet, ac penitus deleatur.

SECTIO II.

Ostendit directionẽ, quã Logica realis in rebus cõsiderat, esse illis intrinsecã & in rebus veris ens reale; in chimæricis vero ens rationis.

Veritas in titulo proposita sufficienter probatur ex eius expositione, sic ergo potest dilucidari. Si considerentur res omnes veræ, vel fictæ, postquam circa eas negotiatus est intellectus, & iuxta regulas Logicæ realis effecit prædicabilia, definitiones, diuisiones, propositiones varias, & argumentationes reales, ad quascũque scientias pertinentes; duplicem, aut triplicem directionem, seù dispositionem habere reperientur; prima est localis, aut quasi localis quædam coniunctio rerum plurium, quas ex modo cognoscendi, quasi applicat intellectus, quando in fabricam alicuius propositionis, vel modi sciendi plura cognoscit simul, atque coniunctim, dicendo, *homo est animal rationale*. vbi iungit hominem, & eius prædicata; & huiusmodi coniunctio quasi actiua, est aliquid extrinsecum rebus, & accidentariũ; homini enim quid accidentale est, quod quis prædicet de illo animal, aut quidpiã aliud; & quod intellectus simul ea prædicata repręsentet: huiusmodi tamen, quasi localis coniunctio (& idem de vocum coniunctione supra dicendum erat) est per se intenta à Logica, vt medium conducens ad principalem dispositionem primario intentũ; vt declaro magis inferius in Sect. 4. tractando de simili dispositione cõceptuum, syllogismum componentium. 120

Secunda directio est, si directionis nomen meretur, extrinseca quædam denominatio, quæ rebus prædictis cognitis, seù consideratis, & terminantibus actus intellectuales, ab his actibus occasionaliter, & radicaliter quasi resultat; quatenus intellectus reflectendo supra res à se cognitas, & supra cognitiones suas, imponit nomina rei vnicuique iuxta genus suũ, ita in primis generaliter nominat oẽs cognitas; deinde descendẽdo ad particulares res, animal, [illegible]

gnitū vocat genus; & hominē itē cognitū, & abstractum, vocat speciem; & actum, quo factum est genus appellat genereitatem,& alium speciei tatem; & simili modo procedit in impositione reliquorū nominum, nominando *animal rationale*, definitionem, & huiusmodi aliter.

121 Hæc autē nomina fine dubio sunt omnino extrinseca rebus, quia, quod attinet ad intrinseca earum, tam benè sine eis nominibus se habebunt, atque cum illis; & cōsequenter similis directio est præter intentionem Logicæ; Logica enim, vt iam dicā, non curat de istis nominibus,sed de rebus, quibus nomina imponuntur; nempe curat animal fieri, & adaptari, vt sit genus prædicabile de pluribus, illisque rite conueniat; illud autem, quod est genus cōmune, & conueniens pluribus, siue quod habet prædicabilitatem de pluribus,nō est nomē *genus*, sed res significata per nomen; quod opinor expressisse *S. Thomam* doctorem realem cap. 4. de ente, & essentia ibi. *id cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit componens id cum altero, non est ipsa intentio generis, sed potius id, cui intellectus intentionem generis attribuit, sicut quod significatur hoc nomine animal.* Vbi nomine *intentionis* videtur S. Pater significare denominationem, siue nomen generis, quod nec conuenit Petro, nec de Petro, aut Paulo potest prædicari; ideo dixit paulo ante, *nomen speciei non prædicatur de Socrate, vt dicatur Socrates est species.* Logica ergo quæ curat de conuenienti rerum vniuersalium prædicatione, non curat de nomenclatura, aut de nominibus, quæ neque conueniunt, neque prædicantur de rebus. S.Thom. S.Thom.

Sed oppones. *S.Thomas* dixit supra in Sect. 5. nostra, & in sua Lect. 4. super 4. S.Thom.

122 Metaph. *intentionem generis, & speciei,& similium esse propriè subiectum Logicæ.* & hic in Cap. 4. de ente,& essentia, appellat rationem speciei, nomen, & denominationem speciei, quæ aduenit homini, v.g. ab intellectu. ergo secundum S. Præceptorem Logicæ obiectum non sunt res, sed aliquid extra eas, nempe vel denominationes extrinsecæ rebus cognitis impositæ, vel relationes rationis, dictæ secundas intentiones; quæ facit Logica, *Dum subiectum cum prædicato comparat.* Vti dicunt, & volunt plerique *Thomistæ* videndi apud *Vallium* in Procemio Logicæ.

Respondeo *S Thomam* loqui de intentione, aut relatione, & denominatione fundamentaliter, non formaliter. idest, de rebus cognitis, abstractis, & comparatis, à quibus potuit intelligi resultare, intellectu denuo reflectente, & fingente, intentio, siue relatio rationis; atque similiter loqui de rebus, & rationibus abstractis, denominatis, non de nominibus ipsis, & multo minus de intentionibus,seu relationibus fictis inutiliter, non necessario, sed arbitrarie superadditis rebus cognitis.indignum enim est,credere putasse Angelicum Doctorem Logicā in nominibus & fictionibus totam occupari, vel solum de congruis nominibus rebus imponendis curare. præterquamquod ego non inuenio, nec volo inuentare in Logica, regulas docentes nomina imponere rebus cognitis secundum eius regulas; curet metaphysica, vel alia scientia, aut ars de ista nomenclatura;& doceat nos quando, & quæ res sint dicenda genera, quæ species, & quæ huiusmodi aliter, curet verò Logica de nominum fundamentis arte quasi efficiendis, assumendis, & prædicandis.

Sic interpretabar olim supra Cap. 5. in Sect. 5. *S.Thomā*, & reliquos Doctores, sicubi dixerunt Logicę obiectum esse denominationes extrinsecas, ipsi enim harum denominationum nominibus intellexerūt earumdem fundamenta, quæ potissimum intendebant; id quod in alia materia potissimum intendisse videtur spiritus Dei loquutus per Eccles. ibi. *curam habe de bono nomine.* neque enim id dictum esse reor tantum propter nomen bonum; quātum propter eius fundamentum; nempe, propter intrinsecam sanctitatem,& virtutē facientem bonum habentem, quam necessario supponit bonum nomen, & à qua necessario resultare solet; sed tamen quidquid de hoc fit, confugiamus ad regulas Logicæ realis, & ipsæ indicabunt nobis directionem ab ipsis potissimum intentam esse sequentem. 123 S.Thom.

Tertia demum directio est in rebus, ita à me merito nominata, quia est passiuè in se, & obiectiuè regulata, directa & conformis actiuæ directioni Logicæ, & eius regulis illam intendentibus, & regulantibus; illaque nihil aliud est, quam ipsa essentia, vel natura rerum per regulas expedita,

dita, disposita, & adaptata, supra quam congruè cadunt denominationes, *genus, species, definitio*, & reliquæ supra declaratæ, & quæ verè prædicantur, & conuenit suis inferioribus, & subiectis. Exempli causa, directio, siue dispositio animalis abstracti secundum regulam, quod meritò dicitur genus, & item directiones cęterorum prædicabilium, sunt ipsamet prædicabilia, siue eorum essentiæ materiales, & denominatiuè acceptæ; quæ postquam iuxta regulas, & directionem actiuam Logicæ realis fabricatę sunt vniuersales, aptę sunt per semetipsas esse in pluribus, & de illis prædicari vnaquæque, videlicet, iuxta genus suum, ac de subiectis sibi inferioribus, & modo declarando inferius, quando de prædicabilibus tractemus.

124 Deinde directio definitionis realis, & obiectiuæ, sunt essentiæ rerum, quæ sunt genus, & differentia simul sumptæ, aptæ prædicari, & identificari cum ignoto, siue re definienda, & eam quodammodo motiuè declarare; ac denique directiones, diuisionis, & argumentationis, sunt essentiæ rerum, ex quibus ij modi sciendi coalescunt; nempe diuisum, membra diuidentia, extremitates, & media cum cæteris à regulis requisitis, quasi coniuncta intentionaliter virtute intellectus, & applicata, & prædicata, obiectiuè mouentia ipsum ad ignoti, siue rei inuestigatæ cognitionem, & notitiam scientificam.

Vnde manifeste infertur primo, prædictam rerum directionem à Logica in eisdem consideratam esse rebus ipsis intrinsecam. patet quoniam nihil est magis intrinsecum rei, quam id, quod est de eius essentia; sed de essentia rerum est directio: ergo intrinseca eisdem est; ex quo vlterius infertur secundo, directionem huiusmodi in rebus, siue prædicabilibus realibus, & veris, esse realem, & veram; in fictis verò, & chimæricis & ipsam fore similiter fucatam, & apparentem. quando verò contingat prædicabilia esse ficta dicam infrà quando de entibus rationis, quæ fiunt ad similitudinē verorum entiū, tractem.

SECTIO III.

Defendit directionem, quam Logica mentalis inducit in actibus intellectus, illis esse intrinsecam; imò ipsorum essentiam, & id probat authoritate, & ratione conuincenti.

Tituli assertum contuentur expresè *P. Granado* 1. p. disp. 3. sect. 1. num. 9. super quæst. primā *S. Thomæ P. Smiglecius* in Logica disp. 2. q. 1. art. 9. dico igitur. *P. Arriaga* disp. 2. Logicę sect. 6. fauent *Lemosius* errore 6. & pleriq; Recētiores. quod sic probo euidentius, reflectendo, & ad regulas nostras confugiendo; etenim dum Logica mentalis, quæ vt ait *S. Thomas, est ars directiua intellectus, per quam homo ordinatè procedit*, regulis, & documentis suis ordinat actus intellectus, & in eis inducit directionem, primario procurat, & intendit fieri ab intellectu repræsentationes obiectorum, quæ ipsa assignat, & quasi vult; sed esse repręsentationes est de essentia actuum intellectus; ergo directio quam Logica mentalis inducit in actibus intellectus est ipsis non solum intrinseca, sed essentia. maiorem ostendunt regulę ipsæ Logicales; ipsæ prodeant, vt appareat quid imperent, quid fieri primario intendant; ecce omnes repræsentationem sonāt, repræsentationes varias fieri dictitant; nā prima illa, quæ docet facere bonas definitiones, dictat sic. *Omnis definitio mentalis debet repræsentare genus, & differentiā definiti.* Secunda pro facienda diuisione sic. *Omnis diuisio mentalis repræsentatio sit diuisi ac membrorum diuidentiū.* Tertia sic fieri vult syllogismum in Darij *fiant actus tres, quorum prior, qui dicitur maior repræsentare debet rem vniuersalem, vbi medium sit subiectum, & actus secundus sit repræsentatio rei particularis, & ibi mediū prædicetur, ac demum tertius actus simul repræsentet extremitates.* omitto cæteras circumstantias a Logica prçceptatas; & solum volo animaduerti, ab his, & alijs regulis potissimum edoceri, & fieri imperari, repræsētationes rerum, & præter eas nihil primario procurari.

126 Maior ergo, vnde pendet vis tota huius nostræ ratiocinationis vera est; & inde fit euidentior; quod si accedat reflectendo, vt assolet, Logica speculatiua, vt examiner in hac definitione facta secundum regulas Logicæ practicæ, *homo est animal rationale*, & videat an sit, & quid conforme regulę, per quam definitio facta est; nihil

nihil aliud inueniet præter repræsentationem generis, ac differentiæ hominis. ea ergo inducta est à Logica, & considerata primario. approbant minorem fere omnes doctores, & sic persuadetur à definitione sumpto argumento. Etenim actus in communi sic definitur, *est obiecti viua imago seù repræsentatio*; & actus in particulari, v.g. definitio sic, *est repræsentatio generis ac differentiæ definitæ rei*, ecce repræsentatio modo est genus actuum intellectus; modo autem species: quare meritò dixi cũ doctissimo *Granado* repræsentationem esse ipsam essentiam actuum. consequentia ergo illa verissima est: & directio à Logica intenta, non tantum est actibus intrinseca, sed eorum essentia; quoniam directio hæc non est aliud quam repræsentatio à Logica intenta, inducta, regulata à regulis, siue directioni Logicali actiuæ conformis; quæ propterea nominatur directio passiua, quia ab illa actiua quasi deriuatur, & fit, vt à causa dirigente. Vnde in præsenti idem valet repræsentatio facta secundum regulas, ac directio secundum ipsas: & repræsentatio generis, & differentiæ, atque directio definitionis, vel definitio directa, & scientifica.

Missas facio cæteras rationes parum efficaces; & concludo directionem à Logica intentam in actibus intellectus, semper esse ens reale, quoniam est de essentia eorum actuum, qui semper sunt entia realia, & vera; licet nõ rarò appellentur à bonis authoribus *entia rationis* quo nomine solum volunt significare illos esse effecta, & & opera intellectus, qui est, ac dicitur ratio, & inde homo rationalis; an verò præter directionem hanc declaratam intendat Logica aliam actibus extrinsecam, in structura præsertim syllogismi; dicam in solutione argumentorum, quæ facile dissoluemus, si ad nostras regulas semper attenti fuerimus.

S.Thom. 1.Post. l.1.

SECTIO IV.

Refert Authores, qui opinantur Logicæ mentalis, seù rationalis obiectum esse quidem actuum intellectus directionem; sed quæ consistat in extrinseca denominatione; & quæ sit ens rationis; & eorum fundamenta dissoluit.

QVidam Doctores, de quorum numero est *P.D. Rubius* hic in q. 6. Proœmiali num. 24. putarunt Logicæ obiectũ materiale esse quidem, vti nos dicimus reales actus, siue conceptus mentis; formale verò esse directionem, seù relationem rationis, quæ ab eis appellatur ordinatio, seù dipositio actuum intellectus, secũdum quam constituunt syllogismum, siue alium quempiam modum sciendi formalé. 127

Primum eorum fundamentum sunt authoritates *Aristotelis*, & *S.Thomæ* allegatę à nobis supra Cap. 5. Sect. 5. dicentium, *Dialecticum, & Metaphysicum agere de omni ente, & Dialecticam se extendere ad omnia, ad quæ Metaphysica.* quod verum esse, inquiunt multi Thomistæ, vt referunt *Conimbricenses* q. 5. procem. art. 2. S. in secunda classe. si Metaphysicus agat de omni ente quoad esse reale, Logica verò de eodem, quoad esse intentionale, & rationis, siue acceptum ab intellectu; & consequenter de actibus intellectus, inquantum induunt formam aliquam extrinsecam, & quæ sit directio rationis, illis omnino accidentaria, & extrinsecus adueniens.

Aristotel. S.Thom.

Respondeo remittendo lectorem ad supra dicta à nu. 70. vbi deprehendet manifesté prædictas authoritates tractare de Logica reali; eique assignare pro obiecto adæquato res omnes, & actus intellectus, vt sunt res, sub forma, & ratione formali ibidem declarata. quare non omnino gratis ab his authoribus fingitur ista concordia inter Metaphysicam, & Logicam, inquantum docent Logicam solum agere de ente rationis; sicut de formali obiecto; si aliunde nobiscum teneant hæc duo. Primum est ibi *Aristotelem*, & *Thomam* admittere aliquam partem Logicæ tractare per se de rebus omnibus; secundum. si nomine entis rationis intelligant non quid fictum, aut chimęricum, nec minus denominationem extrinsecam; sed opus aliquo modo rationis, & intellectus, qui dicitur ratio, qualiter est genus, & quoduis aliud prædicabile ab intellectu fabricatum, iuxta doctrinam supra traditam à nu. 120. & à num. 70. quare prædictæ authoritates non videntur pertinere ad propositam quæstionem, vbi tractamus de obiecto formali Logicæ mentalis, quando sumitur actus intellectus, non quatenus sunt quædam entia, ex quibus fiant prædicabilia; 128

Aristotel. S.Thom.

bilia; quemadmodum ex reliquis entibus fiunt; sed quatenus sunt quidam particulares actus eliciendi omnino, & rigorosè efficiendi ab intellectu secundum regulas artis.

129 Secundum fundamentum est. genera, & species, & reliqua prædicabilia, & prædicata sunt obiectum Logicæ, & ideo cómuniter dici solet, *genera species, & reliqua huiusmodi Logicorum esse*, sed essentia, & rationes generis, & reliquorum prædicabilium, non possunt conuenire intrinsecè actibus intellectus, ea fabricantibus; sed solum per extrinsecam denominationem sumptam ab obiectis, quæ sola verè sunt prædicabilia; ergo hanc extrinsecam denominationem tantum potest inducere Logica in conceptus mentis: maior est certa, minor euidens; quoniam actus intellectus, qui efficiunt prædicabilia, sunt quidam actus particulares habentes essentias particulares, & nullo modo communes pluribus; quare genera, & species esse non possunt, nisi secundum dici, & de nomine deriuato ab obiectis, quæ efficiunt, & quæ repræsentant; ita quod nomina effectuum, causis largo modo tribuantur.

Respondeo concessa maiori, quæ si loquitur de Logica reali est verissima, & illo dicto communi benè confirmata; & si loquatur de Logica mẽtali, item suam habet veritatem; quatenus, & hæc indirectè saltem cõsiderat genera, & species, & reliqua prædicabilia, vt dicebam supra n. 113. minor etiam est concedenda, aduertendo nimis largo, & imperfecto modo dici actum fabricantem genus, *genus*, & huiusmodi respectiuè reliquos actus, reliqua prædicabilia fabricantes; & sic ab ea denominatione impropria, & quæ ad confusionem est solum idonea, abstinendum, dicantur autem actus, qui faciunt genera, *genericitates*, & qui species, *specificitates*, & sic accomode reliqui, vel etiam *rationes formales faciendi prædicabilia*. quare eiusmodi extrinseca nomina impropria non curat Logica, nec si proprijssima essent, curaret; vt monstratum est superius nu. 112. & alibi sæpe. aliud verò habent prædicti actus intrinsecum ipsis, dignum Logica cõsideratione, nempe esse repræsentationes prædicabilium, conformiter ad regulas, vt explicabam Sectione præcedenti.

Tertium fundamentum, quod Hectoreum, & Giganteum appellatur, & quod 130 male torquere potest incautos, regularum Logicæ immemores, qualiter video esse plerosque modernos inter soluendum hoc argumentum; & sane id est potissimum, quo suam opinionem defendit, ac probat *P. Rubius*, idcirco dilucidè proponendum, & diluendum fuit; sic autem in gratiam tanti Doctoris, & de Scholis tam benè meriti, proponitur. bona illa structura, & ordinatio, siue directio syllogismi v.g. consistit in quadam extrinseca directione, dispositione, & coordinatione actuum intellectus, à Logica per se intenta; ergo directio, quæ Logicæ est formale obiectum, non est quidpiam actibus intrinsecum. Probo consequentiam, quia directio syllogismi, & partium eius consistit in quadam coniunctione, ac bene ordinata aggregatione, qua tres actus coniunguntur, quorum prior large saltem loquendo dicitur *maior*; quia repræsentat maiorem. Secundus dicitur *minor*; quia repræsentat minorem; Tertius denique appellatur *conclusio*; quia repræsentat extremitates inter se vnitas: quæ videlicet in maiori, & minori iungebantur cum tertio, siue medio; sed hæc coniunctio, collocatio, & quasi localis præsentia simultanea, horum trium actuum, est omnino extrinseca, & accidentaria ipsis actibus, vtpotè qui tam bene, & cõtenti essent soli, atque cum alijs coniuncti; ergo directio non est actibus intrinseca.

Idem antecedens confirmo primo, quia 131 eiusmodi coordinatio trium actuum in syllogismo, per se intẽditur à regula imperãte tres actus omnino adhiberi in illius structuram. Secundo confirmant alij, quia esse actum maiorem, vel minorem, est etiam quid extrinsecũ ipsis actibus, nã contingit non raró, actum, qui repręsentabat maiorẽ, transire ad repræsentandam minorẽ, quare nõ tantũ nomenclatura, sed repræsentationes, quæ solent fieri secundũ regulas, vidẽtur esse extrinsecæ quædam directiones.

Sane fundamentum hoc conuincit nos ex parte, & postulat, vt declaremus, quod promisimus ad finem Sectionis pręcedentis; quo scilicet pacto Logica per se intendat aliquam directionem actibus extrinsecam, præsertim in argumentatione; quam ple-

plerumque componunt actus plures: ergo declaro rem ad argumentum in forma respondendo. Concedo antecedens, & nego consequentiam; ad probationem consequentiæ distinguo, loquendo de syllogismo, vt est artefactum quoddam, & ens per accidens tribus actibus compositum; & concedo eius directionem, siue coordinationem esse actibus extrinsecam, sed neque locum, aut dispositionem, aut collocationis ordinem intrinsecè postulari, ab ipsis actibus, secundum aliquos sibi intrinsecos ordines, & aptitudines, ego existimo & alibi probo in tertia Logicæ parte, contra quosdam, qui ponunt ordines in actibus ad res, quas non respiciunt, quas non tangunt, nec sciunt.

Loquēdo verò de ipsis actibus seorsim, nego eorum directionem esse extrinsecā; & ratio differentiæ, & distinctionis est; quoniam sine illa collocatione, quæ merito vocatur directio, quia secundum artē fit, & à regula imperante, actus perseuerare solent, aut possunt integri & illæsi; sine alia vero directione, quæ est repræsentatio obiectorum, quæ iubet regula repræsentari, durare, aut esse non possunt.

Quarè aduertendum est regulam docētem facere syllogismum, vnam esse, sed imperare multa: duo inter alia sunt hæc. primum, adhiberi tres actus. Secundum, primum actum esse maiorem, & repræsentare hæc obiecta cum subiectato medio, actumvero secundum repræsentare obiecta cum medio prædicato; vel aliter vti postulauerit modus, & figura. vbi deprehendis directiones duas, alteram extrinsecam, intrinsecam alteram, sed à Logica sine dubio intentam vtramque. vides quantum oporteat recurrere ad regulas, vt bene & sine errore de Logicę obiectis per
132 se, iudicetur? quare si Doctor *Rubius* non contentus esset cum priori illa, & extrinseca directione, sed vlterius regulas attētius considerando, admitteret etiam intrinsecam, & secundam directionē, quam in definitione, ac diuisione, & actibus directis, qui non sunt eotia per accidens, nec habent plurium coordinationem, potuit experiri; nobiscum omnino, & cum veritate consensisset; & ex his patet ad primam antecedentis confirmationem.

Ad Secundam dico, in quolibet actu quomodolibet nuncupato, etiam variato nomine propter varios titulos, & terminos connotatos, siue iuxta se, ante, vel post, positos, perseuerare inuariatam Logicæ directionem intrinsecam, sicut, & repræsentationem eorumdem obiectorum; quocirca fatendum est eundem actum intrinsecè inuariatum posse, & solere dici, & esse maiorem in vno syllogismo, & in alio minorem, atque re vera esse simul in actu primo, quod aiunt, maiorem, & minorē in ordine ad syllogismos variæ figuræ, per distinctas, & varias regulas Logicales factibiles; quoniam solet euenire, vt ad efficiendum in vna figura aliquem syllogismum, imperet Logica repræsentari talia obiecta, pro præmissa maiori; & ad efficiendum alium in alia figura, imperet repræsentari eadem prorsus obiecta, pro præmissa minori; & ideo illemet actus repræsentans ea obiecta, intrinsecè virtute, & potentia, siue in actu primo, & quantum de se est, est maior, & minor, hoc est aptus, siue apta materia, vt applicatus vni syllogismo, sit maior, & in alio minor, licet eidem actui sit quid extrinsecum in exercitio, & in actu secundo, siue actualiter, applicari huic syllogismo, & dici eius maiorem; vel illi, ac dici eius minorem.

Sunto exemplo hi syllogismi varij modi, sed eiusdem figuræ. *Omnis homo est animal, Petrus, est homo, ergo Petrus est animal. Omne animal est sensibile, omnis homo est animal, ergo omnis homo est sensibilis.* In quibus notanda est illa præmissa, *omnis homo est animal*, quæ reperitur in vtroque syllogismo, & in primo qui est in *Darij*, est maior; quia dat prædicatum suum conclusioni; & in secundo, qui est in *Barbara*, est minor; quia dat subiectū conclusioni; id quod ille idem actus habet intrinsecè, & ex natura sua; quamuis ipsi accidentarium omnino, & extrinsecum fit, poni, aut collocari modo, in *Darij*, modo, in *Barbara*, aut alio modo: quod neque à Logica intenditur, sed à Scholastico qui pro libito suo facit varias cōbinationes præmissarū; & ex eis varios syllogimos; quin tamen immutare possit intrinsecam earum directionem, sicut neque repræsētationem: sed neque coordinationem illā extrinsecam à Logica item intentam, casu, quo velit actu facere syllogismum, de quo Logica, quæ dat homini posse, non curat 133

iuxta

iuxta vetus prouerbium. *potentia aut posse non dicit actum, sed aptitudinem*.

Neque impossibile cuiquam videatur posse eundem actum, eadem obiecta semper repræsentantem, habere tantam virtutem, vt possit esse maior, & minor ex natura sua, & concurrere ad efficiendum varios, & multo differentes effectus, siue conclusiones, coniunctum modo cũ vno actu socio, in vno syllogismo, & post modum cum alio, in alio; nam multa sunt exempla, quæ id esse factibile persuadent. præclarum exemplum est sol, qui intrinsecam vnã essentiã habens, tãtę virtutis est, vt applicatus cũ homine generet hominẽ; cum æquo equum; & applicatus cum arbore producat folia, flores, & fructum, & huiusmodi alios propè infinitos effectus: propter quam virtutem merito dictus est sol causa vniuersalis; & quamuis extrinsecum, & accidentale sit soli coniungi, & associari cum hac, vel alia concausa ad producendum in actu secundo; tamen posse comproducere prædictos effectus illi est connaturale, & intrinsecum; quinimo eidem intrinseca est propensio, & inclinatio, quæ dici solet appetitus, & relatio transcendentalis ad illos effectus producibiles; sed in hac propensione, non tenet exemplum, vt in eius applicatione obiter annotabo.

134 Ergo applicando exemplum proposito, dico actum eumdem posse habere talem essentiam, ac directionem, sine repræsentationem talium obiectorum, vt intrinsecè, & ex natura sua sit potens esse maior, & minor, non solum actu, in varijs syllogismis actu effectis, de quo non curo; sed in actu primo consideratũ in ordine ad varios syllogismos factu possibiles, vt exemplificabam in syllogismis supra scriptis; & consequenter actum eundem cum adiuuãte socio differenti, ad instar causæ vniuersalis, posse causare modo suo differentes effectus, siue conclusiones; vti de sole dicebam: sed quoniam alibi efficaciter probo, pleraque media, siue electiones mediorum, pleraque motiua, siue motiones, non habere physicam connexionem cum ijs, ad quæ dicuntur mouere, & inclinare; sed extrinsecam ordinationem; idcirco addidi præmissas non habere connexionem, nec relationem sibi intrinsecã à Logica, vt aiunt Iuniores, per se intentam erga conclusiones. præterquã quod, dato quod eam haberent, ea esset materialiter in actibus, siue præmissis, & præter Logicæ primariam intentionem, vt manifestum fit regulas, & earum præcepta contemplanti: ex quo finaliter deducitur, in syllogismo reperiri tres actus cum tribus directionibus, sibi intrinsecis; & insuper vnam aliam directionem extrinsecã, ex tribus illis coalescentem; quæ est ens quoddam per accidens, sicut & ipse syllogismus; neque hoc censetur incõueniẽs, an vero syllogismus possit esse vnus actus dicam inferius, nam sic esse posse videtur, vt quilibet potest experiri, si vult.

SECTIO V.

Fundamenta reliqua, quæ contendunt directionem esse actibus extrinsecam, dissoluit.

QVartum fundamentum iecit *P. Hurtado*, quod ità dilucide proponitur. 135
regulæ Logicales, licet dicantur merito directiones actiuæ, quia quodam modo intẽdunt efficere in actibus scientiarum aliarum directionem, passiuè in illis inuentã veluti formam in materia; re tamen vera, neque causant, nec efficere possunt eorũ actuum directionem aliquam intrinsecam; ergo regularum Logicę formale obiectum non est illorum intrinseca directio; antecedens probatur; quia regulæ Logicales sunt actus speciales intellectus, qui propterea steriles sunt comparatione aliorum actuũ intellectus, & nullo modo eos possunt producere, præsertim cum eosdem habeãt pro obiecto, cui, vt communiter dici solet, *nõ potest cõmunicare intellectus aliquid præter denominationem extrinsecam cogniti, seu intellecti*. cõsequentia itẽ probatur; quoniam si directio aliqua intrinseca foret obiectum Logicæ, aut regularum eius, illa fieret ab ipsa, cum vnaquæque *scientia practica, aut regula efficere soleat suum obiectum*, vt tradit ex *Aristotele* 1. Post. lect. 41 lit. B. *S. Thomas*. *Aristot. S.Thom.*

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; non enim causant, aut concurrunt regulæ Logicales ad directionem actuum aliarũ scientiarum influxu effectiuo, sed solum influxu quasi morali directiuo, siuè in genere causæ dirigentia

gentis; quod satis est ad hoc, vt illis attribuatur actuum directio, & ad hoc, vt illæ dicantur vere eorum directionem habere pro obiecto; imò quodammodo efficere; & ad probationem antecedentis, similiter dico, actus intellectus esse qui dé steriles cóparatione aliorũ actuum, quod attinet ad genus causæ efficientes, esse verò feraces, & fœcundos in genere causæ dirigentis, modo declarando capite sequẽti. quo etiam genere causæ assolent, & reliquæ artes practicæ causare sua obiecta nempe artifices suos instruendo, ac dirigẽdo, vt efficiant influxu efficienti opera sua, quæ sunt artium ipsarum obiecta.

136 Quocirca in genere causæ dirigentis nõ incõuenit, vt cõmunicet intellectus aliquid obiecto suo, præter denominationem extrinsecam; & sic poterit intellectus mediãte regula Logica, non solum reddere obiectum cognitum, sed regulatum, ac directũ per inductam directionem intrinsecã, effectiue quidem profectam à solo intellectu, à regula verò dirigenter; quod tamen non tollit quominus, & ipsũ obiectũ denominetur directũ extrinsecè, etiã à forma extrinsecè directiua, népe à regula; quemadmodũ color dicitur visibilis intrinsece quidẽ à propria essentia, & item extrinsecè à forma aliena videre potẽti. Sed de istiusmodi extrinsecis denominationibus, quæ quasi necessario ex prima resultant, ars Logica non curat, quoniam alicubi dixisse fertur *Aristoteles, eorum quæ necessario eueniunt nullam esse artem*, nisi forsan velit quispiam, per metaphoram satis longe petitã, affingere Logicæ artis voluntatem, vt eidẽ accommodet istam extrinsecam nomẽclaturam; quia dicatur veteri prouerbio, *qui dat formam, dat consequentia ad formam.*

S. Thom. 1. d. 38. a. 1. c.

Aristotel. 6. Ethi.

Aristotel. 1. de An. t. 59.

Quintum fundamentum potest esse.. demus casum possibilẽ: nempe, quod Deus producat aliquam bonam definitionẽ, vel alium quempiam actum directum, quem infundat homini, vel Angelo; vel demus quod homo forte, & casu eliciat eiusmodi definitionem, vel syllogismũ, id quod possibile esse, & experientia docet, & *Aristoteles* in 1. Rethor. cap. 1. dicens. *homines dialecticos esse casu, & aliquando absque vllo ordine ratiocinatione vti.* tunc sic argumentor. illa definitio habet directionẽ, intrinsecam, quam nos ponimus pro obiecto Logicæ; & tamen sine regulis Logicę

Aristotel.

euasit directa; quia sine ea facta fuit; ergo Logica non inducet in similes alios actus, qui fiant ex eius directione actiua, intrinsecam directionem; quam actus directi aliunde habebunt; sed ad summũ inducet extrinsecam directionem, siue denominationem. Probatur consequentia, quia eadem definitio directa, vel alia omnino similis, potest fieri a me secundum regulas Logicæ, & ex earum ductu, & directione, sed in hoc euentu nihil amplius definitio mea habebit, nisi extrinsecam denominationem, qua dicetur facta à me fuisse, & ordinata secundum regulas Logicæ; ergo Logica nihil modo ponit in actibus nostris directis, quos elicimus Logica dirigente, præter denominationes extrinsecas; cum præsertim rationem repræsentationis, & directionis intrinsecę habeant aliunde ab intellectu, & eius motiuis, & obiectis.

Respondeo concesso casu vtroque; etenim necesse non est semper artificiosa fieri ab arte, quæ dat melius, & facilius posse; non verò posse simpliciter. artificiosa fuit illa spuma, quam penicillus arti olim inobediens proiectus ab illo pictore antiquo, casu expressit ad viuũ, & sexcẽta alia; inter quę possunt, & solẽt esse pinres actus directi, quos nosmet indeliberatè, præsertim inter arguendũ elicimus; quare non solũ à Deo fieri potuit illa definitio, quã ipse Deus efficeret Logicę diuinæ ductu, sed etiam casu, vt dictũ est: vnde ad argumendũ cõcedo maiorẽ, & omitto minorẽ, & nego cõsequentiã. ad cuius probationẽ, similiter cõcessis maiori, & minori, nego cõsequentiã; & disparitas est, quoniã Logica potest, & debet inducere directionem intrinsecã in actus, ad quos cũcurrit, non verò in eos, ad quos nõ cõcurrit, quales sunt illi, qui casu fiũt; neque enim directio intrinseca actuũ ita est alligata regulis Logicæ, vt sine illa aliũde prodire nõ possit, præsertim cũ à Logica nõ proprie, & efficiẽter fiat; sicut neq; iux adstricta est causæ vni, vel efficienti, siquidem, & à sole, & à lucerna producitur ęque benè. verũ enim vero Logica mẽtalis habet etiã infra dominiũ suũ eos omnes actus factos casu, vel etiã à Deo, vt adnotabã supra n. 100. quatenus circa eos versari potest, sin minus practicè, quia iã reducti sunt ad praxim, siue executionẽ; saltem speculatiuè examinando an sint suis regulis conformes, & monstrando aliquas eorum 137

pro-

proprietates, id quod fat est ad hoc, vt eorum directio intra latitudinem obiecti Logicæ contineatur.

Sextum fundamentum est, quia in pluribus actibus effectis secundum Logicæ regulas, & in quibus Logica induxit directionem, quam potest, reperitur Logicum artificium sine intrinseca directione; ego directio, quam Logica intendit, non est actibus directis intrinseca; patet antecedēs in his, & similibus exemplis, & actibus directis falsis. *homo est animal hinnibile. leo est animal rationale.* in quibus sine dubio relucet Logicum artificium, & Logica directio sine intrinseca directione; idest, sine intrinseca conformitate actus cū suo obie-
138 cto; hoc est, sine veritate; ergo intentum.

Respōdeo negando antecedēs; ad cuius probationem dicendū sine scrupulo est, in propositis actibus relucere Logicū artificium, & intrinsecā directionē; quæ nō cōsistit in veritate, siue in cōformitate actus cū suo obiecto; sed in repræsentatione cōformi ad regulas Logicæ. quocirca quicūque actus, qui repræsentet genus, & differentiā, erit definitio directa intrinseca directione à Logica intenta, & sic de reliquis actibus directis dicendū, quantūuis aliunde sint mali, & falsi ratione defectuosæ applicationis; & quia ex errore hominis Logica vtentis, prædicata applicentur rei, cui nō cōueniāt. Vnde licet Logica optimū instrumētum, & mediū sit ad veritatē indagādam, quatenus regulis suis iubet applicare prædicata v.g. generis, & differentiæ definiendę rei; attamen directē de veritate nō curat: quare ad scientiarū reliquarū alumnos, siue magistros pertinet pensare materiā, & subiecta, de quibus prædicent ritè prædicata, quæ Logica iubet prædicare; inspiciāt ipsi an leo ratiocinetur, nec ne, & si deprehēderint esse irrationale, non illi applicēt illam definitionē, *animal rationale*. ista respōsio est cōformis doctrinę Philosophi 2. Met. c. 1. tex. 3. & ibi *S. Thoma* lect. 2. & *S. August.* l. 2. de doctr. Christ. c 35.

Aristotel. *S. Thom.* *S. August.*

Neque enim oportet quod omnes regulę Logicales descendāt ad materias omnes particulares, ne crescat in immensum: quamuis negandum non sit posse descendere, & sic formari regulam pro facienda definitione speciei humanæ. *Omnis definitio hominis, qui modo est, constare debet hoc genere nempe, animali, & hac differentia nempe rationali*, sed tradere sic, & propinare regulas omnes, est difficillimū, & hominibus naturaliter impossibile: Sat erit tradere regulas generales, & à materia abstrahentes, quę sunt certæ, & infallibiles; reliquæ magis speciales, quæ possent vtcūque inuentari, obnoxiæ sunt falsitati, & multis erroribus. quis enim, nisi Angelus sit, sciat rerum omniū particulares essentias; genera, & differētias? laborare sinamus discipulos; ij proprio marte regulis instructi generalibus, & vniuersalioribus, res quas potuerint, comprehendant, & postmodum sapientes effecti forment regulas, si velint particulares, vt posteri vlteriora inuestigent, & sic demum homines postremi sint sapientiores omnibus, qui fuerunt ante ipsos, etenim ille, qui plures res particulares definire norit, vt definimus nos hominem, & alia pauca, quæ putamus scire, ipse est sapientior, & suam sapientiam potest alijs tradere; vel illis monstrando 139
rerum scitarum definitiones metaphysicas, vel dictando regulas particulares pro definiendis rebus particularibus, vt ostendebam per allegatum superius exemplar. addit vero *S. Thomas* 12. quæst. 12. a. 3. ad 1. regulas scientię tanto esse certiores, quanto magis considerant particularia artefacienda.

S. Thom.

Septimum fundamentum ita proposuit doctus modernus *Bettens*. directio quę est finis, & formale obiectum actuum practicorum Logicę, siue regularum eius, non est actibus aliarum scientiarum essentialis, nec intrinseca, sed affert extrinsecū quid. probat primo quoniam Logica practica intēdit, quod illi actus directi sint; ergo quod sint directi, non potest esse illorum essentiale prædicatum; antecedens est certum omnino; probat consequentiam: quia nulla scientia practica ordinari potest in eum finem, vt suum obiectum habeat aliquod essentiale prædicatum; secus artem quandam practicam inueniremus, siue inuentare possemus, quæ eo tendat, vt equus sit animal hinnibile; & vt lapis sit corpus; quę omnia ridicula sunt; cuius ratio est, quia ars practica non est circa connexionem prædicatorum essentialium; sed circa modum, qui seruandus est in productione rei. finis ergo Logicæ, & obiectum formale non est, quod actus ab ea directi habeant talem speciem, vel essentiā; sed quod tali modo,

S. Thom. 2. p. q. 14. 16. c.

modo, aut alio producantur; quod non est de essentia actuum producendorum.

Probat secundo; quoniam directio, quæ est finis Logicæ nõ est alia ab ea, quã actibus inesse iudicat ipsa Logica, eoidẽ examinando, sed ea directio est actibus extrinseca; ergo directio a Logica intenta non est aliquid intrinsecum in actibus.

140 Respondeo negando assumptum fundamenti; ad cuius primam probationẽ concesso antecedenti, nego consequentiam; cuius probatio non conuincit; etenim nõ est impossibile quod artes quandoque intendant inducere in sua obiecta materialia, aliquot essentialia prædicata, quando præsertim talia obiecta sunt de se artificiosè operabilia: quocirca ista ars, siue regula Logica. *definitio mentalis debet repræsentare genus, & differentiam*. non solũ intendit, ac docet modum, quo exercendus, & efficiendus sit actus definitionis, sed simul docet, & intendit quo modo inducenda sit in rationem communem actus, ratio, directio, & essẽtia definitionis; quoniam in præsenti nihilo differt modus definitionis ab essentia ipsius; ac proinde regula, quæ docet modum, quo definitio fiat, docet ipsam, & ipsius essentialia prædicata fieri; id quod non solum non est ridiculum sed assertum certum, & manifestum ab exemplis, audi.

Adi ad agricolas peritos artis inserendi arbores, & te docebũt artẽ taliter docentẽ fieri insitionẽ, vel ex cõmixtione ramusculorũ arborũ, vel seminũ ipsarum, vt (quod miraculũ naturæ, & artis, siue ab arte adiutæ naturæ est) ex inde germinent folia, flores, & fructus tertiæ, aut quasi tertiæ naturæ, & speciei. rursus tute vides ab arte fieri, & intendi mixtionem, mistosue colores, liquores, & sapores, qui sunt tertiæ quędã, & nouæ mixtorum essentiæ ab artibus intentæ non solum secundum modũ sed etiã secundum essentiã; præsertim quando regula nõ solum exprimit modum faciendi, sed essentiam artefacti; præterea negari nõ potest quin arte potuerit generari mulus ex equa & asino; aut etiã ex asina, & equo; & alia animalia huiusmodi quasi monstrosa; denique certissimum est arte posse effici actum cuiusuis virtutis naturalis, vel supernaturalis, ostenso obiecto materiali, & formali, & reliquis requisitis. Edoce rusticanum, si vacat, elicere actum charitatis supernaturalem erga proximum; doce quis proximus sit, & propter quã bonitatem diligendus, & tunc demum, si est in gratia diliget illum propter illam summè, & super omnia dilectam, & mediante arte affecerit non solum modum sui actus, sed etiam ipsam eius substantiam.

Iste ingeniosus modernus facile sibi per- 141
suaderet hoc esse verissimum, si fecisset reflexionem circa regulas artis Logicæ, etenim euidens est intentum regulæ cuiuspiã esse, quod ipsa repræsentat, imperat, & quasi vult fieri; nempe quidquid executioni nos mandamus ex eius directiuo imperio; quare quando regula, vel ars modum tantum præscripserit, & modus sit distinctus à rei substantia, tunc obiectum artis erit merus modus; quando autem præscripserit modum, & substantiam rei, vel ille sit idem cum ista; tunc artis obiectũ erit modus, & essentia rei; & quia in puncto præsenti, ita contingit, nempe modum, & rem esse idem; idcirco asseuero à Logica intendi per se directionẽ actibus intrinsecam, & essentialem, quod fiet euidentissimum reflectenti supra regulam quampiam; & quidem propter reflexam hanc inconsiderantiam peccant, & errant plurimi, alioqui sapientes viri, in assignatione obiectorum actuum intellectus, & aliarum potentiarum.

Quod si adhuc (respondeo ad reliquias argumenti) nõ inuenitur ars, quæ intendat quod equus sit hinnibilis, idest, quod fiat animal hinnibile, neque quod lapis sit corpus, idest, quod fiat corpus lapideum; ideo non inuenitur, quia fortasse non sunt ea artificiosè operabilia, saltem respectu nostri, *nec enim omnia possumus omnes*. addo prętera sine dubio arte vel humana, vel angelica fieri posse ex applicatione varia cõnaturalis, & proportionatæ materiæ, multa corpora, tã non viuentia, quã viuentia; atq; non video repugnantiã in eo quòd possint quoque arte aliquo modo concurrente, generari viuentia perfecta, vt canis, equus, & similia, quamuis non sine eorum causis naturalibus; vt contingit in proposito, vbi fiunt actus directi ab eorum causa naturali, quæ est intellectus, sed plerumque non sine artis consortio.

S. Thom. de Pot. q. 6. a. 3. c.

Et sane qui non credit arte vel magica posse fieri multas rerũ essentias, & naturales effectus, mittendus videtur ad Magos 142

Pharao-

Pharaonis, quorum mentio est in sacra Pagina Exod.7.& 8.& ibi videbit vera, & varia animalcula molesta satis, & importu- *S. Aug. 7. S. Thomas.* na artefacta: vt colligit P. *Bubalus* ex PP. *Augustino*, *Thoma*, & alijs, de Angelis q.50.a.1. quæsito 2.dif.2. sed & maleficę mulierculæ non raró fecerunt arte sua, quę diabolica est, repente enasci herbulas, & interdum veras dissultare ranas, sed de eiusmodi effectis, videndi sunt *Boissardus* toto libro de Diuinatione, & *Martinus Delrio* lib.6. Disp.9. Mag. c.2. præsertim Sect.3. q.3. ac demum dicendum effectus naturales fieri quidem semper à causa naturali, sed quandoque sola, quandoque artis consortio, vti & nos diximus ad 2. Physicorum *S. Thom.* & docuit *S. Thomas* 2. cōtra Gent. c.75. 2 2. q.77. a.2 ad 2. & alibi frequenter.

Secunda probatio comprobat nostram doctrinam; quia directio, quam Logica speculatur in definitione hac mentali facta conformiter ad regulam Logicæ, *homo est animal rationale*, nihil est aliud, quam repræsentatio generis, & differentiæ hominis, siue repræsentatio rerum illarum, quæ sunt genus, & differentia, quæ sine dubio actui intrinseca est: fateor inibi in eadem definitione reperiri solere extrinsecum aliquid, nempe nomen, vel denominationem, qua dicitur regulæ conformis, & directa, ac definitio; sed hæc nomenclatura supponit rem, siue actum iam esse intrinsecè regulæ conformem, ac directum directione independenti ab eiusmodi nominibus, & appellationibus, quæ si pro libito non imponantur, non erunt.

Octauum fundamentum iecit ipse Author in hunc modum, quod actus directi proueniant ab intellectu præceptis Logicæ instructo, & ad ea attendenti, est actibus ipsis extrinsecum, & valde accidentarium: ergo directio eorundem à Logica intenta est denominatio extrinseca. Patet antecedens; quia quod actus proueniant directi ab intellectu regulis instructo, est eosdem fieri ab intellectu adiuto à regulis; sed a-
143 diuuari intellectum ad eos producendos, est tam ipsi intellectui, quam eius actibus omnino accidentale, & extrinsecum; siquidem tota entitas, & intrinseca essentia bonæ definitionis potuit fieri ab intellectu destituto quibuscunque regulis, casu, vel naturaliter; quod est manifestum indicium ad credendum, illi definitioni, & consequenter cæteris actibus directis, & intellectui esse accidentarium concursum, & adiutorium Logicæ artis: ergo huius obiectum non est intrinseca illorum directio.

Respondeo concesso antecedenti propter eius efficacem probationem, quę sanè conuincit esse quid accidentarium, & extrinsecum actibus, actu procedere ab arte, siue ab intellectu regulis artis instructo, & adiuto; siquidem absolutè loquendo, siue iuuamine contingere potest actus fieri directos casu, & forte fortuna, vt nos fateba- *Aristotel.* mur supra n.137. cum Philosopho; sed neganda est vtraque consequentia; quoniam licet verum sit actus ipsos, simpliciter loquendo, non postulare procedere semper, & omnes ab arte dirigente; tamen ars ipsa Logicæ, quandocunque adest, ex natura sua ordinatur ad inducendam, & confiderandam directionem intrinsecam in ipsis actibus: quod inde oritur, quia actus adligati non sint semper arti, ars verò semper eorum directioni quasi alligata est.

Exemplum clarissimum est in opinionibus huius docti magistri, ni fallor; quoniam videri Deum à Beatis, (imo & posse videri) & quodlibet obiectum cognosci à quolibet intellectu, extrinsecum quid est Deo, & cuilibet obiecto; quod est asser- *Aristotel.* tum à Philosopho *in Logica* cap. *ad aliquid*, & verissimum; quia ea obiecta intrinsecè æque bene se habent, si videantur, aut cognoscantur; ac si oppositum contingat; attamen quis audeat dicere visionem Dei, & cognitiones reliquorum obiectorum non tendere circa intrinseca Dei, & cæterarum rerum cognitarum, tamquam circa propria obiecta formalia: quare hæc non est bona consequentia. *hoc obiectum, vel effectus accidentaliter procedit ab ista causa; ergo ista causa quando ad il-*
lud concurrit, in eo non inducit aliquid 144
intrinsecum. Et ideo licet accidentale sit calori actu produci ab igne, potius quam à sole, aut alia causa; tamen ignis, sol, & reliquæ causæ per se ordinantur ad producenda intrinseca prædicata caloris, similiter contingit in proposito; nam licet alicui bonæ definitioni accidentale sit produci ab arte, potius quam à casu, vel natura; tamen ars dum concurrit, intrinseca definitionis intuetur; vt manifestum sit supra regulam, qui actus vitalis est, reflectenti...

CAPVT VII.

De modo, & necessitate concursus Logicæ erga actus aliarum scientiarum; vbi pulchra de ipsius inuentione, augmento, magnitudine, siue quantitate discreta.

SECTIO I.

Logica actualis practica, & quandoque speculatiua, concurrit ad actus aliarum scientiarum in genere causæ dirigentis, siue per modum doctrinæ directiuæ, sed non vt imitandum exemplar.

S. Thomas 22. q. 27. a. 3.

QVatuor dixi supra num. 17. & hic nunc repeto, esse genera, classésue causarum; tres sunt physicæ, nempe, *efficiens; materialis; formalis*; & quarta est causa moralis, quæ dicitur *finalis* sol v.g. est causa efficiens, quia producit lucem; materia prima leonis, quæ viuificatur ab eius anima, & informatur, dicitur, & est causa materialis, quia ex illa talis anima quodammodo fit, & in eius potentia, quasi in gremio recipitur: atque anima ipsa, quæ informat materiam, dicitur causa formalis; denique finalis causa est finis, & scopus quilibet, qui ab agente rationali per varia media intenditur.

Sunt præterea aliæ causæ morales, ita nominatæ, quia non physica influentia, producunt suos effectus, sed solum motione quadam, siue allicientia, suasione, vel dissuasione, aut instructione, directione, ac doctrina, & exemplo, vt perspicuè declarabam olim ad 2. Physicorum in q. de causa finali; atque eiusmodi causas morales solent doctores reuocare ad classem aliquam ex dictis; nempe quamlibet, ad illā, cui in modo operandi magis videtur assimilari. in præsenti disquirimus vtrum Logica concurrat cum intellectu nostro, efficiendo actus aliarum scientiarum physica influentia, vel solum morali, instruendo, ac dirigendo ipsum, vt iam magis declaro.

145

Residere solent in intellectu metaphysici hominis, exempli causa, regulæ Logicales, quæ illum docēt efficere modos sciendi varios; quarum è numero hæc est vna. *Omnis definitio mentalis debet repræsentare genus, & differentiam definiti*, quæ regula instruit illum hominē, ac docet ipsum intellectu suo dicere, ac producere hanc definitionem, *homo est animal rationale*. est ergo præsens difficultas, an illa regula præsens, aut eius memoria efficiat actione physica definitiones, vt assolet sol efficere lucem, & ignis calorem; vel solum ad eas concurrat dirigendo, eas sic moraliter causando, vt solet bonus consiliarius, & verus amicus bono suo consilio suadere, & persuadere, ac docere, vt faciamus aliquod bonum opus, idque suo illo consilio, ac directione, nobiscum quodammodo coefficere, In qua re quidquid dixero de illa regula particulari, comparatione definitionis, de cæteris respectiuè dictum esto.

Dicēdum ergo primo est *illa regula Logica non producit physica actione actus definitionis, ad quos dirigit intellectum.* Probatur primo à priori, quia actus intellectus sunt steriles in ordine ad alios actus eiusdē intellectus efficiendos; sed prædicta regula est actus intellectus; ergo nō potest producere definitiones, qui etiam sunt actus intellectus; maiorem admittit cōmunis sententia dicens nihil produci ab actibus intellectus, nisi habitus; & probatur, etenim intellectus solus cum suis speciebus non solum potest producere bonas definitiones cum sola directione regulæ; sed etiam non raro eas produxit, etiā in absentia regulæ quando casu effecit definitionem; ergo regula non concurrit, nec potest concurrere ad actus physico cōcursu. patet consequētia; quia superflua, & frustra foret, & nō necessaria eiusmodi effectiua potentia, cū sufficiat potentia sola intellectus, *at natura nihil fecit frustra, nec multiplicauit causas sine necessitate, ne quid superfluum esset in natura.*

Aristotel. de Gen. animæ. 4.

Probatur id ipsum secundo; quoniā si regulæ Logicales coefficerēt cum intellectu actus, ad quos dirigunt, haberent maximā potentiam, & virtutem maiorem, quā petit earū limitata natura; nā exercerēt eiusmodi efficientiā non solum erga omnes actus naturales suæ lineæ, sed erga supernaturales etiam, ad quos etiam dirigenter Logicā cōcurrere monstrabo, quando inferius tractē de practica scientia, vbi ostendam hominē instructum illa regula, quæ docet facere de quacunque materia definitiones, posse ex ipsius ductu elicere definitiones etiam supernaturales, si aliunde habeat vires supernaturales ad earum effectionem. Concedere autem regulis naturalibus Logicæ 146

vir-

virtutem effectiuam, & plusquam directiuam in actus supernaturales, nemo audebit: quia impossibile omnino videtur rem inferioris ordinis producere rem se longe superiorem.

Probatur tertio ratione alia efficaci; nam illa regula Logicæ vocalis, *omnis definitio vocalis debet constare vocibus vnicuique significantibus genus, & differentiam*, non concurrit physicè ad hanc vocalem definitionem. *homo est animal rationale*. quia isti soni, & voces non producuntur ab illa interiori regula; sed à gutture, palato, & lingua, & reliquis vocum instrumentis: rursus minus producitur ab illa regula vocum significatio, quæ longè antea iam erat; & idem argumentum facio de illa regula Logicæ realis, *omnis definitio realis debet constare rebus, quæ sint genus, & differentia*. quæ sine dubio nihil producit circa genus, & differentiam. Ergo nec Logica mentalis producit physico concursu artificiosos actus, ad quos dirigit intellectum, antecedens est certum; consequentia patet à paritate.

147 Dicendum ergo est secundo *Logicã concurrere ad actus aliarum scientiarum directiuè dũtaxat; siue solum in genere causæ dirigentis*; & probatur, etenim Logica cõcurrit ad actus scientiarum, vt nemo negat, sed non concurrit efficienter, ergo concurrit dirigenter. Ita placere videtur *S. Thomæ* (S. Thom.) supra appellanti Logicam artem directiuã operationũ intellectus. & in 3. distinct. 34. art. vltimo, de 2. dicenti. *scientia autẽ practica quamuis sit quodãmodo causa operationis, in quantum dirigit in opere, non tamen est sufficienter causa, quia ab ipsa non producitur res, nisi adsit potẽtia actiua rei.* vbi artibus, seu scientijs practicis attribuit S. Doctor directionem ad opera, & secundum eam, quodammodo nomen causæ: alteri verò potentiæ attribuit effectionem operum; nempe effectiuis potentijs, quæ simpliciter causæ efficientis nomina merẽtur. Hæc item doctrina placet *P. Hurtado* disp. 2. Logica, sect. 3. & *Arriaga* d. 3. sect. 5. & plerisque Recentiorum, qui loquuntur de sola Logica actuali non habituali; & meritò; quoniam hæc nec instruit nos, nec manuducit ad aliquid faciẽdum, sed solum reddit nos faciles ad eliciendas Logicales regulas, à quibus proxime instruimur: quare si placet tibi, dicito remote etiam nos instrui à Logica habituali.

Rogati autem prædicti magistri de qua Logica intelligenda sit prædicta doctrina, de Logica practica, an etiã de speculatiua? respondent solum de practica; quoniam ipsa sola tradit practico modo præcepta ad praxim, & opus. Ego verò *dico Tertio, non solum directiuè concurrere ad actus aliarũ scientiarum Logicæ regulas practicas, sed etiam posse, & solere eodem genere causæ concurrere Logicæ plurimos actus speculatiuos*; dictum probo ex eius sola declaratione. Etenim quicumque volet facere mentalem definitionem, æque bene instruitur ad illam efficiendam per illam regulam practicam. *Omnis definitio mentalis repræsentare debet genus, & differentiam rei definiendæ*; atque per hunc actum omnino speculatiuum, & ad opus ex natura sua non ordinantem. *Definitio mentalis est actus repræsentans genus, & differentiam definiti.* Ergo æque bene fieri potest hæc definitio. *homo est animal rationale.* ex directione 148 illius regulæ, atque ex directione huius iudicij speculatiui; Antecedens est certissimum, & experientia compertum.

Vnde colliges primo, simpliciter loquẽdo, sufficere Logicã speculatiuã ad directionẽ actuum aliarũ scientiarũ; sed nõ quamcumque, sed illam tantum, quæ definiat modos sciendi, & alios artificiosos actus, & taliter eos declaret, vt inde ansam sumere possimus ad eos efficiendos.

Colliges secũdo, eiusmodi actus speculatiuos esse practicos per extrinsecam denominationem illis prouenientem à praxi, siue ab actibus directè effectis ex eorum ductu; negandum tamen non est existere etiam regulas toties inculcatas, quæ sunt actus practici duplici ratione, & titulo, alio intrinseco; nam regulæ sine dubio ex natura sua ad opus ordinantur; & alio item extrinseco, qui est praxis, siue opus arte factũ, à quo non minus practicæ dicuntur regulæ, atque prædicti actus speculatiui practici dici potuerunt; quare qui posuerint totã Logicam omnino speculatiuam, & solum practicam ab extrinseco, omnino falluntur. Hæc pauca addidimus propter curiosos quosdam iuniores, & quæ sequuntur.

Ad finem aduerti vellem à Discentibus Logicam non concurrere ad actus aliarum scientiarum in genere causæ exemplaris; sed solum per modum directiui documenti, vti declaratum est. Declaro me. Imago illa Saluatoris nostri est exẽplar obiectiuũ,

quod sibi proponet, dum velit pictor, ad similem depingendum; & quoniam quodammodo est in causa, vt fiat ad ipsius imitationem imago illa secunda, si verè euadit prototypo consimilis, dicitur illius effectus quodammodo, & illa istius causa exemplaris: in proposito vero nostro non congruè dicetur regulaLogica dictans modum faciendæ definitioni, eius exemplar, seu causa exemplaris; quia licet dirigat effectorem, & ostendat modum, quo defi-
149 nitionem efficiat, sed non euadit definitio consimilis regulæ, neque facta est ad regulæ imitationem, seù similitudinem; vt patet regulam ex vna parte, & definitionem ex altera contemplanti. nec obstat dici communiter actum directum esse regulæ conformem; nam sunt multi modi conformitatis, seù conformationis, valde differentes. conforme est exemplatum, siue imago exemplari, quia illius est expressa similitudo, vel in lineamentis respondens; & item conforme dicitur opus quodlibet artificiosum arti suæ, quia seruarit omnes conditiones artis, siue quia secundum eius imperium effectum est, licet aliunde in nihilo arti assimiletur;

SECTIO II.

Respondet argumentis Doctorum, qui putarunt Logicam coefficere actus aliarum scientiarum physica influentia.

ABulensis cap 18. in Matthæum. *Bachonus* in Prologo sent. q.4.a.1.opi. nati sunt Logicam efficienter concurrere ad actus reliquarum scientiarum, quos imitati sunt quidam Recentiores; quorum hæ rationes potuerunt esse fundamenta. prima est. quæcunque scientia facit suum obiectum, ergo & Logica facit actus aliarum scientiarum, qui sunt obiectum eius, vel saltem eorum actuum directionem. Respondetur negando antecedens, quia falsum est, vt patet in plerisque scientijs. *S.Thom. op.70. q.5.* etenim quis dicat à Metaphysica producta fuisse sua obiecta, inter quæ est vnum Deus. vel à Philosophia produci viuentia cum operationibus suis; sat erit scientijs, quę simul artes sint concurrere ad efficienda obiecta sua in genere causæ dirigentis, & reseruari efficientiam alijs magis proportionatis causis, & potentijs. quare in præsenti, intellectus simul cum habitibus aliarum scientiarum, si hi adsint efficient actus, & eorum directionem, præstante Logica auxilium, dirigendo.

Secunda ratio est, qui diù se exercuit in syllogismis, alijsque modis sciendi eliciendis, experitur in se facilitatem mirabilem 150
in repetendis actibus eisdem; quod indicium est Logicam coadiuuare intellectum coefficiendo cum ipso prædictos actus; ergo. Respondetur eam facilitatem prouenire ex memoria prompta regularum, non quia ipsæ efficienter concurrant, sed quia dirigenter, & præsto.

Tertia ratio est. scientia speculatiua non est operatiua, nec efficit aliquid de obiecto suo, neque circa ipsum; ergo practica, quæ est illi opposita, est operatiua, & effectrix. antecedens est certum. consequentia probatur primo. quia communiter dici solet scientiam practicam versari circa suum obiectum *modo compositiuo*, id est producendo, & componendo, siue coniungendo formam cum materia; ad differentiam scientiæ speculatiuę quæ dicitur ferri in obiectum *modo resolutorio*, idest, resoluendo veritatem obiecti, & eam reducendo ad sua principia. Probatur secundo. quia *Aristoteles* *Aristotel.* 8 Top c 2. & 2 Meta. tex.4. artes vocauit *actiuas*, *& factiuas*; quia, videlicet ipsæ, agunt, & efficiunt. Probo tertio eamdem consequentiam; quia non satis est, quod dirigenter concurrat scientia practica, si distinguenda propterea est à Logica speculatiua; quia hæc etiam dirigit, vt dicebam supra Sectione præcedenti, §. rogati autem.

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; nam licet scientia practicà, & speculatiua in eo conueniant, quod neutra efficiat obiectum suum; in alijs multis differunt sufficienter; illud est potissimum discrimen, nam scientia practica procedit circa obiectum practice dictando modum, quo fiat opus artificiosè, & ad opus ex natura sua ordinatur, tanquā ad finem; Secus multo est, & modo opposito scientia speculatiua, quæ de opere quasi nō curans sistit in contēplanda, sciendane veritate obiecti; ideo scite dixit *Arist.* *Aristotel.* 2.Meta.c.1. *contēplatricis*, seu speculatiuę scientię *finis, veritas practicæ autem opus*. & ibi *S.Thom.* lect.3. & 1.p.q.14. art.16. *S.Thom.* quid-

quidquid sit (obiter respondeo ad tertiam probationem præueniêdo) si aliquando, qui habet scientiam speculatiuam de definitione v.g. contemplando,& cognoscêdo, quod ea sit actus repræsentans genus, & differentiam, inde ex ea notitia speculatiua sumat occasionem, & ansam ad efficiendam, vt potest, definitionem; sed omnino præter intentionem actus, & notitię
151 illius speculatiuæ, quæ neque ad id opus ordinatur, neque ad id dictando inclinat vt fiat, vt assolet notitia practica, licet large loquendo possit dici directiua, non propriè vt scientia practica, sed per extrinsecam denominationē ab effectu, quasi ex eius directione,& instructione, producto.

S.Thom. 3.Ethic.l.3. Ad primam probationem dico sciētiam practicam ideo dici ferri in obiectū *modo compositiuo*; non quia illud propriè efficiat sed quia de more habet applicare, quãtum in se est voluntatem artificis, vt opus fiat; quod est componere artificē cum opere, quod non solet, per se loquendo, facere scientia speculatiua, contenta cum notitia veritatis, & principiorum eius, v.g. cōtemplando lucē existentē, & solē vnde nascitur, aut aliud quoduis, quod vsu venit esse lucis principiū, nullo modo curãdo, aut procurando, quod sol producat lucem.

Aristotel. Ad probationem secundam dices *Aristotelem* diuisisse quidem artem in actiuā, & factiuā;& *actiuam* vocasse eam, quę versatur circa actus, seu actiones internas immanentes intra artificem; quales sunt Logica mentalis, & Philosophia moralis, quę tractant de dirigendo actus intellectus, & voluntatis, immanentes intra hominem: *factiuam* vero artem appellauit illam, quæ versatur circa opera externa, vt est architectura, & pleræque artes mechanicæ: sed tamen eis vocabulis noluit significari Philosophus, quod istæ artes propriè efficerēt obiecta sua,& physico aliquo concursu, cum sat fuerit directiuo.

Quarta ratio pugnat contra secundam conclusionem. etenim si Logica, directiuè concurreret ad actus scientiarum omnium, posset dirigere etiam actus supernaturales; hoc videtur superare Logicam; ergo Logica non concurrit directiuè. Respondeo cōcedêdo maiorem, neque excedit Logicæ perfectionem concurrere directiuè ad actus supernaturales; quamuis in eo euentu materia superaret artem; excedit quidem illius perfectionem in eiusmodi actus physicè influere, & propterea 152
physicam causalitatem illi negamus, non verò directiuam: quod enim Logica generaliter doceat abstrahendo ab omni materia, *omnem syllogismum in Barbara constare debere triplici propositione vniuersali cum cæteris requisitis*: aut *omnem definitionem mentalem debere repræsentare genus, & differentiam definiti*: licet contingat hominem eis documentis instructū efficere syllogismum, & definitionem de materia supernaturali, seu eliciendo actus supernaturales, nō arguit tantam perfectionem, quanta reperiri non possit in illis regulis naturalibus; præsertim si dicamus, vt dicimus, eiusmodi regulas improportionatè tangere, ac versari circa eos modos sciendi supernaturales; sicut versari solent actus fidei, charitatis, & spei omnino naturales in homine hæretico, erga Deum omnino supernaturalē, quod tradūt multi Theologi,& colligo ex *S.Thom.*3.d.23.q. 3.a.3.q.2. vide *Lorcam* t.2. Sect.6. de gratia, d.9. & *Suarez* t.1. de gratia. l.2.c.15. S.Thom.

Quinta ratio est. si Logica concurreret directiuè ad actus, esset pessima ars; quia directiuè concurreret ad pessimos actus; nempè, ad hunc syllogismum v.g. quisquis male agit est malus, Deus male agit, ergo est malus; quem syllogismum non faceremus si Logicam directionē non sciremus. Respondeo pessimum esse argumentum,& solutione indignum, sed tamen patienter illi respondeo secundum doctrinā optimā, ac scitu dignam *S.Thomæ* in 1.2.q.59.a.3. in 1.& ad 1. Logicam per se tantum curare de recta dispositione materiæ, materiā nullā assignãdo, sed ab omni abstrahendo: quod verò inde consequatur aliquis error, nō est in culpa Logicę, sed hominis ea abutentis,& eius regulis, applicantis se ad peruersā materiā; nō peccat sigillum signando applicatā sibi materiā, sed qui supponit falsam, siue adulterinā, in fabricā falsę monetæ: ita in proposito cōtingit. quare optima est Logicę ars. lege ad propositū hoc *S.August.* t.3.l.2. de doctr. Chr. cap. 35. S.Thom. S.August.

Sexta ratio est contra nostram illam vltimam aduertentiam dicatam Tyronibus, & sic est. regula Logicæ docens facere bonas definitiones, v.g. est causa exemplaris definitionum; ergo negari non debuit Logicam concurrere in genere causæ exem- 153

plaris; probo antecedens, quia Logica dirigit ficut & dirigit exemplar, quod si Logica est causa exemplaris, vlterius fit esse causam efficientem; nam omnis causa exemplaris reduci solet ad causam efficientem.

Respondeo negando antecedens; quia hæc regula, *omnis definitio repræsentet genus, & differentiam definiti*, præsertim cū sit tam generalis abstracta ab omni materia, nequit esse exemplar huius particularis definitionis *Petrus est animal rationale*, siquidem hæc ad similitudinem regulæ illius facta non est, licet facta sit ex illius manuductione, & imperio directiuo: nō enim quidquid dirigit vt aliud fiat, eius est exemplar; prauum consilium docet dirigendo quo modo furtum fiat, & tamen tale consilium non est causa exemplaris furti; requiritur ergo præter directionem, quod effectus euadat similis rei, quæ dicenda est effectus exemplar, seu causa exemplaris. quare concedo, quod quidquid exemplar est, dirigat, sed non quidquid dirigit, exemplar illico est: Vnde artes omnes licet dirigant ad opera, horum exemplaria non sunt. Scio S. Thomam in 4. dist. 9. q. ad quartam quæstionem, appellasse *scientiam practicam exemplar factiuum*, quod in sensu minus rigoroso, & S. Doctoris, verum est; quatenus opus artis, seu scientiæ practicæ euadit quasi simile, idest factum conformiter ad eius præcepta, & regulas. denique quamuis Logica esset exemplar proprie, non propterea esset causa verè efficiens, sed per translationem, & metaphoram, sicut de facto est: nos enim eam reuocamus ad causam efficientem propter aliqualem eius cum hac similitudinem.

S. Thomas.

Sed instas. Hæc est Logica definitio. *Homo est animal rationale*, & est exemplaris causa illius alterius definitionis *equus est animal hinnibile*, quamquis efficere potuit imitando illam priorem; ergo Logica concurrit in genere causæ exemplaris. antecedens videtur concedi à nobis supra Cap. 5. Sect. 2. parte Sectionis 3. & pro-

154 batur quia qui fecit definitionem equi secundam, fecit ipsam ad imitationem primæ, ponendo in ea definitum, & eius genus, & differentiam; sicut in priori sunt posita; ergo. Respondeo negando antecedens, illa enim definitio est Metaphysica, non Logica, licet, vt loco allegato diximus, possit assumi à magistro Logicæ pro exemplari, & directiuo, vt facilius declaret se cum discipulis, & hi facilius discant, & proficiant; vt inibi fusius prosequutus sum.

Vltima ratio est, Logica habitualis practica nō concurrit directiuè ad actus aliarum scientiarum; ergo aliqua pars Logicæ practicæ ad actuum directionem non currit. Respondeo remotè solum concurrere Logicæ habitum ad actus aliarum scientiarum, quatenus inclinat facilitando intellectum ad eliciendas regulas actuales, quæ immediatè, & proximius vno modo dirigunt ipsum intellectum ad efficiendos actus aliarum scientiarum: quod satis superque est ad hoc, vt verum sit, quod omnes partes Logicæ practicæ directiuè concurrāt ad prædictos actus, nempe vnaquæque vt potest, & secundum modum, & genus suum.

SECTIO III.

Antequam decernatur quam necessaria sit Logica ad alias scientias acquirendas, præmittit certa apud vtrimque disputantes; vbi modus, quo Logica ars est inuenta, & excreuit; & iterum Logica naturalis, & artificialis dilucidè proponuntur, & exponuntur.

Lubet propter nonnullos doctos magistros, quibuscum in hac parte magnū, sed amicum nobis dissidium est, aliquot quodlibeta certa, receptaue apud omnes, in omnium tamen, præsertim dissentium obsequium illustrata præscribere.

Primum placitum est, tripliciter, dici, & esse aliquid necessarium; primo modo simpliciter, vt necessarius est oculus ad vidēdū, & cibus ad viuendū; secundo quasi simpliciter, siue vt dici solet, necessario ex suppositione; quomodo necessarius est equus ad iter longum agendum, etiam homini robusto, supposito, quod velit peruenire ad locum, quo pergit, facile, & sine fatigatione: Tertio modo dicitur aliquid necessarium, siuè vt rectius loquamur, vtile, & ad melius esse, quo pacto necessarius est equus homini robusto ad eundem Perusium, quo licet absolutè posset ire pedes, sed melius, & facilius ibit eques. 155

S. Thom. 7. Phys. l. 15. & 1. 2. q. 19. a. 3.

Secundum placitum commune est; Logicam naturalem esse simpliciter necessariam

riã ad acquirendũ alias ſcientias,ſiue ad cõparãdam ſcientiã, & notitiam comprehenſiuam rerum omnium ; quod eſt indubitatum; quoniam ſine intellectu , ac ſine eius aliquibus actibus , qui ſunt Logica naturalis , vt iam expono, haberi nullo modo poteſt ſcientia definitiua, nec diſcurſiua;ſicut nec concluſio certa, & euidens deducta ex præmiſſis certis, & euidentibus ; neque alius quiſpiam bonus actus, vti nemo non ſcit, & videt.

Eſt quippe Logica naturalis in actu primo intellectus, in actu verò ſecundo eſt, vel ſunt quædam naturaliter habita dictamina, & quaſi practica iudicia, & regulæ particulares, quæ nos hic, & nunc ex præſenti, & occurrenti materia, docent facere definitiones, ac diuiſiones , & ſæpius , faciles aliquos ſyllogiſmos ; vel quandoque etiam difficiles , quaſi dictando hoc, vel illo modo fieri poſſe iſtos modos, ſeù formulas ſciendi, quibus ſcitur, ij enim notitiæ ſcientificæ ſunt ; ſed eiuſmodi practica iudicia ſemper, & neceſſario prælucent, ac præcedunt in intellectu ad quidquid facere volumus, *nihil enim volitum quin præcognitum*. neque ſpeciale quid dicimus in materia præſenti, vt libro tertio de anima edocemur.

S.Thom. 1.2.q.9.a.1 Ariſtotel. tex. 54. 3. de anima.

156 Quæ dictamina verſantia circa materias particulares, intellectus ſine ordine aliquo artificioſo, & ſine magiſtro concipit, & illis vtitur, ac dirigitur in rerum occurrentium cognitione, quaſi ſponte ſua ſibi imperando,ac dicendo ſic, v.g. hoc prædicatum poteſt rectè de illo ſubiecto dici, & illud negari ; & ideo vocantur Logica inchoata, & imperfecta ; quia nimirum non ſunt vniuerſalis, & in bonum ordinem digeſta, neque pro omnibus, neque à doctoribus approbata.

Sunt item Logica naturalis alij actus ſpeculatiui , quibus reflexè examinat intellectus, & videt an ſua prædicatio facta, euaſerit conformis dictamini Logicæ naturalis : vt verum ſit, quod indicat *Ariſtoteles* 1.Rhet. cap.1. homines Dialecticos, & Rhetores eſſe caſu, aut temerè, natura, vel arte adminiculantibus.

Ariſtotel.

Logica vero artificialis ex naturali oritur ; ea enim ſunt regulæ generales ſancitæ poſt illas particulares cognitiones naturales, ſeù dictamina naturæ, docentes non iam in aliqua determinata materia, vt ſolebant regulæ naturales, ſed in generali, & ab omni materia abſtrahentes, quo pacto fiant modi ſciendi, & reliqua Logica artificis; atqui eiuſmodi regulæ generales, ſcientia ; ſiue Logica artificialis nominantur, tum quia ad opera artificioſa nos dirigunt , tum etiam, quia diuturna experientia, & obſeruatione diligenti doctiſſimorum hominum ſunt inuentæ , & nobis ab eiſdem traditæ ordine, & methodo digeſtæ, coniunctæque hinc inde, in vnam integram ſcientiam componendam;additis nonnullis terminis, ac nominibus, quibus præfatæ regulæ artificiales diſcentibus magis eluceſcant ; quoniam, *omnia*, inquit *Craſſus* apud *Ciceron.* de Oratore , *ferè quæ ſunt concluſa nunc artibus diſperſa, & diſſipata quondam fuere* , quod eſt verum, non tantum, quia traditæ ſunt in principio regulæ generales ſine ordine ; ſed etiam, quia aliæ regulæ ab alijs , aliæ ab alijs Philoſophis ætatis diſtinctæ, ac regionis, inuentæ fuerunt. *nec enim omnia potuere ſinguli, aut omnes.* vt repetam inferius. neque, vt ait *Agricola* l.2. cap.5. *quiſquam idem artem reperit, & abſoluit.*

Ariſtotel. 2.Elen.fine

157

Tertium placitum commune eſt ; Logicam naturalem declaratam ſufficere, non ſolum ad eliciendas mentales propoſitiones certò, & euidenter cognoſcentes prima, quæ vocant principia ; & conſequenter ad acquirendam notitiam, & ſcientiam eorum principiorum. talis eſt illa cognitio, qua quis indubitanter dicit . *totum eſt maius ſua parte*,& illa. *æquum eſt tribuere cuique ſuum* , & ſimiles ; ſed etiam ad faciendas aliquas formulas , ſeù modos ſciendi faciles ; quales ſunt definitiones aliquæ diuiſiones, & non paucæ argumentationes , præſertim primæ figuræ : Vnde vel ruſticani homines ſcientificè efficiunt ſyllogiſmos plures ; quales ſunt hi, & ſimiles. Omnis Rex habet Vaſſallos , iſte eſt Rex, ergo Vaſſallos habebit. omne totum eſt grandius ſua parte ; cælum eſt totum, & ſol eius pars ; ergo Cælum grandius eſt ſole; efficiunt autem eos ſyllogiſmos ſcientes quidem, & ſcitè ; & ſcientes cognitione reflexa de bonitate illationis, ſe ſcire, quod concludunt ; omnino tamen inſcij, & ignorantes artificialium , ſeù generalium regularum ; idcirco dixit *Ariſtoteles* 1.Elench. cap.11. *Dialecticam naturalem* 158

Ariſtotel.

esse eam, quam omnes etiam illitterati participant.

Et ratio doctrinæ præter experientiam est, etenim saltem aliquis syllogismus, & saltem aliqua bonitas illationis in vnoquoque modo, & vnaquaque figura, atque etiam aliqua definitio, & diuisio, & ipsarum bonitas patere debuerunt lumini naturali siue humano intellectui, quæ forent initium, & occasio inueniendo Logicam artificialem, artem syllogisticam, & artem definiendi, diuidendi, & bonas alias prædicationes efficiendi, ne processus in infinitum fiant, quin ad initium Logicæ, idest, quin ad regulas aliquas primas naturalis Logicæ, & certas cognitiones, quas aliquando habuerint primi inuentores, deueniatur. *nihil est enim* (aiebat *Crassus* apud *Ciceron.* lib. 1. de Oratore) *quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, vt ex ijs rebus, quarum ars non dum sit, artem efficere possit.*

Et meritò hæc dixit iste Philosophus; neque enim potuit quispiam artis syllogisticæ v. g. inuentor statuere regulã generalem pro faciendo syllogismo conuincenti, nisi præhabuerit scientiam de ipso faciendo, experimentis multis comprobatam; & consequenter, nisi effecisset, non dicam vnum syllogismum vnius materiæ, sed plures diuersarũ, factos ductu naturali, & quandoque labore immenso; & item examinatos Logica naturali speculatiua.

Quoniam dicendum non videtur Logicæ regulas primas à Deo infusas fuisse, non tantum primo Parenti Adamo, sed illas etiam obliteratas ex hominum memoria, rursus à diuina prouidentia fuisse traditas Aristoteli, & primis Logicæ inuentoribus; oppositum enim magis congruum videbitur, & agentibus rationalibus magis conforme, à quibus exerceri vult Deus O.M. talenta, hoc est potentias cognoscitiuas, in quibus tamquam in semine reliquit, ac dedit hominibus omnes artes, ac
159 scientias. præterquam quod placitum Deo fuit, vt dicitur Eccli. 1. propter altissimos fines, dare *filijs hominum hanc occupationem pessimam*, siuè laboriosam, *vt occuparentur in ea*; nempè voluit, vt proponerent in animo suo *quærere, & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole*. Consentiunt *Aristoteles* Sect. 30. *Problem.* 4. dicens quod *omnes scientiæ, artes què nostra opera sunt*, & *S. Augustin.* to. 1. lib. 1. Retr. cap. 8. *Aristotel. S. August.*

Quo autem modo, & ordine Logica, & eius regulæ inuentæ sint, & auctæ, docent Recentiores ex *Cardin. Toleto* q. 1. §. ad 5. ab imperfectioribus prius inuentis ad inuenienda perfectiora processisse intellectum; ità quod adiutus primo à practicis iudicijs Logicæ naturalis acquisiuerit, & inuenerit vnam partem è facilioribus Logicæ artificialis; & postmodum adiutus ab hac Logica facili artificiali inuenta, inuenerit aliam partem difficiliorem, & sic deinceps vsque ad Logicam consummatam fuisse progressum, semper cum adminiculo Logicę facilioris inuentę.

Ego autem hunc modum inueniendi Logicam, & augendi, difficilem iudico, ne dicam impossibilem, nisi congruentius à suis authoribus declaretur, vt ostendo efficaciter infra num. 173. Melius sensit *Crassus* supra, & clarius Aristoteles nobis declarando modum, quo generaliter omnes artes sunt inuentæ tum alibi, tum lib. 1. Metaph. cap. 1. dicens, *per experientiam enim ars, & scientia hominibus proueniunt, experientia enim, vt rectè Polus ait, artem genuit; inexperientia fortunam, fit porrò ars, cum ex multis experientiæ notionibus vna de similibus existimatio in vniuersum oritur.* & ipse *Aristoteles* prosequitur monstrando modũ, quo excreuere artes in lib. 2. Elenchor. cap. vltimo ibi, *quod & circa Rhetoricas orationes accidit; penè autem, & circa alias artes omnes; nam qui principia inuenere, omnino ad exiguum, id perduxerunt, qui autem nunc celebriores habentur, vendicantes à multis velut è successione particulatim colligentes, sic auxerunt. Tisias quidem post priores; Trasimachus verò post Tisiam, Theoderus autem post hunc, & multi multas coadunauerè partes: quapropter nihil mirum, si in amplum quidem creuerit ars*; & post subiungit. *de Rhetoricis quidem erant multa, & antiqua dicta: de syllogismis autem omnino nihil habuimus prius aliud quidquam, quod diceremus, quam mera perquirentes multo tempore insudauerimus.* *Aristotel. S. Thom. ibi, & 2. Ethic. l. 11. Aristotel.* 160

Quapropter animaduertentes primores illi nostræ artis inuenrores aliquas formulas, siue modos sciendi casu, & temere,

vel

vel sæpius naturali lumine elicitos: v.g. definitiones, diuisiones, & varios syllogismos rerum essentias declarare; benè concludere, ac generare in nobis scientiam; eiusmodi formulas, & modos pensitabant attentè, & adhibita doctorum aliorum hominum consultatione, examinabant, quas conditiones, quas proprietates, ratione quarum scientiam generarent, haberent; applicabant deinde semel, & iterum eamdem illam formam varijs alijs materiebus, vt de ea an fidelis esset, periculum sumerent; experirenturque repetitis actibus, vtrum ea forma idonea esset semper, & vbique siue in quacunque materia, ingenerandæ scientiæ; ac post diuturnas experientias, & plures cognitiones scientificas, quæ illis fuerunt totidem firmæ probationes fidelitatis regulæ naturalis, cuius ductu fecerant illas experimentales cognitiones, tulerunt regulas generales, & ita sanxerunt. *Omnis definitio debet constare genere, & differentia definiti. Omnis syllogismus perfectus debet constare his, & illis præmissis talibus, aut alijs proprietatibus affectis*; & ita reliquas generales regulas fecerunt, quæ omnes coniunctæ componunt, & adintegrant Logicam artificialem. Vnde merito voluit Philosophus exemplificando in Dialectica 1. Rhet. cap. 2. artium præcepta esse vniuersalia: quia *singularia sunt infinita, & nequeunt scientia contineri*.

161 Dedit itaque arti dialecticæ, sicut & cæteris, natura principium; & cuius regulæ generali Logicæ initium fuit opus rectè factum solo dictamine naturæ, siue, vt plenius loquar, initium fuit etiam regula particularis Logicæ naturalis, quæ direxit vt illud opus fieret. præclarè rem hanc declarat. *Fabius* in simili lib. 3. de origine Rhetoricæ artis ibi, *initium ergo dicendi dedit natura; incrementum artis obseruatio; homines enim sicut in medicina cum viderent alia salubria, alia insalubria, ex obseruatione eorum effecerunt artem; ita cum in dicendo alia vtilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum, vitandumque, & quadam secundum rationem eorum addiderunt ipsi quoque. hæc confirmata sunt vsu. tum quæ sciebat quisque docuit*, & excreuit ars.

Tota hæc Fabij doctrina clara est, & conformis Aristotelii, & veritati; in eo ergo dissentio à modernis, quod nimirum ipsi putant partem Logicæ facilem, v.g. eam, quæ pertinet ad definitionem, Hoc est, regulam docentem facere definitionem, deseruisse intellectui vt inuentaret regulam pro faciendis syllogismis primæ figuræ, & sic deinceps. Ego verò non sic, sed credo vnam, & alteram definitionem, & plures factas in varijs materiebus ex directione, & regulis Logicæ naturalis, ritè prius examinatas, & longo vsu approbatas deseruisse ad inueniendam, & statuendam regulam generalem pro faciendis bonis definitionibus, cuius regulæ inchoatio fuit illa prior regula naturalis circa particulares materias instruens intellectum ad faciendas illas particulares definitiones experimentales; & similiter dico de arte, & regulis syllogismorū, nempè syllogismos plures factos iuxta eamdem formam, & naturalem regulam, post diuturnam obseruationem dedisse principium ad statuēdam regulā generalē pro syllogismis similis modi, & figuræ faciendis, vt magis declaro inferius à num. 173. itaque nulla fuit facta denuo regula generalis pro faciendo quouis modo sciendi artificioso, cuius antea non præcesserit executio in particulari materia, & exequendi regula naturalis. 162 fateor laborem hunc fuisse immensum, sed iam ab antiquis exantiatum, & ab Aristotele exaggeratum, dicente supra *multo tempore insudasse* in inuentione syllogisticæ artis.

Quo verò modo Logica excreuerit, facile est dictu, *Socrates* dicitur inuenisse modum faciendi definitionem; & Plato diuisionem; *Aristoteles* se iactat inuenisse artem syllogismorum; & alij posteriores regulas traditas iam olim illustrarunt; & nouissime nos nostrum calculum addidimus; sed præsertim curauimus colligere regulas aliorum, & illustrare. *Aristotel.*

Quartum cōmuniter recipi debet, quod est consectarium doctrinæ præcedentis; nempe solam Logicam naturalem sufficere & suffecisse ad omnes scientias comparandas, siue ad acquirendam scientiā rerū omnium modo etiam perfectissimo, suis tamen gradibus, & ordine supra dicto: quo modo postquam acquisiuit quis ductante Logica naturali, artificialem Logicam, potuit alias scientias acquirere, vnde

originaliter tota scientia manabit à Logica naturali. fatendum tamen est impossibile videri, quod ab vno solo, & Logica tota, & scientiæ reliquæ comparentur, quoniam ad id nec sæculi vita sufficit; sat erit si à pluribus scientiæ comparentur, his consonant *Aristot.* 1. Ethi. cap. 7. & ibi *S. Thomas* lect. 11.

Aristotel. *S. Thom.*

Quinto supponere debemus omnes, in præsenti *scientiarum* vel *scientiæ* nomine intelligi posse certam, & euidentem rerũ notitiam, tum diuisiuam, tum definitiuam, tum etiam discursiuam, idest, quæ sit diuisio essentialis, definitio, vel euidens conclusio; omnis enim huiusmodi notitia verè
163 est scientia, quamuis enim Philosophus sæpius solam notitiã discursiuam, siue quæ per demonstrationem habetur, scientiam appellet; tamen alia etiam indicia certa nõnunquam scientias esse fatetur tum alibi, tum lib. 1 Meta. cap. vltimo, & 6. c. 1. & 6. Ethicor. cap. 3. & lib 1. poster. cap. 3. ita loquitur, *nos verò dicimus neque omnem scientiam demonstratiuam esse; sed eam, quæ immediatorum est indemonstrabilem, vt patet*, subiungit *Toletus* ibi, *de dignitatibus & multis alijs propositionibus, quarũ cognitio scientia erit, & non per demonstrationem habita*. quare non est dubitandum quin scientiam perfectiorem haberemus, etiam si syllogistica arte non vteremur, si tamen arte definiendi vtentes, res per earum definitiones sciremus; quoniam definitionibus sapientissimi sunt Angeli, imo, & ipse Deus, qui vt docent Thologi, discursu, siue syllogismis non vtuntur; est quippe definitio rei Longè melior cognitio, quam quiuis discursus, qui definitiuus non sit, vnde eam merito nuncupauit *Aristoteles* 1. Topic. cap. 4 *terminum rei*, quia definitio *est oratio quid erat esse significãs*, & rei totius vndequaque comprehensio, ac terminatio, siue quasi cõclusio, ita quod nihil rei prætereat definientem.

Aristotel. *S. Thom. sup. nu. 30.* *Aristotel.*

Sexto in confesso est apud omnes omnino, & simpliciter necessariam esse Logicã artificialem hominibus ingenio tardis. & communiter incipientibus: illius enim regulis generalibus eos instrui oportet, vt diuidere, definire, arguere, ac iudicare de quanis re proposita sciant, *y aun plega Dios que baste*. solum ergo procedit difficultas de ingeniosioribus.

Septimo debuerunt supponere Recentiores acquiri solere à se ipsis, & à suis discipulis scientias, ad quas animos appulerunt mediante ea Logica, qua vsi fuerunt, aut vti potuerũt in earum scientiarũ fælici acquisitione, siue ea fuerit artificialis, siue naturalis, de quo modo non curo, sed in Sect. sequenti, & hoc vellem à Recentioribus adnotari diligenter, & firmę memoriæ commendari.

Ergo difsidium, & difficultas controuersa in eo solum sita est, an Logica artificialis practica, & simul speculatiua, quæ examinat an leges generales artificialis Logicæ, obseruatæ fuerint, simpliciter necessaria sit ad sciendum res omnes integre 164
vel saltem secundum earum difficiliores partes, perfecte comparandas. affirmant communiter moderni, nos negamus nouis, ac bonis quibusdam rationibus conuicti, proponendis iam in Sectione sequenti.

SECTIO IV.

Probat Logicam artificialem ad melius esse, non tamen simpliciter necessariam esse ad scientias perfectè comparandas; esse vero necessariam, ex suppositione, quod quisquam breuius, securius, & meliori ordine eas comparare desideret.

PErpensis SS. Patrum testimonijs; Dialecticorum placitis; & rationum momentis; ita defendam tituli huius triplex assertum, vt nemini fere contradicam si tamen, vt par est, communi consensu retineatur doctrina Sectionis præcedentis, saltem illa, quæ illis placitis receptis vtrinque continetur. ergo triplex assertum duplici conclusione complector.

Prima conclusio esto. *Logica artificialis non requiritur simpliciter ad acquirendas perfecte scientias sed solum ad melius, & facilius*, eam in primis videtur tradidisse *Aristoteles* quando dixit in 2. Metaphysic. cap. 3. *absurdum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi*, siue Logicam, *absurdum esse*, adnotarunt *Conimbricẽnses* hic q. 6. proœmiali art. 2. dixisse Philosophum, non prædiscere Logicã ante alias scientias, non impossibile, quoniam, valde possibile est, ac de facto fuisse acquisitas *Aristotel.*

siue

sine Logica artificiali, optime probat ex *Aristotele*, *Crasso* & *Agricola*, huius *Scholiastes Prisemius* ad lib. 2. de inuentione
165 Dialecticæ cap. 18. & alij complures.

Absurdũ quippe est post Logicę inuētionē fęlicē, eam nō præmittere ac pręediscere pręsertim rudiores, & segniores in intelligendo, tamquam idoneũ instrumentum ad sciendum, & facile discendum; quia scilicet, stulto quis labore consumitur, quando cum multo labore aggreditur opus difficile, quod facili negotio acquirere posset sumendo aliquod instrumentum, quod in proximo est. *quare* scite vbi supra aiebat Agricola, *ab arte fuit eis præsidium, potendum quibus natura segnior erat*.

Aristotel. Rursus ipse *Arist.* 1. Topic. 2. expresse fatetur Dialecticā vtile esse ad alias scientias cōparandas, & ad id facilitare intellectum; verba illius sunt. *Consequens autem est ex ijs, quæ dicta sunt dicere ad quot, & quæ vtile sit hoc negotium*, nempe Logicũ, *est autem ad tria, ad exercitationes, ad colloquia, ad eas, quæ secundum Philosophiam sunt, disciplinas. quod igitur ad exercitationem* (disputandi, ac disserendi subintellige) *sit vtile ex his perspicuum est, methodũ enim habentes, facile de proposito argumentari poterimus*, & paucis interpositis. *ad secundum philosophiam disciplinas, facilè in singulis intuebimur verum vel falsum*. Sane Philosophus non videtur putasse Logicā dare simpliciter posse, sed facilius posse ad scientias reliquas comparandas; quod si aliquando dixerit esse impossibile sciri reliquas scientias sine Logica; nomine illo impossibilitatis, solum significauit difficultatem rei; nam sæpe perinde valet impossibile, ac difficile: sicubi vero dicat & appellet Logicam necessariam, de necessitate ex suppositione, quod methodo meliori, & faciliori scire velis, expo-
166 nendus erit. quas ambas interpretationes germanas esse colligo ex allegato cōtextu.

S.Thom. Consonant *S.Thom.* fidelis interpres, dũ initio Poster. ita scripsit *sicut igitur ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinatur, ad inuenta est ars ædificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter, & ordinatè huius actus exercere possit, eadem ratione, ars quædam necessaria est, quæ sit directiua ipsius actus rationis, per quā scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè, & faciliter, & sine errore procedat; & hæc est ars Logica.* quibus verbis satis indicat S. Doctor Logicę artem non requiri simpliciter ad alias scientias, sed necessariā esse ad procedendum in earum acquisitione facilius, cũ ordine, & sine periculo errandi; neque enim maiori aliqua necessitate putauit Logicam requiri ad sua opera, quam artes reliquas, quarum ibi mentionem fecit, ad artefacta sua; quæ sine dubio constat fieri olim, & modo sæpe potuisse ante eiusmodi artes; & consequenter sine illis, ex solo lumine naturæ; nam manifestum est ædificia aliquot prima, eaque pulcherrima olim summo studio inuenta, & fabricata fuisse, vnde cœpit ars ædificatoria; & modo plurima denuo inueniri, & fabricari ex marte proprio artificum; illorum enim neque exēplaria, neque regulas habuere; ergo artes omnes, & inter eas Logica, non requiruntur ad sua opera simpliciter, sed vt faciliter ex earum directione fiant: legatur item *S Thom.* super Boetium de Trinit. vbi Logicam *adminiculum* vocat, quod prædisci oporteat, & ideo dixisse reor Victorinum allegatum à *Soto*. *potentia facit habilem ars vero facilem*. idest potentia dat posse simpliciter, ars vero posse faciliter. *S.Thom.*

Fauent *S. Augustinus* lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 36. ibi *scientia hæc* (Logica) *plurimum intellectorem iuuat*. iuuamen verò plurimum, sicut & mediocre, & paruum non solet requiri simpliciter, sicut nec dare posse simpliciter ad exequendum opus, conducit quidem iuxta suam mensuram, vt facilius possis id assequi, ad quod assequendum adiuuaris. *Clemens* item *Alexand.* lib. 6. Strom. quatenus Dialecticam comparat sępi, qua licet arbores, fructusque simpliciter non egent, vt sint, egent tamen, vt tuti sint. *S. August.*

Hæc est illa scientia, inquit loquendo de Logica citatus *Rodolphus* cap. suo 5. 167
quam apud Ciceronem Crassus necessariam formandis artibus putat. vbi Scholiastes subiungit *notum est Græcum illud οὐ πάντα ἀνδρὸς*, idest, non omnia possumus omnes, *quam tu differendi facultatem acceptam refers benignitati naturæ, ea mihi, & similibus mei, non nisi arte, & labore contingit; ego tuam istam felicitatem non inuideo tibi; sed & tu mihi ignoscas inuitem velim, si quod ingenio deest, id studeam sarcire industria, quamquam, & feliciotibus illis quanta ad felicitatem istam*

iſtā ſuā fieret acceſsio,ſi munus hec à Parẽte natura datũ, artis adiunctione reddere mallent illuſtrius;quam inertia obſcurare.

Vide quam pulchré oſtendit iſte Author Logicam artem, non ſimpliciter requiri, ſed naturæ, & ingenio etiam ſubtili auxiliari plurimùm ad ſciendum, quod ipſum comprobant Encomia,quibus communiter ſancti Patres videndi apud *Conimbricenſes* quæſt. 6. art. 1. & 2. collaudant Logicam artificialem, quam compellant *formatricem ſcientiarum: earumdem regulam:Clypeum humana mentis: ſolem; rationis oculum; ordinis ſcientiam; clauem auream;ſcientiam ſcientiarum*;quibus laudibus excitant non tantum ſegniores, vt Logicam præmittant,& prædiſcant,verum & ingenioſiores, vt eorum acre ingenium, & ſolera natura adiuuentur, & perficiantur ab arte.

Ex *Agricola*,& Scholiaſte *Priſſemio* deſcripſiſſe videbitur magiſter *Michael* de Medina dum in primo libro de *exercitio vera, & Christiana humilitatis*. lib.4. cap.19. circa finem ita Hiſpane habet. finalmente la Dialectica, aunque ayude, y habilite à los onbres para el conocimiento delas verdades y ciencias, però no de tal ſuerte es neceſaria, que ſin ella no ſe puedan ſaber, y alcanzar las demas ciencias y verdades. el primero que puſo la Dialectica en arte, fuè Zeno Eleates; y antes del
168 auia doctiſſimos Philoſophos en la Grecia, y en otras muchas partes. las naciones barbaras no conocieron eſta arte, y no ſolo Ioſepho Iudio, pero Euſebio Ceſarienſe, Theofilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, y los demas ſantos Padres de la Igleſia prueban à ver ſido ellas las authoras,y inuentoras de las ciencias, y auerlas dellas recebido la Grecia,y lo miſmo confieſa llanamẽte Platon,y Diogenes Laercio. Et concludit dicens,eſto digo no para negar que ſea bueno el vſo,que oy tenemos en las eſcuelas chriſtianas,de informar eneſta arte los que an de profeſſar las letras ſagradas, ò la Philoſophia, y medecina, que antes olgaria, que la Dialectica eſtubieſe tā pura y tan purgada de ſofiſterias,y niñerias impertinẽtes,&c.neq;reſolutioni huic

S. August. omnino contradicit Præceptor noſter *August.* licet dicat in Enchiridio c.9.de Philoſophis antiquis, *in eis, quæ inueniſſe gloriantur,plura opinātes potius,quā ſcientes.*

Demum huius opinionis fuerunt *Scotus* 2.Metaph.q.12.& ibidé *Iandunus,Iauellus* tract.1. in ſuo cõpendio Logicæ c. 4. *Conimb.*q 6 Procem.a.2. *Fonſeca*,t.1. Met. lib.1 cap.3 q.4. ſect. 2. vbi in fine ait *eſſe hāc omniū Philoſophorū ſententiā.Arriaga* d.3. ſect.4. multum fauent *Toletus* q.1.de Dialectica in communi prę ſertim concl.4. *Hurtado* d.1. Logica ſect.8. fine & diſp.2. ſect. 4. *Sorno* q.7.Procem. ac debent conſentire Recentiores alioqui cõtrarij ſi ſtare velint ſuis dictis ſupra cõmuniter receptis, & duobus principijs certiſſimus iam hic proponendis.

Altera pars Sectionis conuincit rationibus Logicam naturalem ſat eſſe, & fuiſſe ad ſcientias comparandas; & tantum abeſſe, quod Logica artificialis ad id munus ſit neceſſaria ſimpliciter; vt potius ad ipſius inuentionem alias ſcientias prababere debuerint illius inuentores. Sed prius proponit duo principia recepta ſine cõtrouerſia,

PRimum principium eſt axioma Metaphyſicũ,ab omnibus receptum,nempe quamlibet rem cuiuſuis prędicamenti cõſtitui genere ac differentia, res verò quæ ſunt extra prædicamenta cõſtitui prędicatis, quæ ſunt quaſi genus,& differentia.

Secundũ principiũ me docuerunt ſupra 169
Sect.ſuperiori Recẽtiores §. *tertiū placitū commune*,nẽpe, ſufficere Logicā naturalẽ ibi declaratā,ad faciẽdos faciles modos ſciẽdi, quales ſunt diuiſiones,definitiones, & ſyllogiſmi ad primā figurā pertinentes & ad dignoſcendā eorũ vim illatiuā. imò de facto factos fuiſſe ductu ſolius Logicę naturalis ſyllogiſmos etiā difficiles omnes,opinor me conuiciſſe efficaciter ſupra nu.158. tranctādo de Logicę inuẽtione,& augmento;ſed quidquid de hoc ſit, ſic argumentor primo, vt ex vtrinque conceſſis probem conclusionem primam.

Acquirere omnes ſcientias,eſt acquirere rerũ omniũ ſcientiā, ſiue earũ notitiā certā & euidentem;ſed eiuſmodi ſcientia,& notitia rerũ acquiri poteſt cum ſola Logica naturali; ergo Logica artificialis nõ requiritur ſimpliciter ad ſcientias cõparādas. maior eſt certa; probo minorem; quoniam cũ ſola Logica naturali poſſunt ſaltem viri in-

ingeniosiores res omnes definire eo modo, quo definiunt Petrum asserentes. *Petrus est animal rationale*, & consequenter habere rerum definitiones; sed eiusmodi definientes notitiæ sunt scientia perfectissima, vt demonstratum est n. 163. ergo sufficit Logica naturalis; maiorem concesserunt omnes magistri recentiores, quando dixerunt faciles modos sciendi, qualis est definitio, patere lumini, siuè Logicæ naturali; minor & consequentia sunt euidentes; atque idem argumentum formare possem, probando res omnes sciri posse ab ingeniosis formantibus syllogismos de quacunque materia, similes huic, *Omnis homo est animal rationale; Petrus est homo; ergo Petrus est animal rationale*; cuius structura, & bonitas illationis patent lumini naturali, vt contestantur ijdem Authores; & consequenter admittunt eos, qui habuerint eiusmodi definitiones, & syllogismos, non solū scire, sed scire se scire, quia sui sciri rationē posuūt ex solo ductu naturę reddere;

170 & merito ita sentiūt Doctores isti propter duo: primum est, quia facto modo sciendi, syllogismo sciētifico v.g. secundum dictamen Logicæ naturalis; statim reflectit intellectus Logica speculatiua examinando an dictamini naturali euaserit conformis, & item inspiciendo vim, & bonitatem illationis; secundū est, quoniā dicit *S.Thom.* infra referendus esse de ratione scientiæ, vt omnis, qui illam habeat, simul sciat scientiam se habere. *S.Thom.*

Sed dicet aliquis facilis definitio, & syllogismus, qualiter sunt, qui supra adducuntur, sine dubio lumini naturæ sunt patentes, & ad eiusmodi sat, superque est Logica naturalis; sed sunt alij modi prȩsertim, e syllogismis, maxime difficiles, ad quos efficiendos vix sufficiat Logica artificialis; ne dum sola naturalis. Respondeo, aut loqui aduersarium de difficultate formæ definitionis, & syllogismi, & eorum structuræ factu difficilis, aut de difficultate rerum, siue materiæ obscuræ applicandæ in forma, & figura: si loquatur de difficultate hac secunda, vt suspicor loquutos plurimos, saltat extra chorum, & fallitur, nec enim difficultas materiæ, & obscuritas superanda venit à Logica, quæ vniformiter procedit circa materias omnes faciles, ac difficiles; quia abstrahendo ab omni materia præscribit modum, & formam generalem seruandam vbique: Logici hominis, siue Logica vtentis munus est vincere, ac superare rerum difficultates ex auxilio aliunde petito, vt declaro magis inferius nu. 183.

Si autem loquatur de forma; longius errat; quia, vt modo adnotabam, forma est vniformis in omnibus syllogismis vnius modi, & figuræ; nempe in *Darij*; neque enim syllogismi eiusmodi, qui sunt faciles, siue materiæ faciles, seruant alias conditiones differentes, quas non seruent item difficiles.

Quapropter cum quælibet res ad quālibet scientiam pertinentes, habeant suas determinatas essentias constantes genere, & differentia vel quasi genere, ac differentia; ac genera, & differentias diuturna, ac diligenti obseruatione ab effectis, vel etiam à doctrina magistrorum, ac librorum lectione, possint ingeniosiores olfacere, & indagere; & postmodum applicare modo sciendi facili, nempe definitioni vel alicui syllogismo ex quatuor primæ figuræ, quorum fabricam, bonitatem, & proprietates, & infallibilitatem scientiam in nobis generandi, naturaliter cognoscimus; dubitandum non videtur, quin sine Logicam artificiali possimus scientias comparare, licet non sine longo tempore, magno labore, & errandi periculo, idquod contigit primis Logicæ, & scientiarum inuentoribus: quoniam necesse non est, vt obiter respondeam replicis, ad rei cuiuspiam essentiam cognoscendā, vti medijs difficillimis, siue transire per syllogismos difficiles, (dato, & non concesso, quod hi nunquā patere potuerint lumini naturali) sed sat, superque est rerum essentias scire, vel per definitionē, diuisionēue actualem, vel per syllogismum facilē, ac lumini naturæ patentem; qualiter sunt syllogismi omnes primæ figuræ, quam sic extollit *Arist.* lib. 1. *Poster.* c. 14. initio *figurarum autē maximè scientialis est prima.* 171 *Aristotel.*

Nec enim nobis hominibus necessariū fuit venire in notitiā rerum omnibus vijs, & capitibus, quibus illæ possunt saltem à Deo sciri, vnde quamuis possemus leonis cuiusdam, vel alterius cuiuspiam rei essentiam cognoscere mediante syllogismo posito in *disamis*, vel alio difficiliori modo, & medio requirente Logicam artificialem ad sui structurā, tamen simile medium nō requi-

requiritur simpliciter ad finem sciẽdi rem aliquam; quare id medium assumere superuacaneum fuisset, ne dicam absurdum; cum suppetant plura alia media faciliora, & ad sciendum, meliora, & magis secura; quales sunt definitiones, ac syllogismi faciles primæ figuræ; quibus debent reliqui, quidquid boni habent: & tunc demũ sunt boni,& securi,quãdo ad illos primos reducti fuerunt;& sane nullus sanæ mentis ausit dicere rem aliquam alicuius prædicamenti esse tam difficilẽ, quæ, vt benè sciatur, indigeat modo sciendi, aut syllogismo difficili, & ex imperfectis,quia illa per definitionem,aut facilem syllogismũ nequeat bene sciri.

172 Sed dices adhuc cum Magno *Alberto* cap.3. Prædicabilium, *nesciens Logicam, etsi scire aliquid videatur, nescit tamen, cum rationem sui sciti nesciat*. Vnde,& tu fateris habentes definitiones rerũ, vel earum scientificam notitiã deductam ex facili syllogismo,scire quidem res, sed nescire, se scire si careat Logica artificiali,cuius solius munus est,vt bene aduertit *Vasquez* alibi referendus,examinare, & approbare, quę sit scientia,& quæ nõ;& propterea dixit supra n.7. *S. Augustinus Dialectica scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest*. de habentibus autem sine Logica, scientiam, videtur loquutus satis ad rem *Aristoteles* 1.Metaphys.capit. 1. dicens. *isti de nullo scito dicunt propter quid; vt propter quid ignis calidus est; sed dicunt tantum, quod sit calidus*.

S. August.

Aristotel.

Sed falleris omnino, quoniam, qui definite sciunt res, earumque proprietates; vel eas syllogismo facili euidenti cognoscunt, sine dubio sciunt, & scire se sciunt; quoniam vt & ipsi aduersæ partis authores confitentur, eiusmodi definientes, & syllogizantes ductu solius Logicæ naturalis, facile sui sciti rationem reddent; siquidem bonitas definitionis, & illationis in facili syllogismo, naturali lumini apparet; quocirca illi non solum habent quasi materialiter scientiæ gemmam, sed bene norunt eius vim, & valorem. præterquamquod est vera illa doctrina *S. Thomæ* in 1.2. quæst. 112. dicentis esse de ratione scientiæ reddere habentem se, non solum scientem, sed scire se scientem; & merito; quia quicumque scit certo, firmiter, & sine formidine adhæret obiecto; id

S.Thom.

quod facili negotio scientia reflexa potest intueri. Verba Angelica sunt in art.5. *ad 2. dicendum quod de ratione scientiæ est, quod homo certitudinem habeat de his, quorum habet scientiam, & ideo quicumque habet scientiam, certus est se habere*. Etenim rogatus, qui Logica naturali conclusit. *Petrum esse animal rationale*, cur id certò sciat, facile recurret ad præmissas, asserendo se ideo ita conclusisse, quia sciebat aliunde, vel inductione. *omnem hominem esse animal rationale*, & *Petrum esse hominẽ* & sic in reliquis scitis medio modo sciendi facili,potest procedere quilibet ingeniosus ductu solius Logicæ naturalis.

Quare bene dixit *Albertus nesciẽs enim Logicam*, naturalem, aut artificialem, *etsi scire aliquid videatur, nescit tamen, cum rationem sui sciti nesciat*. quicumque autem sciat rationem sçiti sui reddere quoquo modo, idest, quacumque Logica id fiat, sine dubio sciet: Sed iam monstratũ est ex solo dictamine Logicæ naturalis posse confici facilem,ac demonstratorium syllogismum, eiusque bonitatem, & illationis vim certo sciri sola Logica naturali, idque esse placitum commone, & consequenter commune debet esse hoc assertum *sine Logica artificiali scientia possunt perfectè comparari*. 173

Secundo sic argumentor vrgendo nouo modo commune illud argumentum. Logica naturalis sufficit ad acquirendam Logicam artificialem, quæ multo difficilior est plerisque alijs scientijs,ergo sufficiet ad acquirendas alias scientias;probo consequẽtiam, aditum occludendo communi quorundam, sed falso responso. Logica sola naturalis sine auxilio alicuius Logicæ artificialis sufficit ad inueniendam,& acquirendam totam, & integrã Logicã artificialem; ergo sola sufficiet ad reliquas scientias. Probo antecedens etenim sola Logica naturalis inuenit, v g. artem syllogisticã primæ figuræ, nec ad huius inuentionem potuit adiuuari à faciliori aliqua Logica artificiali, prius inuenta, nempe à Logica artificiali docente definire; etenim hæc regula. *Omnis definitio debet constare genere, & differentia*, non potuit adiuuare intellectũ ad inueniendam illam. *Omnis syllogismus in Darij debet cõstare tribus propositionibus his, & illis requisitis, affectis*; neque hæc regula docens facere syllogismos

mos in *Darij*, potuit adiuuare ad inueniendas regulas alias pro faciendis syllogismis in *Barbara*, aut alio modo, & figura, quoniam illum nequit adiuuare in aliquo
174 genere causæ, non in genere causæ efficientis, vt apparet; nec in genere causæ dirigentis, aut quasi exemplaris, vt patet supra singulas regulas reflectenti; qui enim regula dictans modum faciendi definitiones, dirigat ad aliud tam diuersum à definitione, qualis est regula, siue ars sylogistica; & quo modo regula docens efficere syllogismum in vna figura, & modo, diriget, aut docebit efficere regulam figuræ alterius? sane difficultatem hanc seù impossibilitatem Logicam inueniendi, non considerarunt Authores partis aduersæ.

Secunda pars Sectionis deducit consectaria maxime notanda.

EX doctrina, quam conuincit hoc argumentum, tres conclusiones, seù veritates deducuntur. Prima est clara, népe hæc. Logica sola naturalis saltem, mediatè sufficit ad acquirendas scientias, quatenus, vt volunt isti doctores, dedit initium inueniendi Logicam artificialem, qua mediante finaliter acquisitæ sunt scientiæ omnes. Secunda est verior, quæ sic est, Logica sola naturalis, siquidem, adiuuari non potuit ab artificiali prius acquisita, sufficit ad acquirendas scientias. Tertia item est verissima, sed aliquãto occultior, & est huiusmodi. *de facto, & omnino ante Logicæ inuentionem fuerunt necessario, & ex rei ita exigentis natura, acquisitæ reliquæ scientiæ ex ductu solius Logicæ naturalis.*

Declaro me. antequam fieret regula generalis pro faciendis bonis definitionibus, præcesserunt necessario plurimæ definitiones factæ à multis in varijs materijs; & antequam fierent regulæ pro faciendis syllogismo facili, vel quantumuis difficili, necessario facti fuerunt plures syllogismi faciles, & difficiles, & à multis habiti, & examinati, & approbati: quoniam *ex his experientijs sumpserunt* regulæ, siue *artes initium*, & ab vno particulari sumi non potuit securè. nec debuit canon generalis; nam *vna hirundo non facit ver, nec vna dies.*

Arist. 1. Metaph. c. 1. & Lib. 6. 7.

175 Quare si res ista bene penetretur, tantum abest, vt verum sit, quod Logica artificialis prærequisita fuerit simpliciter ad acquirendas reliquas veritates, & scientias, siue modos sciendi, vt oppositum sit omnino verum, nempe prius prælucente sola Logica naturali haberi scientias, & modos sciendi oportuisse, imò, & simpliciter necessarium fuisse, ab inuentoribus illis Logicæ artificialis, vt eam possent inuentare: quare dicendum est reliquas sciétias fuisse quondam simpliciter necessarias ad Logicam artificialem; non contra; id, quod modo experiremur, si forsan Logica artificialis cum suis regulis ab hominum memoria aboleretur, si rursus eandem instaurare vellemus.

Tertio sic argumentor ad hominem, quod aiunt, & argumentum est dillema. Vos ò magistri sapientes, ac discipuli vestri discitis, seu discere potuistis alias sciétias sine Logica artificiali; ergo vobis ingeniosis quidem viris ea simpliciter necessaria non fuit. probo antecedens primo. quoniam à multis ex vestro numero non explicata est tota Logica; nec eius tradita præcepta meliora, & vtiliora, quæ sparsa sunt in Logica *Aristotelis*, tum alibi, tum octo libris Topicorum; quos si legistis, interpretati non estis, nec saltem inde regulas eruistis. quare vel fatendum est vos adhuc esse scientiarum inscios, quod vel solum cogitare de tantis viris, iniustum est; vel dicendum eas posse addisci cum sola Logica naturali, ac solo mediante optimo vestro ingenio; Logica enim, vt melius me nostis, non est grande istud volumen, quod multi Dialectici congerunt, ac discipuli cõsuunt, & adornant; sed Logicales regulæ, quarum vel leuiter mentioné facitis; vel quibus non vtimini, vt iam ostendo ex vestro facto.

Aristotel.

Probo secundo idem antecedens. quoniam Logica, quæ vobis vsu venit in tradendis scientijs, ac edocendis discipulis, aut est naturalis, vel satis est, si sit naturalis, ergo artificialem iudicatis, & simul non iudicatis esse simpliciter necessariam. antecedens fit manifestum legenti vestri omnium scripta volumina à Summulis, vsque 176 ad vltimã quæst. Metaph. vbi ad probandas, conuincendasque vestras assertiones, solum plerũque, nec mentiar, si dicã semper, vtimini, qua potestis clarissima ratione cõtenta in rei propositæ aut thematis essentiali defi-

definitione, aut syllogismo facili, lumini naturæ patentibus; & tunc demum munere vestro functos fuisse merito putastis, si bonam definitionem rei, quęstionisue inuenistis, eamque demonstratorio syllogismo aliquo ex quatuor primis confirmastis. quis enim magister vnquam extitit tam stultus, qui volens opinionem suam confirmare, & euidenter demonstrare, præsertim coram discipulis, protulit in medium syllogismum laberynthæum, figurę & modi imperfecti, si in promptu fuit & præsto, vt semper est syllogismus perfectus. Transeamus ad aliam sectionem ne isthæc fiat longior. Sed qui legat, aduertat quod lib. de anima dixit *Tertull. neque veritas desiderat vetustatem*.

SECTIO V.

Concedit Logicam artificialem esse ad acquirendas scientias necessariam quasi simpliciter, seu ex suppositione, quod quisquam velit scire facile, & securè. Vbi pauca de regulis Logicæ vtilibus, & superfluis.

177 Tituli assertum probat sic *Fonseca*. vt se habent instrumenta manuaria ad ea, quæ manu conficiuntur; sic se habent formulæ, siue modi sciendi ad scientias, quæ ab intellectu comparantur, & conficiuntur; atqui nullus opifex facile, & sine errore, aut saltem breuiter, & ordinate absoluit aliquod magnum opus v.g horologium affabrè elaboratum, nisi iam parata habeat instrumenta, quibus in eo opere conficiendo, & perficiendo vtatur; ergo nec ratio, aut intellectus vnquam facile, & sine periculo errandi, breui tempore, atque ordinatè, totam aliquam scientiam comparabit, nisi iam habeat in promptu differendi formulas & modos, siue instrumenta, quæ ad acquirendam scientiam necessaria sunt; quocirca cum einsmodi modi sciendi à solo Dialectico artificiali regulis generalibus instructo, facile, & secure fieri sciantur, efficitur, quod volunt, nobis consentientibus, aduersæ partis Authores, vt nemo absque Dialectica artificiali, & sine generalibus regulis breui, facile, & sine periculo errandi possit vllam scientiam comparare.

Quare necesse est prompta memoria tenere Logicæ præcepta, non omnia, sed vtiliora, quæ sunt ea, quæ docent definire, & arguere syllogismis perfectis primæ figuræ; & eorum materiam inuenire; & similia: de cæteris non multum curandum, licet contemnenda non sunt, præsertim ab ijs, qui bona memoria pollent. quia dixit *Augustinus* l.2. de doct. Chr. cap. 37, multitudine pręceptorum inutilium magis obruitur mens, quam iuuatur, *cum plerũque accidat, vt facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium præceptorũ nodosissimas, & spinosissimas disciplinas*. ita plerumque citius *ingeniosus videt non esse veram conclusionem, quam præcepta eius capit, tardus autem non eam videt, sed multo minus, quod de illa præcipitur*. 178 S. August.

Sed quia *sunt multa*, loquitur *August.* vbi supra c. 31 *quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerũque ita veras imitantes, vt non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentes decipiant*. oportebit ad explorandas & soluendas fallaces argutias peruersorum hominũ, catholicos Doctores pręsertim eos, qui ad Ecclesiæ culmina præterue huntur, non ignorare fallentes syllogismos, neque eorum structuræ præcepta, & *Spiritualia nequitia* (quod scribit *Tertullianus* primo de anima,) *non quidem sociæ conscientia, sed inimica scientia nosse, neque imitatoria operatione; sed expugnatoria dominatione tractare multiformẽ luẽ mentis humanæ totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastationem*. ne si plus iusto, ingenij viribus confidant, stulto labore consumantur, & quandoque à calumniatoribus Christiani nominis, irrideantur. propterea nos solas regulas, quas iudicauimus ad id munus vtrumque site obeundũ necessarias adducemus, vel videdas alibi remittemus. S. August.

SECTIO VI.

Respondet ad argumenta, quæ probare intẽdunt Logicam artificialem simpliciter necessariam esse ad perfectè acquirendum alias scientias; quod fuit placitum grauium Dialecticorum.

Est opinio hac tempestate communis inter modernos: Logicam artificialẽ sim- 179

simpliciter necessariam esse ad perfectè sciendum: pro qua allegantur *Rubius*, & *Vallius*, & alij antiquiores, quos ego non allego pro parte mihi contraria, quoniam multum dubito an re vera contrarij existant, dum expresse non distinguant Logicam artificialem à naturali, neque necessitatem simplicem, & absolutam ab ea, quæ vel est secundum quid, & ex suppositione, aut perinde valet quod vtilitas, vel congruentia. sic verò probant Recentiores quodlibetum suum.

Aristotel. Primo afferunt *Aristotelem* in 4. Metaphysicæ tex. 8. dicentem *oportet, vt instructi à Dialectica ad Philosophiã accedãt*, Discentes & *S. Thom.* super *Boetium* de Trinit. q. vltima art. 1. ad 1. similiter aientem, oportere in addiscendo à Logica incipere; quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent. Respondeo his Testimonijs nostram assertionem vtramque fulciri; nam aut *oportet* significat idem, quod expediens, & vtile est, aut si valeat idem, quod necessarium, de necessitate ex suppositione intelligatur; nam sane, *plurimum iuuat intellectũ Logica*, & eam præmitti & præsciri conuenit, à qua sine dubio pendent scientiæ reliquæ, si breui & secure, & facile comparandę sint. præterquamquod addo, & do ad maiorem abundantiã, tres istos nostros, magistros principales generaliter præcepisse Logicam prædisci ab omnibus, in quorum numero sunt non pauci tardo ingenio, quibus simpliciter Logicã necessariam esse diximus supra 163. & faxit Deus, vt adhuc quidquam bene norint: nam vt bene de his vaticinatur *S. August.* lib. 2. de doctr. Christ. tom. 3. cap. 37. *tardus non videt conclusionem, sed multo minus, quod de illa præcipitur*. Hoc est, præcepta Logica, quæ docent facere syllogismum.

S. Thom.

S. August.

S. August.

S. August. Secundo nobis opponunt *Augustinum*

180 eundem, qui dixit contra Academicos l. 3. cap. 13. *restat Dialectica, quam certe sapiens bene nouit, si vere eam nescit, nec pertinet ad sapientiam eius cognitio*: antequam huic authoritati respondeam, audi ipsum Doctorem vbi supra scribentem, *itaque plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quam præcepta eius capit. videt*; videlicet Logica naturali reflexe speculanti; ergo sentit *Augustinus* sufficere ingeniosis Logicam naturalẽ, de qua loqui debuit in opposita authoritate; ne sibi contrarius existat; nisi dicamus illic loqui cum tardinsculis in addiscendo: nemo enim sine Logica naturali, vel artificiali sui sciti reddere rationem potest; quod requiritur ad perfectam scientiam.

Tertio allegant pro se *S. Boetium* ita decernentem ad Topica *Cicer* lib. 1. *nisi via quadam*; idest Logica *præcesserit*, sæpe *in multos necesse est labatur errores*. Sed S. Martyr non est contra nos, vt indicat illud, sæpe, quod innuit sæpe, sed non semper labi in errores, qui sine Logica artificiali in alijs scientijs procedit; quod nos item confitemur: propterea immensum est, quod debemus primis illis Logicę inuentoribus, qui sine dubio errabant sæpe, sed solerti labore, & industria se erraisse agnoscentes, corrigebant sese, & regulam generalem nunquam sanciebant, quoadusque formula, vel sciendi modus inuentus fuisset pluribus exemplis multiplicis materiæ comprobatus, & sæpe à multis alijs sapientibus in consilium adhibitis, approbatus.

Quarto probant id idipsum ratione. Etenim ad hoc, vt acquirat aliquis scientiam de aliqua re, necesse est, vt cognoscat bonitatem illationis, & connexionem, quam conclusio habet cũ præmissis certis, & euidentibus; sed sine Logica artificiali nequit hoc dignosci: ergo sine ea non potest acquiri scientia de aliqua re. maiorem docuit Philosophus dicens 1. Poster. cap. 2. initio. *scire autem arbitramur vnũquodque simpliciter, cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est*. ratio autem, & causa, propter quam res est, non ponitur congrue in syllogismo, neque scitur per ipsum, sine Logica artificiali: ergo ea simpliciter necessaria est. 181

Aristotel.

Negare possem maiorem, si loquatur, vt videtur, de scientia in generali, quia non omnis scientia debet necessario esse conclusio siue discursus; siquidem, supra nu. 136 probatum est potiorem scientiam esse definitiuam, sed omitto maiorem, & nego minorem cum *S. Augustino* dicente ingeniosum plerumque citius videre naturali lumine ratam esse conclusionem, siue eius inferendæ vim, quam præcepta Logicæ artificialis; quo autem pacto id dignoscatur mediante sola Logica naturali ostendi supra nu. 172. quare neganda est con-

S. August.

F

consequentia; & concludendum fieri posse, ac necessario faciendum, vt acquiramus scientiam, omne id, quod arbitratur *Aristoteles*, sed vt cognoscamus causam propter quā res est, sat est Logica naturalis vt cum Augustino probatum iam est.

Quinto comprobant, quoniam Logica artificialis est naturale quoddam instrumētum coniunctum intellectui, eidem non minus necessarium ad sciendum, quam species intelligibiles, & præuiæ apprehensiones, & præmissæ ad iudicandū, & concludendum scientificè; ergo sine illa nequit haberi scientia. Respondeo negando antecedens, nam sola Logica naturalis est sufficiens instrumentum, vt intellectus adutus etiam à reliquis suis prærequisitis, &
182 præmissis possit acquirere scientias, intra suam sphæram positas: quod si raro cōtingit in hoc tempore euadere homines sapiētes sine Logica artificiali, id euenit aut propter ingenij tarditatem, aut vitæ breuitatem, aut propter laborem summum, cui subcumbendum esse moraliter certum videtur, ab eo, qui ad comparandas scientias, accedat sine auxilio magistri, & sine Logica artificiali. hæc vero impedimenta per accidens reddunt intellectum impotentem ad scientias acquirendas; ipse enim per se loquendo, ductu Logicæ solius naturalis; vita, & industria comite, licet labore multo simpliciter potest scientias perfectè comparare, vt iam olim non semel comparasse visus est.

Sexto obijciunt, aliquæ materiæ pertinentes ad varias scientias, sunt tam difficiles, vt vix earum proprietatem aliquam, nedum essentiam olfacere possimus: ergo ad sciendas saltem res similes, necessaria erit Logica artificialis. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; quoniam difficultates rerum maiores non emolliuntur, neque amoliuntur à Logica artificiali; quia eius regulæ non ponunt maiorem conatum in superandis rebus difficilioribus, quam in facilioribus; omnes enim sunt vniformes, & vniformiter procedunt in generali, & ab omni materia abstrahendo, docentes facere definitiones, argumentationes & alia quæuis artefacta, vt bene ante me aduertit *Card. Toletus* hic q. 1. ad 2. quemadmodum enim sculptoria ars, exempli causa, per regulas vniformes, siue easdem docet artificem efformare effigiem ex cera, aut luto, ex cedro, vel etiā ex marmore duro; nec enim vtitur sculptor peculiari regula ad sculpendam imaginem, siue figuram S. Petri in marmore, qua non vtatur ad eandem statuam efformandam in cedro, vel alia quapiam materia.

Quapropter tota difficultas materiæ vincenda est in eo opere mæchanico à vi artificis, malei, aliorumue instrumentorū artis: in liberalibus vero disciplinis, rerum sciendarum difficultas superanda est à virtute, & conatu intellectus, ab eius assidua cura & obseruatione diligenti, inuestigante rerum essentias, partes, videlicet, earum essentiales, tam physicas, quam metaphysicas, tum à priori, idest, per rerum causas, tum etiam à posteriori, idest per earundem effectus, vtendo quando opus fuerit, & fere semper est, externorum sensuum ministerio. *omnis namque nostra scientia incipit à sensibus*, vt habet vetus prouerbium desumptum ex Philosopho 3. de anima tex. 30. & ideo tanti æstimant sensus externos, omnes, *qui naturaliter scire desiderant*. *Omnes homines*, sic incipit *Arist.* lib. 1. Metaph. *natura scire appetunt, cuius rei signum est ipse amor sensuum, præsertim oculorum, quod hic sensus vnus ex omnibus, maximam rerū omnium cognitionem nobis afferat, multasque differentias ostendat*. Legat præterea auidus scientiæ Tyto Philosophorum libros, rerum multarum essentias, & proprietates explicantium, adeat doctos magistros ab his, & illis gratulabundus excipiat, & quasi surripiat, quæ illi iam labore suo comparata habuerint, postquam autem rerum genera, & differentias inuenerit, facile ea definitione essentiali, vel facili syllogismo demonstratorio applicarit; & comprehenderit ex dictamine, & quasi regula Logicæ naturalis, vel artificialis; ad quarum nullam pertinet emollire difficultates particulares, vt supra mostratum est.

Septimo obijciunt alij, Logica est difficilior cūctis alijs scientijs; ergo ad eas acquirendas nullo modo est vtilis, nec necessaria, sed magno impedimento; ab ea ergo incipiendum non est, cum dixerit *Aristoteles* 5. Metaphysicę *à facilioribus incipiendum esse in ordine doctrinæ*. Respondeo verum esse antecedens, sed deuorandam esse hāc difficultatē putauit *S. Thom.*

dum

Margin notes (right column): 183 (beside "Quapropter tota difficultas materiæ"); *Aristotel.* (beside "sensuum ministerio"); *Aristotel. S. Thom. ibi.* (beside "Metaph. natura scire"); *Aristotel.* (beside "Legat præterea"); *Aristotel.* (beside "5. Metaphysicę"); *S. Thom.* (beside "dum").

dum scribit super *Boetium* de Trinitate, q. vltima, art. 1. ad 3. *& si ordine doctrinæ à* 184 *facilioribus est incipiendum, & Logica non sit facilior alijs scientijs, adhuc ab illa esse incipiendum, quia est necessaria ad alias scientias,* itaque, vt cernitis, necessitas ista caret illa lege, qua cauetur, *à facilioribus esse incipiendum.* præterquàquod ipse *Aristoteles,* 5. Metaph. cap. 1. initio dixit *disciplina,* seu scientia, *non à primo ipsoque rei principio interdum inchoanda est, sed vnde facillimè quis discat.* incipiamus ergo à Logica artificiali licet difficiliori, vt inde facilius reliquas disciplinas, siue scientias discamus, siquidem Logica est scientiarum instrumentum. at quis non scit pleraque instrumenta artium solere esse factu difficiliora artefactis suis?

Aristotel.

Hæc dedimus olim nostris auditoribus addiscenda, corrigenda verò doctioribus, quibus forsan non displicebunt, sed recognoscent esse sua, si ad duo illa aduertant principia, quibus innituntur. primum erat ad faciendos modos sciendi perfectos, & faciles sufficere dictamina Logicæ naturalis; & ad videndam speculatiue in syllogismis perfectis bonitatem illationis, item sufficere actus Logicæ naturalis speculatiuos. Secundum erat. rem quamlibet sciri posse per eiusmodi sciendi modos clariores: quod si non placent, placebit opposita doctrina, quæ item communis est, vt videre est in *Vallio* in Prolog. p. 2. c. 1. cui tamē ego non possum acquiescere propter iacta fundamenta.

SECTIO VII.

Tractat breui de Logicæ quantitate discreta; siue de numerositate actuum ad Logicam spectantium; & generaliter eos secernit ab actibus aliarum scientiarum. Vbi de quæstionibus, quæ vulgo Dialecticæ vocantur.

QVoniam in Logica non possumus præterire silentio, nec excusare tractationes quæstionum, quæ alioqui ad Philosophiam, & Metaphysicā pertinebant, tū quia mandata Logicę nequeunt executioni mādari sine aliquali notitia materiæ, circa quam versantur, & quam exhibent aliæ scientiæ, vti adnotabam supra num. 51. tum etiam quia multi actus Logicales, qui sunt conclusiones, sine discursus, dependēt ab actibus aliarum scientiarum, veluti à solis principijs, & præmissis, ex quibus deducuntur, & quibus subalternantur; idcirco, vt ab animis Discentium omnis confusio abigatur procul; in generali, & quasi per capita discernam actus proprie Logicos ab actibus reliquarum scientiarū. quod vt præstem euidentius. 185

Dico vniuersaliter actus Logicos esse, & ad Logicæ actualis gregem, siue collectionem pertinere illos omnes, qui circa illa tria Logicæ obiectorum genera, quoquo modo versantur; nempe quicumque versantur circa vocum, rerum, & conceptuum directionem; possunt autem Logicales actus tripliciter, aut quadrupliciter versari circa obiecta sua, vt declarauimus supra num. 78. qui verò actus alia obiecta habebunt, Logicę non erunt, sed aliarum respectiuè scientiarum, à quibus hic in Logica non possumus nos omnino abstinere, quia tradimus Logicam non auulsam sed coniunctam proptèr ea, quæ dixi supra.

Vnde infertur primo, actus Logicos esse omnes actus illos practicos, qui docent nos facere prædicabilia, propositiones cuiusuis generis, categoricas, hypotheticas, oppositas, æquipollentes, & huiusmodi aliter, ac modum quempiam sciendi; & consequenter, qui nos docēt scire, quæ ignota erant per ea, quæ iam olim nota nobis fuerant; & varia media inuenire ad cuiuslibet thematis scientiam acquirendam, vel etiam ad id persuadendum, aut refellendū docendumue, illud declaraturos coram audientibus, vel media definitione, aut diuisione, aut argumentatione. de huiusmodi actibus practicis, siue regulis generalibus fusè tractaui supra à num. 38. & fusius infra, à num. 996.

Infertur secundo similiter esse Logicos actus illos speculatiuos, qui facto modo sciendi, vel quocumque alio opere artificioso secundum regulas præcedentes, examinant, ac dijudicant an id euaserit regulis conforme; quorum etiam mentionem fecimus, num. 39. 186

Infertur tertio ex *Arist.* & *S. Thoma* in Prol. Meta. & lib. 4. l. 1. initio ad Logicam item spectare actus speculatiuos, qui declarāt quouis modo diuidēdo, definiendo,

Aristotel. S. Thom.

F 2 aut

aut describendo, aut argumentando essentiam obiectorum Logicæ ; quatenus eius obiecta sunt, & non aliter , & eorum proprietates, modum , ac diuisiones , atque etiam eos, qui probant existentiam suorum obiectorum, quales videntur isti. *definitio constat genere, & differentia, definitio alia est physica, alia metaphysica . definitio declarat essentiam rei . definitio , est clarior suo definito* , & huiusmodi alij explicantes essentiam aliorum obiectorum Logicæ, vel etiam ea existere probantes. potest quippe Logica probare existere obiectum suum, & sic v.g. probat existere definitionem, quæ est pars obiecti sui.

Illud obiectum existit modo suo, & sufficienti ad scientiam , cuius actu existit scientia ; sed definitionis existit scientia hæc practica . *Omnis definitio debet constare genere, & differentia* : ergo definitio quod est obiectum scientiæ illius existit modo suo , & sufficienti ad scientiæ existentiam. fateor Logicam vti metaphysicæ auxilio ad istius modi probationes : nam maior, & consequentia, & ex parte minor, sunt actus metaphysicæ ; sed nihil mirum siquidem subalternatur metaphysicæ , vt inferius declaratur vberius . Si tamen ex præmissæ trahendæ non sunt , & reducendæ ad Logicam , siquidem reductiones actuum intellectus ad scientiarum classes differentes , pro libito factæ sunt , & fiunt existente actuum illorum aliqua vicina cognatione, vt alibi ostendo congruentius, nempe à num. 1220.

Infertur quarto , Logicas item esse quascumque apprehensiones simplices , siue complexas, quæ vel præcedunt ad regulas, vel ad declarata iudicia , ita exigente rei , siue conditionis nostræ natura, vt dicetur infra ; vel sunt quædam mentales interrogationes , quibus quandoque magistri experiuntur studium , aut profectum discipulorum ; vel è contra , quibus discipuli interrogauter dubia sua proponunt magistro , vel condiscipulis ; vel etiam responsiones , sed non indifferenter omnes , sed quæ cócernunt Logicę aliquod obiectum, & passiones quales hæ videntur , & similes . *Suntne obiecta Logicæ voces , an res ? Vel Conceptus ? quare sunt hæc tria Logicæ adæquatum obiectum? quomodo prædicatur genus , & de quibus inferioribus ?* Sed vero illæ quæstiones , quæ vulgo Dialecticæ dicuntur, nimirum *quid nominis; An sit res; quid : quotuplex ; & propter quid ?* sunt tantum Logica vtens , & actus siue interrogationes pertinentes ad metaphysicam , Logicæ obiecta , atque materies, nempe respectu regulæ, aut maximæ illius generalis, *de quauis re proposita, seu Themate, de quo inciderit dubium, vel quæstio scienda, ac determinanda , quæritur nomen, definitio, diuisio, causa, & finis,* didici hæc omnia ex *Aristot.* legendo 2. Periher. c. 2. & 2. Posterior. 1. & 2. & item 1. Poster. tex. 2. & 23. & 1. Elenchor. cap. 1. & magis declaro infra Disp. 5. Quæst. 10. de locis . dicta hic de Proœmialibus quæstionibus sufficiũt, quæ cũ dicendis exoptamus esse . 187

Aristotel.

Aristotel.

Ad Maiorem Gloriam Dei .

COM.

COMMENTARIVS PRIMVS

In primam partem Logicæ Aristotelis, & SS. PP. Augustini, & Thomæ, quæ de Vocibus agit, quam nos Summulas, & Logicam Vocalem, siue Vocum tractatum directiuum nominamus.

Sed prius indicamus Loca, & Libros, Ubi tres isti nostri Præceptores de Vocibus ex professo tractarunt, & ipsorum, & nostram in vocum tractatione, intentionem, & finem.

188
RAECLARVS ordo doctrinæ postulat, vt quantum præsens materia patiatur, seorsim hic de vocibus tractemus, postquam indicauerimus Libros, quos in præsenti commentamur; & in quibus Aristoteles ex proposito de vocibus disseruit; quarum tamen tractationem sæpe, ac necessario intermixtam cum alijs, nimirum cum rebus, & conceptibus, nec ille, neque nos semper potuimus omnino solitariam, aut seiunctam tradere.

Aristoteles ergo suam Logicam tripartitus etiam est, & in prima parte, qui est liber *Prædicamentorum*, præsertim in Cap. 1. tractauit de vocibus, seu terminis simplicibus, quibus congruè significantur incomplexa rerum prædicamenta; quæ sunt potissima libri materies. deinde in secunda parte, quæ continetur duobus libris Perihermenias, fusius egit iterum de vocibus simplicibus, nempe de nomine, & verbo: & item de complexis: nempe de oratione, & propositione vocali significante; quæ sola propriè loquendo est, ac dicitur *Interpretatio*; vt censuit ibi *S. Thomas* in lect. 1. licet ibidem ab eodem allegatus *Boetius* interpretationem vocet quamuis vocem significatiuam. in tertia demum parte suæ Logicæ, idest in libris *Priorum*, & in sequentibus, rursus agit Philosophus de vocibus, varios modos sciendi componentibus. in eiusmodi autem vocum tractationibus, illius intentio, scopus, & finis fuit dirigere tres operationes intellectus; in prima parte, primam; in secunda, secundum; & in postrema, tertiam; quem finem, siue quarum operationum directionem, in qua stat omnis nostra scientia, potuit bene Aristoteles intendere, & obtinere etiam mediante vocum directione; quemadmodum declarauimus in Logicæ Præfatione, præsertim num. 46. & 110. *Aristot.* *S. Thom.*

Rationem autem, ob quam *Aristoteles* toties tractauit de vocibus, *Aristotel.*
189 quasi id ipsum agendo, ac repetendo, tradit eius fidelis interpres *S. Thom.* *S. Thom.*

in sua lect. 1. super 1. librum Perihermenias, seu de Interpretatione ibi. *Si quis autem quærat, cum in libro prædicamentorum de simplicibus dictum sit, quæ sit necessitas, vt hic rursum de nomine, & verbo determinaretur? ad hoc dicendum quod simplicium dictionum triplex potest esse consideratio: vna quidem secundum quod absolute significant simplices intellectus; & sic eius consideratio pertinet ad librum Prædicamentorum; alio modo secundum rationem, prout sunt partes enunciationis; & sic determinatur de eis in hoc libro. tertio considerantur secundũ quod ex eis constituitur ordo syllogisticus, & sic determinatur de eis sub ratione terminorum in lib. Priorum.* Consonat *S. Augustin. in sua Logica*.

S. August.

Intentio ergo finalis nostra, & ipsorum est directio trium operationum intellectus: & ideo hic exponimus omnes Voces, vt sapientiæ amatores cognoscant materiam, circa quam Logica hæc versatur, & facile ipsius regulas docentes facere varias propositiones, & modos sciendi vocales, exequantur, ex quarum legitima executione resultat in nobis directio conceptuum, ipsa rerum perfecta scientia, quam omnes desideramus. præterquamquod fertur communi axiomate vsurpato ab *Aristotele*, & *S. Thoma* & experientia comprobato, *scientia nostra incipit à sensibus*, præsertim ab auditu, & visu, quorum ille voces sonoras audit, hic legit scriptas; & aliunde dixit *Augustinus* voces inter reliqua signa, quæ sensibus patent, *obtinere principatum* ad manifestandos conceptus inter docendum, & discendum. quare nos voces omnes, earum essentiam, & proprietates perscrutari, & explicare debemus.

S. Thom. 1 Metaph. lect. 1. & 10. lect. 4. & ibi Aristoteles. S. August. l. 1. de doct. Chr. capit. 2. & 3.

COMPENDIVM DOCTRINAE traditæ in Logicæ Præfatione, spectantis ad Logicam vocalem, siue ad Logicæ primam partem: vbi an sint, quid, & propter quid Summulæ: quis Author noster principalis; & traditur aliqua breuis notitia modorum sciendi vocalium.

IN Præfatione Logicæ ostendi Summulas, siue eam partem Logicæ, quæ de vocibus agit, & propterea *vocalis* nominatur, existere; eamque esse actus quosdam intellectus versantes circa directionem vocum; quorum alij sunt regulæ practicæ generales docentes nos facere artificiosas orationes, propositiones, oppositiones varias, æquipollentias, & conuersiones, & modos quoslibet sciendi ex vocibus constantes; alij vero sunt actus speculatiui, qui vel examinant, & quasi approbant prædicta artefacta, vel eorum directiones, dispositionesue, & proprietates considerant; vti perspicue dicebam supra à num. 38. & 55.

190 Regulæ aliquot Logicales sunt hæ, *omnis definitio vocalis constare debet vna voce significante genus, & alia significante differentiam.* vt hæc, *homo est animal rationale. omnis diuisio constet vocibus significantibus diuisum, & eius membra diuidentia.* vt illa, *hominis alia pars est animal, alia rationale. syllogismus constet tribus propositionibus hoc, & illo modo dispositis, &c.* vt hic, *omnis homo est animal. Petrus est homo, ergo Petrus est animal;* & ita sunt aliæ regulæ alibi allatæ, & afferendæ. actus demum speculatiui Logicales sunt hi, & similes: *illa est bona definitio, quia constat vocibus generis, & differentiæ. illa diuisio est bona, quia est regulæ conformis. syllogismus est in Darij, & tam ipse, quam illæ præscriptæ orationes declarant essentiam rei.*

Aristotel. 6. Top.

Vnde infertur primo, Summularum obiectum materiale esse voces omnes quotquot aptæ sunt fabricandis modis sciendi, orationibus, & propositionibus vocalibus, formale verò esse earumdem significationem rectam quasi inductam à prædictis regulis

in

in prædictos modos sciendi, & orationes factas secundum regulas ipsas: quemadmodum argentarij materiale obiectum sunt metalla auri, & argenti, forma vero, seù formale obiectum sunt formæ vasforum inductæ in eiusmodi materiam secundum regulas artis argentariæ. finis demum summularum est idem formale obiectum declaratum.

Infertur secundò Summulas esse actus mentis nostræ plerosque certos, & regulas infallibiles, multorum doctorum experimento, & vsu compertas; vti supra n.25. dixit *Augustinus*, quæ sine dubio non sinent nos errare in fabrica modorum sciendi, & aliorum artefactorum, si tamen à nobis obseruentur; & propterea esse actus scientificos, scientiamq; vnam saltem partialiter componere, ex magna parte practicam, concurrentem solum directiue nobiscum ad efficiendos vocales quoscumq; modos sciendi, & orationes in Theologia, Metaphysica, Philosophia, & in quauis alia arte, vel scientia. *S. August.*

191 Sunt autem modi sciendi vocales tres; nempe definitio, diuisio, & argumentatio. definitio est oratio, quæ constat vocibus vniuocis prædictis, significantibus genus, & differentiam, quæ declarat essentiam rei definitæ. vt hæc, *homo est animal rationale* Diuisio est similiter oratio composita ex vocibus significantibus diuisi partes, vt ista, *Hominis alia pars est anima, alia corpus*, & quæ tollit confusionem. denique argumentatio est longior oratio cõstans vocibus significantibus rem vnam ex alia deduci, ita vt nos faciat cognoscere rem vnam antea ignotam, per aliam, & post aliam nobis notam. vt hæ, *sol lucet, ergo dies est, Omnis homo est animal rationale, Petrus est homo, ergo Petrus est animal rationale*. sed de his modis, ac de eorum speciebus infe. ius pertracto.

Solum hic superaddo hunc tractatum à Dialecticis antiquis, & modernis communiter vocari *Summulas*, & merito, quia in eo summatim apponuntur Logicales regulæ, & documenta, quibus diriguntur, disponunturque nõ solum voces, sed res etiã, atque conceptus; vt suis locis indicabo: quod nomen non impedit quominus idem tractatus à nobis compelletur *Logica vocalis* præsertim hoc tempore, quando parce de rebus, & conceptibus, de vocibus autem satis abunde tractat.

Caute tamen aduerte Summulas, siuè tractatum hunc Logicæ vocalis, sumi posse, & intelligi formaliter, & materialiter, vel obiectiuè; formaliter sumptæ sunt regulæ generales directoriæ supra declaratę; materialiter verò, sunt ipsæ voces, quę dum ordinantur, ac disponuntur iuxta dictas regulas, pertinent ad ipsas, siue ad Logicam, vt obiectum; quando autem definiuntur, & aliæ earum connaturales, aut quasi connaturales affectiones hic vobis explicantur, sunt materiale obiectum metaphysicę, vel philosophiæ: necessarium enim est, vt adnotaui supra n.51. quãdoque nos induere personas magistri metaphysicæ, aut alterius scientiæ, vt tradamus notitiam vocum, quæ assumendæ sunt in fabricam modorum sciendi.

Quare licet aptè ad suum propositum dixerit *Seneca* Epist.16. ad Lucil. *non est philosophia popularis artificium. nõ in verbis, sed in rebus est*. & *S. Thomas* in 1.d.3. q.1.a.1.c. *sapientis esse non curare de nominibus*. Opus tamen est hominibus sapiẽtię amatoribus, pro sua corporea conditione, ad sciendum ac docendum vti aliquibus signis externis, inter quæ, vti ait infra n 210 *S. Augustinus. apud nos principatũ significandi quæcumque animo concipiuntur, verba obtinuerunt*, seu voces præsertim bene ordinatæ; & ideo scite dixit *Richard. de S. Vict.* Serm. de Spiritu sancto ad illud *Sapientiæ* c.1. *scientiam habet vocis. semper plenam cognitionem vocum comitatur scientia rerum*. qui ergo volet sciẽtiam rerum habere multarum, à vocibus perdiscendis incipiat, illis vtatur, pro rebus illas substituẽdo, vti faciũt Astrologi vtentes Sphærula parua, in qua Sphæræ immensæ distantias, motus, & alia contemplantur. 192 *S. Thom.* *S. August.*

In Logica, & Philosophia vtraque, vt præscribit S. *Ignatius* 4 p. const. c.14. Author noster principalis est *Aristoteles* Stagirita, Philosophus peripateticus, Gymnasiarca Lycei. Petrum vero natione, & nomine Hispanum ex monasterio assumptum in Põtificem Maximum Anno Domini 1275. nuncupatum Ioannem XXII. vel XXV. hominem eruditissimum, qui Summulas redegit in methodum, præferte vos reliquis earum scriptoribus, non Philosopho Aristoteli, quem crediderim a Deo traditum hominibus rationalis, ac naturalis disciplinæ authorem singularem, & magistrum, de alijs Doctoribus, qui vobis prodesse pote- 193 *Aristotel.*

S. August. S. Thom. runt dixi supra n.5. & frequenter commendaui vobis SS. *Patres Augustinum*, & *Thomam* Ecclesiæ Dei duo fulgentissima lumina; & omnis bonæ literaturæ, ac sanæ doctrinæ fontes, plusquam abundantes.

DISPVTATIO I.

De signo in communi, & in particulari; sed præsertim de signo vocali, nempe voce, seu termino vocali, vocisque diuisionibus, vt ipsa vicaria est, & interpres apprehensionis, super librum potissimum Prædicamentorum Aristotelis; vbi breui prius declaratur triplex intellectus operatio; & cur incipiendum sit à Terminis, priusquam à modo sciendi.

Triplex, quo ad præsens attinet, est operatio intellectus, vti nos docuit S. *Thom*. ex Philosopho in principio commentarij super lib. 1. Perihermenias. Aristotel. S. Thom. prima dicitur simplex *apprehensio*: secunda, *iudiciũ*. tertia, *discursus*: ita enim à natura constituti sumus, vt prius res occurrentes apprehendamus, infantium more, simplici quadã cognitione affirmationis, & negationis experte. deinde de rebus apprehensis secundum, quod nobis videtur, iudicamus, ferimusque sententiã: ac demum vlterius procedendo ex rebus iam iudicatis alia cõcludendo, scimus mediante alio tertio actu, qui dicitur discursus, quia fit à nobis per alios actus, & post eos, quasi facto progressu, siue cursu de primis ad secundum, vel de cognitione rerum antecedentiũ ad cognitionem consequentium.

194 Quocirca pro his tribus operationibus dirigentis scribo tres disputationes sequentes, nempe dedicando vnicuique operationi disputationem suam, siue vt rectius loquar, dedicando vnicuique operationi disputationem trinam; quoniam voces, siue termini, de quibus in Summulis tractamus, omnes concernunt omnes tres operationes intellectus, *simplicium enim dictionum* siue vocum, vt aiebat supra *S. Thomas, triplex potest esse consideratio*, S. Thomas. vna quidem secundum quod significãt res simplices, aut simplices conceptus mentis; & sic deseruiunt dirigendo apprehensionem; & earum consideratio pertinet ad librum prædicamentorum. Secunda, secundum quod sunt termini, seu partes enunciationis, & sic dirigũt iudicium. tertia, secũdum quod sunt materiale argumentationis; & sic seruiunt ad dirigendũ discursũ. procurabo tamẽ, licet nõ, nihilo secius ordinariũ inuertã, tradere tres vocũ tractatus in tribus his disputationibus correspõdenter ad tres operationes mẽtis.

Quare voces vt sunt, ac dicũtur termini, in rigore loquendo non spectant ad directionẽ apprehẽsionis, sed iudicij, & discursus; quoniã eo modo cõsideratę suntpartes, & elementa propositionũ, quæ sunt quędã iudicia, siue iudiciorum internorũ externa indicia, & signa; iudicia autem interna non credo conflari ex apprehẽsionibus; sed esse iudicium quodlibet simplicem quandam entitatem, compositam tamen quibusdam quasi particulis; quarum vna repræsentet subiectum; alia verbum; alia prædicatum; vt potest considerari in hoc mentali iudicio. *Deus est bonus*. & in reliquis. sed de his alibi commodius agendum.

Verum tamen hic aduerto dici pro nũc posse voces, vel terminos vocales pertinere ad primã operationẽ intellectus, eiusque vicarios esse, & externos interpretes; quatenus non ordinentur, neque cõsiderentur, vt partes propositionum; sed vt significant suum significatũ extra propositiones; quãuis nomen, & titulus *termini* propiie non conuenit voci, nisi quando est pars propositionis, & vicaria alicuius partis iudicij interioris. vti declaramus inferius.

Quoniam vero *Arist*. nostrę scholę Author in 1. Phys. c. 1. præcepit *initio cuiusq. scientiæ tradẽda esse, tum illius, tũ subiecti, siue obiecti elementa; & à facilioribus esse incipiendum*, 195 Aristotel. & ipse ibidẽ acturus de toto composito naturali, prius de eius partibus seorsim, materia, scilicet, & forma disseruit; idcirco à terminis, qui partes sũt modi sciẽdi, incipiemus, vt facilius per partes suasiã cognitas, in totius cognitionẽ adducamur; sed non oportet conturbari quemquam, si viderit simul nos ordiri à terminis, & à modo sciendi; nempe à definitione; nã incipimus illico definiendo signum, vocem, ac terminum: aliud enim est incipere à definitione, aliud incipere definitione; incipimus quidem definiendo, seu definitione vtẽdo, vt instrumento, & modo; & vt prædicato declaratorio termini; sed nõ incipimus declarando definitionẽ ipsam, vt subiectum, alia vlteriori definitione declarandum.

Bene scio eumdẽ *Aristotel*. in 2. Metaph. tex. 15. dixisse *prius esse tradendum modũ* Aristotel. *scien-*

sciendi, quam scientiam. quo solum voluit, prius nos imbui oportere Logicæ documétis, quę vocat ille modum sciendi, quam ad reliquas sciétias ex professo perdiscendas transeamus: quia *absurdum est* inquit *simul quærere scientiam, & modum sciendi* id est simul addiscere ex proposito Philosophiã, aut aliam scientiam, & Logicam: & merito hoc dixit, qui enim duos lepores sequitur, neutrum capiet. nusquam tamen Aristoteles asseruit, aut monuit prius incipiendum esse à modo sciendi, quam à terminis, qui partes sunt modi sciendi: quinimo oppositum docuit verbo, & exemplo.

Sed quoniá voces, seu termini vocales, de quibus potissimum in tota hac Logicæ parte tractamus, sunt quædam vocalia, & externa signa, & voces quædam humanæ aliquid significantes; videndum in primis erit quid sit signum, & quid significare, & quotuplex.

QVAESTIO I.

De signo in communi, ac de ipsius multiplici diuisione.

Aristotel. AD maiorem lucem, & plenitudinem huius nostrę disputationis primæ, quę interpretabitur doctrinã *Arist.* pertinentẽ
196 ed primam operationem intellectus, quam ipse potissimum nobis tradidit in libro Prædicamentorum, iuuabit plurimum
S. August. videre *SS. PP. August.* in to. 1. de principijs Dialecticæ, & de *Cathegorijs* siue de Prædicamẽtis à c. 1. & to. 3 lib. 1. de Doctrina
S. Thom. Christ. 1. c. item 1. & *S. Thom.* opuscula 48. & 73. ca. 1. & super lib. 1. Perihermenias.

SECTIO I.

Definit signũ in cõmuni, & quo modo debeat à suo significato distingui.

SIgnum in communi est *quidquid aliud à se distinctum repræsentat potentia cognoscitiuæ.* vt imago Saluatoris repręsentãs ipsum; & nomen Iesu significãs filiũ Dei, & Virginis immaculatæ. quia Saluator ipse Iesus diuersum quid est, atq. distinctũ ab imagine sua, & nomẽclatura. approbarunt hãc signi declarationem *Conimbricens.* lib. 1. de Interpret q. 1. a. 2. & cõmuniter Recentiores; ex qua colligunt nõ posse dari aliquod signũ, quod se ipsũ repræsentet, ratio vero definitionis huius atque doctrinę tradetur
S. August. inferius. nota vero hic, dixisse *August* t. 4. lib. de magistro c. 2. *quod non potest esse signum, nisi aliquid significet.*

Circa istam definitionẽ signi notari volunt primo Recẽtiores, Illud *à se distinctũ*, quod signum quoduis debet repræsentare, satis esse quod sit aliquo modo distinctũ, nempe, realiter, vel sola ratione, aut nostra consideratione, siue id significatum sit aliquid positiuum, vel quidpiam negatiuum: quare dicunt cum *S. August.* tom. 4. in lib. *S. August.* de magistro, c. 5. vocabulum hoc, *nomen*, esse vere signum non solum quia, & inquãtũ significat alia nomina omnia à se distincta, sed etiam inquantũ se ipsum, quod peculiare nomen est, inter cætera confuse, & quasi conuolute significat; quomodo sola ratione, vel consideratione nostra distinctionem effingẽte, distinguitur à se ipso: & id ipsum nos docent de quodam actu intellectus, qui vel cognosceret omnes actus intellectus, vel solam rationem cõmunem eorum: atque item vox *Petrus* significans rem positiuam; & vox *nihil* significans rem negatiuam, quã Hispane dicimus *Nada*, & Italicè *niente*, & *nulla*, & quæ sunt huiusmodi, signa censentur, quoniam à suis significatis distinguuntur.

Sed vt vlterius declaremus qualis, & 197
quanta debeat esse ista distinctio inter signum, & eius significatum; & hinc iam incipiamus pręmunire viam ad intelligẽdos, ac defensandos articulos catholicæ fidei, pressius, & curiosius inquiret aliquis an sit de ratione signi in communi, vel cuiusquã repræsentare aliquid semper à se distinctum, & omnino.

Affirmant Hæretici nostri tẽporis, vt refert *P. Fagundez*, lib. 3. super Ecclesiæ mandata cap. 1. n. 6. vt ex eo fundamento negent præsentiam Christi in Eucharistia, & verum missæ sacrificium; argumentando sic. Omne signum debet significare rem à se distinctam, sed missa siue missæ sacrificium est signum memoratiuum (iuxta illud Christi, *Hoc facite in meã commemorationẽ*; & *Quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*) sacrificij cruenti oblati, & peracti in Cruce; ergo ab hoc illud debet esse distinctum; ergo inibi in missæ hostia, non est vere Christus offerendus, sed eius sola memoria, repræsentatio, figura, & signum.

Sed dicendum cum Ecclesia Catholica, *SS. PP. & Suarez* t. 3 in 3. p. q. 83. disp. 74. 198
sect. 2. §. superest, *Fagundez* allegato,

Bel-

Bellarmino, & alijs communiter bene posse, quin vlla violentia fiat philosophicę doctrinæ de signo, missam esse vere sacrificium, in quo sacrificetur, & offeratur Christus Iesus, & simul esse signum memoratiuum sacrificij cruenti; ita quod simul sit sacrificium alterius sacrificij signum; tum quia sumptum formaliter, (quomodo iuxta doctrinam *S. Thomæ*, & *Suarez* vbi supra, illud est consecratio, siue actio cōsecratiua, mediante qua fit in honorem Dei illa admirabilis commutatio, *transubstantiatio* nuncupata, substantiarum panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Domini) sine dubio distinguitur realiter, & numero à sacrificio cruento facto à solo Christo pendente in Cruce.

Tum etiam, quoniam idem sacrificium sumptum quasi materialiter, & ex parte rei oblatæ, quæ est Christus D. adhuc habet sufficientem distinctionem ad rationē signi; etenim licet Christus D. in missa, & in Cruce oblatus sit omnino idem substantialiter, tamen ipse ratione quarundam circunstantiarum differt à se ipso; quia Christus existens sub speciebus panis, & vini, & sic inuisibiliter, & incruente oblatus, sine dubio distinguitur à se ipso oblato olim in Cruce sub propria forma, & figura cruenta, distinctione sufficienti ad signi rationem: quare Christus oblatus sub speciebus potuit ad eiusdem beneplacitū significare Christum in Cruce sese offerentem: cum quo adhuc stabit veras esse illas ordinarias Patrum loquutiones; nempe idem esse figuram, & figuratum; repræsentans, & repræsentatū; signū, & significatum; idem videlicet substantialiter, cum aliquali tamen differentia habita ex parte circunstantiarum, & ratione modi differentis.

Hoc ipsum persuadet illud illustrissimū exemplum, quo vsus est olim *P. Lainez* pro concione ad Reges Christianiss. in declarationem tāti mysterij, & reperit *P. Petrus de Ribadeneira*, in festo almæ Eucharistiæ. & *Fagundez* vbi supra scribendo sic, *non repugnat esse aliquem figuram, & figuratū, significantem, & significatum; nam si rex aliquis aut Princeps personaliter bellum hostibus indixisset, & illustrem victoriam*
199 *ex hostibus reportasset, ipsamque victoriā ad maiorē voluptatem, & recordationem singulis annis ipse repræsentare iussisset, & ad maiorem celebritatem actus, ipse suammet figurā tragœdiam ingrediens gessisset, esset quidem repræsentans, & repræsentatum; figurans, & figuratum; significans & significatum: sic etiam ad hunc modum Corpus Christi* est signum, & significatum, vt declaratum est: quoniā & iste Princeps vt est modo tragœdus indutus licet eisdē armis, tamen non eodem affectu, tempore, nec eisdem circumstantijs incedit, quibus olim quando expugnauit vrbem, & sic ipse modo aliquo modo differt à se ipso, vt erat olim: quæ distinctio ex vna parte satis, superque est ad rationem, & essentiam signi; & ex alia parte non est tanta, quæ impediat quominus dici possit Rex ipse figurans, & figuratum, signum, & significatum, vt manifestum est. Sed neque inconuenit vnum sacrificium esse signum alterius sacrificij. siquidem vnum signum solet esse alterius signi. Vti tradunt *S. Thomas* 3. p. q. 48 ar. 3. ad 2. & ibi *S. Augustinus*. vnde fit quod vera definitio signi nihil proficiat hæretico errori. *S. Thom. S. August.*

Concludo ergo ex mēte *Augustini* libris de magistro, & 2. de doct. Christ. in locis allegatis, & allegandis. *S. Thoma* in 4. d. 1. q. 1. a. 7. q. 1. ad 5. 1. p. q. 7. a. 1. ad 2. & alibi, & *Aristotelis* vbicumque occurrit tractare de signis, esse de ratione signi significare aliud a se aliquo modo diuersū. & ratio est quoniā significatio est quędā relatio, relatio autē minus quā inter duo esse non potest: vnde significatio alicuius debet esse significatio, sicut scientia scibilis est scientia, & repræsentatio alicuius repræsēratio. vt in q. de relatione fusius declaratur. *S. Thom.* *Aristotel.*

Notant secundò recentiores magistri illud verbum *repræsentare*, quod reperitur in definitione signi, vniuersalius esse, quā verbum *significare*, plura enim, inquiunt, sunt quæ repræsentant, quam quæ significant, licet quidquid significat, simul repræsentat: vnde de industria ponunt in definitione signi verbum *repræsentat*, vt cōpetere definitio possit omnibus signis in particulari, etiam formalibus, quæ, aiunt, repræsentant aliquid, quod tamen non significant, talis est visio coloris albi, seu qua videtur is color, quæ repræsentat quidem colorem album potentiæ visiuæ, illum tamen nō significat: quomodo etiā esse videtur reliqui omnes actus potentiarum cognoscitiuarum. Verum hæc adnotatio non videtur in præsenti necessaria, quia certū vide-

200 videtur verba *significare* seu *esse signu*, & *re praesentare*, in sano sensu sibi omnino equipollere; quatenus perinde valent ac ista, *facere cognoscere. nos ducere in cognitionẽ alterius. nobis aliud innuere.* quamuis res aliqua in sensu verbi minus proprio dici etiam possit se ipsam materialiter repraesentare, hoc est se ipsam praesentare, & quasi ostentare conspiciendam; vt paries coloratus, & quaeuis alia res dũ pro se ipsa stat, siue supponitur, & nõ vt alterius signũ.

Notandum est tertio circa particulam *potentia cognoscitiuae*, necessarium non esse ad hoc, vt aliquid sit actu signum, quod actu repraesentet alicui, neque quod faciat aliquid aliquẽ cognoscere; sed sufficere quod id proxime possit praestare, & quantum de se est, *verba enim* (vt fertur communi prouerbio) *in definitione posita non dicunt actum sed aptitudinem, siue potentiam.* quare imago S. Francisci licet nulli repraesentet humilem Franciscum, totius sanctitatis prototypum, quia sit in loco tenebroso, & obscuro posita, vel alia de causa, vere, & actu illius signum est; quia quantum de se est, potest oculis praesentata ducere videntem in cognitionem archetypi; & vox *Saddai* Hebraea licet Hispano literas Hebraeorum nescienti nihil significet, signum tamen est, quia Hebraeo significat, aut significare potest Deum omnino ex se diuitem, nullius extra se indigẽtem, vel robustum, & munificentissimum benefactorem.

Ad finem adnotãdum est quarto, nomine *potentiae cognoscitiuae* intelligi quinque potentias, siue quinque sensus externos, & item alios internos corporeos, & spiritualem intellectum; quae omnes dicuntur potentiae cognoscitiuae, vel cognoscentes, quia producendo in nobis actus suos vnaquaeque iuxta modum, & genus suum, nos faciunt cognoscere, & sentire sua obiecta, ad differentiam voluntatis, & appetitus, quae dicuntur potentiae appetitiuae, vel facultates appetentes, & amãtes.

Ex dictis infertur omnibus rebus infra Deum conuenire praedictam definitionẽ signi; & consequenter esse signa; quoniam creaturae omnes vt minimum repraesentant nobis Deum conditorem suum, *inuisibilia enim ipsius.* ait Apost. ad Rom. 1. *à creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* de quo videndus est S. August. tract. 2. in Ioan. & 1. confes. c. 1. *S. August.*

SECTIO II.

De Triplici signi diuisione siue de Triplici genere signorum, ad quae caetera omnia reuocantur.

Prima diuisio signi est in signum naturale, & in signum ad placitum, seu ex instituto; signũ naturale est *quidquid ex natura sua aliud à se distinctũ repraesentat*, vt fumus, qui ex natura sua repraesẽtat nobis vel significat ignẽ; sicut & suspiria, & gemitus signa sunt doloris: & similia. quare signa naturalia sunt omnes effectus, & oẽs creaturae, secundum quod nos ducunt in cognitionem suarum causarum, ac Dei conditoris, vt dicebam supra; neque enim impedit quominus signa naturalia sint Dei, quod conditae, atque creatae sint secundũ beneplacitum liberum diuinae voluntatis; quoniam vt iudicetur an aliquid sit signum naturale, solum inspiciendus est modus significandi, quem habet postquam à Deo, vel ab alia causa libera factum est; & cum is modus significandi sit insitus à natura creatoris effectis, & non aliunde ipsis impositus ex alicuius beneplacito, propterea signa naturalia censentur. Ad hoc signum naturale reducuntur primo signa, quae vocant ex consuetudine naturali, vt est praecursus caniculi significans aduentũ Heri, & alia id genus. 201

Ad ipsum reuocantur secundo omnia artificiosa opera, praesertim, quae dicuntur mundi, & artis mirabilia; quia sine dubio naturaliter nobis repraesentant ingenium, dexteritatemque mirabilem authorum. & item sunt signa naturaliter imagines quotquot habeant aliquam analogiã, & similitudinem cum prototypis, vt imagines Christi Domini, B. V. Mariae, & Sanctorum, & signatius illae, quae archetypi insignia aliquot ostentant. Huc etiam pertinent omnes strepitus, voces, & scripturae, quae vt minimum naturaliter significãt causas, prolatores, & scriptores.

Signum verò ad placitum est *quidquid aliquid distinctum à se significat ex impositione libera Dei, Angelorum, vel hominum & non ex natura sua.* quomodo sunt voces *Deus, Angelus, homo*, quae impositae sunt ad significandã naturã diuinam, angelicam, & humanã; & reliquae voces om- 202

nes

nes. Significantes, quibus vtimur in nostro familiari sermone vbique gentium, siue ex voces sint nomina propria, siue metaphorica, & translatitia, quæ bene declarat *S. Augustinus* to. 3. lib. 2. de doctr. Chr. cap. 10. monstrando quo pacto vox, *Bos* significet proprie, & ex prima intentione Pecus, & deinde improprie Euangelistam, quem significat Scriptura dicens 1. Tim. 5. *Bouem triturantem non infrenabis*. Hoc signum dupliciter solet esse, alterum habet *aliqualem similitudinem* cum significato vti esse sacramenta tradit *Augustinus* to. 2. epist. 23. ad Bonif. alterum non, vt sunt pleraque.

S. August.

S. August.

Ad hoc signum pertinent non solum voces, quas dixi, sed res plurimæ, quæ impositæ sint ad res alias significandas; quomodo sunt literæ, scriptura quæuis, caracteres, & picturæ, hieroglifica, & *cifra* respectu rerum, quas significant, vel ex generali multorum hominum, vel ex particulari quorundam conuentione, & pacto; & item signa quæ vocantur ex consuetudine, si tamen consuetudo sit ex impositione libere volentis, vt mappæ stratę, quæ signa sunt horæ prandendi & ramus ante tabernam, qui significat ad placitum vinum venale, sicut & tabella pendula diuersorium; & fumus specularum repræsentans hostium, vel amicorum aduentum.

S. August. l. 2. de doct. Christ. c. 2.

Huc etiam spectat Iris, siue arcus celestis, qui ex beneplacito Dei innuit diluuiũ generale nunquã futurũ & quæ sunt huiusmodi, secundum varias consuetudines nationum, quibus bene addit *P. Suarez* tom. 1. in 3. disput. 54. sect. 5. §. *respondetur*, Imagines Dei, ac rerum spiritualium quæ vult esse signa ad placitum. legatur iste doctissimus Pater. scio quod præceptor noster *Augustinus* tom. 3. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 1. & 2. diuisit signum, quod prius definierat, *in naturale*, & *datum*; illudque declarauit vt nos; sed datum signum dicit esse quod fiat ab aliquo siue libere, siue necessario detur, & ideo signum datum appellat, quod gallina dat vocando pullos suos, & similia. vnde signa data vocari poterunt ea, quæ sunt ad placitum facta à quocumque agente habente aliquẽ modum voluntatis, aut placiti.

August.

203 Secunda diuisio est in signum instrumẽtale, & formale: quæ duo signa, sicut & superiora, quodammodo sibi opposita sunt inicem: signũ instrumentale est *quidquid vt medium instrumentum, & causa nobis aliud repræsentat, seu nos ducit in cognitionem alterius*. vt fumus e.c. qui est in causa, vt ego met intellectus actum, quo ignem agnoscamus: itaque eo vel maxime differt hoc signum à formali iam explicando, quod, signum formale non facit efformare nos alium actum præter ipsum, vt nobis repræsentetur illud, siue vt veniamus in agnitionem illius, cuius signum formale est.

Signum istud instrumentale est duplex. primum est, *quidquid vt medium, instrumentum, occasio, & causa praeuia cognitione sui nos ducit in cognitionem alterius: vel nobis repræsentat aliud à se distinctum*. vt est imago *S. Ignatij de Loyola*, quæ prius cognita in se, est medium, instrumentum, causa, vel occasio, vt deinde cognoscamus religionis nostræ Patriarcham, & Authorem; simili modo sunt signa instrumentalia creaturæ omnes, & effecta, Cælum, & quidquid cæli ambitu continetur, quæ omnia simul, & sigillatim sumpta, prius cognita nos ducũt in varias rerũ cognitiones modo Dei Creatoris, vt suprà dicebam, modo aliarũ causarum, & rerum, ad quas habent respectum, siue relationem. quo spectat, & illud Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*.

Sunt itẽ instrumentalia signa illa omnia signa naturalia, & artificialia, quæ enumerabã n. 201. ea iterũ recolãtur, nam sine dubio scientia signorum, & huius potissimũ, est maxime vtilis & necessaria, quia homines ita constituti sumus, vt in scientia, ac rerum notitia proficiamus, dum ab his, quę peruia sunt, & vel oculis cernuntur, ad vlteriora nobis olim ignota cognoscenda, ratiocinando, aut quasi ratiocinando, trãseamus, & sane certo, & infallibiliter, nam omnis argumentatio, quæ fundatur in relatiuis, qualia sunt signa, est fidelis, vt videbis infra n. 1035. est ista doctrina conformis *S. Thomæ* de verit. q. 9. a. 4. ad 4. & 5. & in 1. d. 1. q. 1. a. 2. 7. q. 1. ad 5. *& S. August.*

S. August. l. 2. de doct. Chr. c. 1.

S. Thomas.

Secundũ verò signum instrumentale est *quidquid vt instrumentum verum, & vera causa, sine prævia cognitione sui facit aliquid nobis repræsentari, siue nos scire*. hoc modo dicuntur esse species, quas vocant impressas, quas emittunt de se colo- 204

res,

tes v.g. ad oculos medijs quibus, vt instrumentis coefficientibus fiunt à potẽtia visiua visiones, quibus colores videntur; & simili modo sunt species impressæ cæterarũ potentiarũ cognoscitiuarũ, ita dictæ ad differentiam a ctuum ipsarum potentiarũ, quę item nominãtur species expressæ; & quidẽ eo largo modo dici possent signa instrumẽtalia sensus corporei, & intellectus, quatenus vt instrumenta coefficiunt cum anima actus suos, quibus cognoscimus, quin tales sensus, & potentiæ prius cognoscantur.

Signũ verò formale est *quidquid vt forma absq; prauia cognitione sui, nobis aliud a se diuersum repræsẽtat.* talis est visio coloris, quæ quin ipsa videatur, repræsentat nobis colorem à se ipsa distinctum; sic etiã sunt quicumque alij actus potẽtiæ cognoscentis; vocãtur autem signa formalia prædicti actus, quia dando se, vel exhibendo se ipsos potentijs, quasi per qualdã formas, illas informant, ac faciunt certio es de rebus quas norũt; quemadmodũ albedo subiectũ, cui inest, reddit, & facit albũ, nigredo nigrũ, & quęuis forma informarũ, tali vel tali modo, nempe iuxta genus formæ cuiuspiam.

205 Tertia diuisio signi est in practicum, & speculatiuũ. signũ practicum est *quidquid efficit illud, quod significat, & in cuius cognitionem nos adducit*; vt sunt verba consecrationis, quæ producũt Corpus, & Sanguinẽ Christi, quę item significant; & item septem *Sacramenta*, quę ex Christi Domini institutione, & voluntate stabili, & infallibili producunt in rite suscipiẽtibus gratiã; quã significant. dici etiã possunt signa practica causæ omnes naturales præsertim illę, quę sunt notiores effectu, quẽ producũt, vel possũt producere; vt colligo ex *S. Thoma* p. 1. q 70. a. ad 2. nam fidelis, & secura videtur illa argumentatio à priori, *est sol, ergo dies*, & illa, *est ignis, ergo & calor.* licet frequentius dicãtur signa effectus causarũ, quã e conuerso; vt video in *Arist.* vbicũque tractat de cognitione per signa; & signate in *S. Thoma* in 2. d. 15. q. 1. a. 2. ad 2. de veritate q. 4. a. 1 ad 7 & q 9. a. 4. ad 5. licet in rigore loquẽdo signũ dicendũ, quod notius est altero, in cuius cognitionẽ nos ducit siue id sit causa, siue causatũ, vbique docet *S. Thom.* denique *Card. Bellarminus* to. 2. *de Sacramentis* l. 2. c. 8. dixit signũ practicũ *esse sigillũ, quia non tantũ repræsentat imaginẽ sed etiã imprimit in cera*, & bene dixit, vt aliat semper, & vbique solet.

S. Thom.

Aristotel.

S. Thom.

S. Thomas.

Signũ speculatiuũ è contrario est *quidquid aliud à se distinctum nobis repræsentat modo inefficaci, ac de effectione nil curans;* vt fumus repræsentãs ignem, & vox Petrus significans hominẽ quendam, & quomodo sunt pleraque ex supra numeratis. 206

In fine Sectionis aduerto duo; primũ est, ad Summulistam, seu Logicum vocalem, solum per se, aut directe pertinere ex signis supra commemoratis illa, ex quibus componuntur orationes, & modi sciendi vocales, quo modo sunt voces, quę signa sunt ad placitũ; ad Logicũ vero reale spectãt signa, quæ sunt res, causæ nimirũ, vel effectus; ad Logicum denique mentalem pertinent sola signa formalia, & ex his non omnia, sed quæ fuerint actus intellectus, directionis capaces. nam actus aliarum potentiarũ res esse censentur. Secundum est, in præsenti, & in sequentibus, dum aliud non adnotetur, hæc nomina, aut verba sibi omnino æquipollere, nempe signum esse, significare, repręsẽtare, facere cognoscere, reddere certiorẽ, manuducere, in cognitionẽ ducere, manifestare; & quæ fuerint huiusmodi.

SECTIO III.

Respondet argumentis contra definita duplici Sectione præcedenti; & statuit vnam eandemque rem posse, & solere esse signum multis modis respectu diuersorum; sed nihil posse esse signũ omnino sui ipsius.

Decreuimus sectione 1. superiore, esse de essentia signi in cõmuni, & consequenter omniũ signorũ, significare aliquid à se distinctum aliquo saltem modo ibi declarato; sed contra obijcies primo. non repugnat quidam actus intellectus, qui de se loquendo dicat *ego sum qualitas spiritualis*, neque quod vox *Blitri*, siue *Blitiri* imponatur ab hominibus nunc denuo, vt deinceps significet se ipsam, sicut potest imponi *sindapsus*, vel alia quæuis vox nõ significatiua, ad significandum ipsum *Blitiri*, præsertim si fingatur esse quidpiam distinctum *Blitiri*, vt est significatum à se ipso, vt est significãs. ergo dari possunt plura signa, quæ se ipsa significent, aut sine distincto significato, nempe signa formalia non pauca, & aliquot ad placitum, & instrumentalia. 207

Re-

Respondeo generaliter, & concedo illum actũ, & illã vocẽ, & similes esse posse, sin minus omnino, aliquo tamen modo, signa sui ipsorũ, si tamẽ inueniatur aliqua vel minima distinctio realis, vel rationis, vera vel ficta, ex parte ipsorum, vt sunt significata, media qua aliquo modo à se ipsis vt significantibus differant; ita ut vnumquodque eorum signorum, & suum significatũ sint quodammodo duo, quia vt supra dixi, & infra demonstrabitur, nulla relatio potest consistere sine duobus; significatio autem relatio quædam est: quo autem pacto ille actus intellectus differre possit à se ipso, vt est obiectum sui ipsius; & vox *Blitiri* fingi posset vt significatum distinctum à se vt significante, altioris negotij est, & alibi examinandum congruentius.

208 Contra secundam diuisionem signi factã in sect. 2. in signum instrumentale, & formale, Obijcies secundo *S. Augustinum*, qui to. 1. de Principijs Dialecticæ c. 5. & to. 3. lib. 2. de doct. Christ. cap. 1. sic loquiquitur. *Signum est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit ex se in cognitionem venire.* quæ authoritas refertur ad verbum *cap. signum, de consecrat.* dist. 2. ergo iuxta mentem S. Doctoris, & Capitis huius, nullum est signum formale, imò neque spirituale, nec insensibile, sed omnia signa sunt corporea instrumentalia, & quæ prius sentiantur ab aliquo sensu corporeo, eique repræsentẽtur; vt inde sumat ansam intellectus ad vlterius cognoscendum significata signorum: quoniam hæc est definitionis Augustinianæ vera intelligentia, & interpretatio: ex quo efficitur vlterius, quod illa secunda signi diuisio bona non sit.

S. August.

209 Sed respondetur *S. Augustinum*, & Caput illud non loqui de signo in communi; sed solum de signo particulari instrumentali, corporeo, sensibili, quod sentitur sensibus corporis; vt ibidem notat Glossa: quare tantum abest, quod sint contra nos, vt potius confirment, quæ docuimus supra de signo instrumentali sensibili: quare non negat *August.* signa formalia nec instrumentalia insensibilia corporaliter; licet fatendũ ingenue nobis sit cũ Doctore Angelico 3. p. q. 60. a. 4. ad 1. magis proprie dici signum de rebus sensibilibus & corporeis, quamde in sensibilibus, & spiritualibus, quæ tamen proprie signa sunt.

S. August. *S. Thom.*

Sed instas, omnia signa sunt instrumentalia; ergo superfluit, & non est bona illa diuisio in signum formale, & instrumentale. Probas antecedens, quia si aliquid esset signum formale, & non instrumentale, maxime actus intellectus; sed hi omnes sunt signa instrumentalia, ergo omne signum est instrumentale. Probas minorem quoniam si actus quilibet intellectus, vt potest, reflexe cognoscatur per alium actũ, illi priori conueniet definitio signi instrumentalis; quia in eo euentu, præuia cognitione reflexa sui, aliud à se diuersum, nempe obiectum suum repræsentabit intellectui; ergo actus intellectus, qui vti nos fatemur, sunt præcipua signa formalia, sunt signa instrumentalia, & non formalia, neque enim vna res potest esse plures, sicut nec habere essentias plures.

Respondetur distinguendo antecedens, omnia signa sunt instrumentalia sub aliquo respectu, & consideratione, omitto antecedens, sub omni, nego antecedens, ad probationem antecedentis concedo præcipuum signum formale esse actus intellectus, qui quidem si reflexe cognoscantur per alios, non propterea amittent rationẽ signi formalis, sed admittent rationem vtramque, nempe signi formalis & instrumentalis; sicut idem actus, item est signũ naturale naturaliter indicans intellectum, & animam rationalem, & potest esse signũ ad placitum, si à Deo vel ab Angelis, vel etiam ab hominibus beatis, ad aliquid significandum imponatur.

Neque censeri debet inconueniens, vt bene docet *S. Thomas* 3. p. q. 60. a. 3. ad. 1. & opusc. 73. c. 1. quod vna, & eadem res significando plura, habeat rationes, & essẽtias plurium signorum, in ordine ad ea plura significata, tum quia illæ rationes, & essentiæ non sunt absolute tales, & totales, sed partiales, & inter se compossibiles respectus, quales sunt quatuor respectus, quos solet habere vnica visio videns quatuor distinctos colores; tum etiam quia possibile est vnam rem habere quasi duas essentias distinctas diuersi ordinis, nempe aliam physicam, & intrinsecam; aliam extrinsecam, & moralem; vti reperiuntur in voce *Petrus*, quæ physicè est qualitas, & moraliter est cõpositum ex qualitate physica & significatione. præterea S. Petrus est homo, Piscator, Apostolus, Sacerdos, 210 *S. Thom.*

&

& Pontifex, Theologorum apex, & potuit esse aliter modis sexcentis sub consideratione varia, & propter varias formas, & respectus; & tamen vnus homo erat, sed virtute, & muneribus videbatur plusquam plures.

SECTIO IV.

Declarat quae agentia signis vtantur, & quibus; eorum vtilitatē, & necessitatē, & respondet obiectis.

211 INprimis illud agens vtitur signis, quod his prius cognitis, vel etiam non cognitis, cognoscit significata eorum. an verò SS. Trinitas, Christus D. Angeli, & Beati signis vtantur, & quibus, sunt quaestiones alterius instituti, sed scitu faciles reflectenti supra signa iam explicata, & legenti cum obseruatione sacras scripturas. Licet autem concedatur, vti necesse est, praefatas Personas vti signis, non ideo dicendum easdem vti debere discursu in vsu signorum, vt sapienter admonuit *S. Thom.* de verit. q. 8. a. 15. ad 1. 4. 5. & 7. quia illae possunt cognoscere signum, & signi significatum simul vnico actu, qui dici possit discursus in virtute, non formaliter. quod item aduertit S. Doctor infra referendus. atqui de signis ad placitum, quibus vsus est olim Deus cum PP. & Prophetis, dicit mirabiliter *S. Gregor.* lib. 28. Moral. c. 2. allegatus a *P. Pererio* lib. 6. super c. 5. Genesis, ad illū versum. *Vocauitque Dominus Deus Adam; & dixit ei vbi es?* S.Thom.

Secundo exploratum est nos homines vti necessario, & quidem magna nostra vtilitate, omnibus signis, supra expositis, siquidem valde crescit nostra scientia notitiā, & vsu signorum, praesertim sensibilium; quia scientia nostra incipit à sensibus, signa ista corporea sentientibus; ex quibus ducimur in significatorum cognitionem · vti aduerti supra num. 203. & tradit ex *Aristotele*. *S. Thomas* lect. 2. 1. Metaphysicae & 3. par. quaest. 60. art. 4. ad 1. vbi de hominibus dicit cum *August.* *quod primo, & principaliter dicūtur signa, quae sensibus efferuntur*, & ideo *effectus sensibilis per se, & primo, homini innotescens & ipsum ducens in cognitionem alterius est bonum signum*. & opusculo 73. cap. 1. sic incipit. *scientia humana à signis ad res, & à sensibilibus ad intelligibilia procedit*. huius rei ratio est manifesta experientia. Aristotel. S.Thom. S.August.

Tertio, Bruta etiam vtuntur in primis signo formali, habent enim, & exercent actus videndi, & aliorum sensuū, & multas imaginationes, qui actus sine dubio illis repraesentant sine praeuia cognitione sui, multa obiecta sensibilia, alia allectantia, alia fugantia. vtuntur etiam signis naturalibus, & instrumentalibus, quod cernimus in multis auibus, quae praesagientes imbres, & tempestates, se aquis immergunt, & lauant, vel in tutiora loca se receptant, quod argumento est aues praedictas sensisse aliqua, quae illis significant, & repraesentant imbrem, vel tempestatem imminentem.

Deinde, vt ait *S. Augustinus* lib. 2. de doctr. Christ. cap. 2. Gallus gallinaceus illo suo sonitu vocis, gallinas ad cibum repertum vocat, & inuitat; & columba columbinos; & gallina similiter congregat pullos suos. sed certum videtur Bruta non vti signis ad placitum per se, quia carent rationis vsu, qui omnino necessarius est tum ad primo imponendum significationem vocum, & signorum; tum ad vtendum morali, & iam imposita signorum significatione. licet, vt ait *Augustinus* vbi supra, illa vtantur *signis datis*. S. August.

Sed contra est 1. quoniam si Bruta vterentur signis, discurrerent; sed hoc est plusquam falsum, quia temerarium est asserere Bruta pollere intellectu siue discursu. ergo Bruta signis non vtuntur. maior probatur, nam quicumque cognoscit rem vnam per aliam, & post aliam discurrit; sed gallina v.g. cognoscit rem vnam per aliam & post aliam; nempe gallina cognoscit prius vocem galli inuitantis; deinde cibum à gallo inuentum, & ideo illuc accurrit: ergo discurrit. 212

Respondeo negando maiorem, quia dicit *S. Thomas* q. 9. de veritate art. 4. ad 4. *quod signum proprie loquendo non potest dici aliquid; ex quo deueniatur in cognitionem alterius quasi discurrendo*, tum quia cognitio per signum, non est formaliter, & proprie per aliā, cum per vnum actum possit, & soleat signum, & significatum cognosci; tum etiam, quia licet dentur duo actus, quorum alter terminetur ad signum, & alter ad signi significatum, dato quod in hominibus sit ea cognitio quaedam quasi argumentatio, & discursus, quia hi cognoscant vim illatiuam primi actus, seu primi obiecti respectu secundi, vt cum dicis, S.Thom.

cis *sol lucet, ergo, dies est, est vestigium hominis, ergo homo pertransijt*. in brutis tamen eiusmodi cognitio dici non potest formalis discursus, sed ad summum materialis. bruta enim non capiunt vim antecedentis ad inferendum consequens; sicut neq; sciunt proportionem inter medium, & finem. licet enim viso lupo fugam capessat ouis, vt sic se tueatur; & auiculæ non paucæ mirabiliter, & maxime accommodate ad finem procreandi suos filiolos, nidulos suos fabricentur; & similia faciant alia bruta, quæ videntur opera consilij, atque discursus; tamen ea solum faciunt ex instinctu naturæ naturantis, idest à Deo illis dato in illorum conditione; quia, videlicet, facti sui, aut sciti, eiusmodi animantia rationem non sciunt, & minus possunt reddere: sciunt quidem suo modo mediantibus signis, & bene operantur opuscula sua, sed sine vsu rationis, siue discursus, propter dicta hic, & fusius ad 2. Physicorum, quando tractabam de agentibus, quæ agunt, vel aguntur propter finem. vbi cum *S. Thoma* 1. 2. q. 1. a. 2. & communi dicebam rationalia omnia agere propter finem, bruta verò non sic, sed agi a Deo propter finem ab ipso cognitum, & intentum.

S. Thom.

213 Dices contra secundo. necessarius non est vsus rationis ad hoc, vt bruta vtantur signis ad placitum: ergo illis vtuntur. antecedens probatur. quia frenetici, & amentes à natiuitate; & psittaci, qui omnes carent vsu rationis, dum conqueruntur, aut petunt, quæ sibi commoda sunt, voces ea significantes pronunciant; quæ voces sine dubio signa sunt ad placitum; & consequenter eiusmodi signis vtuntur.

Respondeo me non negasse supra id, quod conuincit hæc vltima replica, quoniã experientia compertum est eiusmodi homines, & bruta vti ibi indicatis signis ad placitum, & alijs; non tamen à se ipsis primo impositis, neque à se inuentis; nam ad eiusmodi inuentionem, & impositionem requirebam supra vsum rationis, & libertatis: quare bene possunt bruta, & perpetuo mente capti accipere, & edoceri à cordatis hominibus signa, ijsque sic edocta vti, necessitate famis, aut sitis, aut doloris, aut alterius cuiuspiam affectu cogente, nõ ducta libera indifferentia ad vtrumuis.

Quamobrem supponendo quod bruta, & illi amentes edocti fuerint efferre illa signa opportunis temporibus, & occasionibus, concedo enthymema vtrumque, & insuper addo ab *Augustino* appellari vbi supra Sect. 2. signa data, & quasi ad placitum ea quoque, quæ fieri, & dari solent à brutis secundum ipsorum appetitum, & quasi beneplacitum, vti ibidem declarabã, & ideo signa illa enumerata in argumento, quibus vtuntur animantia carentia vsu rationis, appellarem potius signa *data*, vt ab ipsis proficiscuntur. S. August.

QVAESTIO II.

De signo vocali, siue de voce in communi, eius causis; varia significatione; & diuisionibus: vbi prius exponitur an vox perinde valeat, ac terminus.

Ratio, ob quam fusè hic tractemus de vocibus, reddita supra est nu. 189. deinde nunc addo: quod quamuis alij non ita consequenter, fuse tractent de vocibus vniuocis, æquiuocis, categorematicis, & reliquis, ponendo eas sub termino in communi, & sic eas terminos proprios nominando, mihi placuit easdem voces explicare sub voce in communi, quia cum eisdem authoribus dedicaui primam hanc disputationem dirigendæ appreheosioni, primæ intellectus operationi, cuius vicariæ externæ, & sensibiles interpretes sunt voces, quatenus sunt voces, seorsim significantes; non quatenus termini, quomodo necessario innuunt se partes esse propositionis, quæ est indicij siue secundæ intellectus operationis vicaria, & interpres: de qua tractandum est duplici disp. sequenti; sed verò euitare non potuimus aliquot curiosas digressiones, tractationesuè rerum, quæ ad rem non multum pertinent, tum propter vsum Dialecticorum, tum ob aliquale discentium oblectamentum; Logica enim sola, & pura propinata insuauis videbitur, & austera. 214

SECTIO I.

Exponit naturam vocis in communi eius causas, & aliquot magis vniuersales diuisiones, & obiectioni respondet; vbi quid loqui sit definit S. Augustinus.

Vox *est sonus factus ab animali ore suo, vel alio æquiualenti cũ aliqua imaginatio-* 215

natione. Sic est vox significatiua, vel non significatiua ab homine, vel alio animali profecta, facta ore proprio, vel media tibia, vel alio instrumento cum alicuius rei imaginatione: ita esse vocem in communi colligo ex *Arist.* lib. 2. de anima, tex. 90. & nostris præceptoribus *S. Thoma* ibidem lect. sua 18. circa finem, & 1. Perih. lect. 6. fine. *S. Augustino* to. 5. lib. 14. *de Ciuitate Dei*, cap. 24.

Aristotel. S.Thomas. S.August.

In hac vocis significatione *sonus* ponitur loco generis, cum quo conuenit vox animantium cum reliquis strepitibus editis à campanis, & alijs instrumentis sonoris, ore non concurrente, nec insufflante: reliquæ partes definitionis sunt positæ loco differentiæ per quas vox distinguitur à prædictis perstrepentibus sonis, qui fieri solent ex collisione duorum corporum, quales sunt, vt ego opinor, strepitus fastidiosi cicadarum in æstate; & sonitus campanarũ, manuum, & tussis, & similes, qui non fiunt ore animalis ore proprio, vel æquiualenti, ori exuflanti applicato.

Edit autem animal voces, & producit vocales sonos octo instrumentis sibi coniunctis: quorum magis proxima sunt guttur, lingua, palatum, quatuor dentes, duo labra; remotiora vero sunt pulmones, & aspera arteria, siue fistula colli, quæ omnia hisce carminibus continentur.

S.Thom. infra num. 231.

Causa sunt vocum guttur, dentesque, palatum,
Lingua, & pulmones, fistula, labra duo.

Deinde vox primo diuiditur in vocem articulatam, & non articulatam. illa est vox syllabis distincta, vt vox *lego*, & similes: hæc vero est, quæ caret syllabarum distinctione, vt sunt gemitus aliquot; & aliquot suspiria, & similia; & quidem sonum non articulatum vocant *Aristoteles*, *illiteratum* libero primo Periherm. circa principium, & ibidem *S. Thomas* in lectione 4. cum *Augustino* inferius allegando; & è contrario vocat lectione 6. sonum articulatum *literatum*, qui soni ita dicuntur, vt ibi notat S. Pater, quia dicti *illiterati*, *vt ferarum*, *literis significari non possunt*, bene tamen *literati*, licet Græci sonos animantium quorundam literis etiam volunt distinguere, nempe *Cratinus* sonũ ouis exprimit dicens. Bee. Bee. Legon Badizei idest *Bee Bee* sonans badizat, & *Fabius* græcum Mũ. mugiens vocat, quia mugitum edere videtur; & *Aristophanes* Poeta. dum canem latrantem exprimere vellet Aũ. Aũ. dixit & scripsit.

Aristotel. S.Thom. S.August.

Secundo vox articulata, vel non articulata diuiditur in vocem significatiuam, 216
vel non significatiuam; vox articulata, vel non articulata significatiua est sonus factus ore animalis cum imaginatione aliquid significandi, siue manifestandi, vt vox *homo*, & *quilibet gemitus*, nam illa fit cum imaginatione hominis, vel saltem vocis ipsius hominem significantis, vt notat *Augustinus* in Dialectica cap. 7. & gemitus datur cum imaginatione doloris manifestandi; & simili modo sunt aliæ plurimæ voces significantes naturaliter, seu ad placitum.

S.August.

Vox autem articulata, vel non articulata non significatiua, item est sonus, sed factus sine imaginatione aliquid significandi, aut manifestandi, sed sæpe quasi temere & in vanum, quamuis non sine imaginatione ipsius editæ vocis; vt est *Blictiri*, siue *Blitiri*, & aliæ voces nil significantes, sed per iocum compositæ siue confictæ, & sonus quidam inaniter factus per modum sibili cuiusdam, & similes.

Tertio diuiditur vox significatiua in significatiuam ad placitum, & in significatiuam naturaliter, illæ voces dicuntur significare naturaliter, quæ id, quod naturaliter significant, significant apud omnes nationes, vbi eas voces esse contingat, ita vox quælibet significat vbique gentium naturaliter, proferentem, & gemitus animi dolorem. illæ vero voces dicuntur significatiuæ ad placitum, *quæ aliquid significant ex libera alicuius impositione*, vti dicebam supra nu. 202.

Sed contra definitionem vocis arguis. Angelus corpore aereo assumpto potest ore, vel tuba formare voces; de qua re videndus est *P. Stephanus Bubalus* tom. 1. de Angelis, quæstion. 51. articul. secundo, difficultat. 1. & 2. atque Deus ipse multifariam potest producere sonos, & voces similes, & eiusdem speciei cum nostris; ergo fieri possunt voces sine illis instrumentis, ac sine eo, quod ab animalis ore procedant.

G Re-

217 Respondeo *Aristotelem* loco allegato solum voluisse vocare voces, illos sonos, qui eduntur illis octo animantium instrumẽtis coniunctis, & consequenter negasse sonos alios aliunde, vel modo alio profectos, vocandos esse voces iuxta sensum, & acceptionem ipsius, quantumuis ex forent eiusdem speciei: contingit enim sæpe effectus similes, & speciei eiusdem à diuersis causis produci; quia, videlicet, nomen *vox*, In rigore Aristotelico solum videtur conuenire vocibus editis ab animantibus medijs præfactis octo instrumentis, quamuis alij soni in sano sensu, & minus rigoroso voces etiam dicantur, & sint: & sane in Scriptura sancta strepitus, & soni nubium, fluminum, & aquarum, & aliorum corporum collisorum, voces dicuntur. & sic intelligendus est *S. August.* to. 8. enarrat. in Psal. 139. dicens *cæteri strepitus sine anima soni dici possunt, voces nõ possunt, vox proprie animatorũ est, viuorum est.*

S. August.

Præterea diuidenda hic erat vox informalem, & materialem; in Categorematicam, & syncategorematicam; vniuocam, æquiuocam; & in alias differenties; sed eiusmodi diuisiones inferius à num. 239. adducam congruentius; solum adiungam definitionem loquendi traditam ab *Augustino* tom. 1. de Princip. Dialecticę, cap. 5. ibi. *loqui est articulata voce signa dare, articulatam autem dico, quod comprehendi literis potest.* & merito; quia supra vidimus dixisse *Aristotelem* vocem non articulatam *illiteratam* esse, & in eo consensisse *S. Thomam*.

S. August. *Aristotel.* *S. Thom.*

SECTIO II.

Ostendit voces humanas esse immediata signa tam eorum significatorum, quæ significant naturaliter, quam eorum quæ significant ad placitum: vbi prius breui quid sit vocum significatio declaratur.

PRæscire oportet, aut ex alibi dictis, nempe in Logicæ Præfatione, cap. 6. Sectio 1. meminisse voces hominum, siue quibus vtimur in familiari sermone, duplicem, si fas est ita loqui, habere rationem, siue essentiam, prior est Physica, & intrinseca, qua vox est quidã sonus supra definitus de genere, qualitatis. posterior est moralis, & est voluntas imponentiũ voces, vt significent potius rem hanc, quam illam; quæ voluntas dum retractatata non est, moraliter, idest, prudentum iudicio, & æstimatione censetur esse, & perseuerare velut annexa vocibus, quandocumque existunt, aut proferuntur, & illas facit significare hoc, vel illud, iuxta quod voluerunt primi vocum inuentores: quomodo Peccatori etiam dormienti annexa est offensa olim facta Deo, idest, illus peccaminosa voluntas antiqua, quoadusqueper pœnitentiam retractetur, & dissoluatur.

Quoniã verò voces humanæ singulę triplex principale significatum habent, primo enim significant prolatores, Secundo res, ad quas significandas sunt impositæ, Tertio harumce rerum conceptus, siue actus intellectus cognoscentes eas res; idcirco, claritatis gratia, quęrendum nobis est Primo, quomodo voces significent proferentes. Secundo quomodo res. Tertio quo tandem modo conceptus rerum. in quibus quæstionibus quidquid dixero de vocibus, facile accommodabunt legentes nutibus, & alijs quibuscumque signis ad placitum præsertim scriptis, quæ sæpe solent pro vocibus substitui, vtpotè quæ sunt vocum signa, vt inqnit *S. Augustinus* tom 3. lib. 2. de doctrin. Christian. cap. 3. & tom. 1. in Principijs Dialecticæ, cap. 5. 218

S. August.

Ad Primum ergo dicendum. *voces hominũ, vt sunt quidam soni naturaliter, & immediate significare prolatores homines.* & ratio est. id enim voces, vt soni sunt, naturaliter, & immediate significant, quod ipsæ auditæ naturaliter, & immediate nos faciunt cognoscere, sed voces hominum, vt sunt quidam soni à nobis auditi, naturaliter, & immediate nos faciunt cognoscere prolatores homines; ergo voces humanæ, vt sunt quidam soni naturaliter, & immediate significant prolatores homines. maior, & cõsequentia sunt euidẽtes. minorẽ probat *Isaac* Genes. 27. dicẽs audita filij sui voce, *vox quidẽ vox Iacob est.* & similĩ modo nos per voces, & sonos naturaliter, & immediate nihilo alio mediante, dignoscimus, an homo sit, qui loquitur intus, vel àlonge: & an pater, frater, vel amicus, vel alter quispiam; & item an leo, equus, aut bos,

bos, vel quidpiam aliud sonet, aut perstrepat, idque vel inuiti, & sine nostra libertate, aut aliena, naturaliter, & necessario cognoscimus: quod est euidenti argumento huius afferti veritatis, quam cum alijs communiter tenet *Toletus* in lib. 1. Perihetm. cap. 1. quæstio. prima, conclus. 1.

219 Ad secundum dicendum. *voces humanas significare ad placitum, & non ex natura sua res determinatas, ad quas significandas impositæ sunt*. vt vox *homo* significat immediate naturam humanam, non ex natura sua, sed ex impositione volentium, vt potius significaret eam, quam aliam differentem. ex impositione, vel *ex instituto diximus*, loquor verbis *Aristotelis* cap. 2. lib. 1. Periher. & *S. Thomæ* lect. 4. *quia nullum nomen signum est à natura, sed cum est impositum*, consentit *S. Augustinus* tom. 1. in Dialectica, cap. 4. & 5. & tom. 3. lib. 2. de doct. Chr. cap. 10. *Aristotel.* *S. Thom.* *S. August.*

Probat rursus hoc assertum idem *Aristoteles*, quoad illam eius partem, in qua dicitur voces non significare res ex natura sua lib. 1. Perih. cap. 1. sic, *quæ significant à natura, eadem sunt apud omnes*, & ideo conceptus, qui sunt rerum cognitiones, & similitudines, sicut, & res ipsæ eædem sunt apud omnes; Sed voces non sunt eædem apud omnes ergo voces non significat res à natura sine ex natura sua: minorem probant in actibus Apostolorum c. 2. *Parthi*, & *Medi*, *Romani*, *Cretes*, & *Arabes*, & alij aliarum nationum, *qui stupebant audientes Apostolos, ac dicebant, audiuimus eos loquentes nostris linguis*, (idest vocibus) *magnalia Dei*. maior & consequentia manifestæ videntur. *Aristotel.*

Voces autem & linguę propterea diuersæ sunt apud diuersas nationes, quia impositæ sunt ad significandas res ad placitum diuersarum gentium, quæ quotquot sunt, tot habent placita & sententias, vel in inuentione vocabulorum; quod si curiosius scire vultis: qui extiterint primi linguarum Authores, *adito Abulensem*, vel nostros Patres *Pererium*, *Delrium*, *Cornelium*, & passim alios, qui Genes. 11. credunt Deum ipsum inuentasse sermonem quo vsi sunt primo nostri primi Parentes, & item illas varias linguas, quibus confusi, ac diuisi dicuntur ædificantes Turrem Babel. licet has inuenisse putet *Origines* numer. 18. homil. 11. in medio, Angelos custodes prouinciarum, in quas perrexere dispersi ædificatores Babel. quapropter vbiecūq. inuentū fuerit homines loquutos fuisse à natura, vel naturaliter, vel anes, aut, elephantos, aut alia animantia, nemine edocente, nec eorum labra mouente, reijciatur vt fabulosum commentum.

Quod vero hæ linguæ, & voces immediate significent res, quas significant ex impositione; quæ erat altera pars afferti, Author item est *Aristoteles* tum locis allegatis à *Conimbricens.* qui à nobis sunt cum alijs, quos citant. in caput 1. Periherm. quæst. 3. art. primo, §. *tertia sententia*. tum 1. Elenchor. cap. 1. dicens. *quia res ad scholas adducere non possumus, vtimur vocibus pro rebus, quemadmodum ij, qui calculis supputant*. vtimur nempe vocibus, siue nominibus, pro rebus, vt pulchre interpretatur *S. Thomas*, ibi, & opusc. 73. cap. 1. *quia res nobiscum ferre non possumus in disputatione ipsarum*, sicut & rebus, pro alijs rebus quasi earum rerum vicarijs, & substitutis; fauent ergo huic sententiæ *S. Thom.* ijs locis, & *S. Augustinus* to. 1. lib. de magistro, cap. 1. & tom. 9. tractatu 1. in Ioan. & expressius in Dialectica, cap. 7. & consentiunt multi & docti Recentiores. 220 *Aristotel.* *S. Thom.* *S. Thom.* *S. August.*

Et ratio prima breuis est. quia quæuis vox est vicaria rei, & sic correlatiua cum ipsa, omne autem relatiuum immediate significat, & facit cognoscere suum correlatum, vt fusè dico in Sect. sequenti. Secunda ratio. quia id voces significant immediate, quod nos illico vocibus auditis, & primo intelligimus; sed vocibus auditis illico, & primo intelligimus res per voces significatas: ergo voces immediate significant eas. sibi consonant *Aristoteles* 1. Politicor. cap. 2. & *S. Augustinus* allegatus supra num. 202. *Aristotel.* *S. August.*

Res hæc certa videtur, & manifeste colligi ex sacra Scriptura, præcipue *Genes.* 2. vbi adduxisse creditur Deus animalia coram Adam, vt proprijs nominibus vocaret ea, & *Genes.* 17. vocauit Deus illum hominem, qui futurus erat Pater multarum gentium, *Abraham*. quid ni ergo ea nomina, & reliqua immediate significabunt res, quibus immediate idest sine alio intermedio prius significando, significandis sunt imposita. Ad tertium dicendū

est in Sectione sequenti. interim legatur S. August. S.*August*. t.1.de Princip. Dialecticæ c.7.

SECTIO. III.

Demonstrat voces hominum significare ad placitum, & immediate conceptus rerum; & obiter commendat modum, seu locum argumentandi sumptum à relatiuis.

221 DIfficultas in titulo proposita magna argumentorum contentione agitatur vtrinque potissimum inter Magistros nouiores: quam vt ego dilucidius proponam,& exponam,suppono certum esse debere apud omnes, voces aliquo modo significare cóceptus,eorúque signa esse mediata, vel immediata,naturalia,vel ad placitum, idque vt minimum voluisse *Arist.* 1.Perih. cap. 1. scribentem hæc. *sunt ea, quæ sunt in voce,earum quæ in animo sunt passionum nota.* Vnde ortum est axioma commune peripateticæ Scholæ.*voces sunt signa conceptuum.* vbi nomine passionum, siue conceptuum, merito intelligunt cum *S.Thoma* communiter interpretes, conceptus formales, hoc est actus intellectus, non res intellectas, quæ item dici solent conceptus obiectiui; consonat *S. August.* to.10.serm.20 de Sanctis,& alibi dicens, *vocem esse signum interioris verbi.* [Aristotel. S.Thom. S.August.]

Hoc supposito dico ad tertium. *voces humanas ad placitum, & ex peculiari impositione immediate significare non solum res, vt vidimus, sed etiam formales conceptus rerum;* quatenus voces ad modum signi instrumentalis præuia cognitione sui, nos ducunt in cognitionem conceptuum, veluti horum sensibiles vicariæ, & interpretes. dixit hoc ipsum cum *Arist.S.Thom.* illis verbis,quæ habentur 1.Periher.lect.2. L.G. *nunc sermo est de vocibus significatiuis ex institutione humana,& ideo oportet passiones animæ hic intelligere intellectus conceptiones, quas nomina, & verba, & orationes significant immediatè secundum sententiam Aristotelis.* Consonat sibi S. Pater in lect.4. & in opusc. 9. q. 1. & 1.par. quæst.85. art.2. ad 3. id ipsum præclare docuit *S. Augustinus* infra. subscribunt *P. Monteya* de scientia Dei,disp.8. sect.1.num.8. *Conimb.*ad Caput 1.de signis q.3.ar.2.§. *tertia demum sententia*, & ibi *Sotus,Henricus,Bassolis,Landunus,P.Aegidius* Coninc. de Eucharistia,q.74. art. 2. dub.1.num.11. *P.Vallius* in to.1. Logicæ lib. Periher. q. 1. cap.7. & *Card. Toletus* ibidem c.1.q.1.concl.2.inclinant *P Laim.* in Theologia Morali,lib.2. tract.1. cap.9. num.4. *P. Sanchez* lib.2. cap.4. num. 19. prædicta hæc nostra conclusio habet duas partes. prima dicit voces ad placitum siue ex impositione significare conceptus,quæ ad sui probationem solum aget declaratione sequenti. [Aristotel. S.Thomas. S. August.]

Ammonius Præfatione in prædicamenta *nudi*, aiebat, *si essent animi, nec corporibus impedirentur, nudis inter se agerent conceptibus*, nunc verò quia corporibus præpediuntur,& actus interiores,siue conceptus mentis homines omnino latent, placuit eis, vt inter sese confabularentur, & se intelligerent, inuentare substituta aliqua actuum internorum, inueneruntq; inter alia tria magis idonea, nempe nutus, scripturas, & voces,& communi consilio voluerunt vt voces, quarum vsus accommodatior visus est, vt aiebat supra *S. Augustinus*,substituerētur actibus intellectus, & tales voces talibus actibus, eorumque, & non aliorū,vices gererent,& vt hæc vox v.g.*homo* esset vicaria, & interpres conceptus cognoscentis naturam humanam, & non angelicam, neque aliam: ex quo factum est, vt voces fortitæ fuerint impositiones duas,alias respectu rerum Sect. superiori expositam, aliam priori similem, respectu conceptuum: & consequenter quod omnis noster sermo,ac disputatio vocalis,non tantum sit vicaria rerum, de quibus disputamus, sed etiam sermonis, ac disputationis interioris. 222 [S. August. l.2.de doct. christ. c.1. 2.& 3.]

Hęc item est doctrina SS.PP. *Augustini* to.1.de ordine,lib.2.c.12.dicentis *rationē docuisse homines,vt quoniā animos suos sentire nō poterant,ad eos sibi copulandos sensu quasi interprete vterētur*,& to.3 lib.5. de Trinit.c.11. *verbum*, inquit, *quod foris sonat,signum est verbi,quod intus latet*, & similia habet to.9.tract.1.in Ioan.& to.10. ser.20.de sanctis,qui est primus de S.Ioan. Baptista,*vox*,inquit,*est index cogitationis, ipsius vehiculum*,& medium,*quo profertur in medium*. *Nisseni* item de hominis creatione,c.9.illic, *humana mens sonis intelligentiæ sua occulta manifestat*, sonis videlicet, impositis vt vicesgerentibus conceptuum intelligentium, & occultorum. [S. August.]

Pro-

Propter hæc testimonia, & alia plura, quæ alij passim congerunt, non dubito de ea parte prima Conclusionis, transeo ad secundam, in qua est grandior difficultas. Sed profectò si vera est ea prima pars cōmuniter recepta, nempe quod ex impositione, voces humanæ signa sint conceptuū, vt eorum vicariæ, & sensibiles interpretes; vel etiam, si sic malueris, non ex impositione directa, sed quasi natura sua, & supposita impositione, qua significant res, voces sint illorum Vicesgerentes, euidenter mihi persuadeo veram esse secundam, videlicet, *voces immediate significare conceptibus*, conuictus hoc inde ex communi asserto, desumpto argumento.

223 Voces humanæ substituuntur, & vicariæ sunt conceptuum, ergo eos immediate significant, antecedens certum est ex dictis. consequentiam probo euidenter. quidquid substituitur loco alterius, eiusque vicarium est, id alterum immediatè significat, & repræsentat, sed voces substituuntur, & vicariæ sunt conceptuum; ergo eos immediatè significant, & repræsentāt. maiorem probo primo exemplis rem declarantibus. etenim quoniam S. P. Papa Vrbanus VIII. est substitutus loco Christi Domini, eiusque Vicarius est, ipsum immediate repræsentat, & ita quod nihil mediet inter vtrūque, & propter eandem rationem Neapolitanus Prorex immediate significat, ac repræsentat Philippum IV. Hispaniarum Regem Catholicum; & quicumque alius Vicarius suum Proprietarium.

Probo secundo ratione desumpta à loco fideli arguendo, & conuincendo quoduis propositum thema, nempe à relatione; etenim quotiescumque duo ita se habent, vt vel ad inuicem referantur, vel saltem vnum referatur ad alterum, id, quod refertur ad alterum, necessario facit nos cognoscere immediate id alterum, & ipsum immediate significat, sed voces referuntur ad conceptus, ergo eosdem faciunt nos immediatè cognoscere, & immediate significant.

Maior est euidens & fundatur in illo asserto & axiomate cōmuniter recepto Aristotelico, quod scripsit Philosophus in Logica c. ad aliquid ibi *relatiua sunt simul natura, vel cognitione, & si quis aliquod eorum, quæ sunt ad aliquid*, fine relatiua, *desinite sciat, & illud, ad quod dicitur* siue refertur, *desinite simul sciturus est*. quasi dicat *Arist.* qui cognoscit vnum relatiuum necessario, & simul cognoscet rem correlatiuam, seu ad quam refertur tale relatiuum; & ideo dicūtur relatiua extrema simul sæpe natura, & semper simul cognitione. & propterea, qui cognoscit Patrē simul cognoscit habere aliquem filiū, *vbi enim*, ait *Nissenus* Epistol. contra Apollinarem, *qui Patrem animaduertit certum est eum filij cuiuspiam significationē intulisse; quomodo enim pater appellabitur, nisi filius etiā intelligatur*. & S. *August.* t. 3. sub titulo *quæstiuncula de Trinitate*, littera B. dicit. *prorsus cum dico Patrem, Filium significo, quia non est pater nisi filius sit, cui sit pater* & S. *Basilius* lib. 1. contra Eunomium, *Patris*, inquit, *vox propter relationē coniunctam sibi, filij cognitionem adducit*. quā rationē reperit pro nobis breui *S. Cyrillus Alexan.* l. 4. Dialog. de Trinit. colūna 5. ibi *quæ ad aliquid se habent, & relatiua sunt, ipsa per vtraque significantur, & vtraq; mutuā inter se notitiā simul pariunt*. quæ notitia, & significatio nō potest nō esse immediatissima, cū nihil intermediū prius aut significetur, aut dignoscatur.

Minor huius syllogismi, quæ dicebat voces referri ad conceptus, est manifesta, 224 *nam eo ipso quod sint vicariæ, & interpretes, aliorum sunt vicariæ, & interpretes*, quæ est solemnis argumentatio *Aristotelis* in cap. de relatione, ad cognoscenda relata formaliter, vt nos ponderamus inferius q. de Relatione. consequentia verò bene infertur, quia syllogismus est in forma, & figura, & in tertio primæ.

Secunda ratio efficax sumi potest à definitione signi instrumentalis; quoniam quidquid est signum instrumentale, præuie cognitum illico, & immediate nos ducit in cognitionem sui significati, idque immediate significat, vt patet speciatim in suspirijs, & gemitibus, quæ sine dubio immediate nobis repræsentant animi internum dolorem, & propterea illæ voces tristes signa instrumentalia dicuntur; sed voces humanæ sunt signa instrumentalia respectu conceptuum, ergo ipsæ prius cognitæ illos statim, & immediate repræsentant.

Quocirca necesse est, si concedas voces esse vicarias sensibiles, & conceptuum interpretes, vt nos docent ratio, & sancti Patres,

significant, vt sunt *hircocerui*, *chimæra*, & similia vana nomina.

Sed Respondeo ad primum dixisse quidem Philosophū *voces esse signa cōceptuū*, sed nuspiam negasse voces significare item res, imo id plane fatetur toto l. 1. Periher & alibi sæpe, vt consideranti planum fiet. Speciatim autem memini me legisse in c. de Priori, in lib Prædicam. *res quodam modo videtur causa vt sit vera oratio, eo enim quod res est, aut non est vera oratio aut falsa dicitur.* præterquāquod salua reuerentia tanti viri (qui sine dubio benigne intelligēdus est quasi voluerit voces primo, & principalius significare conceptus, & secundo res) sustineri non potest ista sententia propter testimonia sacræ Scripturæ, quæ allegaui supra ad probandam hanc veritatem an. 219. videantur ibi. Aristotel.

227 Ad secundum dic voces inuentas fuisse tum ad supplendam præsentiam sensibilem conceptuum, tum etiam ad supplendam præsentiam rerum, restante idipsum *Arist.* vbi supra dicente. *nam quia fieri non potest vt res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus, seu vocibus, pro rebus vtimur signis, & quod accidit in nominibus, in rebus quoque arbitramur accidere, quemadmodum ij, qui calculis supputant.* lege istud caput 1. libri 1. Elench. & deprehendes manifeste non esse veram opinionem *Boetij*, si verse ista opinio illius est.

Ad tertium dico illa nomina, quæ significant chimeras, non solum significare cōceptus intellectus fingentes; sed etiam ipsas fictiones obiectiuas; nempe entia quędam vana, & apparentia, quod me docuit *Arist.* 1. c. lib. 1. Periher. dicens *hircocerui aliquid significat, sed non dum verum vel falsum, nisi esse, vel non esse addatur, eo enim quod res est, vel non est vera oratio, aut falsa dicitur.* sed de huiusmodi significatis chimęricis suo loco inferius agendū. Aristotel.

Contra eandem assertionem opponitur secundo *S. Thomas* quatenus sentire videtur voces significare immediate quidē cōceptus, res autem remotius, & mediate, verba eius sunt 1. p. q. 13. a. 1. c. *respondeo dicendum quod secundum Philosophū voces sunt signa intellectuum, & intellectus sunt rerum similitudines, & sic patet quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus.* ergo secundum S. Doctorem voces significant immediate conceptus, mediate vero res. similiter loquitur S. Pater 1. Periher. lect. 1. & 10. in principio. S. Thom.

Respondeo *S. Thomam* solum velle, vt manifeste apparet in cōtextu, & 1. cont. Gent. c. 31. & 1. p. q. 5. a. 2. & interpretatione *Caietani*, quod præcesserit conceptus ad vocum impositionem; quatenus necesse est, vt prius res cognoscantur, vt vocibus, & nominibus idoneis nominentur; quare secundum quod res diuerso concepru cognoscitur, diuerso nomine, & voce solet nominari. quo sensu *Richardus de S. Victore* in Serm. de Missione Spiritus sancti dixit, *Adam, qui rebus nomina imposuit, prius quam vocabula essent, rerum scientiam habuit*, & ideo scite, & accommodate ad rerum naturas, postquā eas intus, & incute, quod aiunt, caluerat, eis nomina imposuit, testāte Deo Genes. 2. n. 19. *omne quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius.* quod etiam subodoratus est Plato, cuius fertur esse illud dictū solemne. *Cōueniāt rebus nomina sæpe suis.* S. Thom.

Vnde colligitur voces quidē impositas esse post conceptionē intellectus, & mediante, idest præcedente, ac lucē præferēte cognitione Intellectus, sed ea rerū præuia cognitio nō impedit, quominus voces sint impositæ ad immediate significandas res prius cognitas: modo autem nō vacat, nec libet examinare an illud Aristotelicū *voces sūt signa intellectuū, siue conceptuū*, admittat hunc sensum, & interpretationē. *S. Tho.* ita vt perinde valeat ac istud, *voces sunt signa conceptuum præcedentium ad vocum ipsarum impositionem.* 228 Aristotel. S. Thom.

Tertio *Scotus* in 1. dist. 27. q. 3. & q. 1. libri 1 Periher. *Gabriel* in 1 dist 22. q. vnica, a. 3. & quidam Recētiores opponūtur tertiæ nostræ assertioni dicenti voces significare immediate conceptus; quatenus aiunt voces quidem substitui pro cōceptibus, sed eos non significare, exceptis quibusdā vocibus, quæ ad eos significādos impositæ sūt, quomodo sunt *conceptus intellectio cognitio*, & similes. Sed, quod admirabile est, idē fundamentum, quo nos vtimur, vt demonstremus voces esse signa conceptuum, supponunt isti Doctores, vt teneant oppositū. fundamentum ergo cōmune est illud *voces substituuntur pro conceptibus, eorumque vicaria sunt*, vt legis supra n. 223.

Probant ergo sic Authores suum placitū

primo, quia si voces significarēt cōceptus, sequeretur, vt propositiones omnes essent falsæ, & consequenter quod illa Catholica assertio, *Deus est misericors*, esset falsa, quia tunc eius sensus esset, conceptus misericordiæ est cōceptus Dei; quod est falsum, quia differenti conceptu concipimus Deum, ab eo, quo concipimus eius misericordiam; ergo falsum est voces significare cōceptus: solum ergo significant res.

Respōdeo negādo antecedens, & ambas cōsequentias. etenim quamuis voces significent cōceptus, & pro eis supponantur intra propositiones, & extra, vt ostendo infra n.287. tamen non ita eos significant quasi prædicatur vnum conceptum de alio; sed solū vt prædicent rem vnam de alia. ratio autē discriminis huius est, quia, vt ante me aduerterunt *Conimb.* voces significant res doctrinaliter, conceptus vero non doctrinaliter, sed suppositiue solum, & per modum Vicesgerentium.

229 Homines autem in vsu vocum ordinario curam tantum habere voluerunt de rebus in suis doctrinis tradendis, vel etiam in contractibus, parumq; curarunt de conceptibus; quos plerūq; nolunt significare vocibus suis, nisi quādo assumunt voces directe conceptus significantes, vti sunt *actus, cognitio*, & similes.

Hanc ego solutionem opportunius declaro, & expendo, vbi modo me citabam, quare illa propositio vera manet, quia eius sensus est, Deo conuenire misericordiam, nec alius esse potest, etiamsi voces significent conceptus, propter dicta à *Conimb* & dicenda à nobis inferius; & forsan non cōtradicit huic nostræ opinioni *P. Vasquez* quando dicit 1.p.d.75.c.3. voces subrogari quidem, vel supponi pro conceptibus, sed eos nō significare, nimirum subintelligendo doctrinaliter, & quasi obiectiue, significatione plerumque intenta, & ordinaria.

Argumentātur secundo, si voces significarent conceptus & res, omnes essent voces fallaces, æquiuocæ, & inutiles, nihil certi significantes; Hoc est falsum; ergo & quod voces significent plusquam res. negatur maior propter duo; primum, quia significatum vocum doctrinale, quod alij vocant principalius, siue quod ex vsu, & acceptione communi hominum illico determinate intelligitur, est vnicum, idque sunt res, ratione cuius significati voces sūt vniuocæ, & vtiles. secundum est, quia non est vox æquiuoca, aut fallax, quæ determinate significat hoc simul, & illud, siue plura, quæ voce audita determinate, & quasi vnā integrā significationem cōponētia cognoscimus, sed quæ significat plura, vt plura, ita quod nihil certum audita voce cognoscamus, vt contingit audientibus vocem *Canis*, nescit enim au de terrestri, marino, aut cælesti cane sermo fiat; secus multo est in nostro casu proposito. lege ad maiorem abundantiam *S. Thomam* 3.p.q.6.a.3.ad 1. & opusc.75.cap.1. *S. Thom.*

Argumentantur tertio. quando quis dicit Rustico, *Deum esse trinum, & vnum*, venit iste quidem in aliqualem cognitionem Dei; nullam tamen capit notitiam de interiori aliquo conceptu, ergo voces instructoris solum significant res, aut rem, quam audiens ille apprehendit. probant consequentiam, quoniam voces id tantum significant, quod nos faciunt cognoscere; sed, vt patet in sermone familiari, fere nunquam scimus, aut curamus scire conceptus; ergo voces non significant eos. Hoc etiam argumentum posuit *P. Hurtado* in Logica disp. 8. sect. 3.

Sed respondetur ad mentem *August.* to.1. in Logica sua cap.7. omisso antecedenti, negando consequentiam: ad cuius probationem dico voces ea omnia significare, quæ possunt ex se nobis notificare, licet actu non notificent: nam sine dubio vox illa Hebræa *Saddai*, signum est, & tamen eius significatum plerique audientes ignorant; similiter signum est imago Deiparæ etiam in cubili obscuro latitans, licet nulli repræsentet Dei Genitricem: sat est quod illa vox, & ista imago possint proxime, & quantum de se est aliquid à se distinctum repræsentare præsente luce, & alijs circunstantijs: quare licet Rusticanus ille non percipiat vocibus illis auditis nisi res, non probat argumentum easdem voces nō esse signa conceptuū instructoris illius, bene tamen probat atque conuincit Rusticum nō omnino penetrare vocum omnes significationes, sed eas, quæ magis sunt in vsu, & doctrinæ traditæ, & acceptæ deseruiunt; & quæ illius magis intersunt. 230 *S. August.*

Tertio obijcitur, discursu sæpe vtimur, vt veniamus in cognitionem conceptuum proferentis voces, ergo voces ad summum me-

mediate, & remote significabunt conceptus. Respondeo concesso antecedenti negando consequentiã: sæpe enim contingit, vt nos ob tarditatem ingenij cognoscamus per discursum, & consequenter mediate rem aliquam; quin propterea necessarium sit rem illam inesse alteri, aut ab altera significari mediate: esto exemplo existentia diuina, quæ est quoddam prædicatũ Dei immediatissimũ, & tamen longis discursibus vti solemus, vt tandem manuducti à creaturis prius cognitis dicamus *Deus existit*, *aut est*, vt plerique Theologi confitentur cum *S. Thoma* 1. par. quæst. 2. art. 1. cap. & 1. contra Gentes, c. 10. & 11. apud *P. Granado* 1. par. cõtrou. 1. tract. 1. disp. 1. sect. 2. num. 7. & *Vasquez* disp. 19. cap. 2. & 3. quocirca dici posset iuxta modum loquendi Theologorum horum, in nostro casu, & proposito, voces quidem de se immediate significare non solum res, sed conceptus, quos literatis immediatè repræsentant; quantum vero ad nos spectat, aliquando mediate significare propter nostrum tardum intelligendi morem. neque inconueniens est voci, aut aliæ quæuis significare posse, & solere rem eandem immediatè vna via, & titulo, & alio mediatè, siue remote.

S. Thom.

231 Quarto obijcitur. multæ sunt voces, quibus non correspondet conceptus in mente prolatoris, nempe voces æquiuocæ, & nihil significantes, vt *canis*, & *Blictri*; ergo voces non sunt signa conceptuum. Respondeo concesso antecedenti, distinguendo consequens. voces non sunt signa conceptuum, quæ & quando eorum sunt vicariæ, & interpretes, & sic nego consequentiam, quæ & quando eorum (quia non sunt) non sunt vicariæ, & interpretes, & sic concedo consequentiam. quare voces æquiuocæ, & nihil significantes, vtpotè, quibus non correspondent conceptus rei significatæ, quæ nulla est, non erunt signa conceptuum, neque ad eos significandos impositæ; secus dicendum de vocibus alijs perfectis, vniuocè significantibus.

Sed instas, multæ voces vniuocæ, & significantes proferuntur, quibus non correspondent conceptus tunc existentes in mente proferentis; ergo nulla vox significat conceptus. antecedens est certum, quia licet non soleamus, neque loqui possimus sine aliqua conceptione, siue imaginatione vocum, quas pronunciamus, vt supra in Sect. 1. monstratũ est, attamẽ possumus, & solemus more psytacorũ voces plures inaniter proferre, siue, vt aiebat *Arist.* 7. Ethicorum, c. 3 fine *more vinolentorum, Empedoclis carmina recitare*, quin cognoscamus, aut meminerimus vocũ nostrarũ significata, & quin rerũ significatarũ per voces vllam cogitationem habeamus. Aristotel.

Respondeo cõcesso antecedenti, negando consequentiam. etenim voces vniuocę eo quod semel cõceptuũ vicarię suffectę fuerint, semper significant cõceptus rerum significatarum, qui vel actu existant in proferente voces, vel qui possint, aut debeant in illo esse. quemadmodum literæ ad amicum missæ, quia ab institutione sua vicarię sunt vocum, significant voces, quæ pręcesserunt, si dictasti eas literas amanuensi tuo, aut quas dictare posses, si forsan scripsisti propria manu.

Itaque necessarium non est ad hoc, vt vox *calor*, verbi gratia, significet non solum calorem, de quo non dubitamus; sed etiam conceptum interiorẽ circa calorem, quod similem conceptum habeat semper, qui eam vocẽ profert, imò ero prædicta vox (& ita dico de reliquis huiusmodi) erit nota, index, & signum conceptus caloris, licet contingeret in mente proferentis esse conceptũ contrarium frigoris, vt cõtingit, quando quis loquens mentitur, proferendo, videlicet, verba contraria conceptui in corde latenti, contra quem it, quia, ait *Augustinus* to. 3. in Euchiridio c. 22. relatus causa 22. q. 1. *is mentitur, qui contra id, quod animo sentit loquitur voluntate fallendi* vnde desumptum videtur commune prouerbium *mentiri est contra mentem verbis ire*. Legatur S. Thomas 2. 2. q. 111. a. 1, vbi sunt pulchra de isto argumento. S. August. S. Thom. 232

Vltimo opponit *Plato* in Cratylo, vt refert *S. Thomas* 1. Periherm. lect. 6. fine, voces, & orationes nostras significare naturaliter & non ad placitum: quia eæ sunt connaturalia instrumenta virtutis interpretatiuæ, quibus ista manifestat mentis conceptus; sicut ergo virtus, siue potentia interpretatiua est naturalis, ita debet esse naturale eius instrumentum. S. Thom.

Huic autem rationi, inquit S. Thomas, *Aristoteles obuiando dicit, quod oratio est significatiua; non sicut instrumentum* S. Thom. Aristotel.

vir-

ces fiunt, secus non penetrabit vocis essentiam.

Quocirca dum ego audio gemitum cognosco non solum internum dolorem, sed etiam duas imaginationes, siue conceptus gementis, quorum altero concepit gemés vocem gemitus, quam voluit edere, quia *nihil volitum, quin præcognitum*, altero vero concepit rem tristem, siue tristantem, & sibi molestam; atque adeo item cognosco rem aliquam molestam adesse, quæ affligit animum gementis, vt omnino verum sit illud *Aristotelicum quod vox deletis, & voluptatis, iucundi atque molesti significatiua est* naturaliter, & ex fine libera alicuius impositione; ergo voces naturaliter illa omnia superius dicta significant. *Aristotel.*

Dico secundo. voces humanæ quæ aliside iam significant ad placitum suas determinatas res, atque conceptus cordate, & humano more prolatæ, significant etiam naturaliter res aliquas eloquutas, & aliquos conceptus, vage tamen, indistinctè, atque confuse. huius prior ratio est ea, quæ allata est pro primo dicto. Secunda est, quia id significant naturaliter voces, quod naturaliter, & non attenta, neque intellecta significatione aliqua ad placitum, cognoscunt audientes; sed hi vocibus humanis cordate prolatis, auditis, cognoscunt res eloquutas fuisse, & aliquos conceptus saltem confuse, non attenta neque intellecta libera vocum significatione; ergo prædictæ voces naturaliter significant res, & conceptus rerum saltem indistinctè, atq; confuse: minor probatur ex eo, quod omnes sciunt ita nos homines constitutos esse à natura, vt si cordate loquamur, nullas voces efferamus, quin aliquas res à nobis præconceptas audientibus manifestare velimus, & quin dicendarum rerum conceptus in nostra mente habeamus, *vnusquisque nostrum*, ait *Augustinus* Serm. 86. de Temp *cuius præsentiam suscepit in corde, ipsius verba proferre consueuit ex ore.* *S. August.*

235 Vnde fit quod si aliquis homo peregrinus quantumuis barbarus, nostræque linguæ ignarus audisset Hispani cuiuspiam concionem, posset certo affirmare, & sine errore, ego quidem non intellexi res, quas iste concionator dixerit, nec scio eius discursus, siue bonos, aut malos conceptus; illud tamen non me fugit, nempe res aliquas dixisse ad plebem, & aliquos conceptus in mente sua habuisse, quos verbis expresserit; neque enim, vt cerno, mentecaptus est, sed cordate loquutus, qui auté & quales isti conceptus fuerint in vera in se ipsis, & quæ, aut quales res, ego in particulari non noui, quia linguam ignoro, vos noueritis ò Hispani dicite mihi, si vultis.

Dicit tertio *P. Hurtado in Logica* disp. 8, sect. 3. humanas voces istas ordinarias, & articulatas, quibus vtimur in familiari nostro sermone, significare qu dem ad placitum determinatas res, vti supra à nobis probatum est in Sect. 2. conceptus vero iné determinatos significare naturaliter, & nó ad placitum, quatenus, inquit, qui audit loquentem potest per discursum eius intellectiones cognoscere; atque eiusmodi cognitionem haberi per signum naturale inde probari videtur, tum quia voces articulatæ ex natura sua indicant apprehensum esse id, quod profertur, tum quia, vt manifestum est, sermo bene dispositus, & vocale argumentum ordine culto, & ornato ab Scholastico propositum, & res congrua methodo eloquutæ indicia, & signa naturalia sunt boni ingenij, atque discursus: idcirco dictitare solebat vir quidam sapientissimus ex *Ecclesiast.* c. 4. optimum; ac fidelissimum indicium ingenij esse non tam nasum, vel aquilinum, & frontem tersam, & alia, quæ obseruant Philosophi, quam linguam, siue loquelem, idest cohærentem sermonem, & res apte, & concinne loquutas, ex quorum duorum dispositione regredimur ad laudandos, vel vituperandos cóceptus loquentis, id quod sine dubio contingit fieri naturaliter, & independenter ab vlla libera hominum impositione.

Confirmari potest hæc doctrina ex illa tradita supra num. 201. vbi docebamus artificiosa opera esse signa naturalia respectu ingenij artificum, quatenus velint nolint homines, naturaliter nos faciunt cognoscere bona, vel mala ingenia suorum authorum, id quod didicimus ex *S. Augustino*, serm. 44. de verbis Domini, & ex *Card. Bellarmino* to. 2. de Sacram. controu. 2. cap. 9. sermo vero noster přesertim, quando cultu rhetorico adornatur, & item quilibet modus sciendi vocalis, sine dubio est opus cum artificio. *S. August.*

Placet dictum hoc Patris istius, inquantum 236

tum dicit sermonem nostrum esse signum naturale nostrorum conceptuum, non vero, inquantum dicit nullo modo esse signum item ad placitum eorundem conceptuum, quoniam, vt ex parte supra num.230. notaui voces humanæ bene possunt vna via, & titulo significare ad placitum conceptus, alia via naturaliter; sine ea significatio sit mediata, vel immediata; & sic poterunt in concordiam adduci multorum de hac re multo dissidentes opiniones.

SECTIO VI.

Respondet ad argumenta, quæ intendunt probare voces humanas non posse significare res, aut conceptus naturaliter; sed solum ad placitum: ac declarat illud axioma Philosophi, quę significant à natura, eadem sunt apud omnes.

Aristotel. *S.Thomas.* Obijciat quis primo *Aristotelem*, & *S.Thomam* lib 1.Periher. lect.2. dicentes. *apud quosdam dubitatum fuit verum voces naturaliter significent, quia naturaliter formantur, sed Aristoteles hic determinat ex similitudine literarū; quia sicut nō sunt eadē apud omnes, ita nec voces. vnde manifeste relinquitur, quod sicut nec literæ, ita neque voces naturaliter significant, sed ex institutione humana: voces autem illæ, quæ naturaliter significant sicut gemitus infirmorum, & alia huiusmodi, sunt eadem apud omnes.* ergo falso diximus nos voces articulatas humanas significare naturaliter res, & conceptus.

Respondetur Magistrorum nostrorum *Arist.* & *Thomæ* intentionem, & opinionem veram esse; voces humanas significatiuas ad placitum non esse easdem apud omnes, secundum quod significant res determinatas, & conceptus item determinatos, quod certissimum est, quia hæ voces, v.g. *Petrus est animal rationale* solum genti Latinæ significant rem determinatam, nempe Petrum esse hominem, non tamen illi negare potuerunt voces easdem significare res, & conceptus vage, & confuse, vt supra probatum, & declaratum est. memini, dum difficultatem hanc explicarem olim nostris auditoribus, habuisse coram in prospectu audientem Africanum quendam puerum, a quo cum post modum petijssem, vtrum putaret ipse me dixisse aliquid, & interiores conceptus discipulis manifestasse, indubitanter vulgari sermone respondit; scio mi Pater te piura dixisse, & interiores cogitationes manifestasse verbis, sed nihil ego vltra intellexi. ergo sine dubio voces articulatæ significant à natura aliquid vage saltem, & confuse, & secundum hoc eædem sunt apud omnes.

Obijciat secundo, voces artificiosæ, & articulatæ non sunt eædem apud omnes; 237 ergo nihil significant à natura. antecedens certissimum est, siquidem ferme quæuis regio, imo prouincia habet particularem linguam; imò vero, vt bene obseruat *S. Augustinus* to.3.lib.3.de Doctr.Christ. c.25. *S. August.* sæpe eadem vox apud gentem vnius, & eiusdem linguæ, varie significat in diuersis locis, & paginis libri eiusdem. vt apparet in vocibus *bos*, & *fermentum*, quas adducit in exempla S. Doctor, & nos declaramus infra n.339. tractando de voce propriè significante, & figurate.

Respondeo æquiuocū esse antecedens, & ita distinguendum, & explicandum, voces illæ non sunt eædem apud omnes in numero, aut specie, & sic concedo antecedens, non sunt eædem saltem in genere, & sic nego antecedens, idest non habent omnes nationes easdem voces eodem modo architectatas, & artefactas, concedo; non habent omnes nationes suas articulatas voces, quibus vtuntur, nego antecedens. nam certum videtur nullam esse nationem sub cælo, quæ lingua, vel alio signo æquipollenti careat, & sic omnes habebunt voces articulatas, & artificiosas ex impositione significantes, quibus sensa manifestent inter se, res palam loquantur, & earum exprimant conceptus.

Vnde cum voces aliquot articulatæ sint apud omnes, eæ quæcumque fuerint, & cuiuscumque nationis, signa erunt naturalia rerum, & conceptuum determinatorum quidem, sed quæ ducant in cognitionem vagam, & confusam audientem quempiam linguæ peregrinæ, & nationis cuiuspiam; quatenus quilibet ita potest secum ratiocinari, nos in lingua nostra, & natione, dum loquimur cum nostratibus, res, & conceptus ijs manifestare solemus; ergo similiter faciunt isti dum secum colloquuntur

tur suo isto vulgari sermone, nobis licet ignoto. in reliquo, quod addebatur in argumento, *Augustino* non contradico, nec ipse mihi.

Postremo pro maiore luce dictorum, & pro aliarum obiectionum facili solutione aduertendum est primo, non esse necessarium omnes voces esse, & existere apud omnes nationes, & vbique gentium præsentes esse, vt significent naturaliter, sed sat esse quod quando, & si existant apud omnes, naturaliter illis significata sua significent, patet hoc in conceptionibus intellectus, & in rebus, quas item asseruit Philosophus vbi supra, easdem esse apud omnes, neque enim sunt argenti, & auri fodinæ apud omnes, neque piper, gariophilum, gosipium, & alia plusquam sexcenta, sed certis tantum in locis, & tamen ea omnia à natura sunt.

238 *Aristotel.* Præterea neque sunt apud omnes ingeniosi omnes discursus; satis ergo est ad intelligentiam axiomatis *Aristotelis*, quę sunt à natura, & quæ significant à natura eadē esse, & significare apud omnes saltem in specie, aut genere, quando apud omnes reperiantur, aut illuc asportentur aliunde, vbi non sunt. nec voluit Aristoteles omnia, quæ significarent à natura fore necessario præsentia apud omnes regiones, sed dato quod reperirentur apud omnes, vti de facto reperiuntur suspiria, & gemitus, significatura naturaliter. quocirca quamuis voces articulatæ Hispanorum v.g. non sint apud omnes, tamen quando illuc conuehuntur scriptæ, aut apud omnes nationes, aut aliquam pronunciantur, sine dubio adducunt audientes incognitionem saltem confusam supra declaratam, quemadmodum horologia affabre elaborata, & alia artificiosa præsentata gentibus, quæ ea nusquam nouerunt, naturaliter eas adducunt in admirationem, & cognitionem ingenij illorum authoris.

Aduertendum est secundo voces humanas vbique locorum existentes omnino determinate significare suas res determinatas, & conceptus, vnamquamque iuxta impositionem suam; diximus autem confuse, & vage solere significare apud exteras nationes, & diuersæ linguæ; non quia de se confuse significent, sed quatenus ob ignorantiam audientium, eos adducunt in confusam tantum cognitionem, confusio ista se tenet ex parte cognoscentis, non ex parte vocis significantis. color viridis est, qui à longe male videtur, & tamen à vidente iudicatur niger, aut non omnino discernitur præ confusione, & debilitate potentiæ. ita in proposito contingit. atque id ipsum quod docuimus de vocibus applicandum videtur scripturis. vnde contingit latino homini videnti scriptiones Hebræas venire in cognitionem (immediatam non raro) scribentis, vocum, rerum, & conceptuum saltem confusam, quia nescit literas hebræas. sed de his satis superque diximus prosequamur diuisiones vocum, siue vocalium terminorum.

SECTIO VII.

Diuidit vocē articulatam significātem ad placitum in categorematicam, syncategorematicam, & mixtam; & respondet argumento, conceditq; syncategorematisignificatum.

Vox categorematica, quæ latine redditur significatiua, dicitur *illa quæ separata à quauis alia significat*. vt Petrus, Populus, & nomina alia omnia substantiua. & pleraque adiectiua præsertim substantiuè sumpta. 239

Alia vox est significatiua proprie, alia figuratè, & impropriè, illa est quodcumque nomen, siue sit, vt vocant Grammatici, proprium, siue appellatiuum, nomen, siue cognomen, vel pronomen; nempe quæcumque vox respectu significationis, quam habet ex prima impositione; nam vox improprie significatiua, seu metaphoricè, talis dicitur respectu secundæ significationis suæ, quam secundo illi imposuerunt Antiqui ob similitudinem, quam habebat vocis prius significatum cum secundo. vt bene aduertit in t. 3. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 10. *S. Augustinus* ostendens quomodo *bos* proprie significet pecus, & deinde improprie *Euangelistam*: & ideo ipse S. Pater, ibidem lib. 3. cap. 25. dixit eandem vocem non idem significare vbiq; vt apparet in voce, *fermentum*, quæ *Matthæi* 16. significat hypocrisim Pharisęorū, & *Lucæ* 13. significat massam, quam mulier abscondit *in tribus mensuris farinæ*. *S. August.*

Vox syncategorematica, quæ latine dicitur

citur consignificatiua, *est illa quæ sola non significat, sed coniuncta cum alis significati consignificat*. quomodo sunt omnis, quilibet, aliquis, nullus, decem, & similes; multæ item præpositiones, coniunctiones, interiectiones, & aliquot aduerbia; & finaliter omnia illa vocabula, quibus prædicta definitio conueniat. dicitur vox hæc syncategorematica etiam *syncategorema*. sicut & illa superior appellari solet *categorema*. legatur *S. Thomas* 1. Periher. lect. 1. & 6.

S.Thom.

Et vero syncategorema adiunctum categorematі v. g. *omnis homo* ita consignificat collectionem omnium hominum, vt eam non possit altera vox solitarie sumpta significare, idest neque *omnis*, seorsim, neque *homo*, sed vtraque simul, ita tamen, vt non minus vere dicatur quod ly *omnis* significet illam collectionem, quam ly *homo*, siquidem collectio significata æque alterutri voci correspondet, vt eleuatio ponderis à duobus viris æque robustis, & æque eleuare nitentibus, vtrique tribuitur, non alteri seorsim, præsertim quando pondus non potuisset eleuari ab vno solo. hoc habet amplius vox categorematica *homo*, quod separata significat naturam humanā; syncategorema vero *omnis* seorsim nihil significat actu, sed quasi potentialiter, quādo nimirum iungatur categorematі. ita docent communiter Recentiores.

240 Ratio huius doctrinæ alia, inquiunt, nō est, nisi quia id ita esse possibile est, & ita videntur voluisse vocum impositores, quod persuadent exempla, quæ congerunt Dialectici in declarationem syncategorematis. primum exemplum ab hedera desumitur, quæ nequit sola sursum ascendere nisi adhærescat alteri, postquam vero adhæsit arbori, sine dubio cum illa concrescit, & conscendit. secundum est, illa figura ò quæ *cero* dicitur, quæ cum vnitate 1. efficit 10. qui numerus augetur indiuisibiliter proueniens ab vnitate, & *cero*, cùm tamen *cero* separatim nihil valeat. quis autem dixerit illam decimi numeri multiplicationem correspondere soli vnitati 1. Tertium exemplum petitur à literis vocalibus, & consonantibus; quia consonantes exempli causa R. & r. nihil separatæ sonant, iunctæ tamen cum vocalibus a. & o. sonant *Raro*, in qua dictione, vt manifestum est, consonant tam vocales, quam consonantes. aptissima sunt allata exempla, & vt propositæ rei quadrent omnino, notandum fuit arborem succrescere posse, & solere solam, & sine hedera; vnitatem aliquid valere sine *cero*; ac demum vocales sonare sine consonantium consortio, non item hederam, *cero* & consonantes. vt patebit contemplanti.

Sed si opponas illis *Aristotelem* sic scribentem lib. 1. Periher. cap. 2. *omnis non significat ipsum vniuersale, sed vniuersalitatis est nota*, & paulo infra, *quare omnis, vel nullus nihil aliud consignificare videtur, quam affirmationem aut negationem vniuersaliter dici*. Ergo sentit *Aristotel.* syncategorema nihil significare, sed solū esse signum siue notam significationis vocis alterius. Respondent loqui Philosophum de syncategoremate separato, quod ita nihil significat, sed solum quando auditur à nobis denotat, ac innuit se significaturū vniuersaliter, aut aliter adiunctum categorematі, vt sine dubio consignificat, quando dixeris *omnis homo est iustus*. *nullus homo est iustus*. atque hanc esse mentem *Aristotelis* indicat ibidem ipse, & alibi docens syncategorema *consignificare* iuxta vim particulæ, compositionis *con*, nam concurrere dicimus eos, qui simul currunt. sed quis non viderit tribui à Philosopho syncategoremati speciale significatum?

Aristotel. dedit syncategoremati propriā significationem.

241

Quocirca licet ingeniose ista dici videantur, mihi videtur *Aristoteles* ad veritatem collimasse dicens syncategorema non significare ipsum, quod est vniuersale, sed denotare vel significare vniuersalitatem, sicut *albus* non significat illud, quod est album, sed albedinem; vnde opinor cum *Aristotele* allegando & *S. Augustino* tom. primo lib. 6. de magistro, capit. secundo omnino legendo, syncategorema non tantum consignificare coniunctum, sed item separatum; sed cum notanda differentia; etenim coniunctum determinat, omnino significatum suum, nec nos tenet suspensos, idest signat vocem, cui iungitur taliter accipi, ample, aut stricte, affirmanter, vel neganter; separatum vero, vt supra dicit *Aristoteles*, siue consideratum secundum specialem suam vim, & signi-

Aristotel. S. August.

significationem, significat solam vniuersalitatem, vel particularitatem, affirmationem vel negationem, aut duorum coniunctionem, vel separationem, licet ea omnia quasi in confuso & non determinando rem, aut vocem, cui applicet significatum suum, donec iungatur categorematì; id quod contingit etiam nomini *albus*; & reliquis adiectiuis, & verum est, quamuis exempla illa, quæ excogitata sunt à Dialecticis contrariæ factionis, aliud contineant, illud enim quod ipsi opinantur declarare potius, quam probare videntur: quare non credas vocum impositores abstulisse his vocibus significationem, quam eisdem concessit *Aristoteles*, nec te conturbet quod dicat ipse *Omnis vniuersalitatis est nota*. quoniam apud Philosophum, *nota* velet id, quod signum, & *notare* id, quod signum esse, seu significare, vt vides in primo Periherm. capit. primo, vbi dicuntur *voces notæ conceptuum* intellectus. & in eodem libro *nomen*, ait Philosophus, *naturaliter nullum est, sed quando fit nota idest quando imponitur ad significandum*, & significat, vt explicat *S. Thomas* in sua lect. 4. & apud *Vasquez* 1. par. dis. 75. capit. 3. verbum *denotare*, perinde est ac significare. præter quamquod dicit *Aristoteles* 1. Periher. cap. 3. *verbum est vox significatiua ad placitum*, verbum, vero sæpe syncategorema merum est.

S. Thom.

Aristotel.

242 Quamobrem dicendum puto secundum mentem Aristotelis, & Augustini vbi supra, syncategorema separatum vere significare aliquid modo declarato, non minus, quam adiectiuum nomen, dici vero consignificatiuum, non quia de se, & solitarium non significet, sed quia ex peculiari sua impositione, & conditione petat affigi, strictiusque, quam reliqua nomina adiectiua, coniungi cum categoremate: vt vides in his exemplis *omnis homo est iustus. nullus homo currit*. vbi syncategorema stans ex parte subiecti, id quasi modificando, & ipsi inhærendo, ita vt vix possit esse ex parte prædicati aliquod syncategorema solitarium, si perfectum syncategorema sit: neque enim dices *homo est omnis. Petrus est nullus* aliter contingere videtur in reliquis adiectiuis dum dicis: *homo est iustus. Petrus est albus*.

S. August.

Vnde concludo syncategoremata non distingui ab adiectiuis, quia ista significent solitaria, & illa non, sed quia illa petant consignificare adstricta valde cum categoremate posito ex parte subiecti, vel ex parte prædicati; quia nolo recedere ab Aristotele dicente *omnis* solitarium esse *notam*, & coniunctu *consignificare*, neque concedere cum *P. Hurtado* dis. 1. sumul. sect. 10. omnia nomina adiectiua esse proprie syncategorematica, contra communem; sufficit enim ille limitatus modus datus syncategorematì ad cōsignificandū, vt discriminetur specie ab adiectiuis: quare licet omnis vox syncategorematica sit simul adiectiua, non è cōtra, omnis adiectiua est syncategorema. & ideo hæc vox ita potest definiri *syncategorema est vox, quæ petit adhærescere stricte, & immediate categorematì, vt cum eo consignificet, ita vt non possit solitarium esse ex parte subiecti aut prædicati*, saluo meliori indicio. ex quo vlterius colliges syncategorema conuenire cum nomine adiectiuo, imo & cum alijs nominibus, & orationibus in eo, quod est determinare nomen, cui adhærescunt, vt ibi *omnis homo. homo Hispanus. Deus Pater. Pater Abraham. canis latrat, & mordet*. Sed valde differre ab eis omnibus, quia petit, valde adhærescere socio categorematì, modo declarato, & ad distinctionem sufficienti, & nequit esse subiectum, aut prædicatum formale.

Aristotel.

Denique vox mixta est, *quæ significat aliquid aliqualiter*; idest quæ sub vno sono prolata significat quantum categorema, & syncategorema simul, vt *semper*, quod valet *omni tempore*; & *sapienter*, quod perinde valet, ac *cum sapientia*. & ita sunt reliqua aduerbia, nomina, & verba, quæ declarari ac resolui poterunt per categorema, & syncategorema. vnde voces mixtæ censentur omnia verba adiectiua, quæ sunt cætera omnia præter *sum, es, fui*; (imò & ipsum *sum, es, fui*. quod dicitur verbum substantiuum, quando non exercet munus meræ vnionis in oratione, quia quando mera vnio est, syncategorema merum est) quatenus verba omnia adiectiua & quandoque ipsum *sum es, fui*, resolui possunt per syncategorema & categorema, quibus æquiualent. vt si dicatur *lego*, idest *sum legens. cucurrit*, idest, *fuit cur-* 243

currens. *est*, quod valet, *est ens*, *aut existens*. & ita de reliquis dicendum. Huc etiam spectant syncategoremata adiectiua substantiue sumpta, vti *omne*, quod significat idem quod, *omnis res*, *aliquid*, quod valet *aliqua res*, & quæ sunt huiusmodi, & item sunt mixtæ voces casus omnes obliqui omnium nominum; nam *Petri* valet id, quod, *de Petro*, siquando non ita latinè, Hispane saltem, aut Italice resoluendo *de Pedro*, vel *de Pietro*.

SECTIO. VIII.

Diuidit vocem categorematicam in vniuocam, æquiuocam, & analogam: vbi hæ tres voces vlterius subdiuiduntur.

VOx vniuoca est *quæ significat rem vnam singularem*, vt Petrus, & similes, *vel*, vt indicat *Aristoteles* inferius, quæ significat *plura vt vnum*, ideft, vt conuenientia in aliquo prædicato illis communi; vel etiam *quæ significat illud prædicatum, rationemue pluribus communem*. quomodo est *homo* significans quasi confuse Petrum, & Paulum, & cæteros, aut alios particulares homines secundum quod homines sunt, & secundum quod conueniunt in prædicato simili, vel communi hominis; vel quatenus significat vnam naturam humanam quasi separatam ab illis singularibus, sed illis omnino conuenientem, atque communem, ac de ipsis æquo modo prædicabilem. Solet etiam dici terminus, siue vox vniuoca, quæcumque significat plura cum ordine, vt *exercitus*, & huiusmodi, atque vox vniuoca communiter dicitur *vniuoca vniuocans*, eius vero significatum *vniuocum vniuocatum*. Hic etiam aduertendum fuit voces, vniuocas perfectissimas esse inter omnes, & maxime idoneas ad discendum, & item ad docendum: eis enim congrue significantur quinque prædicabilia, ac decem rerum prædicamenta, vti dicam inferius. S. August. lege per otium *S. Augustinum* tom. 1. de Principijs Dialecticæ cap. 9. & 10. vbi optime explicat nomina vniuoca, ambigua, Aristotel. & æquiuoca. *Aristotel.* in r. Prædicam. S. Thom. *S. Thomam* 1. contra gentiles, cap. 32.

Deinde vox æquiuoca, vt colligo ex Aristotele infra, est *quæ significat plura, vt plura*: ideft *omnino inter se disparata, & diuersa*, vt vox *canis*; quæ significat Melampodem, & Lyciscam, vel alium canem domesticum, cælestem caniculam sydus, & marinum animal piscem, dictum canem; qui tres canes non conueniunt in aliquo prædicato, seu ratione communi, quæ significetur per illam vocem *Canis*: & idem dico de voce *Gallus* respectu Galli hominis, & Galli Gallinacei. æquiuocationem vocum ortam fuisse ex eo quod plures sint res, quam voces, quia ars non coæquet naturam; & ideo vna vox sola sit imposita ad significandas res plures; nos docuit *Sanctus Thomas* in opusc. 73. S. Thom. cap. 1.

Ergo vox æquiuoca est dupliciter, alia dicitur æquiuoca à casu; & alia æquiuoce à consilio; æquiuoca à casu est vox, quam casu, & forte fortuna contingit significare plura, vt plura, quin talem significationem intenderint vocis impositores; vt esse videntur voces *Canis*, & *Gallus*, æquiuoca vero vox à consilio est, quæ de industria imposita est, vt ea plura significaret, non propter aliquam conuenientiam rerum significatarum, sed propter alios respectus, vt videtur esse nomen *Franciscus*, quod mihi fuit impositum ob memoriam S. Francisci, vel auunculi, aut Patris mei.

Ergo vox ista æquiuoca à consilio, est duplex, altera est nomen vnius, quod alijs imponitur, & applicatur propter respectum ad aliquam similitudinem, quam cum illo vno habent, vt quæ Hispaue dicimus *vn Salomon, vn Cid, vn Leon*. quibus nominibus appellamus viros eximie sapientes, aut eximie viribus potentes Duces, aut milites: quamuis istæ voces analogæ videbuntur alicui. altera est vox quæ, vti dicebam, alicui imponitur ob memoriam suorum maiorum, aut ob reuerentiam sancti alicuius, vel vt imitetur eius vestigia sine attentione, aut respectu ad præsentem similitudinem; vt nomen *Petrus*, quod Apostolorum Principem significat, & significare solet varios alios homines dignitate, sanctitate, & in alijs valde differentes.

Ad maiorem notitiam vocis, siue nominis æquiuoci nota primo, id appellari

æqui-

aequiuocum aequiuocans, eius vero significatum, *aequiuocum, aequiuocatum*, quamuis dixerit *S. Boetius*. vocum significata, seu res non dici vniuocas, neq; aequiuocas nisi relatas ad voces, vel propter ipsas. secundo tale nomen absolute esse vnum, licèt habeat plura significata secundum varias impositiones, sicut Ioannes vnus homo est, licet sit virtute multiplex, & habeat plura officia, & artes. de hoc tamen lege, & tene quod docet, & *Thom.* 1. d. 41. q. 3. ad 3. & 1. Perihier. lect. 12. in fine. *S. Thom.*

245 Tertio sunt notandae regulae istae duae circa voces aequiuocas. Prima est, nomen aequiuocum fit vniuocum quando restringitur ad vnum determinate significandum, quod bene fieri potest iuxta beneplacitum loquentis, vt cum nomine *Canis* significas tuum domesticum canem. secunda est, omnis vox aequiuoca fit vniuoca ex antecedentibus, & consequentibus, & ideo fertur prouerbio vereri. *talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse à suis praedicatis*. quare si tractando de cane, de illo praedicetur, quod latret, aut quidpiam simile, statim deuenitur in cognitionem domestici canis. sed de ista regula dicam plura, & pulchra ex *S. Thoma*, & Patre *Vasquez*, infra num. 1052. *S. Thom. supra nu. 67. S. August. lib. 3. de doct. christ. cap. 12. 13. & 14. S. Thom. 1. d. 25. q. 5. a. 1. ad 7.*

Denique vox analoga, quae mediat inter vniuocam, & aequiuocam, *est quae significat plura partim conuenientia, & partim differentia inter se, siue qua imperfecte inter se conueniunt; vel etiam illa qua significat aliquid, per quod ipsum plura conueniunt, ac simul differunt*, vt *homo*, quando significat hominem verum, & pictum; qui duo in aliquo conueniunt, & multis differunt; quo etiam modo esse videntur voces supra adnumeratae *Salomon, Seneca. Leon. Cid.* & similes; quia, & quatenus, vt dixi, significant homines habentes aliquam similitudinem admixta differentia. atque item vox *ens* videtur analoga etiam quatenus significat rationem communem entis, quae à plerisque dicitur esse causa conueniendi, & differendi inter plura; qua ratione Petrus conuenit cum Paulo, & ab eodem differt modo declarando inferius num. 972.

Circa vocem analogam aduerte primo, eam dici *analogam analogantem*, eius vero significatum *analogum analogatum*, quia sic voluere Poetae. Secundum est vocem analogam per se sumptam stare pro famosiori significato, vnde cum audis *Apostolus. Philosophus. Vrbs.* statim intelligis sermonem fieri de Paulo, Aristotele, & Roma. Tertium aduertit *P. Suarez* in Metaphys. disput. 32. sect. 2. num. 1. nimirum ab Antiquis analoga sub aequiuocis comprehendi, nec vsurpasse nomen *analogum*, sed *aequiuocum*, vt constat ex *Aristotele* in Antepraedicament. cap. 4. & *Augustino* de Categorijs, cap. 4. sanctus vero *Thomas* illud vsurpauit legendus q. 2. de verit. art. 2. & 11. Metaph. sect. 3. *Aristotel. S. August. S. Thom.*

Tripliciter est vox analoga. alia dicitur *analoga ab vno*; alia *ad vnum*; tertia *ab vno ad vnum*; analoga ab vno, quae alio nomine nuncupantur analoga proportionalitatis, est illa vox, quae significat vnam naturam, quae proportione quadam, & modo suo est in pluribus, vt vox *principium*, quae significat quidquid principium est cuiuspiam rei, & sic significat Patrem, qui est principium filij, & cor, quod est principium vitae; & alia quae principij rationem habent, & principij nomen merentur. 246

Vox analoga ad vnum, à Graecis dicta *homonenyma*, & item ab *Aristotele* 4. metaph. cap. 2. & alibi, quae item dicitur *attributionis*, est illa vox quae significat aliquid quod formaliter, proprie, & intrinsece est in vno solo, in alijs vero quantumuis etiam per eandem vocem large significatis, extrinseca: ita est vox *sanum*, quae significat proprie sanitatem animantium, & minus proprie sanitatem medicinae, loci, aeris, & aliorum huiusmodi; quae solent dici sana, quia cōducunt ad sanitatem animalium; sana item extrinsece dicitur vrina, quia indicat sanitatem illorum. declarat optime istam analogiam *S. Thomas* 1. par. quaest. 13. art. 5. corp. & 6. corpore, & *Aristoteles* 1. Ethic. c. 7. & 7. Phys. tex. 31. *Aristotel. S. Thom.*

Tertio vox analoga *ab vno ad vnum*, siue mista est, quae simul est analoga primo illo, & secundo modo, vt vox *ens*, quae significat substantiam, & accidens, quorum vtrumque est sua proportione, & modo ens, & insuper accidens dicitur ens substantiae, siue in ordine ad substantiam, cui quasi magis propriè, & in- 247

H tria-

trinsece inest ratio entis. Vide circa hæc *S. Augustinum* de Categ. c. 2. sed caute aduerte apud *Aristotelem* legendum 4. Met. cap. 2. & 7. cap. 4. analogiam perfectam nominis non stare sine metaphorica similitudine analogatorum, quæ propterea si rigorosa sint, non debent habere plusquam apparentem, & aliqualem similitudinē, vt infra n. 973. in ratione aut re significata per nomen, quæ principalius in vno analogato, & proprius sit. lege & *S. Thom.* 1. contra Gent. cap. 30. in principio, & *S. August.* de Ciuitate Dei lib. 8. cap. 11. & nota cur *ens* analogice significet Deum, & creaturas.

S. August. Aristotel. S. Thomas. S. August.

Sed contra definitionem; & diuisionem vocis æquiuocæ opponunt Sophistæ, vox *æquiuocum*, significat omnes voces æquiuocas, vt conueniunt in vna ratione ipsis vniuoce communi: ergo non est æquiuoca, sed vniuoca. Respondetur hanc vocem *æquiuocus, a, um*, esse æquiuocam de nomine solum, & vti dici solet, *in actu signato*, re autem vera, siue *in actu exercito* esse vocem vniuocam; quoniam vere significat plura vt vnum, siue vt conueniunt in vna ratione pluribus communi, simili, vel eadem, secundum quod supra declaratum est. atque ex dictis facile intelligentur definitiones Aristotelis pro nominibus vniuocis, & æquiuocis, quas posuit initio Præd. dicens cap. 1. *vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & secundum nomen eadem substantiæ ratio, vt animal. æquiuoca vero dicuntur, quorum solum nomen est commune, secundum nomen vero substantiæ ratio diuersa*, vt homo respectu veri, & picti hominis. de nominibus analogis nihil hic edisseruit expressius, quæ tamen reor cōprehēdisse sub nomine æquiuocorū.

Aristotel.

SECTIO. IX.

Diuidit vocem categorematicam in cōcretam, & abstractam; denominatam, & denominantem; substantiuam, & adiectiuam; absolutam, & relatiuam, siue connotantē, aut connotatiuam; & in vocem primæ, & secundæ intentionis.

TErminus, siue *vox concreta est, quæ simul significat formam, & habens talem formam*, vt *album*, quæ significat albedinem, quæ forma quædam est, & illud, quod habet albedinem. Vide *S. Thom.* de Pot. q. 9. a. 4. c. & nota hic formam eiusmodi vocari à Dialecticis significatum formale vocis concretæ; & similiter habens appellari significatum materiale, vt bene capiantur ea, quæ dicam infra de Appellatione à num. 310.

S. Thom.

248 *Vox abstracta est, quæ significat formam solam*, & quasi separatam ab habente, siue subiecto, vt *albedo*. & est duplex, alia dicitur abstracta vltima, alia non vltima; vltima est, quæ nulla consideratione quit esse concreta, vt *albedinitas*: non vltima est, quæ aliquo modo quit esse simul concreta, vt *albedo*, quæ significat habens albedinitatem; & simili modo ex vocibus, seu terminis concretis, alius est vltimus, qui nequit esse abstractus, vt *albus*, alius non vltimus, qui potest esse simul abstractus, & concretus, vt *albedo*.

Voces siue nomina *denominatiua*, seu denominata ait *Aristoteles* c. 1. Prædicam. *dicuntur quæcumque ab aliquo differentia casu, habent appellationem, vt Grammaticus* à grammatica, & à fortitudine *fortis*; vnde dicit *S. Augustinus* in Categ. c. 4. denominatum, siue *paronymum recte dictū est, quod aliunde nomen acceperit*, vt à *sapientia sapientem, vel medicum à medicina dicamus*. legat S. Patrem, qui volet curiose scire quomodo paronyma sint media inter homonyma, & synonyma. vox vero denominans est quæcumque deriuat aliud nomen vel vocem, vt fortitudo, & grammatica, à quibus deriuantur, & dicuntur, vt putat *Aristotel. fortis*, & *forte*, & *Grammaticus, a, um*. sed nota vt capias *August.* & reliquos scriptores *fortitudinem* v. g. vt nomen, esse quidem ac dici denominatiuū, seu denominans, quatenus ab ipso deriuatur, & denominatur *fortis, & forte*, vt vero est res, & virtus titulo potiori dicitur, & est forma denominatiua, & denominans, à qua Hercules, Sampson, & alij fortes viri denominati sunt, vel fuerunt.

Aristotel. S. August. Aristotel.

Vox substantiua est quæ significat significatum suum per modum per se stantis, & ita quod possit esse suppositum verbi vt, Homo, Petrus, & similes. *vox autem adiectiua quasi è contrario, est illa, quæ significat aliquid per modum alteri adiacentis, & non possit esse suppositum verbi*, vt iustus, fortis,

neque

neque enim dicimus, *iustus, est*, nec *fortis currit*, licet bene dicamus, *homo est*, *Petrus currit*.

Vox absoluta est, quæ significat rem in ordine ad se solam sine aliquo respectu ad aliud. vt Petrus, Leo. Vox vero relatiua, relata, connotans siue *connotatiua est, quæ significat aliquid habens respectũ ad aliud.* vnde ea ex hominum impositione significat duo, alterum magis directè, quam aliud, vt voces Pater, Dominus, Rex & aliæ innumerabiles, quas commodius afferemus infra n. 849 nam, vt manifestum est, vox *pater*, vti supra nos docuerunt num. 223. *SS. PP. Augustinus, Basilius, Nissenus, & sanctus Cirillus*, significat hominem, qui genuit filium; & ita sua proportione significant reliquæ voces relatoriæ; atque hæc vox relatiua hic definita pertinet ad Logicum, & ad metaphysicum, & distincta est à relatiuis Grammaticorum, quæ definiuntur esse rei antecedentis recordatiua, de quibus infra. *S. August.*

249 Denique *vox primæ intentionis est illa, quæ significat aliquid existens à parte rei independenter à fictione intellectus*; vt voces Trinitas, Petrus, Hoc animal. & è contra, *vox secundæ intentionis est quæcumque significat aliquid factum, vel fictum ab intellectu*, idest eo modo quo non est à parte rei; vt Homo in communi, Animal, Genus, & chimæra. propterea autem dicitur vox illa primæ intentionis, quia significat rẽ vt iacet, quę sic sumpta dicitur *prima intentio obiectiua*; & similiter vox alia dicitur secũdæ intentionis, quia significat rem veluti ab intellectu secundo cognoscente immutatam, quæ sic intellecta communiter dicitur *secunda intentio obiectiua*, vt supra in Præfatione à nu. 77. dixi, & dicam inferius, præsertim num. 1063.

Vocant item alij vocem secundæ intentionis eam, quæ significat alias voces, vt sunt voces *nomen, vox, terminus vocalis*, quæ à S. *Augustino* de Dialecticæ Princip. ca. 5. dicuntur *dictiones*. videatur *S. Thom.* Opusculo 41. cap. 12. & 1. sent. dist. 2. q. 1. a. 3. corp. vbi S. Doctor generaliter vocat nomina primæ intentionis, quæ significant res secundum quod sunt in se, vt Petrus, Homo, Lapis; & nomina secundæ intentionis dicit esse illa, quæ significant res secundum illud, quod habent ab intellectu, vt Species, Genus, quæ significant hominem, & animal, & huiusmodi facta iam ab intellectu vniuersalia; sed occasionem varietatis huius in his nominibus infra declaro commodius à num. illo 1063. qui verò plura scire volet de præfatis vocibus. Videat indicem *S. Thomæ* in verbis *substantiuum*, & *adiectiuum*, & *intentio*. *S. August.* *S. Thom.* *S. Thom.*

SECTIO X.

Diuidit vocem categorematicam in communem, & singularem; collectiuam, & diuisiuam; vbi de vocibus transcendenti, & non transcendenti; confusa, ac determinata; superiori & inferiori; vniuersali & particulari; ac de alijs, quæ ad eas reducuntur, vti est vox Deus, & aliæ complures.

Vox *communis est, quæ significat naturam cõmunem, quæ potest diuisim prædicari de pluribus affirmatiue.* vt *homo* quę significat naturam humanã prædicabilem de Petro, & Paulo, & reliquis hominibus diuisim. Hæc vox dicitur etiam vox vniuersalis, & superior, quia eius significatum est quoddam vniuersale, & superius quasi habens sub se subditos; nam sub natura humana significata per illam vocem *homo*, sunt omnes particulares homines; & ideo voces quæ significant eiusmodi homines nominantur voces particulares, & inferiores, & sunt. 250

Ex ea definitione vocis communis infertur primo, voces istas *Mundus, Sol, & Luna*, & similes esse voces communes, quia vere significant naturas communes, vniuersales, & superiores, prædicabiles affirmatiue de his Mundo, Sole, & Luna, & alijs similibus, aut diuersis mundis, solibus, & lunis possibilibus, quæ Deus Opt. Max. creare potest, si vult, vti dicemus infra nu. 694. cum *S. Thoma* opusculo 56. *S. Thom.*

Infertur secundo, hoc nomen *Deus*, quod apud nos vnum Deum catholicè venerantes, significat vnicam veram Deitatẽ, esse vocem partim communem, partim singularem, communis quidem est, quia significat naturam communem tribus diuinis personis; singularis vero est, quia

ea natura, quam significat est singularis, & vna numero in tribus personis; natura autem quæ significatur à termino communi puro, & rigoroso, multiplicatur in multis numerice. Hæc doctrina de voce *Deus* videtur esse ad mentem *S. Thomæ* in 1. dist. 19. quæst. 4. art. 2. corpore. licet in 3. d. 1. q. 1. a. 4. ad 6. dicat eam esse *quasi terminum communem*.

S. Thom.

Infertur quarto idem nomen *Deus* apud Gentiles, ex quorum vana, & erronea impositione, significabat non veram deitatem, sed fictitiam, vel etiam virtutem heroicam creatam, fuisse vocem communem, quatenus significabat rationem communem deitatis chimæricæ, aut virtutis eminentis in communi, multiplicabilem, ac prædicabilem de Ioue, Iunone, & alijs ementitis numinibus.

Ad vocem istam communem reduci poterunt primo vox complexa disiunctiua, quales sunt hæ, & similes *Petrus*, vel *Paulus*, *Homo*, vel *Equus*. quia de multis diuisim sic possunt affirmari, *hic homo est Petrus, vel Paulus, vel alius. Ioannes est homo, vel equus*. Secundo voces communes etiam in numero plurali, vt *homines*, quatenus possunt prædicari de pluribus complexis, quasi diuisim in hunc modum. *S. Ignatius, & Franciscus sunt homines. Antonius, & Iacobus sunt homines. equus, & leo sunt animalia.* & ideo voces prædictæ, quia quodammodo communes sunt affirmatæ, & negatæ difficile contradictorias admittunt, vt dico infra num. 417. Tertio dici merito potest terminus, aut vox communis *animal*, quatenus significare potest & solet collectionem multorum conuenientium, siue multos homines particulares quasi incomplete, & ex parte, nempe secundum quod sunt animalia, & sentire possunt. de quo significato plura dicenda sunt inferius à n. 534. Hic nota sæpe vsurpari, præsertim apud Iureconsultos,
251 plurale pro singulari, vt latè probat *Tiraquellus* l. si vnquã, c. de reu. donat. à n. 144.

Quarto reducetis ad vocem communẽ terminum siue vocem confusam, quæ significat plura confuse, & indeterminate, siue aliquid indeterminatum, quod potest prædicari de pluribus diuisim, *vt aliquis homo*, quia verum est dicere, *Petrus est aliquis homo; Ioannes est aliquis homo*. hæc vox dici solet significare indiuiduum vagum, quia, videlicet, tale significatum vage, confuse, & indeterminate per eiusmodi vocem repræsentatur, & propterea late loquendo eiusmodi voces dici poterunt indiuidua vaga, idest hæc significantes. Vox item *Petrus* quatenus significat multos eius nominis, ac de multis dicitur, posset reduci ad terminum communem, sicut vox *indiuiduum*.

Vox communis diuiditur in vocem non transcendentẽ, transcendentẽ, & supra transcendentẽ: *non transcendens est vox communis, quæ habet limitatam significationẽ*, vt *homo*, *quus animal*. *transcẽdens est, quæ vera omnia significat*, vel aliquid, quod de omnibus entibus veris prædicatur, vt sunt hæ voces communes *res ens verum. bonũ. aliquid. vnum.* quæ illa dictione claudũtur r. e. v. b. a. u. vox vero *supratranscendens dicitur illa, quæ præter ea, quæ significat vox transcendens, significat etiam res non veras*. aut quæ tam amplum habet significatum, vt etiam de rebus tam veris, quam non veris queat affirmari, vt sunt *imaginabile, intelligibile*, & huiusmodi etiã *infinita*, vt notat ex *Arist. S. Thomas*. Aristotel. S. Thom. Per. lect. 4.

Vox singularis, quæ opposita est voci cõmuni, est *quæ significat vnum tantum*, vt *Petrus*. & est quadruplex prima dicitur *singularis determinata*, vt Petrus, & Paulus. secũda *singularis ex suppositione*, vt *sol*, supposito quod solus in orbe sit; vel *Sophronisci filius*, si Sophronisco vnus dumtaxat sit filius. Tertia dicitur *singularis ex demonstratione*, vt *hic homo. hoc animal*. Quarta dicitur *vaga, & confusa*, vt *aliquis homo*, quam vocem item reducebam supra ad vocem communem, nam partem de vtraque habere videtur, ad vocem particularem declaratam reducuntur voces particulares, & inferiores supra scriptæ.

Vox diuisiua est, quæ significat vnũ tãtũ, vel plura vt vnum, vt *Petrus*, & vt *homo*, aut *leo*; vbi norandum est vocem diuisiuam non semper differre à singulari, & cõmuni, sed quandoq; esse simul singularẽ; quãdoq; simul cõmunem; nã vox *Petrus* diuisiua est, & singularis: & vox *homo* communis est, & diuisiua; sed tamen quamuis omnes voces tam cõmunes, quam singulares sint simul diuisiuæ. Verumtamen nõ omnes voces diuisiuæ sunt communes, nec singulares; sed vt, modo dicebam, aliquot ex diuisiuis cõtingit simul esse cõmunes, alias singulares. 252

Po-

Postremo *vox collectiua*, seu copulatiua est *quae directe significat plura simul*, siue collectim, aut collectiue, *ita* tamen *vt illius significatum praedicari non possit de partialibus significatis*; vt *Roma*, quae significat templa, muros, domos, palatia, vias, & plateas, & reliqua, quibus alma vrbs componitur; sed haec non est vera praedicatio, *hoc templum S. Petri est Roma*, nec quae sunt eiusmodi, vera autem fiet praedicatio, si sumantur, & enumerentur omnes partes, quae vrbem componunt, ac de illis collectim affirmetur esse Romam. vbi nota discrimen inter vocem copulatiuam, & diuisiuam, haec enim significare solet rem communem pluribus, de quibus diuisim possit praedicari, vt vides in homine, cuius rem significatam praedicas de multis dicens, *Petrus est homo. Ioannes est homo.* ad vocem collectiuam pertinent hae voces complexae, & similes, *omnis homo, tres homines, quinque leones, tres personae*, & finaliter quaecumque significant aliquam collectionem. quid vero sint vox distributa, aut distributiua, determinata, copulata, confusa, dixi ex parte, & fusius dico infra Disp. 2. Sect. 8. & 10.

SECTIO XI.

Diuidit vocem categorematicam in complexam, & incomplexam; simplicem, & compositam.

Aristotel. NOmina, seu voces in titulo contentas definio secundum mentem *Aristotelis* lib. Praedicam. cap. 1. fine. & lib.
S. Thom. Periher. cap. 2. *S. Thomae* ibi. lect. 2. l. c. &
S. August. lect. 3. & *S. Augustini* infra citandi. *vox incomplexa est cuius nulla pars separata significat*, quia est vna sola vox vt *homo. bos. currit. vincit. armiger. vox* vero *complexa est, quae habet duas, aut plures partes aliqua copula vnitas, vel solum ex modo concordandi, & significandi copulatas*, vt *Petrus, & Paulus; animal rationale; homo currit; Ioannes vel Antonius, aut Michael hoc vel illud dixerunt. S. Ignatius. Petrus albus. omnis homo decem. homines. Lycisca latrauit.*

253 *S. August.* Et quidem *S. Aug.* to. 1. cap. 1. de principijs Dialecticae generaliter docuit primas, & secundas personas verborum esse voces complexas, seu quae vocat ipse *coniuncta verba*, vt loquor, ambulo, loqueris, ambulas, *si quidem quisquis dicat ambulo, & ambulationem facit intelligi, & se ipsum, qui ambulat.* imo & tertias personas, quando ex vsu subintelligitur persona, vt *pluit, ningit*. dici etiam potest quodammodo vox incomplexa, quae vicaria est, & interpres apprehensionis incomplexae, & quae significat rem vnam. complexa vero, quae vicaria est apprehensionis complexae, & quae significat res plures, ita quod eiusmodi voces ita nominentur per extrinsecam denominationē sumptam, & ipsis applicatam à suis significatis, iuxta ea, quae dicam infra à num. 1122. illa lege, vt haec intelligas facilius.

Tres tamen conditiones ponuntur pro voce propriè cōplexa. prima est, vt voces, siuè partes illius aliquo modo vniantur; defectu cuius vnionis hae voces, *Petrus Angelus*, sunt duae voces incomplexae, & non vna complexa. Secunda cōditio petit, vt quaelibet pars vocis complexae intra illam retineat eandem significationem, quam antea extra illam habebat, defectu cuius conditionis non sunt complexae hae, & similes, *Dominus, Magister*, quia licet *do*, & *minus, magis*, & *ter* significent separatae, non tamen idem significant, atque coniunctae. Tertia demum conditio postulat, vt partes vocis complexę sint duae integrae, & distinctae dictiones; vnde complexae voces non sunt istae, nec similes, quae communiter ex Aristotele appellātur nomina cōposita figurę siue *Aristotel.* composita. *Equifer, Armiger, Respublica, Proconsul*, dato quod earum partes idem significent coniunctae, atque diuunctae, quia *armi*, & *ger* v. g. non sunt integrae voces, vti sunt hae *arma gerens*, quae sic est vox complexa.

Atque ob defectum harum conditionum, vel saltem alicuius earum, non sunt 254 voces complexae voces mixtae, de quibus supra in Sectione 7. dictum est, nempe istae *vbique, sapienter*, neque voces aliunde incomplexę, licet aequiualeant in sensu vocibus complexis, vt *homo*; sed hae omnes voces absolutè sunt incomplexae quātumuis aequiualeant his complexis *in omni loco, cum sapientia, animal rationale*, neque enim sufficit aequiualentia in significato, quando non est identitas, aut similitudo ex parte vocum significantium:

& propterea hæc propositio *Petrus, & Ioannes currunt*, absolute est simplex, & categorica, quantumuis æquiualeat huic compositæ, seu hypoteticæ, *Petrus currit, & Ioannes currit*. quia, videlicet, licet idem significent, differunt in modo significandi, quatenus vna propositio affert diuersas voces ac diuerso modo vnitas, atque altera, & diuersas formas habent.

Postremo *vox simplex* distinguitur à voce incomplexa, quia *est vna simplex dictio*, nec solum vna vox, vt petebat esse vox incomplexa, vox simplex est hæc, *Petrus*, & similes, non vero hæc *armiger*, quæ potest dici, & esse incomplexa. itaque vox incomplexa plures voces complectitur, atque significat, quam vox simplex. *Vox composita est vna dictio composita ex duplici*, vt armiger, equifer, & similes, quæ dicuntur nomina *composita figura*, quare, vt ceruitis tam vox simplex, quam composita, sunt simul voces incomplexæ. legatur de his S.Tho.1.Perih.lect.4. in medio. S.Thom.

SECTIO XII.

Diuidit vocem categorematicam in finitam, & in infinitam, ac determinat quod possint infinitari, siue reddi infinitæ voces syncategorematicæ; transcendentes, & supratranscendentes; & respondet difficili argumento monstrando quo pacto intelligatur quod inintelligibile est; & quo modo non.

Vox finita est, quæ finitam, ac limitatam significationem habet, vt homo, Petrus, vox vero *infinita est*, cui negatio *non* vel alia similis præposita est, ratione cuius negato, & ablato proprio significato, significat alia omnia indifferenter, etiam infinita; ita quod significatum vocis infinitæ, siue infinitatæ de omnibus illis possit dici, ac prædicari vere, vel falso, v.g. hæc vox *non homo* clare, ac determinate significat non hominem, siue negationem hominis, sed indeterminate, & indifferenter significat alia omnia excepto homine; propter quod dici solet vocem infinitam habere significatum sine termino, & infinitum: vnde hæc oratio, *non homo currit*, significat Deum, & reliqua creata, homine duntaxat excepto, currere siue id falsum sit, siue verum.

Hic animaduertunt Dialectici negationem *non* sumi dupliciter, *neganter*, videlicet, & *infinitanter*; tunc sumitur neganter, quando quidquid post se inuenit, destruit, negat, & inuertit quoad sensum, nihil affirmatum relinquens, vt quando dicas *non homo currit*, tunc enim particula, *non* neganter accepta facit eam propositionem æquipollere huic *nullus homo currit*. tunc vero sumitur prædicta particula infinitanter, quando, vti dicebam, solum negat significatum vocis, seu nominis, cui præposita adhæret immediate, relinquens quæ sequuntur, vt antea erant, omnino inuariata, vt apparet in hac affirmatiua propositione, *non homo ridet, & leo rugit*. cuius sensus est omnia præter homines rident, & leo rugit; quare, vt vides, negatio *non* non pertingit, neque immutat voces illas posteriores *ridet, & leo rugit*, sed relinquit, vt antea erant cum sua significatione ordinaria. lege *Aristotelem* lib.1. Periher. capit.1. vbi tractauit de voce infinita; & ibi *sanctum Thomam*. 255 Aristotel. S.Thom.

Ex præcedenti doctrina infertur, fieri posse infinitam, siue infinitari quamcumque vocem significatiuam, si nimirum illi præfigatur negatio *non*, aut alia æquiualens, quæ negatio tollit à voce proprium, & dat alienum significatum, quandoque aufert paruum, & dat multum; quandoq; e conuerso aufert multum, & paruum elargitur; nempe iuxta naturam vocum, quibus immediate præponitur, vt ex dictis, & clarius ex dicendis apparebit.

Veræ huius illationis exempla pono in vocibus, quæ videntur habere specialem difficultatem, & infinitari non posse; & primo in voce syncategorematica, de qua dico infinitari posse quando significat nempe iunctam categorematicæ, secus non, quod est dixisse infinitari posse hanc vocem quasi complexam *omnis homo*, & similes; quare si dicas *non omnis homo currit* affirmas, licet falso, omnia præter homines currere. quod si syncategorema solitarie significat, ipsum solitarie quibit in-

infinitari. lege supra num.241.

Dico secundo infinitari etiam posse quamuis vocem transcendentem, vt manifestum est, & patet hoc exemplo, nam si dicat aliquis *non verum multis placet*, significat omnia, quæ falsa sunt, siue cætera omnia, veritate excepta, multis placere. & simili modo exemplificari potest in reliquis vocibus transcendentibus, quæ omnes denotantur illa barbara dictione r.e.v.b.a.u. ideft. Res. Ens. Verum. Bonum. Aliquid. Vnum.

256 Dico tertio etiam infinitari posse voces supratranscendentes, verbi gratia intelligibile, imaginabile, cognoscibile, iudicabile, & huiusmodi. probatur, nam cuiuis voci ex his præponi potest negatio, quæ duo faciet, primum est, auferre à voce, cui præponatur, significationem amplissimam, quam habebat; secundum est dare eidem, loco illius significationis, curtam aliam, & nimis strictam significationem; nam si dixeris *non intelligibile displicet*, significabis displicere quidquid non potest intelligi, id autem rarum esse videtur, est tamen aliquod, nam inter in intelligibilia numerari solent Deum verum posse peccare, aut non esse trinum, & vnum, nec infinitum; vel carere alio attributo diuinitati connaturali, & congruenti; solem hunc esse verum Deum; dari duas contradictorias simul veras; aut simul falsas; quod, videlicet, mundus *sit simul, & non sit*, siue supponatur verum id vtrumque esse, siue falsum. atque hæc impossibilia, & alia huiusmodi dicuntur etiam, & sunt inintelligibilia, quæ significari potuerunt ab illa voce *non intelligibile*, ergo infinitari possunt voces supratranscendentes.

Sed obijcis. hæc vox supratranscendens *intelligibile* potest infinitari; ergo dantur duæ contradictoriæ simul veræ, patet consequentia, quia ipsa vox infinitata esset in intelligibilis, & simul intelligibilis, cum à nobis intelligatur. Respondeo vocem illam infinitatam nempe *non intelligibile*, re vera, & in actu exercito esse intelligibilem, & à nobis intelligi, siue cognosci, ac definiri; sono vero verbi, & syllabis, siue grammaticaliter dici inintelligibilem, siue, vt dici solet, in actu signato: ex quo non infertur aliqua contradictio. inferretur sane si eadem vox re vera esset intelligibilis, & simul intelligi non posset.

Sed vrgebis nihil est inintelligibile, nam omnia possunt intelligi, siue cognosci, vel ab homine, vel Angelo, vel saltem à Deo; 257
ergo nullum significatum restat significandum à voce infinitata *non intelligibile*, & consequenter infinitari non poterit vox supratranscendens: antecedens probatur, quoniam si aliquid esset inintelligibile, maxime Deum posse peccare, esse iniustum, & huiusmodi alia impossibilia; sed ea omnia de facto à nobis, nedum à Deo definitiue sciuntur, cognoscuntur bene, & intelliguntur, quando ita intellectu dicimus, *Deum posse peccare, aut esse iniustum est impossibile; idque asserere est impium, & hæreticum*, & simili modo, & proportione sua possumus iudicare de quibuscumque alijs, quæ dicantur in intelligibilia; ex quo vlterius fiet, quod id ipsum simul sit inintelligibile, & intelligibile re vera, & in actu exercito. ergo nulla vox supratranscendens potest infinitari, licet nugatorie præponatur illi negatio *non*, & frustra, cum nullum restet illi significatum.

Respondeo distinguendo antecedens, nihil est inintelligibile secundum prædicata, quæ habet, & vere de illo possunt prædicari; & sic concedo antecedens; nihil est inintelligibile secundum prędicata, quæ nõ habet, sed illi omnino repugnant; & sic nego antecedens. declaro me magis, res quælibet vera, vel falsa, positiua, vel negatiua, siue etiam nihilum intelligibile est, & cognoscibile per iudicium, siue cognitionem veram secundum prædicata, quæ illi re vera conueniunt; secundum alia non item. quare creatura v. g. licet alioqui multifariam sit cognoscibilis, & intelligibilis quatenus de illa possumus multa prædicata dicere, ac prædicare; tamen cognoscibilis non est, sed omnino inintelligibilis ad hoc, vt intelligatur, & iudicetur à vera aliqua intellectione, quod illa possit esse, aut sit Deus. Ita in proposito (licet exemplum de creatura proposito etiam deseruiat) Deum posse peccare, licet aliunde sit intelligibile per intellectiones, quasi remouentes peccatum à Deo, tamen re vera iniudicabile, inaffirmabile, & sic inintelligibile omnino est per verum iudicium, quod assereret Deum posse peccare, quia huiusmodi prædicatũ

omnino Deo repugnat, & hoc satis est ad ad hoc, vt habeat verum significatũ vox illa infinita *inintelligibile*, vel nõ *intelligibile*.

258 Sed vrges secundo, falsa videtur solutio, quia nihil est inintelligibile etiam respectu veri iudicij; etenim vera est hæc assertio *Deũ posse peccare est inintelligibile*, idest iniudicabile cum veritate, ecce cognoscimus repugnãtiam inter Deum, & peccatum, dum dicimus *vere Deum peccare posse esse indicibile, & intelligi non posse*. præsertim, quia ea propositio non est identica, sed formalis, ac doctrinalis.

Respondeo aliud restare, & latere adhuc inintelligibile vltra hoc quasi genericum, & commune prædicatum, quo dicimus *Deum posse peccare esse inintelligibile*, & illud est vera potentia cognoscibilis in Deo, vt peccet, quæ vt talis à nobis nec cognoscitur, nec intelligitur, nec cognoscibilis est: nam vti dicitur veteri prouerbio *quod non est non scitur*, idest non est scibile ita quod affirmari cum veritate possit, quod sit, & sic in ordine ad similem affirmationem, quod non est, inintelligibile est, & inaffirmabile secundum peculiare prædicatum, quo vere dicatur quod sit; licet alia generaliora prædicata cuiuis non enti conueniant, ac de eodem affirmatiue, & negatiue possint enunciari, vt infra explano num. 1054. cum *P. Vasquez*. quocirca licet Deum peccare posse sit inintelligibile, & secundum id prædicatum cognoscibile; tamen nequaquam cognoscitur Deum secundum quod peccare potest, neque secundum id cognoscibilis est, sed omnino inintelligibilis per intellectionem veram.

Arist. 1. Poster. 2.

Præterquamquod sic redarguo aduersarium; necesse est ex natura rei, quod si re vera asseris adhuc, atque contendis aliquid esse inintelligibile, vt fatearis illud ipsum, quod obiter, & in actu exercito ita dicendo simul saltem confuse, & secundum cõmunissimum prædicatum intelligis, sub aliquo alio prædicato particulari illi omnino repugnanti intelligi non posse, & subinde impossibilem esse cognitionem illud prædicatum cognoscentem, alioqui tua illa propositio, qua dicis hoc, vel illud esse inintelligibile, erit falsa, vel si manis, simul vera, & falsa; ergo illud ipsum particulare prædicatum impossibile dictu de re proposita quacumque, quæ vere dicitur intelligibilis, & cuius cognitio seu intellectio est impossibilis, dico ego esse significatum vocis illius infinitæ *inintelligibile*. Hæc dicta sufficiant in præsenti, quorum ad alias grauiores difficultates, & occasiones proderit meminisse.

SECTIO XIII.

Partitur vocem categorematicam, seu categorema in voces oppositas; nempe in contrarias, contradictorias, subalternantes, & subalternatas; & in voces subcontrarias, pertinentes, & impertinẽtes.

PRimo *vox opposita est, quæ significat aliquid oppositum significato vocis alterius*. eaque est multiplex, vt apparet in titulo proposito. ergo, *voces contrariæ, sunt illæ, quæ significant formas sibi inuicem contrariantes*, quæ si physice inter se pugnant, dicuntur voces illæ contrariæ physicè; si vero non physicè, sed solum in significato, dicũtur cõtrariæ Logicè; voces physicè contrariæ sunt *calor*, & *frigus*; Logice autẽ hæ *omnis homo currit, nullus homo currit*, nẽpe illæ, quæ ad propositiones contrarias componendas ordinantur. 259

Deinde *voces contradictoriæ*, quæ etiam priuatiuæ dici possunt, *sunt quarum significata se omnino perimunt*: & earum aliæ significant formas, siue quasi formas maxime inter se oppositas, quæ sibi contradicũt physice, vt *lux*, & *tenebræ*: forma, & formæ carentia, siue priuatio: & ideo voces eiusmodi formas significãtes, dicuntur physicè contradictoriæ, ad differentiam aliarũ vocum, quæ dicuntur contradictoriæ Logicè; quoniam componunt propositiones sibi mutuo contradicentes, quales sunt illæ *omnis homo est animal. aliquis homo non est animal*.

Tertio *vox subalternans est*, quæ habet amplum significatum, & plura significat, quorum singula significãtur per alias voces minoris subinde significationis, vt *omnis homo*, quæ subalternãs est respectu illius, *aliquis homo*, quæ propterea dicitur illi subalternata, & quasi subiecta; dici etiam potest subalternans vox, quæ ordinatur ad cõponendã propositionem subalternantẽ, & vox subalternata similiter, quæ ordinatur ad propositionẽ subalternatã, vt infra ostẽditur.

Quarto *voces subcontrariæ dicuntur* quæ

quæ ordinantur ad componendas propositiones subcontrarias; & sane prædictæ omnes voces relatiuæ sunt, & varias appellationes sortiuntur secundum varietatem terminorum, quibus cum conferuntur: quare contingit vocem eandem esse oppositam, contradictoriam, contrariam, subalternatam, & subcontrariam. vt infra in figuris contradictoriarum apparebit.

260 Denique finita iam ferè omni vocū diuisione, quando rursus easdem inter se comparamus, illico comperimus nouam aliam diuisionem, nempe in voces pertinentes, & impertinentes, *voces pertinentes sunt, quæ se inferunt mutuo*; vt *homo*, & *rationale*. *Dominus, seruus*. vel quæ sibi mutuo repugnant, vt *album*, & *nigrum* in summo; *lux*, & *tenebræ*: ex quibus vocibus aliæ sunt pertinentes sequela, aliæ pertinentes repugnantia; *voces pertinentes sequela sunt illæ, quarum vna infert alteram*, quæ illatio contingere solet triplici ex causa, primo quia illæ voces se habeant vt superius, & inferius inter se; vt *homo*, & *animal*. nam bene infertur *Petrus est homo ergo & animal*. secundo quia omnino sunt conuertibiles, siue significāt aliqua, quæ valent ad conuertentiā; vt *homo*, & *risibile*; *Pater*, & *filius*; nam bene arguitur *ille est homo, ergo est risibilis*. *est Pater, ergo habet filium*, & vice versa. Tertio, quia voces sunt synonima, vt *gladius*, & *ensis*.

Voces pertinentes repugnantia sunt, quæ habent, significata ita sibi repugnantia, vt vni inesse simul non possint; id quod fieri solet tripliciter primo, quia disparata sunt, vt *homo* & *equus*; secundo quia sunt opposita aliqua ex quatuor solemnibus oppositionibus, nēpe vel contradictoria, vt *homo, nō homo*, vel contraria, vt *calidum in summo & frigidū*, vel relatiua, vt *Pater*, & *filius*, neque enim Pater potest simul esse filius sui filij. vel priuatiua, vt *videns*, & *cecū*. tertio quia sunt incōpatibiles formæ, vti sunt *Deus* & *iniustitia*; *gratia*, & *peccatū*.

Postremo *voces impertinentes sunt, quæ habent significata, quæ neque se inferunt, neque sibi repugnant*; vt *musicus* & *orator*; & similes; quia non valet Petrus est musicus, ergo est orator: neque è contrario, neque valet, si dicas, Petrus est musicus ergo non est orator, neque viceuersa, vt manifestum est, & leges infra n. 1038.

SECTIO XIV.

Decernit quid sit nomen, & quotuplex. vbi de nominibus quatuor causarum; quinque prædicabilium, decem prædicamentorum; mediorum, & sedium, aut locorum, vnde argumenta sumuntur.

Vlterius diuiditur categorema, siue vox significatiua in nomen, & verbū. 261
de verbo tracto in Sect. sequenti, de nomine in præsenti, *nomen ergo est vox quæ declinatur per casus sine tempore*. vt *musa*, *prudens*, & cætera huiusmodi, etiam, quæ habent easdem terminationes, vt *genu*, & quæ sunt huius farinæ, vti docet *August.* tom. 1. de Gramm. circa principium. ita definiunt nomen communis Grammaticorum, quorum est tractare de nomine, & verbo, *P. Hurtado* in summulis d. 3. sect. 1. & fauet vbi supra *S. Augustinus*. *S. August.* *S. August.*

Dialectici aduertunt circa particulam *sine tempore*, aliud esse significare tempus, quod quidem conuenit nomini, & illi in definitione non negatur, tempus enim significant nomina hæc *dies*, *hebdomada*, *mensis*, *annus*. aliud innuere, & connotare tempus, seu id importare; quod item congruit his nominibus *ientaculum, prandium*, *cæna*, aliud demum longe diuersum esse significare cum tempore, quod soli verbo competit, quod, vt infra dicitur, præter proprium significatum, & actionē, quam significat, addit ea exerceri in aliquo determinato tempore, vt verbū *scribitis*, quod ego dicto, non solum significat scriptionem vestram, sed & nunc a vobis exerceri, quando ego dicto.

Sed opponas *Aristotelem* in primo Periherm. cap. 2. & *S. Thomam* ibi, & in sua Logica opusc. 48 tract. de interpretatione cap. 1. nomen ita longe aliter definientes, *nomen est vox significatiua ad placitum sine tempore, finita, & recta, cuius nulla pars separata significat, quæ cum verbo efficit veram, vel falsam orationem*. idest nomen est vox significans, non naturaliter, sed ex impositione, sed non cum tempore, vti verbum & quæ sit substantiua, finita, idest non infinitata, incomplexa, licet possit esse composita, & quæ sit in casu recto, hoc est in nominatiuo, *Aristotel.* *S. Thomas.*

quæ

quæ omnia habent nomina *homo. leo. Petrus*, & similia nomina substantiua, vt contemplanti particulas definitionis Aristotelicæ apparet; ergo nomina non sunt illa, quibus nostra superior definitio amplior conuenerit.

Respondeo *Aristotelem* & *Thomam* definijsse solum nomen substantiuum principale & magis perfectum, quale sine dubio est illud solum, cui eorum definitio conueniat, sed negandum non fuit, nomina esse reliquas etiam voces, quibus prior illa nostra, & Grammaticorum definitio conuenerit; quæ non est omnino contra Philosophum, qui nomen appellat vocem infinitam dicens in secun-
262 do lib. Periherm. cap. 1. *affirmatio profecto, & negatio aut ex nomine, & verbo aut ex infinito nomine, verboque constabit* infinito, (quod supplent *Conimbricenses*.)
Aristotel. item *Aristoteles* præter nominatiuum, siue rectum nominis, quod absolute appellat nomen, casus reliquos obliquos vocari vult non nomina, sed casus
S.Thom. nominis, vt *Petri*, *Petro* &c. licet *S.Thomas* quodlib. 4. art. 17. casus item nomina esse fateatur.

Opponas secundo, participia verborum significant cum tempore, & tamen nomina sunt; ergo non repugnat nominibus significare cum tempore. Respondetur negando antecedens, quoniam participia non significant cum aliquo tempore ratione sui, sed ratione verbi adiuncti; vt si dicas *legens sum. legens fui. legens ero.* & ita de reliquis: vbi manifeste apparet significare cum tempore præsenti præterito, & futuro, illis verbis tantum, non participio deberi. prosequitur Hæc erudite ars noua *Nebriss.* lib. 3. nota 8. &
S.Thom. 9. lege item *S.Thomam* lect. 1. lib. primo, Periherm. vbi *sub nomine ait comprehendi pronomina, & sub verbo participia, quamuis cum nomine conuenientiam habeant.*

Deinde nomen est duplex aliud substantiuum, adiectiuum aliud, quod vtrumque declaratum fuit supra in Sect. 9. rursus nomen aliud est categorematicum, aliud syncategorematicum; aliud mixtum, vniuocum; æquiuocum, & huiusmodi tot modis, quot supra diuisa est vox.

Tertio nomina causarum sunt hæc. *causa efficiens; forma.* siue causa formalis; *materia*, vel causa materialis; *finis*, seu causa finalis. causa efficiens significat causam, & virtutem in agendo principaliorē, vti est Deus vt potens producere creaturas; & sol, & homo vt generant hominem. materia significat causam materialem in se veluti in quodam sinu, & gremio recipiētem formam, siue effectum productum, & positum in ipsa per virtutem causæ efficientis; similis autem effectus, quia illi in materia receptus, quasi ipsam informando adornat, & pulchram reddit, dicitur & est causa formalis. denique finis est motiuum, quod propositum ab intellectu amandum voluntati, nos mouet ad operandum. de alijs causis moralibus, quarū aliæ dicuntur exemplares, seu *exemplaria*, aliæ consilia, & persuasiones, aliæ extrinseca motiua, oportunius alibi dicendum.

Quarto solemnes sunt in scholis quinque voces, seu nomina Porphirij; nempe 263
genus. species. differentia. proprium. & accidens. genera sunt Substantia Corpus. Viuens. Animal. Bestia. Animal quadrupes, & alia quæ infra recensebo. species sunt Homo. Equus. Leo. Asinus. Bos. Canis. Ciconia. Gallina, & similes. differentiæ sunt Incorporeum. Inanimatum. Animatum. Sensibile, vel Sentiens. Insensibile, vel sensus expers. Rationale. Irrationale. & huiusmodi. Propria sunt facultates, & potentiæ, quibus Homo ridet; Bos mugit, Bubo bubulat. Vulpes gannit, Sus grunit, Camelus blaterat, Elephas barrit. accidentia tandem sunt Sedere, vel dormire hominem, latrare actu canem. Cornicare cornicum. Glocitare gallinarum. Coaxare ranarum. Crocitare coruorum, & aliud quoduis vocabulum significans rem, quæ contingenter inest suo subiecto, & sane ex notitia & vsu vocum harum scientia rerum valde accrescit.

Quinto nomina decem prædicamentorum, quæ sunt decem lineæ differentes, seu diuersa genera rerum, dicta suprema, & generalissima; ad quę *Aristoteles* reduxit veluti ad classes, omnia entia creata, sunt *substantia*, vt homo. *Quantitas*, vt lignum longitudinis duorum, vel plurium palmorum. *Qualitas*, vt albedo. *Relatio*, vt similitudo. *Actio*, vt calefactio. *Passio*

fio, vt receptio caloris in manu. *Quando*, vt duratio huius diei. *Vbi*, vt locus, vbi sum. *Situs*, vt positio est, quam habes dum sedes. *Habitus*, vt est collocatio vestium tuarum, quibus vestitus es.

Denique sedes argumentorum, vel media vnde petuntur argumenta, sunt quędam res fœcundæ & veluti instrumentalia signa, quæ prius cognita nos faciunt in rei alterius cognitionem venire; siue sunt quædam virtualia signa monstrantia, vel inferentia cognitionem, qua res alias probemus, & cognoscamus: sunt vero media ista multifariam, nempe definitio, causa efficiens, causa formalis, & reliquæ, totum, intrinsecum, extrinsecum, siue authoritas, maius, minus; par, simile, coniuncta, & similia communia Logicis, & Rhetoricis. vnde dici solet argumentum sumi à definitione, à causis, à toto, à loco intrinseco, siue extrinseco, à maiori, à minori, à paritate, à simili, & huiusmodi aliter iuxta exigentiam materiæ præsentis. loci demum sunt regulæ quædam generales, *maximæ*, & *axiomata*, quia in eis maxime & pro dignitate quasi insidet veritas, nuncupata, quæ docent nos vti medijs accommodate ad aliquid sciendum, conuincendum, vel refellendum.

264 Et vt exemplicemus in aliquo loco, & medio, optimus & fidelis locus arguendi sumitur à definitione, nam vera est illa maxima, *de quocumque prædicatur definitio, de eodem potest prædicari definitum*. vnde si conuincis Petrum esse animal rationale, sine dubio conuinces esse hominem. sed de his medijs & locis fuse agendum in 3. parte Logicæ dis. 5. quæst. 10. per totam. hic satis fuit verba fecisse de aliquibus locorum nominibus, quæ sæpius vsu veniunt; ad verbum transeamus.

SECTIO XV.

Definit verbum; ac diuidit; & declarat quo pacto verbum de præsenti magis tempus actionis determinet, quam verba de præterito, & de futuro; sed non raro illud his æquipollere in vsu communi.

VErbum est *vox significatiua ad placitum*, (vt colligo ex Grammaticis, & *S. Augustino* infra referēdo, & *Hurtado* disp. 3. summul sect. 2.) *significans cum tempore coniugabilis per tempora, & modos: & est eorum, quæ de altero dicuntur nota, & vnio*. vt amo. amat. legebas. audiuimus. & reliqua. est quidem verbum vox significatiua præsertim quoties est vox mixta in se includēs, ait *S. Thomas* infra, prædicatum propositionis: nam perinde valet *currit*, atque *est currens*. & *est*, atque *est ens*. quando vero verbum est mera nota, & vnio, est syncategorema, iuxta dicta supra in sect. 7. vt quando dicas *Petrus est sapiens*, vbi verbum *est* est mera vnio vniens, ac denotans conuenire Petro sapientiam, quæ de ipso prædicatur. eiusmodi autem denotatio vera significatio vocatur hic, & supra ab *Aristotele*. S. Aug. S. Thom.

Sed opponitur nobis definitio *Aristotelis*, quæ sic habetur in 1. lib. Periherm. c 3. *verbum est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat finita, & recta; & est eorū, quæ de altero dicuntur nota, vt valet, laborat, similiter autem & valebit, & valebat non verbum est, sed casus verbi*, Idest verbum est vox significans cum tempore, vt supra num. 261. & infra declaratur, incompleta, non infinitata, & loquens de præsenti indicatiui, & quæ sit vnio prædicati cum subiecto, vt cernitur in ista propositione, *homo est animal*, vel *Petrus currit*. vbi verba *est*, & *currit* hebent ea omnia requisita ab Aristotelica definitione, & eodem modo verbum declarauit *S. Thom.* ibi, & in sua Logica, vel opusc. 48. tractatu de interpretatione cap. 2. Aristotel.

Respondeo *Aristotelem* & *Thom.* loqui ibi strictissime, ac de solo verbo perfectissimo, non autem de verbo in communi, siquidem & ipse Philosophus lib 2. Perih. cap. 7. verba vocat etiam, quæ non sunt de tēpore præsenti ibi. *sine verbo autem nulla affirmatio vel negatio est, est enim, vel fuit, vel erit. vel fit, vel quæcumque alia huiusmodi verba*. & paulo antea dixerat *non homo* esse nomen infinitum, *& non valet* similiter esse *verbum infinitum*. Deinde Dialectici cōmuniter compellant verba ea, quæ sunt omnium temporum, vt infra videbitur, quando sermo erit de ampliatione terminorū; & expresse consentit *S. Augustinus* to. 1. lib. de Grammatica. quare 265 Aristotel. S. August.

non soli Grammatici verbum ita declararunt, vt nos

Hic maxime notandum fuit circa intelligentiam illius particulæ vtriusque definitionis *significans cum tempore*, quod licet verissimum sit ab omni verbo, ideſt tam à recto, siue quod eſt de præſenti, quam ab obliquo, siue qui eſt casus verbi, aut loquitur de alio tempore, significari non solum tempus, sed etiam actionem à verbo significatam in eodem tempore (siue id ſit finitum siue æternum, & infinitum) exerceri, intereſſe magnam differentiam inter verbum præsens, & præteritum, vel futurum, nam præſens nobis indicat rem ſignificatam fieri de præſenti.

S.Thom. 1.Peri.l.5.

Alia vero verba aliorũ temporum quaſi cõfuſe nobis ſignificant factas fuiſſe actiones, quas important; nempe nobis indicant rem factam olim fuiſſe in aliquo tempore, vel similiter in aliquo vago reſpectu noſtri, tempore faciendam, ſi indicium aliud ijs verbis non ſuperaddatur, quod tempus determinet rei factę, vel faciendę, vel niſi res ipſæ ſignificatæ, & tẽpora verba determinent. quia vt bene aduertit *P. Montoya* de Trinitate, diſp 96 ſect.5.nu.18.ex *S.Athanaſio*, res ſignificatę ſolent ad ſe trahere ac determinare voces ſignificantes.

Doctrinam hanc didici ab experientia, & ab *Ariſtotele* ſic ſcribente lib. 1. Perih. c. 3. in principio. *valet vero verbum consignificat nunc eſſe* valetudinem ſupple. *ſed caſus verbi valebit & valebat differũt à verbo* de præſenti, *quod hoc quidem conſignificat tempus præſens, illa vero id quod circum circa eſt.* doctrina apparet in exemplis *ego loquor: Petrus loquutus fuit: Ioannes loquetur*: dum hæc audis certo ſcis me nunc loqui hoc tempore, quando autem Petrus loquutus fuerit, aut Ioannes loquuturus, determinate nõ ſcis, niſi dicatur *loquutus eſt Petrus heri hora nona*, & *Ioannes mane hora decima loquetur*, & quidem propter hanc differentiam ſine dubio meretur primum locum verbum de tempore præſenti.

Ariſtotel.

266

Sed dicat aliquis, iſta differentia nulla eſt, etenim dum dicit aliquis, *ego loquor. ego baptizo. ego vado, & venio*. & huiuſmodi aliter, & in caſu, quo in hac die hora quarta poſt meridiem futura ſit concio ad plebem, veriſſime etiam ſummo mane eius diei, dicitur *hodie eſt concio*, ſiue *hodie habemus concionem*, non determinatur tempus præſens, ſed vage ſignificatur ab illis verbis aliquod, quod erit paulo poſt, vel in tota die: ergo non determinatur tempus nec à tempore præſenti; & confirmatur, quia iſtæ propoſitiones, & ſimiles, *Deus eſt*, *homo eſt animal*, abſoluuntur, ſeu liberantur à tempore, quia nullum ad ſui veritatem requirunt, & ideo dicuntur æternæ veritatis, ſicut & earum oppoſitæ æternæ falſitatis; ergo verbum *eſt*, quod in illis eſt, non ſignificat cum tempore quantumuis de præſenti ſit: ſed à tempore liberum, & abſolutum eſt.

Antequam reſpondeam argumento admitto, & ſuppono cum communi ſapientum vſu, & conſenſu præfatos modos, & formulas loquendi optimas eſſe, & veriſſimas, & in *ſacra Scriptura* frequentes: quoniam, *quod parum diſtat, ineſſe videtur*. idcirco eſt vera illa propoſitio *ego baptizo*. licet paulo ante vel poſt, aquam inſudero, vel infundam. & item illa altera propoſitio, quæ affirmatur ſummo mane, *hodie eſt concio*. eſt veriſſima; quia licet concio non fiat ſummo mane, ſed veſperi, tamen in ſpacio viginti quatuor horarum ſignificato indiuiſibiliter ab illo aduerbio, *hodie*, certo contingit vniri concionem cum die, ſiue fieri in ipſo ſecundum aliquam eius diei horam: ad hoc autem, vt cum omni veritate dicatur ſummo mane, *hodie eſt concio*. id ſufficit, neque requiritur quod tota die ſit, & duret concio; quemadmodum veriſſima eſt hęc propoſitio. *ego ſum præſens mundo*. licet non ſim in toto mundo, & illa *humanitas Chriſti Domini, & ego ſumus præſentes immenſitati diuinæ*; & tamen certo ac finito loco ſumus & non vbique, vt ea eſt.

S.Thom. 3 p.q.78. a.5.corp.

Quare illa propoſitio *hodie eſt concio*, moraliter, & phyſico rigore eſt euidentiſſima, & æquipollet huic, *hodie erit concio*, nam æquipollere ſolent propoſitiones de præſenti propoſitionibus de futuro, maxime quando verbis adiungitur aliqua duratio indiuiſibilis, vel ſaltem indiuiſibiliter ſignificata, aut importata; cuius rei, & regulæ habemus exempla multa in *ſacra Scriptura*; *Leuitici* 23. *Ioan.* 14. *Apoc* 2. & 3. duratio indiuiſibilis dicitur, quæ non habet partes, qualiter eſt æternitas Dei, & æuum Angelorum. duratio verò indiuiſibiliter importata eſt dies, hebdomada, men- 267

mensis, annus, quia dies non est minus, neque magis quam viginti quatuor horę. & ita sunt proportione sua, & supputatione tempora reliqua; licet aliunde habeant partes, nempe quadrantes & horas.

Nunc respondeo argumenro sine dubio aliquam notabilem differentiam esse inter verbum præsens, & futurum, quando præsens vere est præsens, & non æquipollet futuro, quando enim æquipollet, parem confusionem relinquit audienti; quare illa propositio *ego baptizo*, quæ absolute de præsenti est, intelligitur à communi sensu significare præsentē actionem, quæ est, vel quæ iam iam erit, & sic audiens determinate id intelligit: alia vero illa propositio *hodie est concio*, vel *hoc anno est eclipsis solis*, habent maiorem latitudinē & indeterminationem, quia nimirum ęquipollent propositionibus de futuro iuxta communem sensum, & vsitatum modum loquendi.

Neque enim est vllus homo adeo stultus, vt putet necessarium esse concionem durare per integrū diē, vt cū veritate possit affirmare. *hodie est concio*. cuius sensus est, huic diei coexistit realiter concio, quod verum est, licet inadæquate, & in diei vnica minima parte fiat, si tamen fiat: quocirca qui audit summo mane, *hodie est cōcio*, siue *hodie habemus concionem* perinde intelligit, ac si diceretur. *hodie erit concio*. vel quod idem omnino est, *in hac die habebimus concionem. die Iouis defenduntur Conclusiones Theologicæ in Collegio Romano*. vel quod perinde est in vsu communi, *defendentur*. & sane quilibet horum modus loquendi prudens est & frequentissimus in omni actione, & materia.

268 Ad argumenti confirmationem respondetur verbum illud *est*, ibi & in similibus propositionibus significare cum tempore æterno, siue cum omnibus temporibus, præterito, videlicet, præsenti, & futuro distributiue, & copulatiue sumptis, vt euenire solet in propositionibus, vbi diuina de diuinis prædicantur, vt bene adnotauit P. *Montoya* de Trinitate, disp. 104. à sect. 2. & ideo facere eas propositiones æternæ, vt dicitur veritatis, sicut & his oppositas ęternę falsitatis. dicūtur vero istius modi propositiones liberæ, vel absolutæ, siue absolui à tempore; quia vt veræ sint, vel nullum creatum determinate petunt, nec de necessitate alligentur, vti petunt propositiones contingentes, & quæ æternæ veritatis non sunt, vel quia nullū omnino, contentæ tempore æterno; vt magis declaro infra Disp. 2. q. 3. Sect. 4.

Altera pars Sectionis colligit ex declarata verbi significatione illam propositionem, Antichristus est realiter præsens in æternitate, *& similes, quæ tantum negotium facessunt Theologis præsertim huius temporis, esse euidenter veras in sensu prudenti, & ordinario.*

EX doctrina tradita circa verbi cōsignificationem colligitur veram esse, ac facilem intellectu illam assertionē *S. Thomæ* & sectatorum ipsius. *antichristus est realiter præsens æternitati*. & probatur breui colligendo dicta. etenim, vt inquit *Aristoteles* lib. 1. Prædicam. cap. 2. de prio. ri. omnis *oratio ex eo, quod res est, vel non est* in tempore, pro quo res affirmatur, *vera oratio aut falsa dicitur*. sed vere res in præsenti oratione, nempe *antichristus* est realiter præsens æternitati, in tempore æterno, pro quo affirmatur; ergo eiusmodi oratio siue propositio vera est. maior est euidens, minor certissima, nam sine dubio *antichristus* suam præsentiam realem habet in æternitate, & non vltra ipsam, vel extra. S. Thom. Aristotel.

Et ideo licet oratio à nobis pronuncietur in tempore hoc, quando *antichristus* non dum creatus est, neque existit; tamen vera est, quia ea non affirmat existere in hoc tempore nostro, sed in æterno, & propterea illa propositio *antichristus existit*, aut *est præsens in æternitate*, æquipollet huic *antichristus existet præsens in æternitate*, sicut dicebamus supra de illa propositione, quæ rem totam confirmat, & conuincit, *hodierna die est concio*, siue *concio est præsens huic diei*, quæ summo mane pronunciata vera est, quia nō affirmat tunc iam esse concionem, sed in tempore suo, incluso in spacio integri diei, similiter in proposito, quia antichristus est præsens æternitati, siue eam non subterfugit, vera est hæc propositio, quę id affirmat, & in ea verbum *est* consignificat cum tempore æter- 269

æterno, & quamuis nos reddit certos de coexistentia antichristi in aliqua quasi parte æternitatis, seu temporis æterni, tamen inscios nos relinquit de creato tempore determinato, in quo futurus sit.

Hic caute aduertendum est, quod si iam natus fuisset antichristus, hæc propositio vera esset *antichristus est præsens in æternitate*, quamuis frustra adderetur tunc illa particula *in æternitate*, nam ibi verbum *est*, non consignificaret cum tempore æterno, sed cum præsenti creato, propterea quandiu antichristus non est, recurritur ad tempus æternum, vt propositio asserens in eo esse antichristum, vera sit. sed de his satis.

Quamuis non possumus non adnotare congeri à multis viris doctis argumenta in magna quantitate contra præsentiam creaturarum in æternitate, quorum nullũ me tangit; quia ego non dico res ab æterno existere præsentes æternitati, neque existere antequam in tempore existant suo; siquidem ex eo, quod res est, vel erit præsens æternitati, potuit in ordinario sensu verborum dici ab æterno, vel nunc, *antichristus habet præsentiam in æternitate*, quatenus æquipollet illi, *antichristus quando sit, habebit præsentiam in æternitate*. vt patet in illa propositione dicta in principio diei, *hodie defenduntur conclusiones*. vel quę eadẽ est, *hodie defendentur*.

270 Atque in obsequium quorundam aduerto quod sic à me explicata doctrina circa præsentiam rerum in æternitate, est conformis magistris meis, qui illam mihi approbarunt, & verbo, & scripto tradiderunt, præsertim *P. Granado* 1. p. controu. de scientia tract. 4. disp. 3. sect. 2. & *P. Espinosa* in M S. sed vero non credo obligatum me esse ad defendendum quasdam difficiles propositiones, quas passim proferũt ex *Caietano* relato à *P. Vasquez* 1. par. disp. 64. c. 2. n. 6. opinionis meæ quidã Doctores; vt sunt illæ. *omnia sunt ab æterno præsentia reali præsentialitate in æternitate. antichristus semper fuit realiter præsens æternitati*. & similes; contra quas plusquã merito inuehuntur ipse *Vasquez* & alij complures: sed ego à tantorum virorum impugnationibus liber sum, neque verum, & facilem modum defendendi veritatẽ hanc supra à me propositum, video alicubi ab aliquo refelli.

Imò vero, saluo meliori iudicio, mihi persuadeo, quod *S. Thomas* 1. p. q. 14. a. 73. non tractauit de ista præsentia reali, vt bene conuincit *P. Vasquez* in c. 5. cum multis Thomistis contra alios scholæ eiusdem: sed neque quod eam negauerit; quia dixit *quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, nempe obiectiue, & in suo intuitu, & scientia, quæ fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate*, creata supple, quis enim credat Adamum extitisse conditum ab æterno, vel tale hæreticum commentũ fuisse assertũ à *S. Thoma*? quocirca conciliari possent facile Patres nostri *Vasquez* vbi supra, & *Suarez* in opusc. lib. 1. de scientia conting. c. 7. qui negant istam præsentiam rerum realem, & *PP. Granado*, & *Montoya*, de scientia Dei, disp. 28. sect. 3. & 6. qui illam adstruũt, secundum modum, quem declaraui supra, quem eorum impugnat nemo: quin potius olim à me propositus etiã Patris *Vasquez* sectatoribus arrisit, & merito; quoniam veritas cognita displicere non debuit ipsius amatoribus, & quia *quod verum est* vt aiebat, *Plato* in Gorgia, *refelli nunquam potuit*.

Disputare autem an ista rerum præsentia in æternitate, quæ sane ab æterno non fuit plusquam obiectiua, licet in æternitate sit realis, & realiter existat, conducat, vel solum concomitanter se habeat cum scientia Dei, vel vt ab ipso res præsentes sciantur; non pertinet ad Logicam, quamtumuis Logici homines saltare velint extra chorũ, sub prætextu amplitudinis obiecti sciẽtiæ nostræ, quæ dicta est scientiarum omnium *limen, ianua, & instrumentum*. ergo cõcludẽdo dico hanc propositionẽ, *antichristus ab æterno existit*, ad minus esse falsam, si loquatur de reali præsentia, 271
sicut & illa est falsa, à *summo mane realiter existit cœna*. supposito, quod solum futura sit post meridiem; illam vero veram omnino esse, *antichristus est, vel existit præsens in æternitate*, intellecta in sensu frequentissimo, vulgari & vsitato, supra declarato; sicut veræ sunt illæ, *Hodie est cœna, sunt missa & vesperæ solemnes*, & *die Iouis defenduntur conclusiones*. quia earum sensus est, intra tempus, quod significant *hodie*, & *dies Iouis*, ea omnia fiunt aut fient, & non extra ipsos dies.

Fingamus ergo claritatis gratia quod *hodie*,

dia, vel alius terminus significaret indiuisibiliter, idest simul omne tempus, quod reliquum est vsque ad supremum iudicij diē; vera tunc autē foret ista propositio. *hodie siue intra totum illud tēpus vitæ huius mortalis, sunt plurima, nempe sunt bella, seditiones, terræmotus, eclipses solis, & lunæ, generationes, & alia bona, & mala*, quę in decursu longi huius diei in mundo fient, quoniam non vult dicere propositio quod ista omnia sibi coexistant, aut fiant simul, vel quando ego eam pronuncio, sed quod existens vnaquęque res in differentia temporis sui, nulla earum extra hodie sit; & ita cōtingit diei æternitatis, cui omnia necessario sunt præsentia, sed vnūquodque nō antequam in se sit, sed in tempore existentiæ suæ; quę sensum verba supradicta admittunt, etiam si dicantur in definitione significare cum tempore, quod potest esse creatum, vel æternum, determinatum, vel respectu nostræ imperfectæ scientiæ confuse significatum, quia verba de præsenti æquipollere solent verbis de futuro, vt supra declaratum manet; quam declarationem deberent Iuniores multa prosequi gratia, & videre quæ dicam infra num. 1144. circa tempus, ad quod referēda sit propositio de præsenti, vt sit vera.

Et ideo prima regula Logicæ generalis, quæ docet vsum verbi sic erit. *ad propositionem assumendum est verbum temporis, in quo vnitur per ipsum prædicatum cum subiecto.* Secunda est, *quando verbū significat cum tempore æterno, vel creato indiuisibiliter importato, verbum de præsenti æquipollet verbis de præterito ac de futuro, sed proprius de futuro.* vt ibi, anno præsenti 1623. est eclipsis solis præsens, vel huic anno realiter coexistit, nēpe eclipsis, quæ iam est, fuit vel erit. fateor in simpliciori modo loquendi non ita congrue, nec semper fieri ampliationem ad præteritum, vt si dicas, hodie sunt disputationes, nimirum quæ sunt, vel erunt; sed non ita congrue loqueris, si post disputationes hodie habitas & finitas, dixeris hodie sunt, quia mane fuerunt. licet qui in aliquo delicto olim habuit complices, recte dicitur, dum petitur absolutio, quod complices sunt, vel habet.

272 Verbum denique est duplex; aliud substantiuum, aliud adiectiuum; & rursus aliud est simplex, compositum aliud; & alia aliter, vt lectores bene ex Grammatica nouerunt. & sic solum ego aduerterem huiusmodi verba omnia, secundum eorumdem omnia tempora deseruire ad affirmandum, vel negandum, siue ad componendas omnes enunciationes omnis materiæ & scientiæ, & propterea omnia cadere sub Logicę huius cōsiderationem, quatenus suis regulis ipsa docet nos vbique propositiones efformare, quæ omnes cōstant nominibus & verbis. demum S. *Thomas* 1. Periher. lect. 1. sub verbo ait comprehendi participium, quod consignificat tempus, quamuis, & cum nomine conuenientiam habeat. *Arist. 1. Per. c. 4.* *S. Thom.*

QVÆSTIO III.

Remittit in disputationem sequentem tractationem de vocum proprietatibus, & cur?

NOmen *homo* v.g. (id quod de reliquis vocibus significatiuis dicendum similiter est) seorsim acceptum dicitur, & est vox, vt vero ordinatur ad orationes, ac propositiones, & fit pars earum, dicitur, & est terminus; in præsenti ergo licet vocibus seorsim acceptis, quo pacto accepimus eas hucusque, competant suppositio, & forsan aliæ proprietates ex dicendis inferius; sed tamen quia similes proprietates congruentius, & clarius visuntur quadrare vocibus iam factis terminis, siue in orationibus positis, idcirco nos, qui semper claritatem, & doctrinæ faciliorem methodum, cohærentiamque sectamur, distulimus tractare de proprietatibus vocum in disputationem sequentem, illas accommodando terminis vocalibus, idest vocibus componentibus varias enunciationes, siue propositiones.

DISPVTATIO II.

Super libros duos Perihermenias, de Terminis, ac de eorum proprietatibus; & de alijs vocibus complexis pertinentibus ad dirigendum secundam mentis nostræ operationem, siue iudicium internum, cuius illæ sunt vicesgerentes.

rentes sensibiles, & externæ; hoc est, de earum speciebus & proprietatibus.

273 DEseruit huius disputationis doctrina dirigendo iudicio mentali, & ideo tractamus in ea potissimum de propositione externa vocali interioris iudicij vicegerenti, & interprete. sed prius de terminis vocalibus, qui partes sunt, & elementa eius propositionis. legantur item Doctores nostri *Aristoteles* lib. Periher. *S. Augustin*, vbi de Categorijs, tom. 1. & *S. Thomas* super lib. Periher. & opusc. 48. tract. de interpretatione.

Aristotel. *S. August.* *S. Thom.*

QVÆSTIO I.

De termino vocali in communi, de eius multa diuisione, & proprietatibus.

SECTIO I.

Definit Terminum vocalem in communi, & quomodo sit subiectum & prædicatum.

Aristotel. ARistoteles lib. 1. Priorum, cap. 1. ita terminum vocalem definiuit, *terminus est, in quem resoluitur propositio tamquam in subiectum, & prædicatum.* hoc est, terminus est extremum propositionis, modo subiectum sit, modo prædicatum, vel tamquam subiectum, & prædicatum; per quæ duo quæuis propositio vocalis vnione mediante componitur, & terminatur vtrinque v.g. hæc propositio *Petrus est homo*, habet duo extrema, & consequenter duos terminos; primum extremum est *Petrus*, quod dicitur subiectum, quia de suo significato dicitur aliud in propositione, nempe quod sit homo. secundũ extremum est *homo*, quod dicitur prædicatum, quia eius significatum de subiecto dicitur, & prædicatur. extremum autem id vtrumque terminus, seu orationem vtrinque terminans, rite nuncupatur. quæ me docuit *S. Thomas* opusc. 48. tract. de Syllogismo, cap. 1.

S. Thom.

274 Sed notent hic caute Recentiores, vt se liberent à multis argumentis, satis esse ad hoc, vt quilibet terminus vocalis dicatur subiectum, aut prædicatum propositionis, quod contingat vnum e duobus; primum est, vt stet ipse terminus substituendo pro subiecto, vel prædicato, vt contingit in exemplo illo, *Petrus est homo*, neque enim vt manifestum est, vox illa *Petrus* est subiectum, neque vox *homo* est prædicatum, siquidem voci *Petrus* neque conuenit esse vocem *homo*, nec esse animal rationale.

Subiectum ergo verum, & prædicatum verum, sunt res significatæ per voces, nempe res, quæ est Petrus, & res, quæ est homo; voces autem quamuis cum omni rigore, & proprietate sunt termini, & extrema orationis, tamen nimis impropriè, & solum per extrinsecam denominationem sumptam occasione suorum significatorũ, potuerunt nominari subiectum & prædicatum; quemadmodum, & aliæ voces dicuntur alijs contrariæ, non quidem quia ipsæ inter se pugnent ex intrinseca natura sua, sed quia significant res inter se pugnantes, vt sunt voces *calor*, & *frigus*. oportet itaque semper meminisse *nos vti terminis pro rebus* plerumque.

Secundum est, quod si voces aliquot stent in propositione pro se ipsis, ita quod prædicatum conueniat ipsi voci, & non eius significato: in tali casu ea vere erit subiectum; vt si dicas *Petrus est nomen substantiuum*, & similiter dicendum vocem eandem fore prædicatum, si ea prædicetur de subiecto, & non eius significatum, vt si dicas *Blitiri non est syndapsus*, & similes propositiones, quæ dici solent materiales in toto vel ex parte, idest ratione subiecti tantum, vel etiam ratione subiecti & prædicati.

Dicuntur ergo illæ duæ voces *Petrus*, & *homo*, sicut & quæuis aliæ cõponentes quacũque propositionẽ, *extrema, termini, prædicatum*, & *subiectum*; *extrema* quidem, quoniam inter eas mediat vnio, seu copula verbalis *est*; & generaliter dici solent extrema illa, inter quæ est aliquod medium. *Termini* vero sunt, ac nominantur eædem illæ voces, à terminando, quia inter ipsas tamquam inter quosdam fines, ac limites tota propositio intercluditur, & extra illas propositionis nihil est, ad eum modum quo *Gades*, & *Irum*, siue *Pyrenne* termini Hispaniæ dicuntur, quoniam inter eos Hispania tota intercipitur, &

& vltra eos, Hispaniæ nihil est. denique dicuntur voces componentes propositiones *subiecta*, & *prædicata*, propter ea, quæ dicta sunt.

275 Placet, vt reor, definitio sic exposita; quę est *S.Thom.* vbi supra. *Toleto* in Sũmulis, cap.10 l.1. *Petro Hurtado* disp.1.sect.2. *Petro Fonseca* lib.6.cap.9. *P.Castilio* lib.1. c.1. *P.Roderico de Arriaga* disp. 1. de terminis, sect.1. *P.Stengelio* in libello de syllog.cap.3.§.16.& alijs ibi,& multis Recẽtioribus; & displicere non potuit multis anthoribus, qui cum *Aristotele S.Thoma*, & nobiscũ admittunt terminum materialem, & item suppositionem materialem, quos allegabo infra suis locis. explicemus nunc termini definitionem per partes.

Aristotel. S.Thom.

Prior pars definitionis est illa *extremum* quæ ibi ponitur loco generis, seu quasi generica ratio, nam per eam conuenit terminus vocalis cum alijs quibuscumque rebus, quæ extrema sunt limites & fines cuiusuis alterius rei.

Secunda particula definitionis est *propositionis*, nempe cuiuscumque affirmatiuæ, vel negatiuæ, Categoricæ, & suo etiam modo Hypotheticæ; quæ particula posita est loco differentiæ, per quam terminus vocalis distinguitur ab omnibus alijs rebus, quæ non possunt esse extrema propositionum vocalium, quales sunt plurima signa ex supra enumeratis, v.g. ramus, suspiria, imagines, & vt vno verbo dicam, illa omnia, quæ nequeunt componere propositionem vocalem, cui possimus respondere, mentiris, vel verũ dicis; sicut è contrario termini sunt illæ oẽs dictiones, nomina, & voces, quæ tamquã partes, extrema, tãquã subiectũ, & prędicatũ possunt efficere eiusmodi propositionem; ex quo fit non omnia signa esse posse terminos, & obiter manet explicata vltima definitionis pars, nẽpe illa *tamquam subiectum, & prædicatum*. per quam excludit *Aristoteles* à ratione, & grege terminorum, res, quæ non possunt esse subiectum, aut prædicatum modo superius declarato.

Aristotel.

276 Ex dictis infertur primo, terminos esse non solum voces significatiuas simplices, vel consignificatiuas quales sunt Categorema *homo* & syncategorema *omnis*, & similes; sed etiam dictiones non significatiuas, vt *Blitiri, syndapsus*, & si quæ sunt huiusmodi; imò etiam voces compositas, & complexas, atque integras orationes, siue propositiones, vt videre est in his exẽplis, *homo est animal. omnis est vox. Blitiri est sonus. Deus est Trinus, & vnus, est catholica propositio*. vbi prædictæ voces tam simplices, quam complexæ sunt extrema propositionum tamquam subiecta, vel prædicata.

Infertur secundo vniones, siue copulas terminorum propositionum, vt præcise sunt vniones, terminos non esse, modo prædictæ copulæ sint verbales, vt *est*, modo adverbiales, vt *&*: quoniam vniones extremorum, vt tales nequeunt esse extrema per modum subiecti, aut prædicati; quia vt sic sunt extremorum nexus, & medium: de industria dixi vniones, vt tales non esse, terminos, nec posse esse, quatenus enim in alijs propositionibus de illis aliquid prædicatur, termini erunt, sicut & extrema, vt si dicas, *est*, est verbum substantiuum & est copula seu coniunctio, & ita de similibus dicendum est.

Propter eandem rationem, quia, scilicet, non sunt extrema, tamquam subiectum, & prædicatum, termini esse non videntur casus, quos vocant obliquos nominum, qui sunt omnes præter nominatiuum, qui dicitur casus rectus, neque alię voces, quæ interseri solent in propositionibus distinctæ à subiecto, & prædicato v.g in hac propositiones *S Ignatius de Loyola relatus fuit in numerum Sanctorum à Pontifice M. Gregorio XV. fælicis recordationis anno Domini 1622 die 22. Martij*. cuius propositionis terminĩ sũt illi *S.Ignatius de Loyola*, quod est subiectum, *relatus in numerum Sanctorum*, quod est prædicatum; reliqua quæ inibi sunt quia extrema non sunt, termini non dicuntur, poterunt autem dici complementa terminorum, siue accidentia eorumdem.

Sed & hic etiam aduertendum fuit eiusmodi casus obliquos, & alias quascumque partes orationis in propositionibus supra positæ similibus insertas, non quidem esse terminos, vt ibidem sunt, ni forte simul cũ subiecto, vel prædicato sumãtur per modũ vnius, sed tamẽ absolute terminos esse posse respectu aliarũ propositionũ, quarũ possint esse subiecta, aut prædicata, vt si dicas *à est præpositio. Gregorio est casus ablatiuus* vbi licet in Grãmatica & Stoicorũ cõsideratione vox illa *Gregorio* sit casus obliquus, 277

tamen apud Logicos casus rectus censetur, idest id, de quo in recto, & principaliter agitur in ea propositione: & sic est quidquid est subiectum, vel prædicatū, quocũque casu importetur, aut sit. consentit S.Thomas l.Perih. lect.4.

S.Thom.

Infertur Tertio ad rationē termini non requiri talē dispositionē vocum, vt scilicet prius proferatur subiectū, deinde vnio, postea prædicatū, vt apparet in ista propositione, vt omittam alias, quibus vtitur *Aristoteles* frequenter præsertim in 2.l. Perih. c.1. *Franciscus est pauper, & humilis*, quę æque bene erit, si dixeris *humilis, & pauper Franciscus est*; sensus enim attendendus est, & inspiciendum quid de quo prædicetur, quo sic facile termini discernãtur.

Aristotel.

SECTIO II.

Defendit ab argumentis definitionem termini traditam ab Aristotele; & tradit aliam ampliorē occasione propositionis hypotheticæ.

CONtra Philosophi definitionē de termino opponis primo Pontificiā *Petri Hispani*, & Recētiorū quorumdā definitionē, quæ sic est. *Terminus est signū veritatis, & falsitatis expers, simplicis propositionis constitutiuū.* ergo exterminanda est *Arist.* definitio, quia conuenit alijs à definito; nēpe vocibus non significatiuis, quę signa ad placitū non sunt; & integris propositionibus, quæ veritatē, aut falsitatē solent continere, & quæ proinde simplicem propositionem constituere non valent.

278 Respōdeo Pōtificis & Recentiorū definitionē esse optimā terminis, quos ipsi definierūt, idest simplicibus, & formalibus, & significatiuis, quibus in scholis vtimur frequentius; nō vero posse cōuenire terminis omnibus, & propterea definitionē *Aristotelis*, vt cōmuniorem, & magis vniuersalem præferēdā censui. solutionē didici ex ipso Philosopho, qui agendo de terminis istis perfectioribus, ita loquutus est l.1. Perih. cap. 1. *est autem quemadmodum in anima aliquoties intellectus sine vero vel falso, sic etiam in voce*, quoniam qui sunt termini magis perfecti, veritatis, & falsitatis sunt expertes, id quod Modernis concedimus, quamuis non bene ponant terminos in apprehensione, vt supra monstraui.

Aristotel. S.Thom. l.1.

Opponis secundo, terminus debet esse pars propositionis, ergo nequit esse integra oratio, & propositio. Respondeo cōcesso antecedenti negando cōsequentiam quoniam non inconuenit, quod vna integra propositio fiat, & sit alterius maioris propositionis pars, in qua de ipsa vti de subiecto aliquid prædicetur, vt videre est in hac propositione *Petrus est homo est vera oratio*. in qua extremum, & terminus est illa prior propositio, *Petrus est homo*, licet aliunde sit quoddam totum.

Opponis tertio, si posset esse terminus integra propositio, hypothetica propositio constaret proprie terminis; hoc est falsum ergo & illud ex quo sequitur. maior patet, quia propositio hypothetica dici posset habere pro terminis suas integras propositiones, quibus componitur; minor suadetur, etenim extrema propositionis hypotheticæ non sunt tamquam subiectum, & prædicatum, vt manifeste cernitur in ista propositione, *Petrus est Sanctus, & Ioannes est peccator*. nec enim prædicatur sensus secundæ huius orationis de sensu primæ; neque è conuerso.

Fateor propositiones hypotheticas vt tales carere terminis, si termini debent necessario esse non tantum extrema, sed tamquam subiectum & prædicatum, vt opinari visus fuit *Aristoteles*; neque enim video secundam illam propositionem prædicari de prima, licet aliqui Moderni putent quodammodo prædicari vnam de altera, quatenus sensus propositionis hypotheticæ est asserere illud vtrumque esse verum, & secundum in veritate iungi cum primo asserto: quapropter, vt facilius defendamus nullam propositionem non componi terminis, statuo cum doctis magistris hanc definitionem magis vniuersalem, *terminus est extremum propositionis*, ac dico *Aristotelem* definijsse terminum, vt constituere potest propositionem categoricam.

Opponis quarto, non est de essentia propositionis sensibilis componi terminis 279 qui sint subiectum; & prædicatum ego vice uersa, non est de essentia terminorum componere propositionem per modum subiecti, & prædicati. Probas antecedens; quia cum voces, & aliæ quæuis signa ad placitum, tantum significent, quan-

quantum volunt imponentes, possunt hi velle quod vox sola *Blictri* æquiualeat deinceps huic integræ propositioni *Deus est sapiens*, & sic de alijs signis pro arbitrio suo disponere possunt, modo ea signa sint voces, modo sint res; quemadmodum de facto voluerunt homines, vt ramus ante tabernam positus, fumus specularum, aut flamma æquipollerent illis integris propositionibus vocalibus, aut scriptis, *hic est Vinum venale. hostes aut amici appropinquant tot in numero* & symbola Egyptiorum, & res alię S. Paginæ integras sententias significarunt, vt optime declarat *Pater Vasquez* 1. par. disp. 18. cap. 1. & in disputat. 17. cap. 4. addit vnica voce multa exprimi posse, sed sæpius non expedire ob incapacitatem audientium; sed istiusmodi propositiones non constant terminis, neque postulant distinctionem subiecti, & prædicati. ergo intentum.

Respondeo concesso antecedenti propter eius probationem, distinguendo conseqens, non est de essentia terminorum componere propositionem vt sic, siue quamcumque; & sic concedo consequentiam; componere propositionem vocalem, qua frequenter in scholis vtimur; & sic nego consequentiam. quare fatendum est non raró propositiones, quibus sensa nostra manifestamus, reales esse, & non vocales, vt enim scribit *Sanctus Gregorius* homilia 2. & 3. in Euangelia, *Dominus ac Redemptor noster per Euangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur, aliquando aliud verbis, atque aliud rebus.*
280 *aliquando autem hoc verbis, quod rebus.*
& *Sanctus Augustinus* tom. 5. lib. 17. de Ciuitate Dei, capit. 8. sub medium ait,
S. August. *Scriptura sancta etiam rebus, gestis prophetans &c.* id ipsum docet *S. Thomas* 2.2. S. Thom.
quæstio. 111. art. 1. corpore. atque in l. de quibus 32. ff. de legibus, dicitur, quid enim interest suffragijs populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis, &
S. Thom. factis? & *P. Vasquez* cum *Sancto Thoma* 1. par. disput. 16. capit ite. cum hoc tamen stat esse de essentia terminorum componere propositiones, & orationes vocales; quibus frequentius homines vti solemus, & merito. quia inter signa *verba* apud nos *obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur.* vti dixit *Sanctus Augustinus* legendus tom. 3. lib. 2. de Doctr. Christiana, cap. 1. 2. & 3. S. August.

SECTIO III.

Diuidit terminum vocalem in communi, in formalem & materialem. vbi pauca de terminis scripto, & mentali.

TErminus formalis est *extremum propositionis formalis*. Generaliter voco propositionem formalem eam, in qua prædicatum, quod dicitur de subiecto, quadrat subiecti significato, non vero subiecto ipsi, seu voci ipsi, non attenta eius significatione, v.g. hæc propositio est formalis, *Petrus est Apostolus*, quoniam Apostolum esse non conuenit voci *Petrus, Petri*; sed illius significato, quod est Princeps Apostolorum.

Terminus vero materialis est *extremum propositionis materialis*, appello propositionem materialem illam, in qua prædicatum, quod dicitur de subiecto conuenit ipsi, non eius significato; ita quod subiectum, siue vox, quæ est loco subiecti, stet pro se ipsa, non pro suo significato. verbi gratia, hæc est propositio materialis, *Aristoteles est nomen substantiuum*, quia prædicatum non conuenit principi Philosophorum, sed vocabulo *Aristoteles Aristotelis*. quod item stat pro se ipso, non pro suo significato: & quidem agnouisse videntur *Aristoteles* & *S. Thomas*, terminum materialem, sicut & propositiones Aristotel. S. Thom.
materiales, nam hic super 1. lib. Periher. lection. 5. dixit *curro est verbum*; & ille sæpe format syllogismos literulis constantes, dicens A. est B. &c. & propositionibus vtimur sæpe, tum alibi, tum lib. 1. Periherm. capit. 2. & 3. sed clarius *Augustinus*, tom. primo de Princip. Dialecticæ, S. August.
capit. 5. ibi. *fac igitur à quoquam Grammatico puerum interrogatum hoc modo, arma, quæ pars orationis est? quod dictum est arma, propter se dictum est, idest, verbum propter se ipsum verbum &c.* consentit P. Vasquez 1. p. d. 70. c. 2. n. 3. & multi Recentiores.

281 Ex ea doctrina infertur primo esse terminos materiales non solas voces non significatiuas vt *Blitiri*, & similes; sed etiā voces omnes significatiuas, quādo in propositionibus se gerunt instar nil significantium; vt si dicas *Blitiri est sonus, aut dictio trisillaba; Petrus est vox; Paulus est nomen*, quamuis voces significantes hoc amplius habeant, quam non significantes, quod scilicet, constituere etiam possint formales propositiones.

Infertur secundo, hanc propositionem *Blitiri est sonus*, esse materialem, & item formalem. est quidem materialis, vt iacet nihilo subintellecto; formalis vero erit, si ibi subintelligatur *hic terminus*, *Hæc vox* ita quod perinde valeat illa propositio atque hęc, *Hæc vox Blitiri est sonus*. quamuis absolute dicendum sit illam propositionē, & similes esse materiales, dum expresse aliter non proferantur, & tali modo, vt prædicatum quadret significato vocis, quæ stat ex parte subiecti.

Denique terminus scriptus est *extremum propositionis scriptæ*, quomodo sunt omnes voces scriptę, quę componunt scriptas nostras orationes, & propositiones, quas substituimus loco verborum, quorum literæ *signa permanentia* sunt, vti dixit *S. Augustinus* t. 3. lib. 2. de doct. Christ. cap. 4. atque ad hunc terminum poterunt reduci Hieroglyphica, picturæ, caracteres, quibus multę nationes interiora sensa alijs manifestant; & item reduces, si voles, nutus, & signa, quibus inter nos, & præsertim cum mutis colloqui solemus. de termino mentali dicemus infra n. 1131. in 3. Logicæ parte congruentius. S. August.

SECTIO IV.

Remittit alio videndam factam iam multiplicem diuisionem terminorum.

SVpra à num. 239. diuidebam vocem significantem in communi in varia membra, nempe in Categorematicam, syncategoricam, mistam, vniuocam, & huiusmodi aliter; atque hic totidem diuisiones possem facere circa terminum in communi; sed ne actū agam contentus ero, si ostendero quo pacto facienda sit diuisio, ac definitio vna, vel altera. ergo primo diuiditur terminus in Categorematicū, & syncategorematicū, terminus Categorematicus, qui etiam dici solet Categorema, *est extremum propositionis, quod ab alio quolibet separatum significat*. vt Petrus. & ita modo suo diuidendi; & definiendi sunt termini reliqui conformiter ad præfatam vocum diuisionem, ac definitionem termini in communi.

SECTIO V.

Agit de suppositione terminorum in communi; ac de ipsius triplici diuisione; & respondet argumentis.

SVppositio est *substitutio, & vsus termini pro se, vel pro suo significato à se distincto, vel pro vtroque simul*. sic definit *P. Vallius* p. 1. Logicæ, cap. 6. & definitio placere debet *P. Hispano* l. 2. Summul. c. 9. *Toleto* lib. 2. c. 1. *Casilio* lib. 1. tract. 2. cap. 1. & est conformis *Aristoteli*, *Augustino*, & *Thomæ* relatis supra n. 28 & 286. *P. Vasquez* 1. p. d. 70. c. 2. n. 3. & 4. *Hurtado* hic, *P. Arriaga* disp. 1. sect. 6. & d. 55. sect. 2. & multis alijs magistris, qui nobiscum admittunt terminum, & propositionem materialem, definitio vero patebit magis ex dicendis pro suppositionibus formali, materiali, & mixta, in quas nos suppositionem in communi tripartimur. 282 Aristotel. S. August. S. Thom.

Suppositio ergo formalis est *substitutio & vsus termini pro suo significato*. qualis cernitur in ista propositione *Christus est Deus*, vbi terminus *Christus* supponitur pro Christo Domino vnico, & vero filio Dei, & terminus *Deus* ponitur loco veri Dei; atque eiusmodi formalis suppositio cōpetit omnibus, & solis terminis formalibus, seu vocibus significātibus ad placitū; & suo item modo scripturis, signis, nutibus, & alijs rebus ad aliud significandū impositis, & vice, ac loco aliorū, vt vicarijs eorundē suppositis. ita sentiunt *Arist. S Thomas*, & eorum interpretes relati infra num. 286. Aristotel. S. Thom.

Suppositio autē materialis est *acceptio, & veluti vsus termini pro seipso*, qualis apparet in hac propositione *Blitiri est sonus*, vel in hac *Petrus est nomē*, vbi *Blitiri*, & *Petrus* supponūt, & quasi accipiuntur pro se ipsis, & non pro suis significatis: sed hoc genus 283

genus suppositionis improprium nimis materiale est, & ideo conuenit omnibus terminis materialibus, vocibus non significatiuis, & item significatiuis, quando se gerunt instar non significantium; iuxta dicta supra in Sect. 3. admittendum tamen est propter authoritatem virorum tot, & tantorum.

Deniq; suppositio mista est *substitutio, & vsus termini partim pro se, partim pro suo significato à se distincto.* qualis reperitur in ista propositione & similibus *nomen est vox*, vbi *nomen* supponit materialiter, & pro se stat inquantum est subiectum propositionis materialis, & illi conuenit prædicatum, & non suo significato: supponitur autem formaliter, quatenus substituitur loco significatorum nominum, ita quod iam non dicatur de ipso prædicatum, sed de suo significato, quod sunt omnia nomina a se ipso distincta.

Hic aduertendum est circa modum loquendi; terminos formales dici, non *supponere*, sed passiue *supponi*, terminos vero materiales è contrario dici supponere, non supponi ita quod nomen, *suppositio*, in communi significet vtrumque modum supponendi actiuum, videlicet & passiuum, actiuum terminis materialibus, passiuum formalibus conuenientem. Sed de isto modo loquendi non curat *S. Thomas* 1. par. quæst. 39. art. 5. dicens terminos significatiuos supponere, & similiter loquuntur plerique Theologi vt videre est in *P. Suarez.* lib. 7. de Trinit. cap. 7.

S. Thomas.

Sed contra definitionem suppositionis in communi argumentaris primo. aliquæ voces, aut termini supponuntur à nobis pro rebus, quas non significant, & sic pro significato alieno; ergo mala est definitio, quæ dicit suppositionem esse vsum termini pro suo proprio significato. antecedens probatur, nam in his propositionibus *homo currit*. *Deus generat filium*. terminus ille *homo* supponitur pro Petro, vel Paulo, vel pro alio indiuiduo currente, quos tamen particulares homines vox illa non significat; & terminus *Deus* supponitur pro patre Deo, quem tamen non significat, siquidem *homo* tantum significat naturam humanam, & *Deus* naturam diuinam, siue, vt loquitur *S. Thomas* in 3. d. 1. q. 2. a. 6. *rem natura diuina indistinctè*.

284

S. Thom.

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dicendum voces seu terminos, *Homo*, ac *Deus* saltem mediate, vel confuse significare res, pro quibus ibi supponuntur, nempe Petrum, aut Paulum, aut alium quemdam hominem; ac Deum Patrem, præsertim, si in antecedentibus, vel consequentibus de illis sermo fiat. preterquamquod iuxta vetus prouerbiũ *talia sunt subiecta, qualia permittunt esse à suis prædicatis*, & ideo qui dicit *homo currit* de aliquo particulari homine intelligi vult: & similiter satis ostendit loqui de Patre æterno, qui dicit *Deus generat*, nam alia persona generare non potest; eiusmodi vero subiecta, quibus applicantur ea prædicata, sufficienter significantur ab illis vocibus, licet cum aliqua confusione. vnde non ibi supponuntur pro significato alieno. neque nobis cõtradicit *S. Thomas*. vbi supra. neque 1. par. quæst. 39. art. 5. ad 4. intellectus cum discretione indicata, sed expresse fauet a. 4. ad 3. S. Thom.

Argumentaris secundo, in hac propositione *antichristus currit*, ille terminus *antichristus* non supponitur pro aliquo, & tamen significat illum peruersum hominem, ergo non competit omnibus terminis significatiuis supponi pro suis significatis, patet antecedens, quia illa propositio, & similes dicuntur communiter, de subiecto non supponenti.

Respondeo negando antecedens, verè enim vox *antichristus* supponitur ibi pro homine illo pestilenti; vocantur autem ea propositio, & illi similes de subiecto non supponenti in alio sensu, hoc est, non existenti, quando propositio profertur, & pro tempore, pro quo profertur, & affertur siue supponitur esse; existentia enim subiecti tunc necessaria omnino est, vt propositio sit vera: quare eiusmodi propositiones de subiecto non supponenti, vel non existenti, si sint affirmatiuæ, sunt falsæ; si negatiuæ, sunt veræ; sed non licet hinc inferre illam propositionem, *antichristus habet præsentiam realem, siue existit realiter præsens in æternitate*, esse falsam, quoniam non est de subiecto non existente, vere enim existit antichristus in tempore æterno, pro quo affirmatur, neque enim affirmatur in illa propositione nunc in tempore nostro existere, quia sic plusquam falsæ esset,

vtpote quæ esset de subiecto non existenti.

Tertio arguis contra suppositionem materialem, suppositio est positio, & vsus vnius pro altero, siue substitutio in loco
285 alterius; ergo non datur suppositio materialis, in qua vox ponatur pro se ipsa, & non loco alterius. Respondeo suppositionem formalem esse positionem vnius pro alio, non vero materialem, vt patet ex definitionibus supra positis; neque putandum est incongrue nos loqui quando dicimus vocem supponere pro se ipsa, vel aliam rem se ipsam præsentando; siquidem, & homines prudentes, vel etiam ij, qui cultos sermones aucupantur, dicere solent *Fulanoes el que supone enesste lugar. el que galles yalna sabeza*. ideft ille inter cæteros eminet, se ipsum ostentando, non alterius vices gerendo, & quidem posse sic supponere, & stare voces pro se ipsis videtur esse communis sensus Dialecticorum, quorum familiare est illud carmen infra exponendum.

Simpliciter pro vno; pro se vox sumpta quiescit.

Sed vrges quando dicitur: *Pedro supone enesste lugar*, fit suppositio formalis, sicut, & propositio item formalis, quia prædicatum eius propositionis conuenit non ipsi subiecto, nempe voci Hispanæ *Pedro*, sed eius vocis significato, nempe homini illi eminenti; ergo nulla est suppositio materialis.

Respondeo concedendo antecedens, quod non tollit quominus Petrus ipse, vel homo alter eminens, qui digito demonstretur, per se, & pro se supponat in Republica; quare nego consequentiam, nam id quod frequenter contingit in rebus, contingere etiam potest in vocibus, nempe voces supponere pro se, & per se ipsas.

Quarto arguis, si aliqua vox materialiter supponeret, maxime *Blitiri* in hac propositione *Blitiri est trisyllabum*, sed hæc non supponit materialiter; ergo nulla. Probas minorem, quia ibi non est *Blitiri* subiectū propositionis, sed terminus formalis, nempe *hoc vocabulum*, quod ibi suppletur, & sic propositio est formalis, & consequenter suppositio. Respondeo concessa maiori negando minorem; ad cuius probationem dico, quæ dixi supra n. 181. nempe necessarium non esse ad veritatem, & prudentem vsum illius propositionis suppleri aliquid, dato autem quod suppleatur, fiet diuersa propositio, quæ tamen, adhuc sub diuersa consideratione simul erit formalis, & materialis; & similiter erit suppositio; quia quatenus prædicatum applicabitur *Blitiri*, erit materialis; quatenus vero applicabitur illi termino *Hoc vocabulū*, dici poterit suppositio, & propositio formalis. 286

Et sane reijcienda non videtur suppositio materialis, qua frequentissime vtuntur non solum Grammatici dum definiunt, aut describunt suas partes orationis, verum etiam Dialectici tam antiqui, quam moderni; quinimo nostri Magistri *S. Augustin.* vt legis supra num. 180. *S. Thomas*, & *Aristoteles* in libris præsertim Periher. in ca. 2. lib. 1. ita scribentes, *non homo vero non est nomen, sed sit nomen infinitum, Philonis autem aut Philoni, & quæcumque talia sunt non sunt nomina, sed casus nominis*, & cap. 3. ibi, *valetudo quidem nomen est, valet vero verbum, non valet autem, & non laborat, non verbum dico, sed infinitum verbum sit; similiter autem, & valebit, & valebat, non verbum est, sed casus verbi*, in his autem, & similibus propositionibus notari velim solum subiecta supponi materialiter, non autem prædicata, sed tamen eas absolute dici materiales, quia *bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu*. hæc erit propositio, & suppositio vtrinque materialis *Blitiri est syndapsus. siue syndapsus non est Blitiri*.

S. August. Aristotel. S. Thom.

SECTIO VI.

Certum videtur terminos formales, siue voces significantes ad placitum supponi pro rebus conceptis, & conceptibus ipsis, quorum sunt vicesgerentes, intra propositiones, & extra.

Primo supponi eos terminos pro rebus, quas significant, sic demonstratur. etenim interroganti tibi, v.g *quis author sit illius libri*, ego respondeo ostenso substituto, quia non habeo præsentem authorem, quem digito demonstrarem tibi, & dico pro eo subrogando voces, *author est S. Thomas*. vbi vides supponi vocem *S. Thomas* pro ipsa angelica Persona, & simili modo vtimur terminis reliquis pro

pro significatis rebus absentibus, & præsentibus in reliquis nostris sermonibus.

Aristotel. *S.Thom.* Id ipsum confirmarunt *Arist.* 1. Elench. cap. 1. & *S. Thom.* opusc. 73. cap. 1. dicentes, *quia res ad scholas adducere nō possumus, vtimur terminis pro rebus,* verba Philosophi sunt. *nam quia fieri non potest vt res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus pro rebus vtimur signis, quemadmodum ij, qui calculis supputant,* & magis expresse S. Doctor 1. p. q. 39. a. 5. & ibi *Caietanus, Valentia, Granado, Ruiz, Suarez* lib. 7. de Trinit. c. 7. cum multis, *Vasquez* 1. p. d. 70. cap. 2. & d. 157. cap. 4. cum *P. Hispano*, & reliqui interpretes. Consentiunt *Sotus*, & *Toletus* hic, *Arriaga* disp. 13. Logica n. 34. & communiter Recentiores. ergo in sermone nostro termini supponuntur pro rebus, quarum propterea dicuntur, & sunt vicesgerentes, iuxta dicta supra n. 220. & dicenda à num. 289.

287 Secundo terminos supponi, & substitui pro conceptibus est communis sensus, & probant Authoritates, & rationes, quibus monstraui supra num. 221. voces, seu terminos à nobis substitui vti vicarios sensibiles internarum cogitationum mentis, dum sumus præpediti corporibus, *nudi enim si essent animi, neque corporibus impedirentur, nudis inter se agerent conceptibus,* ibidem dicebat *Ammonius.* Consentiunt *PP. Vasquez* 1. p. disp. 7. 5. c. 3. *Hurtado* hic, & *Arriaga.*

Tertio voces, vel terminos supponi à nobis pro rebus, & conceptibus intra propositiones nostras, & extra, ratio ista conuincit, quoniam nos vti solemus loco rerum, & conceptuum, vocibus simplicibus extra propositiones; & vocibus complexis intra illas; ergo voces, seu termini supponuntur pro rebus, & conceptibus intra propositiones, & extra. probatur antecedens, quia quando loquimur inter nos, non solum vtimur propositionibus, & orationibus longis affirmantibus, vel negantibus, & vt sic vicarijs rerum plurium, & conceptuum, indiciorum, & discursuum nostræ mentis; sed etiam, aliquando vtimur terminis simplicibus loco rei alicuius singularis, & alicuius conceptus, qui sit simplex apprehensio illius rei, vt contingit quando dicimus *Deus. Pater. Mater. Deus bonus. ò bone Deus. hei mihi. ecce Petrus,* sine vlla affirmatione, aut negatione; ergo voces, seu termini vocales supponuntur pro rebus, & conceptibus intra propositiones, & extra. quid autem amplius habeant voces quando supponuntur intra propositiones, quam quando supponuntur extra, docet *S. Thomas* lib. 1. Periher. in principio. *S.Thom.*

288 Doctrinam hanc ita à me expositam, & probatam credo esse certam, si conceditur nobis inesse simplices rerum apprehensiones, ac voces aliquas simplices illis correspondere, illarum sensibiles vicarias; quæ duo constanter tenet communis Scholasticorum sententia, & expresse colligitur ex *Aristotele* docente in 1. lib. Periher. c. 1. *Aristotel.* *est autem quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus sine vero, vel falso, aliquando autem, cui iam necesse est horum alterum esse, sic etiam in voce.* & ex *S. Thoma* in cōmentario eius loci lect. 2. ibi. *S.Thom.* *referendum est hoc ad simplices intellectus conceptiones, quas significant voces incomplexæ.* consonat 1. p. q. 85. a. 1. ad 1. & ex sapientissimo *August.* to. 9. tract. 1. in Ioannem scribente, *S. August.* *est verbum quod vere spiritualiter dicitur illud, quod intelligitur de sono, non ipse sonus, ecce verbum dico, cum dico Deus, quam breue est, quod dixi, quatuor literas, & duas syllabas.* Consentit *P. Vasquez* legendus 1. p. disp. 75. cap. 3. & *P. Arriaga.*

Fateor non ita frequenter à nobis supponi voces singulares, & solas pro rebus, & apprehensionibus extra propositiones, quia fere semper recusamus alijs declarare nostras simplices, & solas apprehensiones, quod non magnæ laudis sint, vtpote quæ magis propriæ sint incipientium intelligere, puerorum, & vsu rationis carentium; magis nos delectat declarare verbis, & orationibus longis bona nostra indicia, atque discursus, & ita supponimus nos viri voces frequentius intra propositiones, cum tamen pueri frequentissime eas supponant extra propositiones, discant ergo Recentiores veritatem hanc sin minus ex nobis, ex ore infantium, & lactentium.

Sed & alia ratio sumpta à paritate persuadet id ipsum, etenim literæ, siue scripturæ supponuntur pro rebus, & vocibus intra orationes, & extra, vt patet quando scriberes longam Epistolam; vel quando scriberes solum hoc breue verbum *Deus,* quo denotares te habere apprehensionem

Dei; quæ scriptio sine dubio supponeretur à te pro voce *Deus*, & pro Deo ipso, & pro conceptu simplici, quem haberes de Deo. Post hæc video Patrem *Arriaga* hic disp. 1. sect. 6. negantem terminos supponi pro rebus, sed videtur stare in contrarium experientia, vt liquet ex dictis, ac dicendis, & addo congrue dici item posse conceptum supponi pro suo obiecto cognito, quod contingit quando S. Michael loquitur cum S. Gabriele, & supponit, proponitque illi proprium conceptum loco rei, quam vult ipsi manifestare, atque doctrinam Sectionis huius patere, si bene termini apprehédantur, id quod innuit *Vasquez* 1. p. d. 157. c. 4. n. 11. S. Thom.

SECTIO VII.

Respondet argumentis, quæ fiunt cõtra terminorum suppositionem pro rebus, & conceptibus; exponit illud Philosophi, quoniam res ad scholas adducere nõ possumus, vtimur terminis pro rebus, *& suppositionem terminorum distingui realiter ab eorumdem significatione.*

289 Tria dixi in Sectione præcedenti, primum erat terminos supponi pro rebus, quas significant. secundum supponi item pro conceptibus, quorum sunt sensibiles interpretes. Tertium est supponi pro ijs rebus, & conceptibus intra propositiones, & extra.

Contra dictum primum argumentaris in hunc modum, etiam si facile res adducere possemus ad scholas, illis vti non possemus in nostris disputationibus, neque in definitionibus, diuisionibus, & argumentationibus; ergo modo voces, aut termini vocales nõ supponuntur pro rebus, siquidem voces nõ faciunt, quod res erant facturę, si adessent in scholis, sed multo magis, quam res præsentes facerent: antecedens monstratur, nam quomodo, inquies, interrogabo quid est equus, tecum agens rebus ipsis, de quibus tecum tracto, nullis alijs intercedentibus signis; aut quo pacto respondebis tu mihi equi essentiam declaraturus medijs non verbis, sed rebus ipsis. sane id totum impossibile videtur; ergo etiam si res conuehantur ad scholas, illis vti, & medijs eisdem colloqui minime poterimus; iam vero si rebus præsentibus in scholis vti non possumus, neque ipsæ quidquam nobis prosunt ad disputandum, sane voces pro illis non supponentur, facturæ, quod res essent facturæ præsentes.

Postulat difficile argumentum declaremus verba illa quæ *Aristotelis* esse censentur in 1. Elench. cap. 1. *quia res ad scholas adducere non possumus, vtimur terminis pro rebus*, quorum sensus verus est, quia res ad scholas adducere nõ possumus modo accommodato, & necessario ad loquẽdum, ac disputandum, ideo vtimur vocibus pro illis, neque enim putauit ille absolute non posse adduci res ad scholas, nam non erat difficile homini prædiuiti multas res illuc conuehere; sed negauit eas posse afferri apto modo ad disputandũ, ita quod res ipse facerent, atque componerent nostra argumenta: hanc interpretationem indicãt illa verba formalia textus, *nam quia fieri non potest, vt res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus pro rebus vtimur signis.* Aristotel.

Quasi dixisset Philosophus, vt indicare videtur *S. Thomas* in opusculo 73. cap. 1. tractans istud axioma, quia quasi impossibile est nos de rebus omnibus disputare mediantibus rebus ipsis, tum quia res afferendæ in scholas sint infinitæ, & sic difficiles adductu, tum præsertim quoniam eis comportatis, dato quod hoc fieri posset, adhuc, vt bene conuincit argumentum, eis vti commode non possumus, (quod indicauit etiam *Augustinus* in lib. de Magistro, cap. 10. in tomo 3.) vt mutuo colloquamur, ac disputemus, ideo vtimur vocibus, vti rerum vicarijs, & instrumentis inter alia magis idoneis ad ea munera; voces ergo, seu termini vocales rerum, quas significant locum teneant, & ipsæ faciant, quod res, si præsentes essent, & possent facere, essent facturæ: ad eum modum, quo apud Cosmographos ligneæ sphærulæ faciunt, quod orbis vniuersus erat facturus, si rite, & commode Cosmographi oculis quiret præsentari, & ideo pro orbe toto supponi dicuntur. Vnde fit, vt qui audit alios loquẽtes attendat quidẽ ad verba, sed in eis non sistat, sed potissimũ se conuertat ad significatas res, & loquuta negotia, pro quibus verba substituuntur. 290 S. Thom. S. August.

Nũc respondeo in forma ad argumentũ concesso antecedenti, negando primam con-

consequentiam; ad hoc enim vt voces, vel termini supponantur pro rebus, sat est quod voces modo faciant, quod res facerent, si possent præsentes facere; multi quidem homines per amanuenses, & seruos suos, vel alios, tamquam per vicesgerentes efficiunt multa negotia, quæ ipsi per se ipsos, Domini exequi nullo modo possunt, etiam si præsentes essent, quinimo vicarij proprie dicuntur substituti pro non potentibus exequi suum ministerium. quapropter nō propterea tales exequutores, ac serui desinunt esse & vocari vicarij illorū, siquidē faciunt, quę Domini sui si possent facerent. actualis enim potentia in illis quorū vicesgerūtur, & pro quibus alij supponūtur in hac re per se nō requiritur & vt apparet in adductis orbis sphęrulis: ex quo patet ad reliquias argumenti.

291 Contra secundum sic argumentaris. si termini supponerentur pro conceptibus, sequeretur, quod hæc propositio vera, & catholica *Deus est homo*, esset falsa, quia sensus illius esset, conceptus hominis est conceptus Dei, quod est falsum, quod autem is sensus sit illius propositionis, ex eo probatur, quia sensus propositionum fit ex significatione terminorum, imò nihil aliud est sensus nisi significatio.

Respondeo negādo sequelam, nec enim illa propositio illum falsum sensum potest habere, licet voces supponantur pro conceptibus, quia similis suppositio est mere supposititia, & non doctrinalis; imo vero quia voces supponuntur eo modo pro conceptibus, sequitur oppositum argumēto: nempe prædictam propositionem, *Deus est homo*, non posse habere illum peruersum sensum, quem contendit argumētans; quid enim est voces, aut terminos supponi pro conceptibus, seu, ad quid pro illis substituuntur, nonne vt faciant, vt perfecti vicarij, & dicant exterius id, quod conceptus dicunt interius? ita est. ro. go ergo conceptus ille, qui concipit veritatem illam *Deus est homo*; dicit ne conceptum hominis esse conceptum Dei? minime. ergo nec voces id dicent; quæ dicunt idem, quod conceptus, vtpote eorum perfectissimæ vicariæ: sunt enim voces respectu conceptuum magis perfectæ vicariæ quam respectu rerum, quatenus exterius faciunt, quod interius re vera faciunt conceptus, concede ergo, & crede voces, vel terminos supponi posse pro conceptibus, neque inde sequi falsum sensum in vera propositione.

Ad id, quod addebatur in argumento, quod scillcet sensus propositionum fiat ex terminorum significatione, respondeo id verum esse loquendo de sensu, qui simpliciter sensus, & significatio doctrinalis dicitur, quæ iuxta communem vsum, & acceptionem reperitur in terminis comparatione rerum, quas significāt. nō cōparatione cōceptuū, quos quasi arguitiue significant. vnde dixit Philosophus *ex eo quod res est vel non est, oratio vera, vel falsa est.* *Aristotel.*

Contra tertium assertum Sect. præcedentis argumentaris primo. Termini nulli sunt nisi intra propositiones, aut in ordine ad illas, vt supra toties dictum à nobis est, ergo nequeunt supponi extra propositiones, & vt vicarij apprehensionum. 292 Respondeo nomine *terminorum* in præsenti quæstione intelligi à nobis indifferenter tam voces, quæ vicariæ sunt apprehensionum, quam terminos, qui componunt propositiones, & sic supponi possunt extra propositiones, sicut & vicarij esse possunt apprehensionum: quod si vox *termini* rigorose accipiatur, fateor quod termini rigorosi non possunt supponi extra propositiones, nam si termini sunt propositionem aliquam terminant; ad præsens autem sat est voces supponi extra propositiones, siue etiam terminos, qui apud modernos, cum quibus nobis est dissidiū, perinde valent, ac voces.

Contra idem arguis secundo. significatio terminorum non est idem, ac suppositio terminorum; ergo licet termini significent res, & conceptus intra, & extra propositiones, non inde sequitur quod pro illis supponantur intra proprositiones & extra. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. & ratio negandi est, quoniam nihil obstat, aut persuadet quominus termini, seu voces, quę vbique, & semper sibi annexam habent significationem rerum, & conceptuum, possint à nobis ad libitum supponi pro quolibet suo significato intra propositiones, vel extra. vti supra multis exemplis monstratum est.

Sed adhuc postulat obiectio hęc vt breui declaremus an significatio terminorum differat à suppositione eorumdem, & quo modo.

modo. in qua re dicendum suppositionem distingui realiter distinctione includentis, & inclusi, à significatione; quoniam suppositio est relatio, quæ dicit significationẽ seu terminũ significantem, & vsum siue vtentẽ eiusmodi termini significatione; significatio autem non est relatio comparatione vtentis, & sic non dicit vtentem. Vnde suppositio differt à significatione, sicut totum differt à parte, vt, scilicet homo quidam differt ab anima, nam suppositio dicit significationem & addit hominem supponentem, significatio autem non item. quæ vera sunt, licet dicat *S. Thomas* in 3. d. 6. q. 1. a. 3. c. nomen, seu vocẽ dici significare ratione imponentis, supponi vero ratione rei, cui significandæ imposita est. S. Thom.

SECTIO VIII.

Enumerat diuisiones varias suppositionis formalis.

293 PRimo, suppositio formalis alia est propria, alia impropria, & metaphorica; propria est *acceptio termini pro significato proprio*, sic est suppositio huius termini *leo*, quando accipitur pro vero leone, vt si dicas *leo rugit*. impropria suppositio est *acceptio termini pro improprio, & translatitio significato*, vt est suppositio termini eiusdem *leo*, quando accipitur pro Christo Domino, vel alio viro forte, vt si dicas *vicit leo de Tribu Iuda. hic homo est leo*, vel vt exemplo *Augustini* in tom. 3. lib. 2. de doctrin. Christ. c. 10. vtar *Bouem triturantem non infrenabis*, idest *Euangelistam*, aut veræ doctrinæ Christi præconem. quando ergo termini proprie, aut improprie supponãtur, generaliter dico, quod indicabunt prædicata propositionum, & antecedentia, & consequentia. S. August.

Secundo. suppositio propria alia est simplex alia personalis. simplex suppositio est *acceptio termini pro suo immediato significate, ita vt pro mediatis, & inferioribus, sine cõfusis significatis sumi nõ possit*, qualis reperitur in termino isto *Homo*, quando dicis, *homo est species, Homo est cõmunis multis*, ibi enim *homo* significat naturam humanam, siue hominem in cõmuni, non vero Petrum, aut Paulum, aut alium hominem particularem. Vnde non licebit dicere *Petrus est species, aut cõmunis multis*. simpliciter etiam supponitur *Petrus* quando dicitur *Petrus est indiuiduum cõpletum*, quatenus soli Petro, & non eius partibus physicis, aut metaphysicis quadrat esse indiuiduum completum. Personalis autem suppositio *est acceptio termini pro suo significato. ita quod pro eius inferioribus etiam accipiatur*, qualiter supponitur *homo*, quando dicitur *homo est animal*, quod prædicatum etiam conuenit Petro, & Paulo, & reliquis mediatis significatis illius termini.

Tertio. suppositio personalis quædam est communis, quædam singularis; *communis est acceptio termini pro suo significate communi*, quæ cernitur in hoc termino *animal*, quãdo dicitur animal est principium sentiendi. *suppositio singularis est acceptio termini pro suo significato singulari*. qualis est in termino *Ignatius*, dum dicitur Ignatius est Patriarcha, & fundator Societatis Iesu.

Quarto. vtraque suppositio communis, & singularis solet esse naturalis, vel necessaria, accidentalis, vel contigens; suppositio necessaria est *acceptio termini pro significato, cui necessarie quadrat prædicatum*, vt cernitur in istis propositionibus, & similibus, *Homo est animal. Petrus est homo*. contingens suppositio est *acceptio termini pro significato, cui contingenter conuenit prædicatum*, vt quando dicis *homo est albus, Petrus currit, Ioannes sedet*. 294 S. Thom. 3. d. 1. q. 2. a. 4. ad 6.

Quinto. suppositio personalis communis est quadruplex, prima est *distributiua, quæ est acceptio termini affecti signo vniuersali pro suis omnibus significatis distributiuè sumptis, siue nullo dempto*, ita vt prædicatum eius termini omnibus inferioribus significati, siue omnibus significatis, & singulis conueniat. vt hæc *omnis homo est animal*. Vnde veræ sunt hæ propositiones *Petrus est animal, Paulus est animal*, & sic cæteri omnes. Secunda est suppositio *determinata*, & ea est *acceptio termini communis pro suis significatis disiunctiuè sumptis*. hæc suppositio dupliciter contingere solet, vel quando supponitur in propositione contingenti terminus communis sine signo, vt si dicas *homo currit*, vel quando supponitur affe-

ctus

ctus signo particulari in propositione contingenti, aut necessaria, vt in his, *aliquis homo currit, aliquis homo est animal.* quarum propositionum prædicatum conuenit inferioribus significationis termini disiunctiue acceptis; nam bene infertur ex quolibet ex dictis propositionibus, ergo Petrus currit, vel Ioannes, vel quiuis alius currit; & vera fiet propositio illa determinata vel ex eo solum, quod vna ex his sit vera; sed non ita in suppositione confusa, de qua inferius.

295 Tertia suppositio est *copulata, quæ est acceptio termini pro suis significatis omnibus copulatim, siue collectiuè sumptis*, ita vt prædicatum propositionis non nisi illis omnibus iunctis conueniat: quare si dicis omnes Apostoli Dei sunt duodecim, non potes inferre, Petrus est duodecim; sed sic, Petrus, Ioannes, & cæteri decem sunt duodecim. quarta denique dicitur *confusa, quæ est acceptio termini communis pro suis significatis non disiunctiuè sed disiunctim sumptis.* qualis apparet in istis,& similibus propositionibus. *equus requiritur ad equitandum. his audiui sacrum; promitto tibi librū. oculus requiritur ad videndum.* ideft hic, vel ille, vel ille alter; sed non licet dicere, vt licebat in suppositione determinata supra posita, hic oculus requiritur ad videndum,vel ille oculus requiritur; nam eiusmodi omnes propositiones semper sunt falsæ; tanta enim est confusio signorum illorum, quæ vocant *specialis confusionis*, quomodo sunt illa verba, vt nullum significatum sinant disiunctiuè signari, neque ratione eius possunt verificari propositiones, quas ipsa afficiunt, præ nimia sua confusione.

Sexto tandem suppositio distributiua alia est completa, alia incompleta. completa est *acceptio termini pro omnibus suis significatis nullo excepto*, siue vt dici solet pro singulis generū,qualis est in hac propositione *omne animal est sensibile.* idest homo,equus,leo, & reliqua animalia sunt sēsibilia. incompleta vero suppositio *est acceptio termini communis pro aliquibus, non pro omnibus significatis*, siue vt communiter dicitur, *pro generibus singulorum*, vt cernitur ibi, *omne animal fuit in Arca Noë*, idest ibi in arca fuerūt duo animalia cuiuslibet generis, siue speciei, vt sacra enarrat Historia. alij superaddunt tertiam aliam suppositionem hunc spectantem, quam vocant accommode completam, quæ *est acceptio termini cōmunis pro omnibus suis significatis, excepto duntaxat significato vno.* qualis est in illo Hemistichio, *& quod tegit omnia cælum*, nam cælum tegit omnia præter semetipsum. S.Thom. Heb.I.2.

Denique consideranti prædictas terminorum suppositiones varias,duo facilè patebunt. primum est posse,& solere vnicum & eundem terminum supponi multifariā, non solum in diuersis propositionibus, sed in eadem,nam, exempli causa, in hac propositione, *Homo est animal*, homo supponitur propriè, personaliter, communi, ac distributa suppositione.& ita exemplificare possemus in alijs terminis. alterum est aliquas ex præfatis suppositionibus competere terminis nude sumptis, alias non nisi affectis aliquo signo; quo autem modo sint ista signa, & inquantùm possint variare, restringere, vel ampliare suppositionem terminorum, quibus iunguntur, iam dicam.

SECTIO IX.

Proponit, & exponit signa, quæ variant terminorum suppositiones, & regulas ad dignoscendum eiusmodi suppositiones.

Qvatuor sunt genera signorum,quæ in propositionibus reperiuntur,& quæ variare solent terminorum suppositiones. 296
Primum genus est signorum pure vniuersalium, siue ea sint affirmatiua vt *omnis. semper*, siue negatiua, vt *nullus. nunquam.* secundum genus est signorum pure particularium, modo sint affirmatiua, vt *aliquis. alicubi.* modo negatiua, vt *aliquis non, alicubi non.* vel etiam, & similes dictiones signa particularia sunt.

Tertium signorum genus dicitur partim vniuersalium, partim particularium, quæ vocant signa mistæ quantitatis, vt *alter. vterque. neuter. duo &c.* & *omne*,quando sumitur incomplete, vt dicebamus supra nu.295. quartum genus est signorum, quæ dicuntur signa specialis cōfusionis, vt sunt hæc verba,& similia *promitto. postulo. egeo. requiritur.* Ecce habes explicata signa quæ variant terminorum suppositiones.

lege

lege modo regulas pro earum varietate dignoscenda.

Prima regula esto. signa vniuersalia affirmatiua terminum, cui immediate adhærent, faciunt supponi distributiue, reliquos vero eiusdem propositionis, quibus solum mediate adhærent, faciunt supponi confuse, v.g in hac propositione *omnis homo est iustus, homo* supponitur distributiue ex vi *omnis*, quod est signum vniuersale affirmationi seruiens, & terminus *iustus* confunditur, siue supponitur suppositione confusa. signa vero vniuersalia negatiua distribuunt, siue faciunt supponi distributiue terminos omnes propositionis, nempe tam immediatos, quam mediatos, vt quando dicis *nullus homo est Angelus*.

297 Secunda regula est. signa particularia affirmatiua faciunt supponi determinate terminos immediatos, circa alios nihil faciunt, vt quando dicitur *aliquis homo est albus*, vbi *homo* supponitur determinate, *albus* non attingitur. Signa autem particularia negatiua faciunt supponi determinate terminos immediatos, mediatos vero distribuunt, vt *aliquis homo non est Angelus*, vbi *homo* supponitur determinate, *Angelus* autem distributiue.

Tertia regula sit. signa specialis confusionis terminos immediatos confundunt, vt *promitto tibi librum*, nam ex vi eius orationis nullum librum determinate possum assignare, quem tibi promisserim: quocirca propositio, quæ afficitur signis specialis confusionis valde differt à propositione, in qua est suppositio determinata; quoniã ista propositio *equus requiritur ad equitandum* magis suspensum relinquit audiẽtem, quam illa, *aliquis equus currit*, quia prior non verificatur ratione alicuius equi singularis, sed vage sumpti; & ideo resoluitur per descensum disiunctum. posterior vero verificatur ratione alicuius equi singularis currentis, & ideo resoluitur per descensum disiunctiuum, vti dixi supra à num.294. & dico infra num.303. Interim animaduertatur differentia inter suppositiones, quas causant signa specialis confusionis, & signa particularia.

Consectario ad propositas regulas dicẽdum, quod signum vniuersale mixtum affirmatiuum distribuit categorema in se inclusum, alios vero terminos confundit, vt si dicas *sẽper homo studet*, idest omni tẽpore, vbi *tempus*, quod clauditur in signo semper, supponitur distributiue, *homo* vero confuse; quod si signum mixtum fuerit vniuersale negatiuum, omnes terminos distribuit, *vt nunquam homo currit*, quæ propositio facit hunc sensum, *in nullo tẽpore homo currit*. denique signum mixtum particulare affirmatiuum terminum in se inclusum facit supponi determinate, reliquos non variat, vt *alicubi homo sedet*, idest in aliquo loco homo sedet. Si vero fuerit signum particulare negatiuum determinat categorema inclusum, cæteros remotiores distribuit, vt *alicubi non homo currit*, quæ æquipollet huic *in aliquo loco nullus homo currit*.

Pro maiori luce doctrinæ regularum præcedentium aduerto primo accommodanda esse signis mixtæ quantitatis supra positis ea omnia, quæ dicta sunt circa signa vniuersalia, tam affirmatiua, quam negatiua, hæc enim, & illa solum differunt materialiter, siue penes magis, & minus, nempe in eo, quod vniuersalia signa supponi faciunt pro omnibus significatis complete, signa vero mixtæ quantitatis faciunt supponi incomplete, siue pro paucioribus, vt quando dicis *vterque homo currit*. idest *duorum hominum hic, & ille currit. hoc vel alio cursu, vel modo currendi*, nam ibi terminus *homo* distribuitur, *currit* vero confunditur, & ita de signis reliquis mixtæ quantitatis seruata sua proportione philosophandum est. 298

Secundo animaduerto prædictas regulas veras esse quandiu idem terminus non afficiatur aliunde alio differenti signo, tunc enim videndum erit, cui signo æquiualeant illa duo, & iuxta id iudicandum de termini suppositione, v.g si dicat aliquis, *nonnullus homo est iustus*, *ibi nonnullus* æquiualet huic *aliquis*, & sic terminus *homo* habebit suppositionem determinatam, & *iustus* non attingetur, nimirum iuxta exigentiam signi particularis affirmatiui.

Tertio aduerte signa vnius propositionis generaliter loquendo non attingere terminos propositionis alterius sequentis, quare in his propositionibus *nullus homo legit, & Petrus est animal*. signum illud *nullus* distribuit subiectum, & prædicatum suæ propositionis, terminos reliquos nempe *Petrus*, & *animal* non tangit, nec variat,

variat, excipe tamen negationem siue signum *non*, & similes quæ dicuntur *malignantes naturæ*, quia quidquid post se inueniunt, inuertunt, destruunt, ac negant, & solent ex speciali intentione loquentis distribuere, seu facere supponi distributiue terminos etiam subsequentium, & mediatarum orationum, vt quando dicas *non homo currit, & leo est animal, & Petrus studet*, quasi dixeris *nec homo currit, nec leo est animal, nec Petrus studet*.

Quarto est adnotandum, quod terminus adiectiuus eodem modo supponitur, ac substantiuus, cui adiungitur ex parte subiecti, non ex parte prædicati. vnde quando dicitur *omnis homo sanctus orat*, *homo*, & *sanctus* distribuuntur à signo *omnis*. quando verò diceretur sic, ponendo adiectiuum à parte prædicati *omnis homo est sanctus*, vox *sanctus* solum confunditur, siue confuse supponitur iuxta exigentiam signi omnis.

299 Collige duo ex dictis, quæ seruient tollendæ aliquali confusioni occurrenti, primum est, ex prædictis signis alia esse aliunde simul terminos, seu voces syncategorematicas, vt *aliquis, omnis, nullus*: alios vero voces mixtas, vt *aliquando, semper, nullibi, nunquam*, neque id vllum inconueniens esse, nam voces secundum varia munia, quæ possunt, & solent habere iuxta voluntatem hominum, sortiuntur ea varia nomina. Secundum est diuersa valde esse signa, seu voces, quas hic vocamus mixtæ quantitatis à terminis, signis, seu vocibus, quas olim, & hic appellabamus mistas; illa enim talia dicuntur, quia sunt ex parte vniuersalia, & ex parte particularia, vt *vterque, neuter*. hæ vero tales dicebantur, quia mistæ sunt Categorematæ, & syncategoremate, siue quia id vtrumque continent, vt *semper*, & similes, de quibus supra dictum est.

Ad finem pono alias duas regulas pro concurrentia signorum in vna propositione Categorica, vel hypothetica. prima est quando ex parte subiecti est duplex terminus, quorū quilibet afficitur signo diuerso affirmatiuo vtroque, duplex ille terminus supponitur prout exigant signa, v.g. *omnis homo alienius communitatis disputat. Homo* distribuitur, & *communitas* determinatur; si vero prius signum sit negatiuum, distinguendum est, si signum secundum quod sequitur afficiens casum obliquum, sit particulare, terminus vterque distribuitur, vt si dicas *nullus homo alienius collegij currit*. vbi *homo*, & *collegij* distributiue supponuntur, quia propositio negat currere quemcumque hominem cuiusuis collegij ille sit; si tamen signum secundum casus obliqui, fuerit vniuersale affirmatiuum, vel negatiuum, non mutatur à signo antecedenti, vt quando dicitur *nullus homo omnis, aut nullius ciuitatis studet*, cuius ratio est, quia nullum signum negatiuum vim habet contra terminum distributum, licet habeat in terminum determinatum, vt iam dico.

Secunda regula est. quando signum se habens ex parte prædicati est vniuersale, semper manet distribuens suum terminum, quin signum etiam si negatiuum sit, habitum ex parte subiecti, illum taugat, v.g. *nullus homo est omne rationale*. vbi rationale supponitur distributiue, ratione signi omne: quando vero est particulare, & prius signum, quod est ex parte subiecti fuit vniuersale affirmatiuum, prædicatum confunditur, vt contingit in hac propositione, *omnis homo est aliquod animal*, vbi *animal* supponitur confuse: si vero tale signum habitum ex parte subiecti fuerit vniuersale negatiuum, distribuit prædicatum, vt vides ibi *nullus homo est aliquod animal*, quæ propositio est falsa, quoniam *animal* distribuitur, alioqui foret vera, verum de his. quæ vsus, & obseruatio studiosos edocebunt facilius, quam regulæ, satis abunde dictum est. 300

SECTIO X.

Proponit resolutionem, siue declarationem suppositionum per ascensum, & descensum, siue per inductionem; vbi ea dicitur formalis argumentatio, & non dari à distributiuo, vel distribuente ad collectiuum, in obsequium Theologorum incipientium, & Philosophorum.

Resolutio, siue inductio appellatur ascensus, & descensus, qui seruiunt ad plane cognoscendum suppositionum varietatem, & sensus, ex quibus veritas, vel

falsi.

falsitas, ac scientia nostra pendent, præsertim quia propositio, quæ per inductionem resoluitur, ac declaratur, æquipollet propositionibus illam resoluentibus, vt æquipollet definitio definito, id quod ex dicendis manifestum erit.

Aristotel. *Est vero ascensus*, ait *Aristoteles* 1. Top. c. 10. *progressio à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale. descensus* autem e contra *est regressio ab vniuersali ad singularia.* quare qui velit monstrare propositionem hanc *omnis homo est animal* esse veram, sic monstrabit resoluendo, & declarando illius suppositionem distributiuam per ascensum, hic homo est animal, & ille homo est animal, & sic de cæteris; ergo omnis homo est animal. per descensum vero sic, omnis homo est animal, ergo hic homo est animal, & ille homo est animal, & sic de reliquis, neque enim necessarium est semper enumerare omnia singularia, sed enumeratis aliquibus subiungere, *& sic de cæteris*, vel quid simile.

301 Ascensus, & descensus est quadruplex, copulatiuus, & copulatus, disiunctiuus, & disiunctus; Ascensus, & descensus copulatiuus est, qui resoluit siue explicat suppositionem propositionum ascendendo, & descendendo per integras propositiones vnitas particula, *&*, aut alia æquiualenti, copulatiue sumpta, vt quando dicas, & resoluas, vt probes ascendendo hanc propositionem *omnis homo est rationalis* esse veram, sic, hic homo est rationalis, & hic homo est rationalis; & sic de cæteris, ergo omnis homo est rationalis. vel descendendo sic resoluas, *omnis homo est rationalis*, ergo hic homo est rationalis, & hic homo est rationalis, & sic de cæteris. atque hæc vtraque resolutio, siue eiusmodi ascensus, & descensus copulatiuus deseruit tantum ad resoluendum suppositiones distributiuam communem, & personalem. atque eiusmodi inductio vtraque est formalis argumentatio, & generat scientiam, vt innuit *Aristot.* 1. Top. cap. 12.

Aristotel.

Sed obijcies ista inductio vtraque non tenet vbique in omni materia, ergo non est formalis argumentatio. probas antecedens Theologico argumento, etenim supposito, quod ego habiturus sim in spatio meæ vitæ triginta tentationes graues; sic argumentaris, licet bene sic descendantur ego possum vincere istas triginta tentationes, ergo possum vincere hanc, & similiter illam, & cæteras, vsque ad triginta; tamen non secure ascendam sic, ego possum vincere hanc, & illam, & reliquas omnes, quin vnquam deficiam, nec cadam, quia docent Theologi cum *P. Granado* r. 2. Controu. 8. tractat. 2. disputat. 2. Sectione 5. num. 15. & disput. 5. quod aliquando casurus sum infallibiliter.

Respondeo quod si casurus sum, id contingit, quia casus, & Hypothesis mutat suppositionem, quia supponunt triginta tentationes habere maiorem difficultatem in collectione, quam singillatim, quamuis difficultas nasci dicatur ex nostra fragilitate, quæ quasi nequit esse firma in bono proposito, ex quo fit, vt mutetur inductio, & non fiat amplius argumentatio, vel ascensus per æquipollentes resoluentes ad æquipollentem resolutam, aut resoluendam, idest copulatiuus ad distributiuam suppositionem, sed copulatiuus ad copulatam, vel copulatiuam suppositionem, siue, vt vulgo dicitur, *distributiuus*, (seu distribuens, 302 qualiter debetur suppositioni distributiuæ, qui potest dici etiam ascensus diuisiuus) ad *copulatiuum*, copulatum, vel collectiuum, qui est vitiosa inductio, & impossibilis, vti dicam inferius. legatur *Pater Casilius* de hoc argumēto in introduct. lib. 1. tract. 2. sect. 3. cap. 3.

Ascensus autem, & descensus copulatus resoluit per solos terminos vnitos item particula, *&*, copulatim sumpta, vt apparet in hac resolutione, quæ fit ascendendo sic, Petrus, & Ioannes, & Andreas, & reliqui Apostoli sunt duodecim; ergo omnes Apostoli Dei sunt duodecim; & in hac, quæ sic fit descendendo, omnes Apostoli Dei sunt duodecim, ergo Petrus, & Ioannes, & Andreas, & reliqui Apostoli Dei sunt duodecim, atque iste ascensus, & descensus deseruit resoluendo suppositiones copulatas, quæ dici etiam solent copulatiuæ, & collectiuæ.

Hic caute aduerte non æquipollere inter se propositiones supponentes distributiue, & supponentes copulatim, & ideo distributiua nequit resolui per copulatam, neque e contra, & argumentum non valet à destributiuo ad collectiuum;

nec

nec enim dicas, hic Apostolus est vnus, & ille est vnus, & sic cæteri, ergo omnes Apostoli sunt vnus; nec vice versa descendendo dices, omnes Apostoli sunt duodecim, ergo hic est duodecim, & ille est duodecim; & ratio est, quia prædicatum copulatæ propositionis conuenit illi simpliciter.

Propositio autē, vbi est suppositio simplex, non potest resolui per ascensum, vel descensum, vt apparet ibi, homo, est species, vnde non infertur, ergo Petrus est species, & Paulus, &c. nec valet si ascendendo dicas Petrus est singularis, Paulus est singularis, & sic reliqui, ergo homo est singularis: & ibi, materia, forma, & vnio sunt totum compositum, ex quo non colligitur, ergo materia est totum, aut forma est totum; nec e contra, materia differt à toto, forma differt à toto, vnio similiter differt, ergo partes omnes simul differunt à toto, quia nimirum non valet argumentum à distributo ad copulatum, neque à partibus diuisim sumptis ad totum ex eis partibus constitutum: neque mirandum est non conuenire prædicatum partis, toti, siquidem totum, & pars sunt subiecta diuersa habentia diuersas essentias, ac definitiones differentes; & resolubilia, & resoluentia debent esse quasi synonima. caue diligenter ne te hic confundant termini isti
303 copulatiue, copulatē, & similes, qui modo significant suppositiones copulatas, collectiuas, & copulatiuas, & huiusmodi aliter dictas; modo modos varios resoluendi; quia sic voluere Poetæ.

Rursus ascensus, & descensus disiunctiuus est, qui resoluit, aut explicat suppositionem ascendendo, & descendendo per integras propositiones vnitas particula *vel*, vel alia consimili, & vterque seruit suppositioni determinatæ. Vnde ita declarabis, & probabis vtrum illa propositio sit vera, *aliquis homo currit*, ascendendo, hic homo currit, vel hic homo currit, & sic de cæteris, ergo aliquis homo currit: descendendo vero sic *aliquis homo currit*, ergo hic homo currit, vel ille homo currit, & ita de reliquis; licet vero assignare hunc hominem currentem, ratione cuius verificatur illa propositio *aliquis homo currit*, quæ proinde bene infertur ex illa *Petrus currit*, vel alia quauis singulari. secus contingit in suppositione sequenti ob specialem obscuritatem suæ conditionis.

Ascensus, & descensus disiunctus resoluit per solos terminos vnitos eadem particula *vel*, aut alia æquipollenti, ascendendo, & descendendo, & deseruiunt declarandæ suppositioni confusæ. quare hanc propositionem, in qua est suppositio confusa, *equus requiritur ad equitandum*, sic resolues per ascensum, ille equus, vel ille, vel ille, & sic de cæteris vage, quin liceat aliquem assignare, aut in aliquo sistere, ratione cuius verificetur propositio confusa, & ideo ipsa, & eius resolutio fere eandem confusionem pariunt, vt vides dum dicis post resolutionem, *ergo equus requiritur ad equitandum*. per descensum vero sic, equus requiritur ad equitandum, ergo ille equus, vel hic equus, vel alter ille, & sic de reliquis, perseuerando cum eadem confusione, & sic oportet fieri, quia resolutum, & resolutio sunt idem.

Ad doctrinam præcedentem melius 304
capiendam posuerunt Dialectici regulas tres, easque carminibus comprehensas, quæ enim carminibus comprehenduntur, ait alicubi *sanctus Basilius*, fixius, seu melius imprimuntur animo. prima ergo regula in hoc carmine continetur.

Simpliciter pro vno, per se vox sumpta quiescit.

idest propositiones, in quibus termini supponuntur simpliciter, aut singulariter, vel etiam materialiter, nec resolui possunt, neque indigent resolutione, vt patet exemplificanti. vbi tamen caute aduerte quam ingenue, & plane admittant Dialectici terminos, propositiones, & suppositiones materiales. secunda regula alio carmine ponitur.

Cuique suum tribuens tunc primum mixta resolue.

idest termini mixti prius resoluendi sunt in terminos æquipollentes, & postea resoluendi per ascensum, vel descensum; vnde dum dicitur *semper homo disputat*, sic resoluendum *omni tempore, homo disputat*, & deinde descendendo sic, ergo hoc tempore homo disputat, & illo tempore homo disputat, & sic de cæteris temporibus, & similiter fiet resolutio modo suo ascendendo, siue per ascensum.

Tertia regula est circa propositiones causales,

sales, & conditionales, in quibus prius resolui debet subiectum consequentis, quam subiectum antecedentis, vt si dixeris. *Si omnis homo moritur in gratia, nullus homo damnabitur.* sic resolues, si omnis homo moritur in gratia, hic homo non damnabitur, & ille homo non damnabitur, & sic de cæteris. licet quandoque hæc regula non teneat. quia si dicas, *si semper sol lucet, semper dies est*, poteris, imo debes resoluere incipiendo ab termino antecedentis sic. si hoc tempore sol lucet, & illo tempore sol lucet, & sic in cæteris temporibus; semper dies est, & similiter resolues descendendo.

Ad finem aduerto nos vti ascensu ad probandam veritatem propositionum; descensu vero ad ostendendam earum falsitatem, si forte insit, cuius ratio est, quia 305
ad veritatem propositionis vniuersalis, v.g. omnino requiritur, quod omnia singularia sub illa contenta sint vera, & ideo per ascensum numeranda sunt omnia. quare non bene experieris, nec probabis sufficienter *omnem hominem esse animal*, nisi ascendendo probes hunc singularem hominem esse animal, & illum similiter, & cæteros esse animalia; vt vero demonstres falsam esse propositionem vniuersalem quamcumque, sufficit monstrare descendendo per singulas propositiones aliquam earum esse falsam, vnde falsa erit. hæc propositio, *nullus homo currit*, si reperiatur, quod tantum Ioannes currat.

Ad veritatem autem propositionis particularis sat est, quod aliqua singularis sit vera, idcirco, vt probes esse veram hanc propositionem *aliquis homo loquitur*, sufficit monstrare ascendendo Petrum loqui, vt vero probes esse falsam, debes per descensum enumerare omnes singulares homines, & probare omnes tacere, seu nullum loqui, & sic falsas esse omnes propositiones, quæ afferant hominem quempiam loqui, nempe has Petrus loquitur, vel Ioannes loquitur, vel Paulus loquitur, & sic cæteras omnes singulares.

Aduertendum etiam fuit circa illos terminos, seu voces *copulatiuus. copulatus. disiunctiuus, & disiunctus*, & similes, quod licet sæpe Dialectici, ac cæteri Scholastici doctores indifferẽter illis vti soleãt, & perinde putent significare *copulatiuus, copulatus, copulatiue copulate, & copulatim*, & similiter *disiunctus, disiunctiuus, disiunctiue, disiuncte, & disiunctim*, sed tamen in materia præsenti de Inductione habent differentiam, quæ in hac Sectione indicata est. qui plura volet scire de vsu Inductionis legat *S. Thom.* 1. Post. lect. 5. fine. & lect. 30. initio, & ibi *Aristotelem*. *Aristotel. S. Thom.*

SECTIO XI.

De suppositione, & resolutione Grãmaticalium relatiuorum.

RElatiuum, inquiunt Grammatici, est *rei antecedentis recordatiuum*, & est multiplex: aliud est relatiuum *substantiæ*, quod scilicet repræsentat antecedens ad modum per se stantis, vt *quis, vel qui*. aliud est *accidentis*, quod innuit antecedens per modum alteri adiacentis, vt *talis, qualis*. aliud relatiuum est *identitatis*, quod perinde reputatur saltem in specie, ac suum antecedens, vt suus, sui, ille, idem, ipse. aliud est *diuersitatis*, quod quidem indicat, ac refert aliud diuersum ab antecedenti, sed simul connotat, & ipsum antecedens, vt alter, alius. vt quando dicitur *Petrus studet*, sed alius non studet, alius, videlicet, distinctus à Petro; sed tam illum, quam Petrum significat aut recordari facit relatiuum illud *alius*, illum, vt communiter dicitur significando in recto, & Petrum in obliquo.

Aliud prætereà relatiuum est *reciprocũ*, *vt sui & suus*, quod denotat regressum 306
fieri ad antecedens; aliud *non reciprocum*, vt *quis vel qui, ille*, & alia: & ex reciprocis aliud est *primitiuum*, vt *sui*. aliud *deriuatiuum*, vt *suus a. m.* & generaliter ex relatiuis alia sunt primitiua, vt *ego. tu. sui*. alia deriuatiua, vt *meus. tuus. suus*. & alia sunt termini, seu voces mixtæ, vt *talis*, idest huius qualitatis; & *qualis*, quod valet cuius, vel eiusdem qualitatis. alia syncategoremata, vt *qui, ille. is*: atque S. *Th.* putauit super lib. 1. Periher. initio lit. D. sub nominibus comprehendi pronomina, sicut, & sub verbis participia. *S. Thomas.*

Circa suppositionem relatiuorum dicendum est primo, si relatiua nullo signo afficiantur, supponi sicut sua antecedentia, vnde in hac propositione *omnis homo sentit*,

tit, qui est animal, illud *qui* supponitur distributiue, sicut suum antecedens *homo*, iuxta scilicet exigentiam signi *omnis*, & ideo dicitur quasi Prouerbio, *relatiuum non reciprocum supponitur, sicut suum antecedens ibi positum*, nimirum propter summam identitatem quam habent in significato suo.

Dicendum est secundo, si relatiua ipsa signo afficiantur, supponi iuxta exigentiam signi. quare si dicas *homo est animal, & omnis ille currit*, relatiuum *ille* supponitur distributiue: sed ab hac regula generali excipiuntur relatiua primitiua, quæ retinent eamdem suppositionem, ac suum antecedens, quantumuis differenti signo afficiantur, vt cernis, ibi *aliquis homo non se diligit*, vbi *se* supponitur determinate, sicut & *homo*, licet afficiatur signo illo distribuente *non*, quod ita contingit propter summam identitatem, quam seruant in re, & in modo referendi eiusmodi relatiua, cum suis antecedentibus. & hæc sufficit dixisse circa suppositionem relatiuorum, dicamus pauca circa eorumdem resolutionem.

307 Relatiua ergo, siue propositionum, quæ constant relatiuis, suppositio explicanda, & resoluenda est per ascensum, & descensum secundum regulas positas à num. 301. excipiendo relatiua primitiua, quæ eodem modo resoluuntur, ac suum antecedens. verbi gratia si dicatur *omnis homo est ipsemet*, ita resolues ascendendo ille homo est ipsemet, & ille est ipsemet, & sic de cæteris; ergo omnis homo est ipsemet. qui plura volet de his minutijs, quæ solum confusioni subseruire videntur, legat *Toletum* libro 2. Introductionis cap. 7. & nos ad alia properemus.

SECTIO XII.

Declarat statum distractionem, & ampliationem terminorum.

Status est *acceptio termini pro ea differentia temporis, quæ per copulam verbalem importatur*, & cum temporis differentia sit triplex, nempe præteriti, præsentis, & futuri triplex item est status terminorum: quare Petrus in his propositionibus, Petrus dixit, Petrus dicit, Petrus dicet, habet tres status differentes.

Hic notandum est ex dictis supra à numero. 267. pro intelligentia sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & aliorum Doctorum, verbum de præsenti sæpe æquipollere verbo de futuro, ac de præterito; tum quia quod paulo antea fuit, vel iam iam erit, præsens censetur, vt ibi, *vado, venio, bibo, baptizo*. tum quia verbo præsenti adiungitur aliqua duratio determinata, in qua existit, quod affirmatur à verbo, vt si dicas *mane est missa solemnis. die Lunæ est concio. dies Iouis defenduntur conclusiones. & hoc anno sunt eclypsis solis, & lunæ*. huiusmodi solemnes modi loquendi.

Distractio vero statui opposita *est acceptio termini pro differentia temporis diuersa ab ea, quam copula verbalis importat*, qua vsus fuit Christus D. Matthæi 12. dicens, *cæci vident. claudi ambulant. leprosi mundantur*, idest, qui olim erant cæci, claudi, leprosi, nunc vident, ambulant, mundantur; vbi illæ voces, seu termini *cæci, claudi, leprosi*, sine dubio accipiuntur pro diuerso tempore à præsenti, quod verba præseferebant, & ideo dicuntur distracti, seu distractionem habere.

Ampliatio, quæ etiam statui opponitur, est *acceptio termini, vel eius extensio ad plures differentias temporis disiunctiue sumptas, quam denotantur per verbum principale propositionis*, vt si dicas, *Scholasticus disputauit*. potes extendere, & ampliare terminum *Scholasticus* ad eum, qui est, vel fuit, & sic intelligere loqui propositionem de Scholastico præsenti, vel præterito. quinque autem tempora dicuntur esse, quoad præsens attinet, nempe præteritum, præsens, futurum, possibile, imaginabile, seu imaginarium, ad quæ extendi, & ampliari possunt, & solent termini a verbis differentibus; quæ vero sunt eiusmodi verba, ostendunt regulæ sequentes. 308

Prima est. *verba temporis præteriti ampliant subiectum propositionis ad tempus præsens, vel præteritum; restringunt autem prædicatum ad præteritum*; vt quando dicitur. *Petrus senex fuit iuuenis*,

Petrus, scilicet, qui modo est, vel qui olim fuit senex, fuit quondam iuuenis; quæ etiam regula congruit participijs de præterito, vt si dicas, *Christus mortuus regnat in Cælis*, idest qui est, vel qui fuit.

Secunda regula est, *verba temporis futuri ampliant subiectum propositionis ad tempus præsens, vel futurum, prædicatum vero restringunt ad futurum tantum*, vt si dicatur *iuuenis erit senex*, sensus est, qui est vel erit iuuenis, erit senex. hæc item regula competit participijs de futuro saltem quantum ad ampliationem subiecti, vt cernitur ibi, *Petrus lecturus est*, idest Petrus qui est, vel erit.

Tertia est. *verba præsentis significantia inceptionem vel actionem*. vt sunt incipio, ædificio, & similia, *& item significātia prioritatem temporis*, vt præcedo, sum primus, aut prior, & huiusmodi, *ampliant terminos quibus iunguntur ad tempus præsens vel futurum. vt incipit pluuia*, nempe quæ est, vel erit, *ædifico domum*, quæ est, vel erit *Sum prior antichristo*, qui est vel erit. & contrario, *verba præsentis significantia destructionem, & posterioritatem temporis, extendunt terminos ad tempus præsens, vel præteritum*. vt *destruo vrbem* idest eam, quæ est, vel fuit *sum posterior Adamo*, qui est, vel fuit.

309 Quarta regula esto. *verba, siue etiam termini, quæ significant necessitatem, aut possibilitatem, ampliant terminos antecedentes, & subsequētes ad quatuor tempora, nempe ad præteritum, præsens, futurum, & possibile*. vnde si dicas *homo potest disputare*, sensus erit homo, qui fuit, vel est, vel erit, vel qui potest esse, potest disputare: & idem dicendum de aduerbijs *possibiliter, necessario*, & similibus, ac de nominibus finitis in *bilis*, & in *iuum*, vt *amabilis, perfectiuū*. vt *virtus est amabilis*, nempe virtus, quæ fuit, vel est, vel erit, vel quæ potest esse.

Quinta regula traditur pro verbis significantibus aliquem actum animi internum, vt sunt intelligo, volo, & consimilia, *quæ ampliant* (vt quoque tradit *S.Thomas* in 3.dist.7. quæst.3.art.1.ad 4.) *S.Thom.* *suos terminos ad omnia quinque sūpera* vt *amo virtutem*, quæ scilicet fuit, vel est, vel erit, vel quæ possibilis est, aut imaginabilis. omitto alia minutiora de industria, tum quia parum vtilia, & quæ facile vsu, & obseruatione deprehenduntur, tum etiam, quia idonea sunt satis ingenijs Tyronum, quibus potissimum scribimus, confundendis. consulite *Card. Telesum* hic lib.2.cap.9. non enim vt confundam vos hæc scribo.

SECTIO XIII.

De Restrictione, Alienatione, & Diminutione Terminorum.

Restrictio *est limitatio termini à maiori ad minorem significationē*. vt *homo albus legit*. vbi *homo* limitatur ratione termini *albus*, vt supponatur solum pro homine albo, & non indifferenter pro quouis homine, siue albo, siue æthiope.

Restrictio sic exposita fit multifariam, primo per copulā implicationis, vt *homo, qui existit, potest loqui*, vbi *homo* supponitur pro homine existente solo, non pro possibili, aut futuro. secundo fit per additionem nominis adiectiui, vti exemplificaui supra. tertio per casum obliquum adiunctum, vt *argumentum Petri est bonum, & subtile*. quarto etiam per nomen substantiuum ibi expressum, vt *Apostolus Paulus capite truncatus est*. Quinto fit restrictio per aduerbium, *vt homo docte disputans placet audientibus*.

Alienatio est distractio termini à significato proprio ad alienum. vt quando leo accipitur pro Christo Domino in illa propositione *vicit leo de tribu Iuda*, ibi enim *leo* distractus a propria significatione, qua significat animal rugibile, metaphoricè supponitur pro Christo Domino, cuius ibi fortitudo commendatur. 310

Diminutio denique *est limitatio termini à maiori ad minorem significationem ratione additi diminuentis*, vt si dixeris de Aethiope. *ille est albus secundum dentes*. sed, vt nemo non videt, parum distat diminutio à restrictione. Hic aduertunt Dialectici in bona consequentia non valere argumentum factum à termino

mino

mino alienato, aut diminuto ad ipsum simpliciter sumptum. vnde non sequitur, Christus est leo de tribu Iuda, ergo est rugibilis, Petrus est albus secundum dentes, ergo est albus. explicat bene *Aristotel.* terminos *simpliciter*, *& secundum quid*. 4.Top.c.vltimo circa finem.

Aristotel.

SECTIO XIV.

Exponit quid, & quotuplex sit appellatio; ac regulas ad cognoscendas appellationes differentes.

Appellatio est *applicatio significati formalis termini*, qui fere semper est cõcretus *supra significatum formale vel materiale alterius termini. vti S.Thomas fuit magnus Theologus*. vbi *magnus*, qui dicitur terminus *appellans*, & est concretus, applicat suum significatum formale; supra *Theologus*, qui propterea dicitur *appellatus*. voco significatum formale, formam, quam importat, atque significat terminus concretus; materiale significatum appello, habens eam formam, quod etiam significatur à termino, siue voce concreta, iuxta dicta supra in Disput.1. Quæst.2. Sect. 9.

Tripliciter est appellatio. prima dicitur *formalis*; secunda *materialis*; Tertia *mixta*; *formalis appellatio est applicatio significati formalis vnius termini supra significatum formale alterius*. vt patet in exemplo supra posito. nam S. *Thomas* magnus est ratione Theologiæ, quæ est forma significata per illam vocem *Theologus*. *appellatio vero materialis est applicatio significati formalis vnius termini supra materiale alterius*; quæ contingit ibi, *album est dulce*, vbi dulcedo, quæ est significatum formale termini *dulce*, cadit su-

311 pra materiam aibam, quæ est habens; non autem supra albedinem; quoniam aibedo dulcis non est, licet insidere soleat rebus dulcibus. demum *mixta appellatio est applicatio significati formalis vnius termini supra significatum materiale, & formale alterius*, quæ cernitur in hac propositione, *Petrus, & Paulus sunt duo homines*, vbi illud *duo* qui est terminus appellans cadit supra materiale, & formale significatum subiecti propositionis, quod est *Petrus*, & *Paulus*, ideo fit iste sensus Petrus, & Paulus sunt duo habentia duas humanitates.

Pro maiori luce appellationis regulæ aliquot traduntur. Prima est, quando ex parte vnius extremi propositionis est duplex terminus, vnus substantiuus, alter adiectiuus, hic appellat supra formale significatũ substantiui, vt ibi *Zacheus fuit magnus Philosophus*. *magnus* appellat supra *Philosophus*, siue supra philosophiam, non supra molem corpoream homuncionis illus, qui statura pusillus erat. verum hæc regula aliquando deficit, nam si dicas *homo fuit præceptor niger*, *niger* appellabit non supra *præceptor*, licet sit ex parte eiusdem extremi, sed supra *homo*, qui est in altero extremo propositionis.

Secunda regula est, si ex parte subiecti sit terminus substantiuus, & ex parte prædicati adiectiuus, hic appellabit supra materiale significatum illius, vt *album est dulce*, idest res habens in se albedinem, est item dulcis: hæc item regula non est vera semper, vt apparet ibi *album est disgregans visum*, vbi *disgregare visum* conuenit, & applicatur albedini, quod est significatum formale illius termini substantiui *album*.

Tertia regula esto pro verbis significantibus actum animi, quæ appeilant supra significatum formale terminorum, quibus iunguntur, vt si dicatur, *agnosco Petrum venientem*, idest appropinquantem huc, & quatenus veniens est. *video Ioannem album*, hoc est, video Ioannem, quatenus albus est, seu ratione albedinis.

Quarta regula est, nomina numeralia primitiua, vt duo, tres, & tria, & cætera huiusmodi adiuncta terminis substantiuis, eos multiplicant secundum eorũ significatum materiale, & formale, & supra 312 vtrumque appellant; vnde si dicis *tres homines sunt domi*, sensus est, domi sunt tria habentia tres humanitates, siue tres differentes numero naturas humanas: & propter hanc regulam illa propositio est hæretica, *persona diuinæ sunt tres Dij*, quia eius sensus est sunt tres habentes tres diuinitates.

Quando autem prædicta nomina numeralia adhærent terminis adiectiuis, illos multiplicant quo ad materiale significatum tantum, & supra illud solum appellant, vt ibi. *hic sunt tres homines albi*, idest hic sunt tres homines habentes vnicam numero albedinem; licet id falsum omnino sit; & naturaliter impossibile; & iuxta hanc regulam, catholicæ, & veræ sunt illæ propositiones, *in Deo sunt tres æterni, & tres immensi*, & similes, idest tres habentes vnicam æternitatem, & immensitatem vnicam. quod si eæ propositiones damnantur à S. Athanasio, & ab Ecclesia vniuersa cũ ipso in Symbolo ibi, *& tamen non tres æterni, sed vnus æternus; sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus*, ideo damnantur, quia inibi illi termini *æterni. immensi. increati.* substantiue sumuntur, vt bene aduertit *S. Thomas* 1. part. quæst. 39. cur autem præfata nomina diuersimode multiplicent, & appellent adiuncta terminis substantiuis, & adiectiuis, difficile dici poterit, si non recurratur ad vocum, & nominum inuentorum placitum, & arbitrium, quia sic voluere poetæ. docte, & suse disputat de hoc argumento noster *Casilius* lib. 1. cap. 3. vide infra num. 1057. *S. Thom.*

313 Ad finem aduerto sæpe reperiri vitium in argumentis, ratione variæ appellationis, quoniam diuersa solet esse appellatio in antecedenti ab ea, quæ est in consequenti; si enim dixeris, video Petrum, Petrus est pictor, ergo video pictorem, licet ita contingat materialiter, tamen non est fida, & secura argumentatio ratione formæ; quia variatur appellatio in consequenti, vbi dicis te videre Pictorem, cum videris in antecedenti Petrum, non quatenus pictor est. simile vitium est. in illo trito exemplo. *Capra est mater; Capra est tua*; ergo *Capra est mater tua*. nam in antecedenti terminus *mater* appellat supra relationem capræ respectu capreoli sui; & in consequenti appellat supra relationem capræ eiusdem respectu tui; quasi sis filius ipsius, & ideo multiplicantur termini syllogismi, & fiunt quatuor; cum non debeant esse plus quam tres. vide infra num. 478. vbi de hoc argumento tractabo: & item propter variationem appellationis non sunt contradictoriæ variæ propositiones, quæ prima specie ita esse videntur, vt declaratur inferius.

QVÆSTIO II.

De Oratione, & Propositione in communi, ac de vtriusque multiplici diuisione.

QVamuis multæ vocales orationes, de quibus in quæstione præsenti agendum est, alioqui pertinerent ad disputationem præcedentem, quia sunt vicariæ, non iudicij, sed simplicis apprehensionis, nempe illæ, quæ enunciatiuæ non sunt, nihil affirmant, nec negant, & quibus propterea respondere non possumus mentiris, aut verum dicis; verum tamen, hic cogimur de illis tractare propter commodiorem doctrinæ cohærentiam.

SECTIO I.

Decernit quid sit Oratio in communi; & quotuplex; & orationem etiam imperfectam differre à termino quolibet etiam complexo.

314 ORatio vocalis in communi est *vox complexa significatiua ad placitum, necessario composita ex nomine, & verbo.* vt Petrus loquitur, esse hanc orationis definitionem secundum mentem *Aristotelis* contestantur, *S. Thomas* lection. 5. super lib. 1. Periher. dicens, *ex nomine, & verbo, vt ex partibus, & elementis ex necessitate simplex oratio constat: & sola nomina, & verba sunt principales orationis partes.* *S. Augustinus* tomo 1. lib. 1. Categor. initio ibi, *itaque solas orationis partes, auctore Aristotele, nomen, & verbum debemus accipere; cæteras vero ex his fieri, & compagines orationis, potius quam partes eius debere nominari: nomen namque personam demonstrat: verbum quid quisque faciat, patiaturue.* & *S. Isidorus*, lib. 1. Ethymol. c. 16. dicens, *partes orationis primus Aristoteles duas tradidit nomen, & ver-* *Aristotel.* *S. Thom.* *S. August.*

verbum. Vnde S. *Hieronym*. Epist. 139. ad Cyprianum, *Oratio*, inquit, *iuxta Grammatices omnis sermo loquentium est*, *cuius ethymologiam sic explicant*, *oratio est oris ratio*. Consentiunt latinitatis magistri, *Arriaga*, & *Hurtado* hic in disputation. 3. section. 3. & quidem prædicta definitio bona est, quia traditur per genus, & differentiam; loco generis ponitur *quod sit vox complexa, significatiua*, per quod conuenit oratio cum termino, siue voce complexa superius declarata; per illud autē, quod dicitur *necessario componi nomine & verbo*, differt oratio vocalis à reliquis omnibus.

S. Thomas. Orationem in cōmuni definitā diuidūt primo Dialectici cum *S. Thoma* in opusc. 48 infra allegando, in orationem perfectā & imperfectam. *perfecta oratio est, quæ facit sensum perfectum*. vt *Christus est Deus*: *imperfecta vero est, quæ facit imperfectum sensum*. vt hæc *si Petrus venerit*. *quando veneris*.

S. Thom. Secundo, *S. Thomas* vbi supra, & super primū lib. Periher. lect. sua 7. ad mentem Aristotel. *Aristotelis* diuisit orationem perfectam in quinque membra, seu species dicens. *His igitur prætermissis sciendum est quod perfectæ orationis, quæ complet sententiam, quinque sunt species, videlicet Enunciatiua, Deprecatiua, Imperatiua, Interrogatiua*, & *Vocatiua*. *Deprecatiua*, vt *Domine exaudi orationem meam*, ad quam reducitur optatiua vt hæc, *vtinam disrumperes cælos & descenderes*. *Imperatiua*, vt *vade retro satana*. *Interrogatiua*, vt illa, *quē dicunt homines esse filium hominis?* *Vocatiua* est ista, *ò vos omnes qui transitis per viā attēdite & videte &c*. denique *Enunciatiua oratio* sic est, *tu es Christus filius Dei viui*. *Harum autem orationum*, pro-
315 sequitur *S. Thomas*, *sola enuntiatiua est*, *in qua inuenitur verū & falsum, quia ipsa sola absolute significat conceptum intellectus, in quo est verum, vel falsum*: quare ea sola oratio propositio est, & indicij mentalis interpres; reliquæ apprehensionis sunt vicegerentes, vel alicuius affectus
S. Thom. interioris indices, vt ait *S. Thomas* 1. Perih. lect. 1. & ideo deprecatiuam interiorē sic
S. August. definit *Augustinus* t. 3. l. de spir. & anima, c. 49. *est cōuersio in Deum per pium & humilem affectum*. atque de perfecta oratione omissis alijs, tractat potissimum in Logica *Arist*. prædicta quoque omnia bene notat *S. August*. de Categor. c. 8. Aristotel. S. August.

Sed ad pleniorem notitiam orationis in communi sciscitaris primo, quomodo differat oratio à termino in communi? & ratio interrogādi est, quoniam alicui videbitur ea duo esse idem; siquidem omnis oratio est terminus, cum quæuis possit, & soleat esse extremum propositionis, vt superius dixi in hac disp. 2. q. 1. sect. 1. sed Respondeo discrimen maximum interesse inter orationem, & terminum: nam terminus in communi solum postulat secundum definitionem suam esse extremum propositionis, neque petit, necessario componi nomine, & verbo; facere perfectum, aut imperfectum sensum, siue complere sententiam, vt aiebat *S. Thomas*; licet termino S. Thom. accidere ea omnia materialiter non repugnet, sed sæpe contingat. Oratio autem in communi secundum suā definitionem, & specialē differentiam positiue ea postulat, nēpe componi ex nomine, & verbo, facere perfectum, aut imperfectum sensum: ex quo responso elucet inter orationes, & terminos discrimen apertum.

Sciscitaris secūdo, an differat oratio imperfecta in communi à termino, siue voce 316
cōplexa in cōmuni? nā videtur nō differre, quoniā definitiones amborū traditę ab *Aristotele*, *Petro Hispano*, & ab alijs communiter, videntur eædem. ita enim definit *Aristoteles* 1. lib. Perih. cap. 4. *S. Thomas* Aristotel. in sua Dialectica id est in opusc. 48. tract. S. Thom. de interpretat. cap. 3. orationem imperfectam, aut saltem orationem in communi, *Oratio autem est vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata*. quibus eisdem ferme verbis *Petrus Hispanus* ex doctrina Philosophi, & communiter Dialectici definiunt terminum complexum, vt videre est supra Disput. prima Quæst. 1. Sect. 11.

Respondeo tamen differre inter se etiam orationem imperfectam, & terminum cōplexum, sicut superius, & inferius differre solent, ita vt terminus complexus se habeat vt superius, & genus cōparatione orationis imperfectæ, omnis enim oratio est terminus complexus, licet non omnis terminus complexus sit oratio; sicut omnis homo est animal, sed non omne animal est homo,

mo, id quod apparet in exemplo isto, *Petrus bonus*, qui est terminus complexus, & non oratio; quia non constat nomine, & verbo, propterea licet quoad apparentiã, & sono verborum videantur definitiones vtriusque esse similes, longe distant inter ses quoniam oratio imperfecta includit essentiã, ac definitionẽ orationis in communi, quæ postulat necessario constare ex nomine, & verbo, quod nõ petit terminus cõplexus, neque ratione termini in communi, quam includit, neque ratione suæ peculiaris architecturę, sed solũ contentus est, si sit extremum complexum cuiuslibet propositionis, ad authoritatem *Aristotelis* dicam infra congruentius.

Dixi hic omnem orationem imperfectã esse terminum complexum, imo & item perfectam dicebam supra nu. 276. vbi tantum volui voces easdem solere esse partes, & materiam vtriusque, non formã, & essentiã, siue vltimã differentiã v.g. hæ voces *si Petrus legeret*, quæ est oratio imperfecta, & hæc, *Ioannes currit*, quæ est oratio perfecta sunt etiam termini complexi, sed alia, & alia ratione, & in differenti consideratione; sunt enim præfatæ orationes tales, quatenus sunt voces complexæ constantes nomine, & verbo. Termini vero complexi sunt quatenus constant vocibus, quarum quælibet separata significat, & queunt esse extrema aliarum grandiorum propositionum; quod autem voces easdem contingat esse nomina, & verba, est per accidens, & non petitum à ratione termini, vt supra iam indicabam. discursus iste est planus, & conformis *S. Thomæ* supra dicenti orationem perfectam enunciatiuam esse item propositionem, propositionem quidem, quatenus vnum de alio ennunciando continet verum, aut falsum: orationem vero inquantum efficit perfectum sensum, seu, vt ipse loquitur, *complet sententiam*. *S.Thom.*

317 Sciscitaris tertio, & vltimo, an terminus complexus & oratio non solum differant essentialiter, ac definitione, vt dictum est, verumetiam realiter, ita quod separatim inueniantur. Respondeo omnem terminum complexum, qui verbo non constet, realiter distingui ab oratione, & non solum essentialiter; terminum vero, quem verbo constare contingat, ab oratione distingui quidem essentialiter, sed non realiter. quia tunc oratio & terminus complexus materialiter sunt idẽ. hæc doctrina facilis apparebit ijs, qui nos legerunt supra in Disp. 1. Quæst. 1. Sect. 3. vbi monstrabamus idem signum sub varia consideratione habere posse & solere essentias differentes.

SECTIO II.

Dissoluit argumenta quæ, fiunt contra dicta de Oratione.

Obijcitur primo *Aristoteles* sic definiens orationem vbi supra. *oratio est vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars separata significat*, quo etiam modo definierunt *Petrus Hispanus*, *Conimbricenses* in cap. 4. lib. 1. Perih. quæst. 3. art. 1. & plerique recentes magistri subiungentes pro exemplo illum terminum complexum, *Homo albus*, quem putant simul esse orationem imperfectam; ergo secundum Philosophum, & istos graues anthores, non petit oratio in communi componi nomine, & verbo. *Aristotel.*

Respondeo ex *Arist.* nihil inferri posse contra nos, qui non reprobamus eius definitionem, sed conformiter ad ipsius mentẽ supra nobis à SS. Patribus *August.* & *Isidoro* traditã, illi addidimus nõnulla verba, vt assolent commẽtatores ad dilucidationem authorum, quos interpretãtur; *P. Hispano*, & reliquis ibi in obiectione allegatis, non assentimur in hac parte; primo quia communiter Dialect. vt refert allegatus *Hurtado*, diuidentes orationem in imperfectã, & perfectã exemplificant in his vel similibus orationibus verbo constitutis. *Petrus est albus. si Ioannes veniret.* quarum prior, inquiunt, facit sensum perfectum; posterior imperfectum. Secundo quoniam Grãmatici, quorum est negotium, & otiũ de oratione agendi, nullam admittunt orationẽ sine verbo, & sic his oportet credere in hac parte, licet in contrariũ *Aristoteles* & magni nominis alij Authores inclinarent, tertio denique, vt nos sic discernamus facile orationem omnem etiam imperfectam à termino complexo; id quod veritati congruentius videtur. 318

Obijci-

Obijcitur Secundo, necessarium non videtur discernere orationē imperfectā à termino complexo; ergo vnica est eorum essentia, ac definitio. Probatur antecedens primo, quia discrimen huiusmodi fuit voluntarium; atque multi voluerunt nullum esse inter orationem illam, & illum terminum. Secundo quoniam duorum generum etiam disparatorum, seu non subalternatim positorum, si tamen ea esse contingat sub vno tertio, bene potest esse vna, & eadem, aut similis differentia, vt tradunt nostri magistri, infra à nu. 723. & qualiter est differentia *rationale*, respectu generum *animalis*, *& intellectiui*. tertio quia terminus complexus etiam non constans nomine, & verbo, generat item imperfectum sensum, sicut & oratio imperfecta; non ergo is ab hac distinguendus fuit.

S. August.
S. August.

Respondeo negādo antecedens propter ea, quæ paulo ante dicebā; & ad probationem priorē dico, aut omitto distinctionem factā fuisse iuxta beneplacitū Doctorū; sed vero non omnes in vnum sensū conuenisse mihi persuadent Doctorum posteriorū diffidentes sentētiæ. ad secundum dicendum quod licet id, quod ea probatio contendit possibile sit, quando talia genera sibi non repugnant; vt alibi expediam commodius; non ideo cogimur concedere illud contingere in oratione, & termino de quibus in præsenti. neque enim est fida argumētatio *hoc possibile est, ergo de facto existit*. ad tertiam Respōdeo cōcedendo libenter à termino etiam complexo generari imperfectū sensum, quod non inconueniit esse sibi cōmune cū oratione, quia id non est vltima, athoma, & specifica differētia orationis: sed quędā proprietas, nō quarto modo sibi cōueniens, sed quæ & alijs potuit conuenire, sicuti conuenit albedo calci, & niui, & alijs innumerabilibus rebus vniuersi.

319 Obijcitur tertio hæc oratio imperfecta *si Petrus legeret*, imò & hæc perfecta. *Ioannes est sapiens*, est terminus complexus, ergo terminus complexus, non differt ab vlla oratione. Respondeo distinguendo antecedens, illa vtraque oratio est terminus complexus sub consideratione eadem, qua est oratio; & sic nego antecedens, sub diuersa; & sic concedo antecedens.

Argentum, vel aurum v.g. aliquando est eadem materies fabri ferrarij, & argentarij; sed non propterea consideratur ab vtroque eadem forma in id nobile metallum inducenda; inducet ille, si Deo placet, formam aliquam rudem, & ignobilē clauorum, vel huiusmodi; hic vero formę alicuius vasis pulcherrimi in idem aurum vel argentum; ita in proposito, qui facit orationē vocalē, quærit nomen, & verbum, & nominis & verbi significationē, structurāque attendit; qui autem facit terminum cōplexum, quærit duas, aut plures voces significatiuas, quarū quælibet separata significet, & materialiter putat esse ad suum propositū, quod eæ sint nomen & verbum, sicut faber ille ferrarius ad clauos suos, auri argentiue materiam. secus de argentarij dicendum.

Obijcitur quarto, termino cōplexo neque secundum rationem communem termini, neque secundum suam peculiarē repugnat significare verū, vel falsum; ergo non distinguitur ab oratione perfecta, imò neque à propositione; & multo minus ab oratione imperfecta. antecedens supra sæpe a nobis concessum est, præsertim agentibus de termino in communi, vbi intra gregem terminorum admisimus omnes orationes, & propositiones, quæ fine dubio significant verum, & falsum. 320

Respondetur tamen concesso antecedenti, distinguendo consequens, terminus non distinguitur ab oratione, vel propositione materialiter, seu realiter, concedo consequentiā; non distinguitur formaliter, seu essentialiter nego cōsequentiā; nō quidē repugnat terminum esse integrā orationem, vel propositionem, quia integra oratio, vel propositio solent esse extrema propositionis alterius, sed verò terminus non postulat positiue secundum suam essentiam esse orationem, aut propositionē, sicut neque significare verum, aut falsum, quod vtrumque positiue petunt orationes saltem perfectæ, quæ sunt propositiones, & propterea sin minus semper realiter, & materialiter, semper formaliter & essentialiter discernentur à termino quocumque: atque sæpe supra dictum est orationem imperfectam in eo à termino complexo differre, quod illa positiue petat constare nomine, & verbo, hic vero non item.

SECTIO III.

Determinat quid sit propositio in communi, & quotuplex.

Aristotel. S.Thom. PRopositio, inquit *Aristoteles* lib. 1. Periher. cap. 4. & ibi lect. 7. *S. Thomas*, & in Opusculo 48. tract. de Enunciatione cap. 4. *est oratio, in qua verum, vel falsum est*, siue *verum, vel falsum significans*, vt hæc, *Deus est iustus*. in qua est verum, & hæc, *Deus non est sapiens*, in qua falsum est. sed ea Philosophi, & Thomæ definitio communiter dicitur esse accidentalis, & descriptiua, & ideo placuit magis definitio *Damasceni* in cap. 64. suæ Logicæ, ita definientis, & quidem conformiter ad Aristotelem in eodē c. 4. allegato, S. Thomā. lect. 8. & lib. 1. Prior. cap. 1. *propositio est oratio enuncians aliquid de aliquo*, vt hęc *Petrus est bonus*, in qua bonitas enunciatur de Petro. essentialis est ea definitio; quoniam constat genere, & differentia, loco generis ponitur quod sit *oratio*, per quod conuenit cum supra enumeratis orationibus, quæ propositiones non sunt; reliquæ particulæ nempe *enuncians aliquid de aliquo*, positæ sunt loco differentiæ, per quas differt propositio à reliquis omnibus rebus, his cōsonā: Recē tiores. *Arriaga* hic, & cum alijs *P. Stengelius* lib. de syllog. cap. 3. §. 11. & cum *Aristotele* 1. Post cap. 2.

321 Propositionem in communi diuidit ibidem *Aristoteles* & *S. Thomas* cap. 8. in *affirmatiuam*, & *negatiuam*; siue in affirmationem, & negationem, illa est, inquit, *enunciatio alicuius de aliquo*. hæc vero *enunciatio alicuius ab aliquo*, siue vt clarius illustrem verba Philosophi; propositio affirmatiua est quæ affirmat aliquid de aliquo, eique conuenire. negatiua autem quæ negat aliquid alicui conuenire, siue, vt ait *S. Thomas*, ibi in lect. 8. affirmatiua est, per modum compositionis; negatiua per modum diuisionis. exempla prioris sunt hæc, *Petrus est homo. homo est animal.* posterioris illa. *Ioannes non est equus, Franciscus non est homo*, atque idem Aristotel. S.Thom. *Aristoteles* cap. 1. & ibi, & vbique *S. Thomas*. appellauerat propositionem affirmatiuam *compositionem*; negatiuam vero *diuisionem*. cur vero ita dicantur dicam infra n. 1136.

Secundo diuidit propositionem veram, & falsam; vera propositio est, quæ enunciat significando rem esse, vt est, vel non esse, vt non est. vt *Deus est trinus, & vnus.* falsa propositio est, quæ non enunciat, neque significat rem, vt est, vt *dæmon est bonus*. quoniam *ex eo quod res est*, ait *Aristoteles* cap. 2. de Priori in Logica, *aut non est, vera oratio, aut falsa dicitur*. Aristotel. hinc sumunt Dialectici quando docent generaliter propositionem veram esse, quæ conformatur cum suo obiecto; & falsam, quæ cum eo non conformatur, modo eiusmodi propositio sit mentalis, de qua infra, modo vocalis, de qua sola in præsenti tractamus. meminit quoque huius diuisionis *S. Thom.* in suo Opusculo 48. cap. 4.

Tertio diuidit *Aristoteles* in eodem c. 4. S.Thom. Aristotel. S.Thom. & *S. Thom.* cap. 6. propositionem in *simplicem*, & *compositam*, quas communiter vocant *Categoricā*, & *Hypotheticam*. simplex seu categorica est, quæ componitur ex vno subiecto, & vno prædicato, copula, quæ semper verbum est, vnitis; siue in qua vna res sola, aut plures per modum vnius de vna aut pluribus rebus enunciātur, vti sunt illę. *Vrbanus est Vicarius Christi Domini. Petrus, & Paulus sunt Apostoli.* dicitur etiam categorica propositio esse quæcumque contineat veritatem vnam, aut falsitatem vnam, vnam affirmationem, vel negationem vnam.

Propositio autem composita, seu hypothetica est congeries duarum, aut plurium orationum, seu propositionum simplicium vnitarum aliqua ex his particulis aduerbialibus, *&. vel. si. quia.* & consimilibus, vt hæc *Petrus currit, & Ioannes sedet. Paulus docet, vel Iacobus loquitur. si sol lucet, dies est. quia est homo, est animal.* 322 vnde titulo duplici dicitur propositio hypothetica; primo, quia sit conflata, & composita ex duplici categorica, vt hæc. *homo est albus, & coruus est niger.* vel etiā, quia in ea affirmetur aliquid illatum ex alio præsupposito significato ab aliqua imperfecta oratione, vt si dicas. *si sol lucet, dies est*, aut, *si est homo, est rationalis*, & propterea dici solet à disputantibus veras esse, & necessarias eiusmodi propositiones ex *hypothesi*, quod verum sit illud, quod supponitur, vt antecedens, ex quo veritates deducuntur: itaque propositio hypothetica dici poterit tam ea, quæ constat atque componitur ex multis categoricis, quam

quam illa, quæ enunciat aliquid illatum ex hypothesi, vt explicatius tradetur inferius, à num. 408. videatur si placet *S. Aug.* tom. 1. de Principijs Dialecticæ, cap. 4. vbi verbis inusitatis, hoc tempore, tradidit istam diuisionem.

S. August.

Omissa ergo pro nunc propositione hypothetica, pro plenaria notitia Categoricæ notandum est primo, in eiusmodi propositionibus reperiri aliquando insertam copulam, quam dicunt implicationis, quia adhæresit subiecto, vel prædicato ad ea magis explicanda, cuius copulæ præsentiæ indicium est relatiuum *quis*, vel *qui*, vt quando dicitur *Ignatius, qui fundator est Societatis Iesu, est prudens. Petrus est homo doctus qui modo loquitur.* quæ *copula implicationis* siue, vt melius eam compellem, *explicationis*, non facit propositiones de se alioqui simplices, hypotheticas, sed illas relinquit categoricas, vt probatur infra num. 328.

323 Notandum est secundo, non raro in propositionibus categoricis latitare inclusum prædicatum in suis verbis adiectiuis, imo semper, latere nos docuit *S. Thomas* lib. 1. Periher. lect. 5. & vbi referetur infra, verba adiectiua voco omnia præter *sum, es, fui*, quod solum est verbum substantiuum, atque ipsum *sum, es, fui*, quando est terminus mixtus, iuxta dicta dis. 1. q. 2. sect. 7. vt si dicas *Petrus legit*, valet idem, quod, *Petrus est legens*. *Paulus est*, idest *Paulus est ens, aut existens*; & sic de reliquis dicendum, addit *S. August.* tom. 1. de Principijs Dialecticæ cap. 1. in verbis omnibus primæ personæ semper subintelligi subiecta, siue personas agentes, vt quando dicitur, *scribo, loquor*, idest ego scribo, ego loquor, atque id ipsum contingere in verbis tertiæ personæ, quando ita iam inter loquentes quasi statutum est, vt in illis *ningit, pluit, grandinat*, & similibus, ibi enim subintelligitur Deus, natura, vel Cælum aut nubes.

S. Thom.

S. August.

Vnde infertur hoc vnicum verbum *loquor*, esse integram propositionem constantem subiecto, copula verbali, & prædicato, nam *S. Augustinus* supplet subiectum *ego*. *S. Thomas* prædicatum *loquens*, *Arist.* docuit nos in simili ita resoluere, *ego sum loquens*, nam lib. 5. Metaph. inquit, *nihil differt, homo conualescens est, aut homo conualescit, verbum enim*, ait *S. Tho.* hunc textum interpretando lect. sua 9. *quodlibet resoluitur in hoc verbum est, & participium, nihil enim differt dicere homo conualescens est, & homo conualescit, & sic de alijs dicendum.*

S. August. *S. Thom.* *Aristotel.*

Notandum est tertio ex *Aristotele* 2. Periher. cap. 1. & *S. Thoma* ibi lect. 2. circa modum loquendi de propositionibus, quarum extrema expressè vniuntur verbo substantiuo *sum, es, fui*, eam propositionem, quæ habuerit prædicatum expressum, vocari communiter *de tertio adiacenti*, vt hæc *homo est iustus*, illam verò, quæ non expresserit prædicatum, dici de *secundo adiacenti*, vt *Petrus est*. quod ideo dici consueuit, quia prior propositio vocula tertia terminatur; posterior autem voce secunda; vt ante me aduertit cum *Aristotele* *S. Thomas* lib. 2. Periber. lect. illa 2.

Aristotel. *S. Thom.*

Aristotel. *S. Thom.*

Notandum fuit quarto in generali eas omnes propositiones esse simplices, seu Categoricas, in quibus simplex aliqua, & vna veritas enuncietur, aut falsitas; vnde Categoricæ sunt propositiones, quæ dicuntur de *Copulato extremo*, vti sunt illæ, quæ ex parte subiecti, vel prædicati, aut ex parte vtriusque, habent duos aut plures terminos vnitos aliqua particula copulatiua, vt hæc *Franciscus Pauper, & humilis est Deo gratus, & amabilis hominibus*: quæ vero constiterit terminis vnitis aliqua particula disiunctiua, dici poterit propositio Categorica *de disiuncto extremo*; vt hæc *Petrus, vel Ioannes est doctus, vel indoctus.* 324

Propter eandem rationem sunt propositiones Categoricæ illæ, quas vocant de Conditionato extremo, quia, scilicet, vnum quidpiam supposita, aut comitanti aliqua circumstantia enunciant; vt hæ, *si ires Romam, videres Papam Vrbanum, si te vocarem, tu responderes. si Petrus dormiret, Turca vigilaret, quando ego studeo, tu deambulas in foro.* quamuis enim istæ, & similes enunciationes sono verborum, & quo ad apparentiam videantur hypotheticæ, re vera non sunt, propterea quod ex illa circumstantia, aut conditione præsupposita non sequitur, quod post modum affirmatur; id, quod omnino requiritur ad rationem propositionis hypotheticæ, cuius veritas necessario pendet ex conditione, seu hypothesi, vt inferius declaro fusius. quare si attente consideres propositiones in

in exemplum adductas, manifeste comperies ex cōditione nullo modo inferri, quod stante illa conditione affirmatur, & ideo earum sensus est contingere illa, quæ ibi affirmantur fore aut fieri simul, nēpe simul futuram vigiliam Turcæ cum somno Petri; & ita modo suo de reliquis dicendum.

Quartò diuiditur propositio in materialem, & formalem, de quibus satis dictum fuit supra Disp.hac 2.Quæst.1.Sect.3.&5.
325 Quinto diuiditur in modalem, vt est quæcumque enuncians cum modo, vt *Petrus necessariè currit*, & in absolutam, ac de inesse, vt est quæ aliquid enunciat simpliciter, & sine modo, vt *Ioannes loquitur*, vel *qua est de simplici inhærentia prædicati ad subiectum*, vt *homo est animal*, vti dixit *S.Thom. in sua Logica tract. de enunciatione* cap.7. Sexto diuiditur in propositionem necessariam, impossibilem, & contingentem: propositio necessaria est, quæ semper est vera, & nunquam potest esse falsa, vt *Deus est bonus*. impossibilis est, quæ semper est falsa, vt *Deus est iniustus*. contingens verò, quæ potest esse vera, aut falsa vt *Petrus sedet*. Denique alia propositio est verbi de præsenti alia de futuro, alia de præterito. sed istæ duæ semper habent respectum ad tempus præsens, quatenus, ait ex Philosopho *S.Thom.* 2. Periher. lect.1. *hoc erit, idem est ac si diceretur, hoc est futurum, hoc fuit, hoc est præteritum*. aliter declarant Recentiores illum respectum, docentes propositiones de præterito, vel de futuro veras esse, aut falsas cum dependentia à tempore præsenti, in quo fiat, vel non fiat, quod per eas enunciatur fuisse, aut futurum esse. Vnde, dicunt, hæ, *Petrus cucurrit Petrus curreret* sunt veræ, quia aliquando fuit vera, aut erit hæc, *Petrus currit*. sed an hæc declaratio sit semper vera, Leges infra num.353.lege item *Aristotel.* & *S. Thomam* illic & 1.Periher. lect.13.& 2. Top.cap.2. loco 20. de præfatis enunciationis diuisionibus.

S.Thom.

Aristotel. S.Thom.

SECTIO IV.

Respondet obiectis cōtra statuta circa propositionem in communi.

PRo definitione prima Philosophi obijcis primo, definitio essentialis est quę traditur per partes essentiales, sic traditur definitio illa, *Propositio est quæ significat verum, vel falsum*, ergo essentialis, & non accidentalis est. Maior est certa, probas minorem, quia ea definitio traditur per significationem terminorum, quam ipsis esse quasi intrinsecam, & essentialem sæpe docuimus, præsertim in Præfatione nu.119.

Respondeo concessa maiori negando minorem; ad cuius probationem dicendū, esse quidem de terminorum tam simplicium, quam complexorum essentia significationem, sed non significationem veri, aut falsi, sed rei, quam significando instrumentaliter affirmant alicui conuenire, aut non conuenire, quod est enunciare aliquid de aliquo, atque eiusmodi instrumentalem enunciationem significantem, siue significationem instrumentaliter enunciatiuam defendimus esse magis intrinsecā, & quasi essentialem vocibus complexis propositionem componentibus, non vero significationem veri, aut falsi, quæ forsan vel est omnino extrinseca propositionibus, vel si est quodammodo intrinseca, ad summum erit proprietas earum, & non essentia, recolantur, quæ dixi superius num.112. & 119. in Præfatione.

Obijcis secūdo, propositio hypothetica non enunciat aliquid de aliquo, vt nimirū hypothetica est; ergo nō est bona definitio propositionis in cōmuni, siquidē non quadrat suis definitis, antecedens manifestum fit exemplis, etenim hæc propositio, *Petrus currit, & Ioannes loquitur*, non prædicat, siue enūciat secundā categoricā de prima. deinde hæc, *si sol lucet, dies est*. similiter non affirmat diem esse, conuenire soli lucenti; ergo intentum. 326

Respondent primo Recentiores negādo antecedens, & ad eius probationē dicūt sat esse ad hoc, vt propositio hypothetica enūciatiua dicatur, quod instrumētaliter quasi affirmet, & in actu exercito quasi enunciet veritatem vnam iungi cum altera, & esse simul, ita attribuendo vni coniunctionē alterius cum ipsa, vel illationem ab ipsa, vt merito illi possis respondere mentiris, vel verū dicis, & ideo addunt ambas illas propositiones categoricas, quibus constat hypotheticorastiri rationem terminorum per modum subiecti, & prædicati, vt videlicet sunt partes, & extrema propositionis hypotheticę, ita quod sensus illius propositionis *Petrus currit, & Ioannes loquitur*, sit, in veritate iunguntur hæc duo, & simul vera sunt, siue Ioānis loquutio iungitur cum Pe-

Petri curſu, & contra: ac dies annectitur ſimiliter ſoli lucēti, dicitur eſſe ſenſus alterius illius propoſitionis ſupra poſitæ. quę reſpōſio excogitata videtur a doctis viris, tum propter *S. Damaſ.* affirmantē in c.63. & 64. ſuæ Dialecticæ, propoſitionem eſſe enunciatiuam alicuius de aliquo, & quamcumque conſtare terminis, tum etiā vt defendant, ac declarent hypotheticā, vt talē enunciatiuam eſſe, & conſtare terminis, quæ ſint inſtar ſubiecti, & prædicati.

Ego vero ſaluo meliori iudicio, relinguēdo in ſua probabilitate iſtud primū reſpōſū; Reſponderē ſecundo, ōformiter ad *S. Thom.* 1. Perih. lect. 1. poſt mediū, negādo antecedens, quoniā de eſſentia propoſitionis hypotheticæ quatenus talis, eſt enūciare ſaltē duo vnita particula, &, aut *vel.* & ſimilibus, vel enunciare vnū illatū ex hypotheſi. quare hæc propoſitio, *Petrus currit, & Ioannes loquitur,* quatenus eſt hypothetica, poſtulat enunciare nō ſolū Petrū currere, ſeu illi cōuenire curſū, quod ſat erat ad categoricā vt talē, ſed etiā, & Petrū currere & Ioannē loqui, nēpe ea duo enūciare: ruſus ſimiliter iſta propoſitio *ſi ſol lucet, dies eſt,* in quantū eſt hypothetica, petit enunciare diem eſſe, ac inferri ex ſole lucente.

S.Thom.

327 Et quidē hoc, quod dico per ſe poſtulari à propoſitionibus his hypotheticis, ſatis ſuperque eſſe, nō ſolū, vt enunciatiuæ dicātur & ſint, verū, vt à categoricis diſtinguātur, manifeſtū fit cōſiderāti duos actus intellectus, quorū alter cognoſceret duas animas rationales aliquo ſupernaturali nexu vnitas, vel aliquo vbi ſimul fixas; & alter cognoſceret ſolā vnā ex eis nullo cognito nexu, neque vbi; qui actus ſine dubio ſpecie differēt: ita in propoſito: hæc propoſitio *Petrus currit,* & *Ioannes loquitur,* quia poſitiue & per ſe petit componi ea duplici parte vnita illo nexu *&*, quæ iuxta dicēda infra q.3 ſect.1. fine, eſt forma propoſitionis copulatiuæ, ſpecie differt ab illa, *Petrus currit,* & ab alia quauis categorica, quæ ſola vnica enunciatione, & vno nexu verbali cōtenta eſt. ex quo vlterius fit propoſitionē hypotheticā terminis quidē cōſtare & extremis, quæ ſunt duæ orationes integræ, ſed vero non eſſe ad inſtar ſubiecti, & prædicati, niſi nimis largo modo, legantur quæ dicta fuerunt ſupra nu. 278.

Obijcies tertio. hęc eſt propoſitio categorica, *Petrus eſt animal, eſt propoſitio;* & tamen eius ſubiectum eſt integra propoſitio; ergo etiam propoſitio categorica componi poteſt multis categoricis, & conſequenter id non erit proprium ſolius hypotheticæ. Reſpondeo illam integram propoſitionem, quæ eſt ex parte ſubiecti ſumi materialiter, & eſſe ibi inſtar vnius ſimplicis ſubiecti, de quo vnum ſolum prędicatum enunciatione vnica prædicetur; & ideo præfatam propoſitionem & ſimiles eſſe categoricas.

Obijcies quarto contra doctrinam ſectionis præcedentis contentam in §. *omiſſa ergo.* hæc propoſitio, *Petrus qui diſputat, eſt doctus,* videtur hypothetica, & tamen nullam habet copulam aduerbialem, ſed verbales duas; ergo copulæ aduerbiales, quales dicuntur eſſe *&*, *vel*, ac ſimiles nō faciunt propoſitiones hypotheticas, ſed ſenſus earum, & ſignificatio verborum, ſeu terminorum, quibus conſtant.

Reſpondeo primo eam propoſitionem, & ſimiles eſſe hypotheticas, quoniam formaliter ſunt & expreſſe enunciationes duæ 328
duarum veritatum aut falſitatum, & modo hypothetico, quia in prædicta propoſitione non ſolum affirmatur quod Petrus ſit doctus, ſed etiā quod idē diſputet, quē vtrūque ſenſū habet ea propoſitio, nō æquiualenter tantū, & eminēter, ſed & formaliter & expreſſe: quare inibi ſubintelligitur copula aduerbialis *&*, ita vt illa huic ęquipolleat, *Petrus diſputat, & eſt doctus,* ſi vero, id quod frequētius cōtingit, illa propoſitio *qui diſputat*, ſit copula implicationis, ſeu declaratoria diſputantis, & non affirmetur, ſed quaſi ſupponatur ex intentione proferentis, illa prior propoſitio erit categorica, & ſimili modo de alijs ſimilibus philoſophandum eſt.

Obijcis quinto, hæc propoſitio *Antonius eſt iuſtus,* & *ſapiens*, æquiualet huic hypotheticę *Antonius eſt iuſtus, & idē eſt ſapiens,* ergo & illa prior erit hypothetica, quātumuis cōſtet vno ſubiecto, & vna copula verbali, & vnico prædicato, licet complexo. Reſpondeo, & omitto ęquiualentiā, ſed nego conſequentiā, quia æquiualentia in ſenſu, & ſignificato non ſufficit ad hoc, quod illa prior propoſitio ſit, & dicatur hypothetica, quando diuerſus eſt modus ſignificandi, & voces afferendi, modus autē diuerſus in præſenti eſt, quod priores illæ voces ſignificent, & afferantur vnitę copu-

la

la verbali tanquam principali, quæ vt forma sẽper facit propositiones categoricas, sicut & vnicam enunciationem; posteriores vero significant & afferuntur veitæ copula aduerbiali, & tanquam principali, & vt forma connectente enunciationes plures, quæ sic semper facit propositiones hypotheticas, & propter eandem rationem hæc propositio *omnis homo currit*, seu hæc *omnes homines currunt*, non est hypothetica, licet æquiualeat infinitis Categoricis,
329 & hypotheticis, vti etiam dicebam supra in Disp. 1. q. 2. Sect. 11. §. *atque ob.*

Vltimo obijcies, istæ sunt propositiones Categoricæ, *Deus amat iustos. pallium est Petri*, & tamen carent ambæ prædicato. ergo non est de ratione Categoricæ constare subiecto, copula verbali, & prædicato: minor probatur, quia, *iustos*, & *Petri* nequeunt esse prædicata, quia sunt casus obliqui, quos reiecimus à ratione termini supra num. 276.

Respondeo concessa maiori, negando minorem; nam prædicatum illius propositionis est amor Dei erga iustos ibi in verbo amat latitans; & similiter prædicatum alterius propositionis est ens possessum a Petro, ita vt illæ enunciationes his omnino, & formaliter æquipolleant, *Deus est amans iustos. Pallium est ens Petri.* Aristotel. S.Thoma. iuxta doctrinam superius traditam ab *Aristotele*, & S.*Thoma*; termini autem illi, *iustos*, & *Petri* cum prædicato quasi componunt vnum quidpiam, quia eius sunt veluti complementum, vt num. 276. adnotaui. quo autem pacto casus nominum sint termini, aut non, videri potest vbi modo me citabam.

QVÆSTIO III.
De varijs proprietatibus categoricæ propositionis absolutæ, quæ dicitur de inesse.

Propositio categorica absoluta de inesse, de qua in præsenti tractamus, remittentes alio aliarum tractationem, *est*, vt supra dictum est, *oratio enuncians aliquid de alio nude ac sine circumstantijs, aut modis*, vt hæc *Petrus est animal*, vel, vt ait *S. Thomas* opusc. 48. tract. de enunciatione cap. 7. *quæ est de simplici inhærentia prædicati ad subiectum, vt homo est animal.* legatur *Aristoteles* lib. 1. Periher c. 1. & ibi *S.Tho.* sed potissimum lib. 1. lect. 13. Aristotel. S.Thom.

SECTIO I.
Expendit quæ sit materia propositionis categoricæ absolutæ, & quotuplex; & quæ sit forma cuiusuis propositionis.

Materia propositionis cuiuscumque sunt res significatæ per terminos, 330
quibus propositio componitur, v.g. materia huius propositionis, *Petrus est sapiens*, est Petrus ipse, & eius sapientia taliter illi conueniens. quæ significata propterea dicuntur materia propositionum, quia hæ circa illa versantur tamquam circa propriã materiam, & obiectum: quoniam vero res significatæ per terminos se habent inter se tripliciter, tres materiæ communiter distinguitur ex Philosopho, & *S.Thom.* 1. Perih. lect. 13. in quibus propositiones esse dicuntur: nempe materia *naturalis*, vel necessaria, *contingens*, vel accidentalis, *remota*, vel impossibilis. S.Thom. Aristotel.

Ergo illæ propositiones sunt in materia naturali, quarum prædicata ita se habent cum subiectis, vt sint de eorum essentia, vel identitate, aut realitate, propriæ passiones, vel pertinentes ad ipsorum connaturalem statum, & integritatem, vt hæ. *Petrus est homo. Petrus est risibilis. homo constat manibus, & pedibus. Ioannes habet dentes, capillos, tres potentias, & quinque sensus. materia prima habet formas. hæc materia prima cũ his dispositionibus recipit hanc formã*, & similes, quæ sunt necessariæ metaphysica necessitate, aut physica.

Illæ vero propositiones sunt in materia contingenti, quarum prædicata contingenter siue accidentaliter conueniant subiectis, vt hæ *Paulus currit. Ioannes est niger. Antonius est in hoc loco.* denique in materia remota sunt illæ omnes propositiones, quarum prædicata repugnant subiectis, vt *Ioannes est scabellum. Petrus est lapis. Deus est iniustus*, & huiusmodi impossibiles aliæ enunciationes.

Ad materiam propositionum plenè dignoscendam ferè semper solum attenditur ad connexionem, aut non connexionem prædicati cum subiecto nude sumpto, nam materiæ nec proficit, neque officit quod

Pro-

propositio sit affirmatiua, aut negatiua, vniuersalis, vel particularis; neque quod subiectum propositionis alioqui sit res cōtingens, & quod absolute potuerit non esse, obest materiæ necessariæ. æquo item spectare videtur illud *Arist.* & *S. Thom.* lect. 1. Periher. cap. 6. ibi *in re nihil mutatur propter nostrum affirmare, vel negare*. ideo hæ propositiones sunt in materia naturali, siue necessaria, *homo est animal. homo non est rationalis. omnis homo est animal aliquis homo non est animal. sol lucet. ignis calefacit. Christus est omnipotens Deus.*

Aristotel. S. Thom.

331 Quod si aliquando ratione signorum ita varietur suppositio terminorum propositionis, vt absolute non maneant eadem subiecta, & prædicata, sed omnino alia, variari; materiam necessum erit, vt apparet in his propositionibus *omne animal est homo. animal est homo.* quarum prior est in materia remota ratione illius signi *omne*, quod quodammodo immutat distribuendo *animal*; posterior autem est in materia naturali, vt dicam inferius.

Forma demum propositionum est earū vnio, idest vnio prædicati ad subiectum, vel partium illarum, ideo per huiusmodi vnionis diuersificantur propositiones, vt patet in illis *Petrus est sapiens. rana coaxat, & Melampos latrat*, quæ vel ex eo differunt, quia forma prioris est verbum *est*, posterioris coniunctio illa *&*. vide supra num. 228.

SECTIO II.

Colligit ex doctrina recepta Sectionis præcedentis esse in materia contingenti solemnem illam propositionem, Deus est homo.

DOctor Franciscus *Suarez.* tom. 1. in 3. p. q. 16. in commentario, putauit cum alijs multis, hanc propositionem *Deus est homo*, esse in materia contingenti. ratio vero est; quia illa propositio est in materia contingenti, cuius prædicatum non necessario, sed pro libito alicuius, & contingenter conuenit subiecto; sed esse hominem conuenit Deo pro mero eius beneplacito, & contingenter; ergo ea propositio est in materia contingenti.

S. Thom.

Sed contrarius videtur esse *S. Thomas*, 3. p. q 16. art 1. ad 1. dicens *hæc propositio, Deus est homo, non est usque in materia remota, neque in materia contingenti, sed in materia naturali*. Respondeo tamen ex *Caietano* ibi nomine *Deus* intellexisse S. Doctorem *Iesum* vel *Christum* (quod quidem quandoque fieri poterit, sed nec sæpe; neque ab omnibus) quasi dixisset Angelicus Doctor, hæc propositio *Iesus*, vel *Christus est homo*, est in materia naturali, quod est verissimum, & apud omnes receptum: ex quo fit *S. Thomam* & *P. Suarez* inter se, semper, & cum veritate esse conformes.

Verum tamen in difficultate præsenti adhuc video controuersiam inter discipulos nouiores *S. Thomæ*, qui sunt ex familijs Dominicana, & Societatis Iesu, partim esse de nomine, partim de re: de nomine quidem est, quoniam alij opinantur nomen *Deus* ex vsu Doctorum postquam *Deus, seu verbum caro factum est & habitauit in nobis*, significare indifferēter, & æque bene Christum, siue Iesum, ac Deum, idque suadere conantur, quia ita id nomen accepisse, & ita voluisse videtur vbi supra Thomas vterque. 332

Ex Iesuitis vero plerique existimarunt vocem *Deus* solum significare Deitatem, siue indiuiduum Deitatis, neque restringi posse ab incarnatione, neque à prædicato ad significādum Iesum, seu Christum, nisi aliud persuadeant antecedentia, & consequentia, aut peculiaris acceptio & intentio loquentis. vt nos docuit *Augustinus* supra nu. 245. vnde ea propositio *Deus est homo* nequit esse in eadem materia naturali, in qua est hæc, *Deus est trinus & vnus*, sed in materia contingenti, quia facit hunc sensum *diuina natura vnita est natura humana*, quæ vnitio omnino misericorditer, & contingenter, & gratuita Dei voluntate facta est, vt tradit *S. Thomas* 3. p. q. 2. a. 10. corpore.

S. August.

S. Thom.

Quod si S. Doctor aliquando nomine *Deus*, intellexit non Deitatem puram; quod est proprium eius significatum, non solum antiquitus, sed & in præsenti; sed naturam humanam suppositatam à verbo, idest Deum hominē, siue Iesum Christum, id raro fecit magistrali licentia, sibi solum debita, neque in eo nos eum oportet imitari, donec nobis sit notorium ex communi hominum, ad quos negotium pertineat, imposi-

impositione, & vsu, nomina *Deus* & *Iesus Christus* esse synonyma, vt sunt gladius, & ensis, & eorum alterutro congruenter significari Deum hominem.

333 De re autem habet item nonnihil ista controuersia; etenim nonnulli viri docti non bene confundunt duo, & non vere credunt esse idem illud, nempe, *inesse aliquid alicui vt prædicatū necessarium, aut connaturale; & facere aliquid cum aliquo vnum tertium per se substantiale compositum aliquo nexu intercedente*: ac proinde quando vident fieri vnum substantiale per se compositum ex Deo, & natura humana, illico opinantur propositionem hanc, *Deus est homo*, esse in materia naturali, & necessaria; qui tamen manifeste falluntur, quoniam aliud est fieri ex duobus vnum per se substantiale compositum, aliud longe diuersum vnum alteri necessario inesse, & conuenire; ad illud enim constituendum solum sufficit, & requiritur quod illa duo sint vnibilia, & *eiusdem prædicamenti*, neque postulatur amplius: & ideo factū est vnū per se substātiale ex Deo & nostra humanitate siue natura, quia ambo vnibilia sunt, & ambo sunt de prædicamento substantiæ, & hæc est mens *S. Thom.* 3.p.q.2.a.6. vbi solū prætendit ex verbo Dei, & natura humana vnitis resultasse vnum per se, non vnum per accidens.

S.Thom. de Po. q. 2. a.2.ad.1.

S.Thom.

Ad hoc autem vt vnum alteri necessario, & naturaliter insit, atque conueniat, itaut propositio id enuncians sit in materia naturali, exigitur omnino quod illud vnum, seu illud prædicatū sit de essentia, vel proprietas, vel cōplemētū, vel alio modo pertinēs ad cōnaturalē statū subiecti; & quoniā natura humana nullo ex his modis est quidpiā debitū Deo, ideo eidē contigenter inest ac conuenit, quantumuis faciat cum Deo vnum per se; & sic propositio asserens id, quod re vera est, est in materia contingenti, nempe illa, *Deus, est homo*. & ex alia parte licet contingat fieri vnum per accidens è duobus, quia tamen vnum alteri connaturale est ac debitum, propositiones id enunciantes sunt materiæ necessariæ, & naturalis, vt hæ, *Petrus habet intellectum, & voluntatem. Ioannes habet oculos, & reliquos sensus. materia prima habet quantitatem*, & aliæ innumerabiles, quorum significata sunt entia per accidens, idest conflata ex entibus diuersorum prædicamentorū, quæ tamen propter dicta sunt in materia naturali, non obstante, quod enuncient entia non per se, sed per accidens.

Firmiter autem confitemur necessario consequi ex eo, quod Deus incarnatus fuerit, & ex natura diuina & humana factum sit illud admirandum compositum per se substantiale, esse in materia naturali eas omnes propositiones, quæ similes veritates enuncient, vt hæ, *verbum caro factum est homo, ac Deus. Iesus Christus est vnum per se substantiale compositum. Christus est persona constans, siue composita ex duplici natura diuina scilicet & humana*; & illa quam adducit *Vasquez* legendus 3.p.d.68.art.c.ap.1.præsertim num.8. *Deus humanatus est homo*. & similes, quæ omnes quidpiā omnino necessariū prędicāt de subiecto; nō vero hanc, *Deus est homo*, quoniā hoc prędicatum libere & contingenter aduenit & inest Deo & ideo propositio ea est materiæ contingentis, licet aliunde sit certa secundum fidem. 334

An vero largissimo aliquo modo dici potuerit humanitati inesse nempe materie primæ, vnioni cretæ, & animæ rationali, quæ à verbo fuerunt assumptæ, aliquam quasi connexionē, aut quasi respectū, appetitū, aut potentiā transcendentalē, quam vocant vnibilitatē, aut capacitatē, seu aptitudinē obedentialem respectu verbi, & in ordine ad verbi personalitatem, cū qua immediate vnita est, nō est negotij huius, sed Theologorū, ipsi id examinēt, & dicant nobis si propterea in aliquo sensu ea propositio *Deus est homo*, sit in materia naturali: interim examinemus nos quid de illa inuersa propositione *homo est Deus*, dicendum supra relictum fuerit.

SECTIO III.

Diluendo opposita contra materiam contingentem assertam illius propositionis, Deus est homo, *declarat esse in materia naturali illas*; homo est Deus. Petrus albus est homo, *& similes*.

Qvamuis ex doctrina præcedenti præcludatur aditus multis argumentis, adhuc opponetur primo sic, *talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse à suis prædicatis*, ergo subiectū illius propositionis, *Deus*

Deus est homo, stat ibi pro Deo homine, siue pro Iesu Christo, & nõ pro puro Deo, quia sic restringit, sic permittit, & quasi intelligi vult illud prædicatum *homo*, ergo ea propositio est in materia naturali.

135 Respondeo axioma verum esse quando propositionis subiectũ est terminus æquiuocus, & de propositionis sensu determinato, ac vero non potest constare, nisi subiectum à prædicato restringatur; sed quia in præsenti vera est illa propositio, & nobis constat de ipsius determinato, ac vero sensu, propter determinatã significationem subiecti nempe *Deus*, qui non est terminus æquiuocus, sed significat modo, vt olim significauit, necesse non est, vt tam violenter, & inusitato modo extrahatur à propria ac pristina significatione, vt stet pro Christo Iesu; & quidem conseruandã esse antiquam significationem vocis huius *Deus*, & cæterarum sapienter aduertit *P. Vasquez* 1.p.t.2.d.155.c.1.nu.3.

Præterquamquod si axioma illud, quod est quorumdam Recentiorum fundamentũ ad contuendum oppositam nostræ opinionem, esset firmum, pronunciari possent sine vllo scrupulo hæ propositiones, *Christus est seruus, vel subiectus Patri, aut minor Patre Christus est creatura*, quas *S. Thom.* in 3.p.q.16.a.8.c.& q.20.a.1.ad 1.& 2.admonet nõ vsurpare sine additamento hoc, *Christus secundum naturam humanam est seruus, subiectus, & minor, & creatura*, quia, inquit ex *S. Hieronymo cum Hæreticis nec nomina debemus habere cõmunia*; imò vero istæ propositiones hæresim expressius sapientes absolute possent afferri, *Deus est seruus. Deus est creatura. verbum est minus Patre*, quia, si Deo placet, dicet quispiam, postquam Deus factus est homo, auditis illis propositionibus dabitur intelligi, quod *Deus* & *verbum* stent ibi, & supponantur pro Christo, si tanta vis conceditur prædicato ad ita restringendum subiectum post incarnationem.

S.Thom.

Sane olim mihi hæc obijcienti non videtur satisfactum: fatendum ergo est illam propositionem, *Deus est homo*, esse in materia contingenti siquidem ibidem *Deus* pro puro Deo semper supponitur secundũ primæuam suam significationem, adhuc perseuerantem, & perseueraturam, donec Ecclesiæ, aut Theologorum communissimus vsus aliud persuaserit.

OpPones secundo. *Omnis vera propositio fundatur in identitate prædicati, cum subiecto*, sed hæc propositio, *Deus est homo*, est vera, ac de fide, ergo eius prædicatũ identificatur cum subiecto; ergo necessariũ est, quod ibi Deus stet pro Christo, vt scilicet propositio vera sit, ex quo viterius fiet quod sit in materia naturali. 136

Antequam respondeam in forma, explico axioma, quod ita debet verificari, vt semper in quacumque vera propositione prædicatum idem sit cum subiecto saltem secundum aliquid sui, nam prædicatum duo solet afferre, nempe habens, & rem habitam, seu formam; & aliquando idem est prædicatum cum subiecto ratione habentis, vt contingit in omnibus propositionibus accidentalibus, & cõtingentibus; & aliquando idem est cum illo non tantũ ratione habentis, sed ratione formæ habitæ, vt sæpe contingit in propositionibus naturalibus, seu necessarijs, exempla rem illustrent. *Petrus est albus*, ita resoluitur *Petrus est habens albedinem*, ecce pars prædicati nempe habens idem est cum Petro subiecto. *Petrus est homo*, idest *Petrus est habens humanitatem* ecce habens, & humanitas identificantur cum Petro. & hoc solum indicat, & vult antiquum illud prouerbium.

Ad hoc ergo vt propositio sit in materia naturali, non satis est quod prædicatum ratione habentis identificetur cũ subiecto, vt manifestum est, sed vlterius requiritur quod vel forma, vel habẽs simul cum forma identificetur cum eodem subiecto; & quoniam humanitas nullo modo identificari potest cũ Deo, neque esse Dei proprietas, aut cõplementum connaturale, idcirco illa propositio, *Deus est homo*, remanet in materia contigenti, quantũuis pars prædicati prior, nempe habens, seu sustentans humanitatem, quod est suppositum diuinum, identificetur cum subiecto, quia einsmodi identificatio sola non extrahit propositiones à materia contingenti: quæ omnis doctrina illustratur sic resoluendo eam propositionem, *Deus est habens humanitatem, seu sustentans ipsam*, sustentat autem eam valde libere & contingenter & per vnionem, assumptionemue valde gratiosam.

137 Ex prædicta axiomatis vera intelligentia colligimus, primo, illam aliam propositio-

sitio-

tionem inuerso modo cōpositam nempe, *homo est Deus*, esse in materia naturali, & à fortiori illam *filius hominis est Deus*, seu *est habens Deitatem* vbi, vt nemo non videt, prædicatum totum, ideft tam habens, quam forma, aut quasi forma habita identificatur cum subiecto, quod est verbum Dei incarnatum, pro quo stat ibi *homo*, qui terminus quasi æquiuocus factus est post incarnationem, & sic necessario venit restringendus prædicato: præterquamquod ex intentione proferentis talem propositionem, liquet sermonem esse non de Petro, aut Paulo, sed de Christo Domino, siue de homine Deo.

S. August. S. Thom. sup. n. 245.

Præterea asseuero quod licet illic *homo* stet, vt potest pro homine in communi, seu pro habēte humanitatem in communi abstrahenti à Deo homine, & ab homine creato, adhuc propositionem illam esse in materia naturali, quoniam eius sensus esse potest *habens humanitatem in communi realiter identificatur cum Deo, & Deus cum ipso*, quemadmodum dicam inferius illas propositionis *animal est homo*, *Homo est Petrus*, & similes esse in materia naturali, saluo tamen meliori iudicio.

Colligimus secundo. Hanc propositionem, de cuius materia multi addubitant cum Scoto, *Petrus albus est homo*, item esse in materia naturali, quoniā eius sensus est *Petrus habens albedinem est homo*; quo quid potuit esse magis necessarium, & verum? & simili modo censendum de illis, & similibus, *Ioannes, qui disputat, est homo*. *Paulus suus frater, aut amicus est animal*, vt patet eas resoluenti.

338 Ad finem pro plenaria dictorum intelligentia duo vellm animaduerti, primum est, propositiones, de quarum materia dubitetur, illico resolui debere in æquipollentes, vt earum materia facile appareat, ac dignoscatur ab his, qui tenent doctrinam præcedentem. Secundum est, subiectis propositionum materiæ naturalis sæpe euenire, quod ipsa aliunde contingenter existant in rerum natura, quod non officit ad hoc, vt verè sint in materia naturali, si tamen prædicata, quæ de illis dicuntur, illis sint essentialia, vel intrinseca, aut quoquo modo ex dictis connaturaliter debita; vt cernere est in his propositionibus de subiecto contingenti, *sol lucet*. *cursus iste est velox*. *lapis de alto descēdit*. *Hæc deambulatio est motus*. *sessio est quies*. sistamus & nos hic ne diutius mittamus falcem in messem Theologorum, illud solum superaddentes, quod licet omnis propositio æternæ veritatis sit in materia naturali, & necessaria, sed tamen non omnis propositio, quæ sit in materia naturali, & necessaria, debuit esse æternæ veritatis, aut semper existere, id quod ex dictis manifestum est.

SECTIO IV.

Declarat esse in materia naturali illam propositionem, animal est homo, *aut* rationale, *& generaliter omnes, in quibus aliqua res aut ratio inferior prædicatur de superiori.*

VT breui, ac dilucide, vt sæpe alias, veritas propaguatur, & propugnetur, ex alibi dicendis suppono tria. primum est necessitatem esse, ac dici dupliciter; alia est *metaphysica*, quæ tanta est, vt nullo modo possit aliter esse, aut impediri, sic est necessaria hæc propositio, *Deus est*. & hæc, *homo est animal*. & huiusmodi, quæ omnes propositiones communiter dicuntur æternæ veritatis, quia semper & pro semper veræ sunt; quoniam, vt supra nu. 268. dictum est, verbum similium propositionum abstrahit à tempore determinato, siue, significat cum tempore æterno, complectendo omnia tempora creata. alia vero necessitas est ac dicitur *physica*, quæ licet magna sit, tamen à Deo potest impediri, qualis est necessitas grauium ad descendendum, & ignis ad comburendum; qua necessitate gaudent istæ & similes enunciationes *corpus graue descēdit*. *ignis comburit*. *aqua infrigidat*. & tamen certum est Christum Dominum, ac Petrum ambulasse super aquas, & ignem fornacis Babyloniæ non tetigisse tres Pueros: sed vero eiusmodi miracula non tollunt quominus res naturales operari dicantur naturaliter, neque quominus propositiones earū operationes enunciantes sint in materia naturali; quæ tamen licet necessariæ sint, non tamen dicuntur esse æternæ veritatis; quoniam earum verba non significant cum tem-

tempore æterno, sed cum tempore determinato, in quo contingit illas causas naturales operari. de necessitate morali dico infra à nn.409.

339 Suppono secundo, aliud esse propositionem esse in materia contingenti; aliud longe diuersum subiectum eius esse, aut productum fuisse contingenter, vel ab aliquo præfatam propositionem prolatam fuisse libere, & contingenter; etenim vt supra

Aristotel. dicebat *Aristoteles in rebus nihil variatur propter nostrum affirmare, vel negare*, quoniam, vt & communiter dicitur *noster intellectus non potest communicare rebus quidquam præter denominationem extrinsecam*; quæ illæ dicuntur à nobis intellectæ; quocirca si prædicatum subiecto conueniat necessario physica, aut metaphysica necessitate, esto subiectũ sit æternum, vel in tempore conditum, propositio quantumuis ab homine libere, aut casu, & contingenter efferatur, sine dubio erit in materia necessaria & naturali.

Suppono tertio, propositionem doctrinalem, qualis est ea, de qua disputamus in præsenti, veram esse, aut falsam necessariam, aut impossibilem secundum triplicem sensum, quem potest habere, nempe *realem*, identicum, seu materialem; *formalem*, siue essentialem; *accidentalem*, seu contingentem v. g hæc propositio doctrinalis *Petrus est albus* est vera in sensu accidentali; hæc vero in sensu formali, *Petrus est homo*; hæc denique in sensu reali, *Deus est sua sapientia*; & illa, si vera est nostra opinio, *animal est homo, aut rationale*, quia eius sensus est, homo identificatur a parte rei cum animali, quo asserto quid verius esse potuit? in eo ergo sensu defendimus eam propositionem, & consequenter alias omnes, in quibus res, aut ratio inferior prædicatur de superiori, esse in materia naturali, & non in alio.

340 Et probamus primo; etenim illa propositio est in materia naturali, cuius prædicatum ita est de substantia, & identitate subiecti, vt ab eo nequeat separari; sed homo, seu rationale ita est de substantia, & identitate subiecti, quod est animal; ergo hæc propositio *animal est homo*, est in materia naturali. maior certa videtur. minor multo certior; quoniam a parte rei semper, & necessario, identificatus est homo cum animali, & animal cum homine, siue principium sentiendi cum principio ratiocinandi: consequentia verò legitime infertur.

Respondit quidam Iuniori huic argumẽto concedendo animal identificari cum rationali, & è contra, sed vero eam propositionem adhuc non esse in materia naturali, quia prædicatum eius non est essentiale subiecto, siue in eo non includitur; sed manifeste fallitur; quoniam opinari videtur nullam propositionem posse esse in materia naturali, nisi illam, cuius prædicatum sit de essentia subiecti, quod est omnino falsum, vt conuincitur ex dictis supra, & ex dicendis in probationibus sequentibus.

Rursus idem Recentior id asseruit contra *S. Thomam* 1.p q 39 a 6.ad 2. *Caietanum* ibi, *Suarez*, *Vasquez*, & alios, quos sequitur, & allegat *P. Ruiz*. de Trin. disp. 14. sect 7.n.6. qui tenentes ex vna parte in essentia diuina non includi Paternitatẽ, asseruut hanc propositionem esse per se, seu in materia naturali, *essentia diuina est Paternitas*. quod si *Aristoteles* in 3.metaph. c.2. dixerit impossibilem esse hanc prædicationẽ *rationale est animal* imò & hanc, *rationale est homo*, & eas ambas ad summum esse prædicationes accidentales, siue per accidens, vt addit ibidem *S. Thom.* in sua lect. 8.lit.K. vt supra 1.p. dicebat ad 2. intelligẽdi sunt voluisse solũ eiusmodi propositiones non esse connaturales, sed indirectas, & quasi irregulares; quomodo sunt omnes illæ, quorũ prędicata, quia sunt inferiora subiectis, non clauduntur in ipsis. S.Thom. Aristotel. S.Thom.

Eiusmodi ergo propositiones vocat S.D. contingentes, non quia credat esse in materia contingenti, sed quia præter ordinem connaturalẽ, & ordinariũ enũciantur, cum ipse S.Pater probè norit differẽtiã, quantũ nis sit, vt ipse inquitur *in plus quã species*, cũ eadẽ idem esse realiter, sicut idẽ est Paternitas cũ essẽtia, quorũ idẽtitas efficit has enũciationes esse materię naturalis, *essentia diuina est Paternitas. rationale est homo*. ergo S.Doct. docet eiusmodi propositiones esse per accidens, seu nõ per se in sensu formali, bene tamẽ in identico & ita conciliat eius dicta varia *Caietanus* vbi supra.

Quare displicent in hac parte *Monteya* 341
allegatus & *Canariẽsis* apud *Vasquez* 1.p. disp. 157.a.6. nu.49. qui concedente cum *S.Thom.* vbi supra, esse per se, vel in materia naturali, illã diuinã propositionẽ, *Diuina* S.Thom.

essentia est Pater, in sensu identico, aiunt, vt ipsi putant, cum S. Doct esse in materia accidentali hanc *animal est homo*; quoniã nõ mihi videtur sufficere eos dispa itas dicere, quod animal sit superius respectu hominis, & non ita essentia diuina respectu Patris, siquidem in præsenti non pensatur superioritas, sed identitas, quæ est quasi æqualis in vtrisque, & ideo si tandem hic dissentimur inuiti à *S. Thoma*, & *Aristotele*, ipse S. Pater dixit 22.q.29.a.3. *dissentire in aliquibus paruis, quasi non videtur esse dissensus*; & Philosophus cum consensu sacri interpretis in 1. Ethic. ait omnino *oportere, vt homo nõ vereatur oppugnare familiares suos pro salute veritatis*, quã vrgentissima ratione putamus aliter habere in præsenti.

S. Thom. Aristotel.

Probamus ergo secundo, quia ea propositio est in materia naturali, cuius prædicatum cõnaturali respectu, & appetitu respicit, ac respicitur à subiecto, cum eoque cõponit aliquod compositum, illud satiat, cõplet, perficit, & adornat; ita se habet prædicatum rationale erga animal, ergo illa propositio est in materia naturali. maior videtur certa; sed tamen persuadetur exemplis; nam propter ea, quæ ibi narrãtur, istæ propositiones sine dubio sunt necessariæ physica necessitate, & in materia naturali, *materia respicit, ac recipit formas. formæ informant, complent, satiant, perficiunt, & adornant materiam*, & similes.

Minor est certissima, & recepta apud omnes, quatenus plane fateotur. *animal* genus se habere instar materiæ, quod subinde perficitur, satiatur, atque completur per *rationale, hinnibile*, & differentias cæterorum animãtium, quasi per formas, quibus cum varia composita metaphysica componit mediante vnione idẽtitatis, siue identificatione sui cum illis; vnde sicut hæc propositio *animal recipit, & componit cum rationali*, dicenda est naturalis, siue materiæ naturalis, ita illa æquipollens. *animal est rationale*, vtraque enim significat ad ipsum, licet hęc secunda magis exprimat modum compositionis, qui est per omnimodam identificationem realem; demum consequentia legitima videtur.

Aristotel. S. Thom. infra num. 7, 8.

342 Probamus tertio exemplis, & consectarijs, quoniam hæ omnes propositiones sonant materiam naturalem, *animal est idem realiter à parte rei cum rationali. animal est rationale, hinnibile, rugibile, & reliquæ differentia. habens animalitatem est habens rationabilitatem*. quia habentia se mutuo respiciunt, & appetunt, sicut & formæ in identificatione, siquidem ea propositio vera est, & omnis propositio vera fundari debet in aliqua identitate prædicati cũm subiecto, in præsenti autem non solum est identificatio habentium inter se, sed etiam formarum; & insuper forma predicati connaturaliter respicit formam subiecti, vt ipsius naturale, & inseparabile perfectiuum, deniq; quis negare audeat has propositiones esse in materia naturali. *Natura diuina est Pater; natura diuina est Filius; natura diuina est Spiritus sãctus, Ens est Deus, aut Petrus, anima seu animal est in Petro*; aut eas dixerit esse in materia contingenti?

Concluditur ergo omnes propositiones, in quibus res, rationesue inferiores prædicentur de superioribus, in sensu reali, esse in materia naturali; in sensu vero formali seu formalissimo explicãdo infra, esse in materia remota, & impossibili. quod me docuit *Arist.* in 3. metaph. c. 2. & ibidẽ in lect. sua *S. Tho.* in nullo vero sensu esse posse in cõtingenti. etenim ego capere non potui, quo modo, aut sensu cõueniat cõtingenter animali esse rationale, si rationale semper est identificatum ipsi, & ipsum cum rationali, aut homine.

Aristotel. S. Thom.

Scio tamen nos valde contingenter solere efferre propositionem hanc *animal est homo, aut rationale*; & sic cõtingenter cognoscere animal secundũ quod realiter est idẽ cũ homine, & illi attribuere id prædicatũ, potius quã aliud, cum quo item identificatur animal, qualiter est equus, aut leo, & sicut, & illud abstrahi ab homine, & genus fieri esse ipsi valde accidẽtale, & contingẽs, dixit quoq; *S. Th.* sed eiusmodi contingentia, siue lubentia nostra non ponit in obiecto propositionis cõtingentiam, sicut neq; variat naturas rerum, vt supra, & infra nobis tradiderunt tres nostri Præceptores.

Aristotel. S. August. S. Thom.

343 Dicebam eiusmodi propositionem assertã in sensu formalissimo esse in materia remota, falsam omnino, & impossibilem, & in principio Sectionis non declaraui sensum formalissimum, qui sic reperitur in propositionibus, quando earum prædicata nihilo differunt à subiectis, licet per diuersa vocabula afferantur, vt cernere est in his, & similibus propositionibus, *homo est animal rationale. animal est principium sentiendi.*

sorum

totum quodlibet sunt partes eius vnita, seu collectiue sumptæ, & generaliter in illis, in quibus de definito subiecto prædicatur definitio, & de constituto quouis eius formalissima constitutio, ad punctum ergo si hæc propositio *animal est rationale*, faciat hũc sensum, rationale est idem omnino in sua formali essẽtia, & ratione, quod est animal, & vice versa, est plusquam falsa, siquidem animal non est principium discursus, rationale vero sic. diluamus ergo Recentium contrariæ partis fundamenta.

SECTIO V.

Illustrat veritatem doctrinæ præcedentis diluendo fundamenta quorumdam, qui sibi persuaserunt illam propositionem animal est homo, *& similes esse in materia contingenti.*

Quidã docti magistri opinati sunt propositionem tituli esse in materia contingenti, quorum rationes, & fundamenta in his argumẽtis continentur. Obijciunt ergo primo, verum est, & nos cõfitemur, quod homo nequit separari, nec realiter non identificari cum animal, at vero animal ipsum bene potest esse sine homine, & sine rationali, cum quo cõstituit hominem, vt patet quando est cum hinnibili, aut equo, ergo contingenter adhæret animal homini, potius quam equo, & consequenter propositio, quæ id enunciat dicẽs, *animal est homo*, erit in materia cõtingẽti.

344 Respondeo negando antecedens, quoniã falsum omnino est animal, siue principium sentiendi, posse esse sine homine, aut sine rationali, etiãsi simul animal sit cũ equo, & animantibus reliquis; nam animal, quod est quoddam genus eam habet potẽtialem latitudinem, & vt ita dicam, latepatẽtiam, vt simul sit vnum formaliter in abstractione sua, & in pluribus multiplicetur realiter, atque cum eisdem identificetur; quare dum animal est cum equo, non deserit hominem, neque leonem, neque separatur ab eis, sed cum omnibus identificatum perseuerat, sed tamen realiter multiplicatũ; quasi ad illum modum singularem, quo natura diuina vna numero identificatur cum tribus Personis diuinis, nempe cum Patre, Filio, & Spiritu sancto; ita tamen vt quando identificata intelligitur cum Patre, non propterea deserat personas Filij, & Spiritus sancti; sed cum omnibus sit simul: vnde has propositiones dicebamus supra esse in materia naturali, *natura diuina est Pater, natura diuina est Filius, natura diuina est Spiritus sanctus*, assertas in sensu reali, & in quo sunt veræ.

Obijciunt secundo, animal est genus, & proinde ratio communis, de se indifferens ad hominem, & equum, & ad animantia reliqua, ergo contingenter adhæret homini, aut equo, & non naturaliter. Respondeo animal esse, ac dici solere indifferens non ratione suæ naturæ, & natiuæ propensionis, ratione cuius connaturaliter appetit differentias omnium animantium, vti tangebam supra nu. 341. & prosequor infra à num. 570. sed solum ratione intellectus, siue abstractionis, quæ quasi præscindẽdo animal à suis speciebus, illud purum cognoscit, vt sic queat prædicari indifferenter de quolibet animali, & ita vniuersale oportet esse, ac fieri: at vero animal à parte rei sicut non habet illam præcision, ita caret omni indifferentia, & omni modo determinate identificatum est cũ omnibus animantibus atque in eisdẽ realiter multiplicatũ; vnde neganda fuit consequentia tam huius, quã prioris argumẽti. *S.Thom. infra num. 583.*

Sed claritatis maioris gratia, ita potuit distingui antecedens, animal genus est indifferens erga hominem, & equum, ratione abstractionis, & nostræ voluntariæ prædicationis, qua illud possumus contingenter, & pro mero libito nostro de homine, aut equo prædicare; & sic concedo, aut omitto antecedens. est indifferens ratione suæ inclinationis, seu realis identificationis, & sic nego antecedens: quoniam impossibile est, quod animal contingenter inclinet, & identificetur modo cum homine, & postmodum, cum equo, licet valde contingens sit, quod quis prædicet de animali hominem, potius quam equum, aut contra. similes vero prædicationes voluntarias non immutare essentias rerum, nos supra docuit *Aristotel.* & *Aug.* l. de Doct. Chr. c. 2. & 1. de lib. arb. c. 4. 345 *Aristotel. S. August.*

Et simili distinctione occurrendum est argumento plusquam falso contendenti inesse contingenter, & accidentario diuinę naturæ esse Patrẽ, siue Paternitatẽ, ac dicẽdũ naturæ diuinæ esse omnino naturale, ac necessarium idem esse cum Patre, sed vero

eidem accidentarium, & valde contingens esse eiusmodi identitatē ab aliquo homine affirmari, vel negari, quamuis affirmatio, aut propositio affirmans eam veritatem naturalem, postquam contingenter, & pro arbitrio loquentis effecta est, sit in materia naturali, vt supra sæpe repetitum est, & adnotatum de industria ad submouendas quorundam æquiuocationes.

Objiciunt tertio, non valet hoc argumentum, *si illud ens animal est, homo est*, ergo ea propositio *animal est homo*, non est in materia naturali. Respondeo explicando antecedens; si enim ea conditionalis propositio reddat hunc sensum, si est ratio animalis, atque principium sentiendi in communi acceptum, identificatur à parte rei cum homine, est verissima propositio, & necessaria, quia dicit id, quod in re necessario est. si autem eius propositionis sensus sit, si animal est, idest, quia animal est, vel eo ipso quod animal sit, ita quod quidquid animal sit, homo sit, est propositio falsa, impossibilis, & in materia remota; quoniam ratio, ob quam aliquid est homo, non est animal, sed rationale. vnde nihil proficit hoc tertium argumētum.

346 Objiciunt quarto, si dicta propositio foret in materia naturali, æquiualeret vniuersali; nam, vt infra dicemus, *propositio indefinita in materia naturali æquiualet vniuersali*, hoc est falsum; ergo & illud, ex quo sequitur. maior certa videtur. minor ostenditur; quia falsum est hanc propositionem, *animal est homo* æquiualere illi *omne animal est homo*, ergo falso dicitur illa propositio esse in materia naturali.

Respondeo retorquendo argumentum contra suos authores in hunc modum, si illa propositio, *animal est homo*, esset, vt ipsi volunt, in materia contingenti, æquiualeret particulari, iuxta regulam receptā infra referendā, nempe huic, *aliquod animal est homo*; sed hoc est falsum, vt liquet, quoniam hæc est propositio materiæ naturalis, & ideò æquipollere non potuit alteri, quæ asseritur esse materiæ contingentis.

Respondent Aduersarij eam propositionem *animal est homo*, quam dicunt contingentem, non æquiualere particulari, quia esto regula generalis sit, quod *propositio indefinita in materia contingenti æquiualeat particulari*, excipiuntur tamē propositiones contingentes indefinitæ, in quibus prædicantur rationes inferiores de superioribus, tunc enim in eiusmodi propositionibus supponuntur prædicata quasi simpliciter, hoc est, ita vt dici non possint de inferioribus subiectorum. neq; eis conuenire, vt apparet in hac propositione *homo est species*, cuius prædicatum, quia simpliciter supponitur, conuenire non potest inferioribus subiecti *homo*. nempe Petro, neque Paulo. atque idem contingere aiunt in proposita propositione, *animal est homo*, in qua ratio hominis, quia inferior est animali, de eo dicitur quasi simpliciter, & propterea conuenire non potuit alicui animali particulari ex inferioribus animalis, eadem contingentia qua conuenit animali in communi. S.Thomas. infra num. 383.

Pulchrum videbitur responsum, quia speciose compositum, sed respondemus simili modo nos, & asserimus illam propositionem esse quidem in materia naturali, sed nō debere, æquiualere vniuersali, quia licet omnes propositiones, quę sunt in materia naturali, generaliter loquendo, soleāt æquiualere vniuersalibus, excipiuntur tamen illæ, quarum prædicata sunt inferiora subiectis, propterea quod eiusmodi prędicata supponantur ibi quasi simpliciter; quare neganda fuit maior argumenti, siquidem illa propositio æternę veritatis *animal est homo*, æquipollere non potest huic æternę falsitatis, *omne animal est homo*. 347

Vltimo nobis contradicit quidam doctus Modernus, qui valde confidit in isto argumento: omnis propositio affirmatiua existens in materia naturali est necessaria, & æternę veritatis; sed ista propositio *animal est homo*, non est necessaria, neque æternę veritatis; ergo ea esse non potest in materia naturali. Probat minorem, quia de medio sublatis hominibus, siue non existentibus, non est verum dicere animal esse hominem. & idem intentum confirmare potuit ex doctissimo Patre *Monteya* de Trinitate disp. 14. sect. 7. num. 17. ita scribente, *animal existebat in die quinta creationis nondum existentibus speciebus animalium, quæ die sexta creata sunt*; ergo accidentario venerunt animali iam existenti differentiæ rationale, rugibile, & reliquæ, quę postea conditę fuerunt, siquidem ab illo aliquando separatę fuerant.

Re-

Respondetur concessa pro nunc maiori, licet falsa sit, vt vides supra n. 338. negando minorem, cuius probatio nō vrget, nam primo, si loquitur de ablatione hominis existentis, & in casu, quo omnes homines destruātur, & nullus viuat, nō apte loquitur siquidē veritas necessaria, & æterna propositionum non pendet semper à rerum, circa quas versātur, existentia: sic de antichristo nondum existenti, sed solum possibili, bene dicimus, quod sit animal rationale; ac de homine in cōmuni similiter prædicamus, quod sit rationalis, & veræ sunt eiusmodi propositiones, & æternæ veritatis, quamtumuis nullus homo existeret productus.

348 Si autem iste magister loquatur de ablatione hominis possibilis; & in casu quo species hominum foret impossibilis; dico primo in eo euentu, & conditione hoc animal quod modo est fore etiā impoßibile, quippe quod specificatur, vt ostendo infra à n. 570. ab omnibus speciebus animaliū, quę modo sunt, & sunt poßibiles, non secus ac docent cōmuniter Philosophi materiā primā specificari à formis, quas recipit. Dico secundo, si homine destructo, aut supposito impoßibili, adhuc alia animalia darentur. hæc propositio *animal est homo*, esset impoßibilis & in materia remota, illæ vero forēt in materia naturali, *animal est equus & leo*, nunquam vero in contingenti, in eo autem casu, sine dubio animal esset valde distinctum ab animali præsenti. vt probo infra à n. 738. doctrinæ huic fauet *S. Thom.* 12. 967 art. 5. corpore.

S. Thom.

Ad confirmatinnē ex tanto Patre desumptā respondeo, quod in die quinta creationis antequam species animaliū terrestrium crearentur, eodē modo existebat animal, aut potuit existere, ac existebāt species terrestres, nēpe poßibiliter, aut obiectiue in intellectu alicuius, & sic existebat semper identificatū, & vt tale saltē in sua poßibilitate agnoscebatur cū speciebus siue cū specificis differentijs animaliū terrestriū, quæ creata fuerūt die sexta subsequēti, nō minus quā cū differētijs aquatilium animantiū, & volatilium creatis die quinta præcedenti, quæ animantia solā actualem creationē, & proinde actualem existentiam tunc in die quinta habebant an plius, quam animalia reliqua, quæ nondum condita fuerant.

Præterquā quod ad conuincendā necessitatē illius propositionis *animal est homo*, *aut leo. aut Piscis*, satis fuit nūquā extitisse productā aliquā speciē animalis sine principio sentiendi idētificatonēpe sine portione animalis, quæ sibi cōtingit, quātumuis alia animantia numero, aut specie diuersa, extiterint antea producta, aut fuissent postea producenda. cōcludendū ergo, ac tenendū firmiter est hanc propositionem, *animal est homo, vel rationale*, esse necessariā intellectam in sensu reali, & physico, vt re vera est à parte rei, quomodo intelliguntur & illæ *animal est Petrus. animal est hic homo* & similes, vel etiā intellectā in sensu identitatis quasi realis, & physicæ, manentibus prædicato & subiecto in metaphysica abstractione, nā etiā eo modo animal identificatur cum homine in communi, & cum rationali componit metaphysicum compositum per vnionem identitatis, vt superiorī Sectione 9. *probemus ergo*, declaratum est.

SECTIO VI.

Explicat quantitatem & qualitatem propositionis categoricæ absolutæ, & alia scitu, & memoria digna propositiones concernentia.

Qvantitas proprie loquendo est quoddam ens de genere accidentis, cuius officium est reddere quantas, idest, extēsas impenetrabiliter, & mensurabiliter grādes, aut paruas res, quibus inhęret, ita est quantitas, quæ carthā hanc facit extensam. qualitas similiter est accidens, quod facit res quales, idest, albas, aut calidas, & huiusmodi aliter; qualiter est albedo, calor, colores, & aliæ qualitates. Hinc per quamdā metaphoricā, & latā similitudinē applicantur propositionibus quantitas, & qualitas, vti iam dicam. tractat de eiusmodi quantitate & qualitate *S. Thomas* in sua Logica tract. de enunciatione c. 7. & 1. Perih. cum Philosopho lect. 13. à principio. 349

S. Thom. Aristot.

Quantitas ergo propositionis est extensio, aut limitatio subiecti secundū quā id accipitur pro pluribus, vel paucioribus significatis, aut etiā pro vno tantum. eaque est quadruplex. prima dicitur quātitas *vniuersalis*, quę reperitur in propositione, cuius subiectū est terminus cōmunis notatus signo vniuersali, vt cernis in hac, *omne vitiū est fugiendū.* secunda est *particularis*, quæ est in propositione, cuius subiectū est item terminus cōmunis, sed notatus signo particulari, vt ibi *aliquis homo est iustus*.

Tertia dicitur quantitas indefinita, vt quando est terminus, siue subiectum sine signo, vt in his propositionibus, *homo est animal, homo est albus, aut currit, vixit multos annos*. Quarta demum est singularis, quæ est in propositione, vbi subiectum sumitur pro vno, vt *Petrus currit*. ad istam quartam speciem quantitatis possunt reduci propositiones, quarum subiecta supponuntur simpliciter, aut quasi simpliciter, vel materialiter, vt sunt istæ, & similes, *homo est species animal est genus. animal est Petrus. blictri est sonus. forma distinguitur realiter à composito*. est prætereа alia quantitas mixta, quæ causatur à signis mixtæ quantitatis supra declaratis, vt apparet in hac propositione, *neuter homo studet*, quæ habet quantitatem partim vniuersalem, partim particularem, quia eius sensus est, duorum hominum neque hic neque ille homo studet.

350 Consectarie ad doctrinam præcedenté dicendum est primo, ad cognoscendam quantitatem propositionum, attēdendam esse solam quantitatem subiecti, non prædicati; quare propositio erit singularis v.g. quotiescumque subiectum eius sit singulare, quantumuis prædicatum sit vniuersale, vt hæc *Adam fuit omnis homo*, & sic de reliquis philosophandum.

Dicendum est secundo, omnis propositio indefinita, seu indefinitæ quantitatis, si sit affirmatiua, & in materia naturali, vel negatiua, & in materia remota, æquiualet vniuersali, vt hæc *homo est rationalis*. quæ æquiualet huic, *omnis homo est rationalis*, & vt illa, *equus non est homo*. quæ æquipollet illi, *nullus equus est homo*. eadem regula accommodari solet propositionibus, quas vocant doctrinales indefinitis, vt hæ *homo rite baptizatus est in gratia*, & *homicida puniendus est*. consentit in hoc cum Philosopho *S. Thomas*, 1. Perih. lect. 10. lit. e.

Aristotel. S. Thomas.

Et ideo optime, vt solet *P. Thomas Sanchez* lib. 3. disp. 44. num. 2. §. *secunda*. tradit indefinitam iuris propositionem tradentem regulam, æquiualere vniuersali. notat etiam *P. Alcazar*. super c. 20. Apoc. ad illa verba, *Angelus apprehendit Satanā, & ligauit eum per annos mille*, istam propositionem finitam, ac determinatam quo ad speciem, æquipollere indefinitæ; quatenus ait ibi mille annos sumi pro multis, & numerum finitum pro indefinito, siue perfectum pro temporis plenitudine, vt ait *S. Augustinus*, & vulgo dicimus viuas mille annos, siue Nestorios annos, idest quamplurimos, consonat huic modo loquendi *S. Augustinus* to. 5. lib. 20. de Ciu. Dei cap. 7. explicans etiam ipse illos mille Apocalypsis annos: vnde colligas aliam propositionem esse indefinitam expresse, aliam non ita claré.

S. Augustin.

Sed excipiantur ab ea regula generali propositiones, quæ licet sint in materia naturali, & affirmatiuæ sint, tamen earum subiecta supponuntur quasi simpliciter, vt istæ, *animal est homo. homo est Petrus*, & similes, de quibus tractaui supra Sect. 5. & item excipiēdæ sunt propositiones, quarum subiecta supponuntur confuse, vt illæ *equus requiritur ad equitandum. oculus requiritur ad videndum*, & similes, quæ nullo modo possunt æquipollere vniuersalibus, vt consideranti manifestum est.

Dicendum est tertio, omnis propositio indefinita in materia contingenti æquinalet particulari, vt hæc, *homo est iustus*, idest *aliquis homo est iustus*, sed excipiuntur propositiones contingentes, aut quasi cōtingentes, quas alij vocant accidentales, quarum subiecta supponuntur simpliciter, vt istæ *homo est species, animal est genus*, vel quæ supponuntur, pro vno tantum, vt ibi *homo nos peccato infecit. homo nos redimit*, quæ non æquiualent his, *aliquis homo est species. aliquod animal est genus. aliquis homo nos peccato infecit. aliquis homo nos redemit*. 351

Dicendum est quarto, illam propositionem habere mixtam quantitatem, cuius subiectum habuerit duo, vel plura signa quantitatis diuersæ, si tamen ea omnia afferantur in recto, vt hæc, *omnis equus, & aliquis homo est velox*, si vero aliquod signum afferatur in recto, & aliud in obliquo, quantitas propositionis dijudicabitur penes signum allatum in recto, & ideo hęc propositio, *aliquis equus Petri est velox*, absolute habet quantitatem particularem, non singularem, neque ex vtraque mixtā, sicut, & illa habet quantitatem vniuersalem, *omnis equus alicuius hominis est albus*. aduerte aliqualem esse differentiam inter quantitatem mixtam hic declaratam, & eam, quæ declarata fuit pauló supra §. *quantitas*, in fine, quatenus ibi faciebat mi-

mixtam quantitatem in propositione vnicum signum afficiens vnicum terminum, hic vero duplex afficiens terminum, siue subiectum duplex.

Qualitas autem propositionis *est modus, quo copula vnit, aut separat praedicatum, & subiectum*; eaque item est quadruplex nempe *veritas, falsitas, affirmatio*, & *negatio*. Veritas reperitur in propositione, quae significat enunciando rem sicuti est, vt haec, *Deus est bonus*. falsitas vero est in propositione, quae rem enunciat aliter ac est, vt ista, *Daemon est iustus*, aut *Petrus non est homo*. affirmatio inest propositioni, cuius copula principalis affirmatur; & negatio est, vbi eadem copula negatur, vt apparet in propositionibus pro exemplo allatis. lege *S. Thomam* 1. Perih. lect. 13. & ibi *Arist.* S. Thom. Aristotel.

352 Hic animaduertenda sunt quatuor, primum est, ad qualitates istas posteriores propositionis, nempe ad affirmationem, vel negationem, attendendam esse copulae principalis affirmationem vel negationem; quare ista propositio *Petrus, qui non legit, est animal*, absolute affirmatiua est, & illa, *Paulus qui est iustus, non est sapiens*, negatiua est, licet in eis copulae aliae minus principales negentur, vel affirmentur. secundum est, inesse cuicumque propositioni vltra materiam, & quantitatem, qualitates duas, vt cernitur in ista propositione, *omnis homo est animal*, quae habet materiam naturalem, quantitatem vniuersalem, veritatem, & affirmationem, & ita de reliquis modo suo iudicandum est.

Tertium notabile est, multas propositiones videri prima facie affirmatiuas, cum re vera negatiuae sint in sensu, qui praecipue est attendendus, quales sunt hae *nolo loqui. nescio quae dicit. Petrus est insipiens.* quia earum sensus est *non volo loqui. non scio quae dicis. Petrus non est sapiens.* Quartum est illud solemne prouerbium, *paritas negationum affirmat, imparitas vero negat*, vnde haec propositio est affirmatiua *nullus homo non est animal*, & haec negatiua *homo non est animal*; cuius ratio est quia *non* est malignantis naturae, & quidquid post se inuenit destruit, & reddit oppositum ei, quod erat ante.

353 Denique, vt colligitur ex dictis, propositio alia est necessaria, alia impossibilis, alia contingens, seu quod idem est, alia est in materia naturali, alia in remota, alia in contingenti: propositio ergo necessaria semper est vera, impossibilis semper est falsa, contingens aliquando est vera, aliquando falsa. rursus propositio existens in materia naturali affirmatiua est necessaria, vt *Petrus est homo*. negatiua vero est impossibilis, vt *Petrus nõ est animal*, sed propositio existens in materia remota e cõtrario, si negatiua est, est necessaria, vt *Petrus non est leo*. si affirmatiua, est impossibilis, vt *Petrus est leo*. in materia autem contingenti tam propositio affirmans, quam negans est contingens, vt *Petrus loquitur. Petrus non loquitur*. Consentit in his cum *Aristotel.* S *Thomas* lib. 1. Periher. lect. 13. & 5. metaph. lect. 9. Aristotel. S. Thom.

SECTIO VII.

Describit Oppositionem Propositionum simplicium in communi, & eius quatuor species, ac leges vniuscuiusque.

Oppositio in communi, est *duarum propositionum eisdem extremis constantium repugnantia secundum quantitatem, vel qualitatem, vel secundũ vtrãque simul*. quare propositiones oppositae debent constare eisdem terminis, eodem subiecto, & praedicato saltem in sensu, quin admittatur in illis vlla varietas, quae mutet sensum propositionum; sed ita istae componantur, vt de eodem subiecto, in eodem tempore, & loco loquantur, si tempus etiam, & locus deseruiant oppositioni; propterea in vtraque propositione opposita oportebit obseruari proprietates Logicales, nempe eandem suppositionem, appellationem, ampliationem, & restrictionem terminorum, & siquae aliae sunt, praeter illas, quas esse variandas in aliqua speciali oppositione dicam inferius. legat qui volet *Aristotelem* lib. 2. Periher ca. 1. *S. Thomam* in sua Logica aut opusc. 48. tract. de interpretatione cap. 8. & 1. Periher. lect. 9. vbi enumerat septem requisita ad *contradictionem*, & aduertit eam solam esse *oppositionem simpliciter, reliquas secundum quid*, & inquantum quodam modo sapiunt contradictionem; & *sanctum Augustinum* tom. 1. lib. 3. contra Academicos cap. 13. Aristotel. S. Thom. S. August.

Quadruplex est oppositio, videlicet, *contradictoria, contraria, subcontraria,* & *subalterna*. Contradictoria oppositio est *duarum propositionum repugnantia secundum quantitatem, & qualitatem*, vt apparet ibi, *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*, vbi item vides ambas propositiones eisdem omnino terminis constare, eodem subiecto, & prædicato, licet subiecta diuersis signis sint affecta, ptopter dicenda infra.

354 Prędicta definitio insinuat nobis tres leges obseruandas esse pro facienda oppositione contradictoria. lex prior est, vt vna propositio sit vniuersalis, siue ea sit affirmatiua, siue negatiua, & altera sit particularis affirmatiua, vel negatiua, vt cernitur in adducto exemplo, & in isto *nullus homo currit, aliquis homo currit*, quæ lex tenet etiā si altera propositio sit vniuersalis ratione signi mixti, vt ibi *nunquam homo studet, aliquando homo studet*.

Sed tamen ista lex patitur aliquas exceptiones. primo enim quando vna propositio est singularis, eius contradictoria debet item esse singularis, vt hæ, *Petrus legit. Petrus non legit*. Secundo quando subiectum, aut terminus supponitur in vna propositione simpliciter, vel copulatiue, eodem modo supponi debet in altera, vt ibi, *animal est genus. animal non est genus, elementa sunt quatuor. elementa non sunt quatuor*. Tertio, si in vna propositione sit suppositio disiuncta, vel confusa, eadem retinenda est in altera, vt si dicas, *equus requiritur ad equitandum; equus non requiritur ad equitandum*. Quarto denique quando subiectum alterius propositionis est terminus complexus vnitus particula &, vel alia simili diuisiuè accepta, in eius contradictoria ponenda est particula *vel* disiunctiuè sumpta. vt *Petrus & Paulus disputant. Petrus vel Paulus non disputant*.

S. Thom. Perih. l. 3 1.

Lex secunda est, vt vna propositio sit affirmatiua, altera negatiua, ita quod vna neget, quod altera affirmat, & sint eiusdem de eodem, idest eiusdem prædicati affirmati, & negati de eodem subiecto; vt ibi, *Petrus est animal. Petrus non est animal*. Tertia demū lex patitur, vt ita sit vna propositio vera, & altera falsa, vt nunquam possint esse ambæ simul veræ, aut simul falsæ; atq; earum legum nulla patitur exceptionē vllā. legantur *Conimb.* in Logica q. vnica. c. 4. & quę nos dicemus infra Disp. 8. q. 2. Sect. 5. vbi de futuris contingentibus tractamus.

Cōtraria oppositio est *repugnantia duarum propositionum vniuersalium secundū affirmationem, & negationem; seu quarum altera affirmat, quod altera negat;* vt hæc *omnis homo est animal. nullus homo est animal*. Pro ista contraria oppositione est prima lex, vt vtraq; propositio sit vniuersalis. secunda, vt altera sit affirmatiua, altera negatiua, quæ leges seruandæ sunt etiam quando constant propositiones terminis mixtis, vt hæ *semper homo currit. nunquam homo currit*. quod si subiectum vnius contrarię sit terminus cōplexus vnitus particula, &, vel alia æquiualēti diuisiue sūpta, eadē inuariata perseueret sic *Petrus & Paulus scribūt. Petrus & Paulus nō scribunt*.

Tertia lex cōtrariarum est, vt nunquam sint simul veræ, licet possint esse simul falsę in materia contingenti, & in aliquo euētu possibili. debent autem generaliter loquēdo ita se habere propositiones contrariæ, vt altera sit vera, altera falsa, quod ita etiam contingere solet non solum in materia naturali, sed sæpe in materia contingenti. 355

Ratio autem cur cōtrarię nequeunt esse simul veræ, ea est, quia si in aliqua materia, aut euentu duæ contrariæ darentur simul veræ, inde sequerētur duæ contradictoriæ simul verę, quod est valde absurdum, & repugnans tum naturæ, tum doctrinæ *Arist*, videndi de hac re in 1. Perih. c. vlt. vbi expendit notissimum, ac certissimum axioma illud *impossibile est idem simul esse, & non esse*. legatur etiam 11. met. c. 5. & *August*. to. 1. lib. 1. cōtra Academicos c. 7. sequi autem id absurdum sic demonstratur: nam si ponas has contrarias simul veras, *omnis homo currit, nullus homo currit*. ex hac vltima euidenter infertur hæc, ergo *aliquis homo non currit*, quę vera erit, dato quod vera sit propositio illa, ex qua infertur, & aliunde opponitur cōtradictorie primæ illi propositioni veræ, *omnis homo currit*. sequuntur ergo duæ contradictoriæ simul veræ, si admittimus contrarias duas simul in aliqua materia veras.

Aristotel. S. Thom. ibi.

S. August.

Quod vero esse possint sine aliquo incōuenienti duę contrariæ simul falsæ aliquādo in materia contingenti, sic ostenditur, etenim supposito quod aliqui homines sint albi, & alij nigri, vti de facto contingit; istæ propositiones cōtrariæ sunt simul falsę

em-

omnis homo est albus, nullus homo est albus. nam, vt supponitur, quælibet earum sub se habet aliquas particulares falsas, vel saltem aliquam, id quod sat esse ad hoc, vt propositio vniuersalis sit falsa, dicebamus supra q. 1. sect. 10. ex eo tamen non sequitur inconueniens nempe dari duas contradictorias simul falsas, quoniam ex falsitate propositionis vniuersalis falsæ, non sequitur falsam esse propositionem particularem omnem sub illa contentam, siquidem ad hoc, vt propositio vniuersalis sit falsa, vti dixi, sufficit quod aliqua singularis sit falsa, neque requiritur omnes esse falsas; quare hæc vniuersalis, *omnis homo est albus,* falsa est quantumuis vnus homo solus reperiretur niger: quæ doctrina consideranti manifesta erit.

356 Dato ergo quod præscriptæ propositiones contrariæ sint simul falsæ, vt re vera sunt, primæ illi, *omnis homo est albus* opponitur contradictorie hæc *aliquis homo non est albus,* sed non est falsa, sed vera; secundæ item illi, *nullus homo est albus,* contradicit hæc *aliquis homo est albus,* quę omnino vera est: vnde nunquā continget dari duas contradictorias simul falsas, licet admittantur contrariæ duæ simul falsæ. ad hæc addunt nonnulli posse dari contrarias simul falsas etiam in materia remota, quales videntur illæ, *omne animal est homo. nullum animal est homo.*

Oppositio subcontraria *est repugnantia duarum propositionum particularium, quarum altera affirmat, altera negat,* vt hæ *aliquis homo est animal. aliquis homo non est animal.* sed vero, vt verum fatear, oppositio subcontrariarum in rigore oppositio non videtur, quoniam subcontrariæ propositiones nō sunt rigorose eiusdem de eodem, idest non enunciant idem prædicatum de eodem omnino subiecto, vt apparet in his, *aliquis homo currit. aliquis homo non currit.* quarum prior affirmat de Petro cursum, secunda autem non de eodem Petro, sed de Paulo cursum negat. Veruntamen pro illa etiam imperfecta oppositione leges quoque traduntur.

Prima est, vt vtraque propositio sit particularis; fit autem propositio particularis ratione signi *aliquis,* vel alterius similis. secundo ratione signi mixti, vt *aliquando Petrus studet, aliquando Petrus non studet.* Tertio ratione indefinitæ quantitatis in materia contingenti, vt ibi, *equus currit. equus non currit.* Quarto quia subiectum propositionis est terminus complexus cōstans ex terminis singularibus vnitis particula *vel* disiunctiue sumpta, vt *Petrus, vel Paulus venit in Hispaniam, Petrus vel Paulus non venit in Hispaniam.*

Secunda lex iubet quod altera propositio sit affirmatiua, altera negatiua. tertia lex permittit quod vtraque possit esse in materia naturali, & contingenti simul vera, non autē simul falsa, vt sunt hæ *aliquis homo currit, aliquis homo non currit. aliquod animal est homo aliquod animal non est homo.* quæ ambæ subcontrariæ propositiones, vt consideranti planum sit, possunt esse simul veræ, nunquam simul falsæ.

Ideo autem subcontrarię nequeunt esse 357
simul falsæ, quia si esse possent, sequerentur duæ contradictoriæ simul falsæ, quod est impossibile v. g. demus, licet non concedamus, illas subcontrarias propositiones, *aliquis homo currit, aliquis homo non currit,* esse simul falsas, hæc vniuersalis *omnis homo currit* erit falsa, quia falsum est dicere *aliquis homo currit,* vt supponitur, at deberent omnes homines currere, vt illa propositio vniuersalis esset vera, vt supra vbi me citabam, monstratum est; iam vero si illa propositio vniuersalis falsa est, cū contradicat illi particulari falsæ *aliquis homo non currit,* dabuntur duæ contradictoriæ simul falsæ. quod est intollerabile absurdum.

Oppositio denique subalterna, quæ itē impropria oppositio est, *est quasi repugnantia duarum propositionum solum in quantitate,* quales sunt hæ affirmatiuæ, *omnis homo est animal. aliquis homo est animal.* & illæ negatiuæ, *nullus homo est animal. aliquis homo non est animal.* quarum propositionū, quæ particulares sunt, inferuntur ex alijs, quibus opponi dicuntur, & idcirco illis vere non opponuntur.

Pro oppositione tamen subalterna est prima regula, vt ea quæ dicitur propositio *subalternans* sit vniuersalis. & quæ dicitur subalternata sit particularis; etenim subalternarum propositionum altera nominatur subalternans, idest, quasi sub se alias continens; altera dicitur subalternata, idest, priori subiecta, & quasi eidem subordinata, & sub eadem contenta. secun-

cunda lex est, vt vtraque sit affirmatiua, vel vtraque negatiua. Tertia petit vt quando vniuersalis, & subalternans est vera, particularis item, seu subalternata sit vera; sed non si particularis est vera, debet necessario esse vniuersalis vera; & si particularis est falsa, vniuersalis est falsa; non tamen contra, si vniuersalis est falsa, debet quoque particularis esse falsa. Doctrinæ præcedentis totius hoc est pellucidum &
358 compediosum exemplar.

Omnis homo est albus. — *Contrariæ.* — Nullus homo est albus.

Subalternæ. — *Contra Dic toriæ.* — *Contra dic toriæ.* — *Subalternæ.*

Aliquis homo est albus. — *Contrariæ.* — Aliquis homo non est albus.

SECTIO VIII.

Tractat Oppositiones, quas vocant de lege: vbi de regulis, siue legibus, quibus facile efficiuntur, & factæ iam facile dignoscuntur.

EGimus Sectione precedenti de propositionibus, quæ habent oppositionem formalem, & explicitam, siue *de modo enũciandi*, ita dictæ, quia terminis ipsis præ se ferunt, & ostendunt oppositionem claram, & expressam repugnantiam. alibi etiam Deo bene iuuante agemus de rerum oppositione, quæ item quadruplex est, nempe *contradictoria, priuatiua, contraria*, & *relatiua*: in præsenti autem, quando de vocibus sermo est, tractamus de propositionibus, quæ dici solent *opposita de lege*, ita nominatæ non tantum, quia seruant leges, ac regulas supra positas præter illas, quæ petebant quod vna propositio esset vniuersalis, & alia particularis, sed quia ad sui effectionem, & faciliorem cognitionem postulant leges speciales. etenim eiusmodi oppositiones seu propositiones afferunt quidem oppositionem inter se, & repugnantiam, sed non ita captu facilem sed quasi latentem, in sensuque inclusam vt apparet in his, *omnis homo est albus, homo non est albus.* quæ secunda contradicit primæ, licet in ea non appareat expressum signum *aliquis*, & ideo ad efficiendas, & capiendas facilius oppositiones de lege, regulæ traduntur.

Prima est generalis pro cognoscendis 359
tribus, nempe *contradictoria, contraria*, & *subcontraria*, quæ sic est. si productis in medium duabus propositionibus oppositis, quarũ altera sit affirmans, altera negãs, dubitas quã habeant oppositioné, & eam cognoscere velis, sume vnam ex eis, & ei præpone negationem *non*, & fiet statim cõtradictorla sui ipsius, vt antea erat sine ea negatione, quia dicitur antiquo prouerbio, *non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem aduerbialem apponere;* compara deinde hanc contradictoriam denuo factam cum illa propositione, quæ remanserat, & si illi æquiualere videas signum erit quod priores duæ, de quibus dubitabas, erant contradictoriæ; si vero minus dicat & ex illa inferatur, erant illæ duæ contrariæ; si autem magis dicat, & alteram inlerat, erant priores illæ subcontrariæ.

Exempli causa, scire vis quæ oppositio intersit inter istas propositiones, *homo est animal. homo non est animal.* assume quamlibet ex eis, assume secundam, videlicet *homo non est animal*, & præpone illi negationem *non*, & dices *non homo non est animal*, quæ sine dubio æquiualet illi primæ *homo est animal*, quia duæ negationes affirmant; quod signum est priores duas esse contradictorias. similiter fac in his, *nullus homo potest currore, Petrus currit*. præpone huic secundę negationem, & dic *non Petrus currit*, quæ infertur ex prima, quæ remanserat, nempe ex illa, *nullus homo potest currore*, ac propterea propositiones priores erunt contrariæ, quæ possunt esse simul falsæ, vtpote quæ sunt in materia contingenti.

Secundæ item ex his propositionibus, quarum oppositio est subobscura, *aliquis homo non est albus. Ioannes est albus*, prępone negationem *non*, & dicito sic, *non Ioannes est albus*, quæ si comparetur cum illa prima, plus dicit quam illa, & illam

infe:t

infert, nam bene valet id argumentum. *Ioannes non est albus ergo aliquis homo non est albus;* quod est indicium manifestum ad credendum illas priores, quarum oppositio clara non erat, esse subcontrarias, quæ item in materia contingenti possunt esse simul veræ, in nulla vero materia possunt esse simul falsæ.

360 Secunda regula est pro cognoscenda oppositione subalterna, quæ facilis, & sic est, si vna propositio ex alia inferatur, & minus dicat, seu minus significet, quam illa, ex qua infertur, erit illius subalternata; illa vero quæ aliam infert, & magis dicit, atque significat, dicetur subalternans: solent vero, vt supra dicebam, esse ambæ, nempe subalternans, & subalternata, inferens & illata affirmatiuæ, vel etiam negatiuæ, vt hæ *omnis homo currit*, quæ est subalternans, & inferens illam *homo currit*. vel istæ *nullus homo currit*, inferens illam *homo non currit*.

Ex doctrina præcedenti colligitur facilis modus ad faciendum quascumque oppositiones, etenim si velis assignare cuilibet propositioni suam contradictoriam, id efficies præponendo eidem negationem *non*, siquidem non est melius contradicere quam toti propositioni negationem aduerbialem apponere, sic enim manebit contradictoria primæ, siue sibi ipsi vt antea sine negatione erat; deinde quæratur propositio, quæ istam negatiuam inferat, & ea erit contraria priori illi, quæ negationem non habebat; rursus quæratur alia propositio, quæ ex tali negatiua inferatur, & ea erit primæ illius subcontraria, id quod apparet in hoc exemplo, *omnis homo potest legere*, cuius contradictoria est hæc, *non omnis homo potest legere*, quæ infertur ex hac, *nullus homo potest legere*, quæ ideo est contraria illi primæ, & infert hanc, *Petrus vel Paulus non potest legere, aut non legit*, quæ subalternata propterea est huius vniuersalis negatiuæ *nullus homo potest legere*, sed subcontraria illius prioris *omnis homo potest legere*.

Ad finem aduertendum est primo quod commune est omnibus contradictorijs, siue de modo enunciandi, siue de lege, nempe propositiones contradictorias non posse esse simul necessarias, sicut neque simul veras. secundo, non posse esse simul impossibiles, sicut neque simul falsas, sed si vna earum est necessaria, alia debet esse impossibilis, sicut si vna est vera, alia debet esse falsa. Tertio denique si vna est contingens, altera etiam sit contingens, & non sit vna impossibilis, & altera contingens, nam secus vtraque contradictoria poterit esse falsa simul, quia impossibilis semper est falsa, & contingens aliquando etiam est falsa. simili modo nequit altera esse necessaria, altera contingens, ne contingat contradictorias esse simul veras, cum necessaria 361
sẽper vera sit, & contingens queat esse vera. Hactenus de legibus quæ docẽt nos facere, ac dignoscere varias oppositiones, quæ leges Logicæ sunt, & tamen versantur sine dubio circa voces.

SECTIO IX.

Indicat solutiones argumentorum, quæ probare intendunt dari posse contradictorias simul veras, aut simul falsas, & quam oppositionem inter se habeant propositiones, quæ vt contradictoriæ obijci solent, & aliquam Categoricam esse, quæ non videtur habere sibi contradicentem.

VT ab innumeris, & implexis redargutionibus liberentur Tyrones, breui ostendam quæ propositiones ex his, quæ circumferuntur, contradictoriæ sint; & quo sensu, & quæ non; & obiter declarabo quam habeant oppositionem, si contradictoriam non habuerint, vt instruantur curiosi adolescentes ad plurima argumenta diluenda; doctiores vero plura recognoscent, pauca docendi erunt.

Primo ergo istæ propositiones, omnes homines currunt, aliqui homines non currunt. vterque homo legit, neuter homo legit. neuter homo scribit, alter homo scribit. quasi quilibet homo studet, quasi quilibet homo non studet. duo homines induunt, duo homines non induunt. omnis homo vbique loquitur. aliquis homo vbique non loquitur. semper Petrus orat, semper Petrus non orat. binarium Scholasticorum deambulat, binarium Scholasticorum non deambulat. & similes aliæ non sunt contradictoriæ, quia non seruant legem, quæ

iubet

iubet mutari signum vniuersale, aut quasi vniuersale in particulare, siquidem signum vniuersale, aut quasi vniuersale retinetur in vtraque propositione: videntur autem eiusmodi oppositiones contrariæ, quia si bene inspiciantur in aliquo euentu contingenti, aut possibili reperiuntur simul falsæ.

362 Aduerto tamen has propositiones, omnes homines currunt, aliqui homines non currunt; & similes contradictorias esse, si illa signa *omnes*, & *aliqui* cōsignificent collectiones hominum, ita vt eæ propositiones faciant hunc sensum, omnis collectio hominum currit, aliqua collectio hominum non currit, reliquis assignabis, & efficies contradictorias, si affirmatiuis præponas negationem *non*, iuxta regulam supra repetitam, nisi aliunde incapacitas termini, cui negatio præponitur, non sit impedimento, id quod raro contingit, & quando contingat, docebit vsus, & experientia.

Secundo illæ, *Petrus essentialiter est albus, Petrus essentialiter non est albus.* & huiusmodi, non sibi contradicunt, sed contrariantur, quia secunda propositio nō negat totum, quod prima affirmat, negabit autem sic. *Petrus non essentialiter est albus,* & erit primæ contradictoria, & vera, prima autem falsa. deinde quæ sequuntur, & similes videntur, vt iacent non contradictoriæ, sed subcontrariæ, quia possunt esse simul veræ nempe istæ *Petrus alicubi est, Petrus alicubi non est. aliquando studeo, aliquando non studeo.* alij dicunt illas primas esse simul falsas, quia prima dicit esse de essentia Petri albedinem, quod est falsum; secunda vero dicit de essentia Petri esse negationem albedinis, quod item falsum omnino est.

Tertio istæ propositiones, & similes *Petrus qui disputat currit, Petrus qui disputat non currit,* casu quo Petrus non disputet, & illæ voces, *qui disputat* sint copula implicationis, vt esse solet, & nullibi affirmentur, sunt contradictoriæ, sicut hæ *Petrus liguens loquitur, Petrus liguens non loquitur. Antichristus dormit, Antichristus non dormit.* quia sunt de subiecto nō supponenti, siue supposititio, vel non existente; & ideo affirmatiuæ sunt falsæ, negatiuæ verò veræ; quod si in illis prioribus, & similibus affirmetur ly *qui disputat*, & fiant propositiones hypotheticę ita vt omnino his æquipolleant *Petrus disputat, & idem currit, Petrus disputat, & idem non currit.* casu quo non disputet, & currat, sunt simul falsæ, & sic non sunt contradictoriæ, imo neque contrariæ, quia ambæ sunt affirmatiuæ; siquidem particula hypotheticalis *&* in vtraque manet affirmata; vnde nullam inuenio in eis veram oppositionem.

Quarto illæ, & huiusmodi, *equus requiritur ad equitandum, nullus equus requiritur ad equitandum,* non sunt contradictoriæ, quia non sunt eiusdem de eodem, nam in prima propositione sermo fit de equo confuse supponenti, & speciali confusione propter signum *requiritur*; in secunda vero equus distributus est ratione signi *nullus*; equus autem distributus, & confusus non est idem subiectum, quia equus confusus stat pro disiuncto equorū, idest pro hoc, vel illo equo, at equus distributus stat determinate pro omnibus equis, seu pro collectione omnium equorum, & ideo possunt esse simul veræ. his consonat *S. Thomas* 1.p.q.36.a.4.ad 4. 363 *S.Thom.*

Propter eandem rationem, idest propter variationem suppositionis, non sunt contradictoriæ sequentes, *bis audiui sacrum, nullum sacrum bis audiui. promitto tibi librum, nullum librum tibi promitto*, & similes, quia in altera *sacrum*, *& liber* confuse supponuntur, in alia distributiue. neque sibi contradicent illæ *omnes Apostoli Dei sunt duodecim, aliqui Apostoli Dei nō sunt duodecim.* quia in prima propositione *Apostoli* supponitur collectiue, & in secunda determinate. neque illæ *homo est species, homo non est species.* si in prima *homo* supponitur simpliciter, & in secunda personaliter, neque hæ sunt oppositę. *Deus est sapiens, Deus non est sapiens*, si *Deus* in vna supponitur formaliter, nempe pro suo significato, & in altera materialiter supponat, siquidem vox *Deus* non est sapiens. Videntur autem propositiones positæ à numero quarto inclusiue, & similes subcontrariæ, aut nullo vero modo oppositæ, quia non sunt eiusdem de eodem propter variationem suppositionis, quia eiusmodi variatio facit, vt mutentur subiecta, vel etiam prædicata, ita quod in vna propositione sermo fit de vna re, & in altera, de alia differenti quo ad sensum,

licet

licet eadem videatur quo ad tenorem verborum, vt apparet ibi, *vicit leo de tribu Iuda, leo est fortissimus inter animantia*, vbi vox eadem *leo* diuersissima significat propter varietatem suppositionis, quæ variatio facit, vt propositiones, si sint in materia contingenti, possint esse simul falsæ, & sic aliquando contrariæ, & aliquando, & sæpius, vt non sint eiusdem de eodem; & simul veræ, quæ lato modo reducantur ad classem subcontrariarum, quæ non sunt rigorosè oppositæ.

364 Sed replicas, hæ sunt contradictoriæ, *omnis homo currit, aliquis homo non currit*, & tamen mutatur suppositio vniuersalis in particularem, vt indicant illa signa varia *omnis*, & *aliquis*; ergo variatio suppositionis non impedit contradictionem. Respondeo concessis maiori, & minori, distinguendo consequens, variatio suppositionis non impedit contradictionem, quando nō sinit manere idem subiectum, & prædicatum, & sic nego cōsequentiam; quando sinit idem subiectum, & prædicatum, & sic concedo consequentiam; & quoniam mutatio, siue variatio suppositionis vniuersalis in particularem non impedit quominus propositiones sint absolutè loquendo eiusdem de eodem, idcirco non impedit contradictionem propositionum præcedentium; etenim vt videre licet, prima propositio *omnis homo currit*, affirmat vniuersaliter de collectione omnium hominum nullo dempto cursum: secunda vero de eadem collectione negat eundem cursum, quatenus excipit aliquem hominem, quem dicit non currere; sed vero aliæ variationes suppositionis ita variāt subiecta, vel prædicata propositionum, vt omnino, & absolute impediatur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, vt patebit terminorum signis affectorum, aut diuersimode suppositorum sensum, & significationes contemplanti.

Quinto istæ propositiones, & similes, *in Albula sunt pisces, in Albula non sunt pisces. in Bæti sunt naues, in Bæti non sunt naues. Hispali, aut Romæ sunt homines, Hispali, aut Romæ non sunt homines.* sunt contradictoriæ, licet in ijs eisdem locis sint alia plura, quæ neque sint pisces, neque naues, neque homines, quoniam affirmatiuæ propositiones sunt veræ, negatiuæ vero falsæ, quia faciunt hos sensus, in illis celebratis fluminibus nulla entia sunt, quæ sint pisces, aut naues; & in illis vrbibus famosis nulla entia sunt, quæ sint homines, quia negationes omnia, quæ post se inueniunt, & in superioribus affirmabantur, omnino negant, & ideo sensus ille vterque falsus omnino est, & sic manet in illis propositionibus, & similibus perfecta contradictio.

Sexto, istæ propositiones, *rationale est principium discursus, animal non est principium discursus*, non sunt contradictoriæ, neque oppositæ, quia non loquũtur ambę de eodem subiecto formalissimo; quoniam licet animal, & rationale in re sint vnum realiter, distinguuntur tamen formaliter, & essentialiter per intellectum præscindentem, aut cognoscentem vnum sine altero, quomodo distincta apponuntur in ijs propositionibus. Consentit doctrinæ huic S Thomas 1. p. q. 39. a. 1. S.Thom.

Septimo, in his propositionibus *omne* 365
animal fuit in Arca Noe, aliquod animal non fuit in Arca Noe, illud *animal* supponi potest tripliciter, primo *complete* in vtraque propositione; & sic inuenitur contradictio, & prima est falsa, secunda vera. secundo modo *incomplete*, nempe pro illis solis animantibus, quæ de facto ingressa sunt in arcam, & sic etiam est contradictio, sed prima propositio est vera, secunda vero falsa. Tertio potest sumi *animal* in prima propositione incomplete, & in secunda complete, vel viceversa, in prima complete, & in secunda incomplete, quibus modis non sunt contradictoriæ præfatę propositiones, quia variata suppositione non manent eiusdem de eodem; sunt tamen in prima acceptione simul veræ, & in secunda simul falsæ, nullam habentes oppositionem.

Octauo istæ sunt contradictoriæ *omnis homo legit, aliquis homo non legit*, sumptæ in quolibet sensu, quoniam in primis si prima, quæ est vniuersalis supponatur pro omnibus hominibus tam existentibus, quam possibilibus secundum omnem latitudinem signi *omnis*, cum partim sit de subiecto non supponente, siue non existenti, & affirmatiua, est falsa, & negatiua vera; quod si prima loquatur de hominibus existentibus tantum, supponendo quod omnes homines existentes legant, affirmatiua est vera, & negatiua

gatiua

gatiua falsa; vel si omnes homines non legunt, sed aliqui tantum, prima erit falsa, & secunda vera.

Nono. hæ propositiones, & similes non sunt contradictoriæ; *quilibet equus hominis currit, aliquis equus hominis non currit*, quia casus obliquus scilicet *hominis* vtrobique supponitur determinate iuxta superius dicta q.1.sect.9.§. *ad finem*, cũ deberet in vna propositione supponi vniuersaliter, in alia particulariter, vel determinate: ex quo fit vt illæ propositiones non sint eiusdem de eodẽ, neque vere oppositæ, nisi forsan velis esse subcontrarias, quia in aliquo euentu reperiantur simul veræ, nimirum casu, quo quatuor solos equos Petrus habeat & totidem Ioannes, & omnes equi Petri currãt, & vnus, vel duo equi Ioannis non currant, ita tamen fient contradictoriæ, *quilibet equus cuiuslibet hominis currit, aliquis equus alicuius hominis non currit*.

366 Simili modo non sibi contradicunt istę, *quilibet seruus cuiuslibet hominis est fidelis, aliquis seruus cuiuslibet hominis non est fidelis*, quia illud *cuiuslibet* manet distribuens in vtraque propositione illud *hominis*, qui terminus deberet in altera propositione particularizari, ac determinari ratione signi *alicuius*, vel alterius similis; possunt tamen dici contrariæ, quia in aliquo casu reperientur simul falsæ, nẽpe casus quo Petrus habeat duos seruos alterum fidelem, infidelem alterum, & reliqui omnes serui reliquorum hominum sint fideles; sed ita prolatæ sunt sibi contradicentes, *quilibet seruus cuiuslibet hominis est fidelis, aliquis seruus alicuius hominis non est fidelis*.

Quod si casus ille obliquus signi *cuiuslibet* faciat terminum, cui adhæret supponi non distributiue, vt plerumque solet, sed collectiue, vt potest, ex peculiari intentione loquentis, ita vt sensus sit *cuiuslibet collectionis hominum*, prædictæ propositiones erunt contradictoriæ, esto non mutetur suppositio collectiua casus obliqui *hominis*, sed inuariata perseueret in vtraque propositione; at ista semper remanere debet ad contradictionem, quia suppositio copulatiua sicut singularis, retinenda est in vtraque propositione, vt supra dictũ est; quare quia in sequentibus propositionibus non retinetur suppositio collectiua, sed mutatur in particularem, nulla est contradictio, *nullus homo in omni loco legit, aliquis homo in aliquo loco legit. Omne animal est omne animal, aliquod animal non est aliquod animal. Omnis homo frangens omne mandatum Dei est infidelis. aliquis homo frangens aliquod mãdatum Dei non est infidelis. nullus homo occidit omnem hominem, aliquis homo non occidit aliquem hominem.* quæ omnes, & similes vt patet eas regulan i per legem positam in Sect. superiori, sunt subcontrariæ & in materia sua contingenti simul veræ.

Decimo. non sibi contradicunt *omnis mater habens filium, diligit ipsum, aliqua mater habens filium, non diligit ipsum* quia relatiuum *ipsum* supponitur sicut suum antecedens, nẽpe *filium*, qui supponitur determinate in vtraque propositione; sed opponuntur eiusmodi propositiones subcontrariè, vt dicam inferius, erunt tamen contradictoriæ ita compositæ, *Omnis mater habẽs filium diligit illum, aliqua mater habens filium non diligit illum*, quia *illum* supponitur in prima determinatè, in secunda vero distributiue ratione signi *non* tale enim relatiuum sequitur naturam signi, & ad id habet respectum, non verò ad suum antecedens, vt supra dictum est, vbi de relatiuis agebam nu.306.

Ex dictis colligitur primo aliquas propositiones non esse contradictorias, quia 367 retinetur eadem suppositio vniuersalis, & distributiua, cum debeat mutari vniuersalitas in particularitatem, tam ea, quæ reperitur ex parte subiecti, quam quæ ex parte prædicati etiam in casibus obliquis, quos esse complementa quandoque subiectorum, quandoque prædicatorum, alibi supra traditum à nobis est. Secundo colligitur similiter alias non esse contradictorias, quia variatur suppositio terminorum, quando eam non expedit variari, sed inuariatam remanere. Tertio colligitur suppositionem confusam, quæ est aliquando in prædicato propositionis affirmatiuæ, mutari in suppositionem distributiuã, quæ tamen mutatio non obstat contradictioni, quia non tollit identitatem extremorum, vt quando dicitur *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*, vbi animal in prima confunditur à signo *omnis*, & idem distribuitur in secunda, à signo *non*; quod vim habet distribuẽdi quamcumque suppo-

suppositionem confusam præsertim eam, quæ non est specialis confusionis, sed instar suppositionis determinatæ, qualiter præsens est, ideft quæ reperitur in supra positis propositionibus, in prædicatis earũ.

Ad finem obijcies, si mutatio suppositionis impediret contradictionem, hæc categorica propositio, *aliquis equus requiritur ad equitandum*, & similes non haberét sibi contradicentes; sed hoc videtur falsum, præsertim cum dicat Philosophus infra referendus, *negari contradictoriè posse quidquid affirmatur*; legatur 1. Periher. cap. 4. in fine ergo falsũ est, quod variatio suppositioni impedire possit contradictionem. maior probatur, quia si aliqua propositio illi contradiceret, maximè hæc, *non aliquis*, *vel nullus equus requiritur ad equitandum*, sed hæc illi non contradicit, quia in ea *equus* supponitur determinate, & distributiue; in antecedẽti vero an supponitur speciali confusione, quod facit ne propositiones sint eiusdem de eodem, & consequenter eas non finit contradici sibi.

Aristotel.

S. Tho. ibi.

368 Respódeo tamen eas, & similes propositiones quandoque habere sensũ contradictoriũ, quandoque non, & hoc plerumque attenta terminorum, ac signorum conditione, & natura, eum vero sensum colligendum esse ex intentione loquentis, continget enim aliquando ex intentione proferentis signum *aliquis* etiam in propositionibus, vbi sunt signa alia specialis confusionis, causare solam suam suppositionẽ determinatam, nihil faciente signo specialis confusionis, & tunc illa propositio *aliquis equus requiritur ad equitandum* erit falsa, & contradicet illi alteri negatiuæ veræ: aliquando vero signum *aliquis* relinquit suppositionem confusam, quam in equum induxit signum *requiritur*, & tunc nulla datur contradictio in eiusmodi propositionibus, sed ambæ manent subcontrariæ, & possũt esse simul veræ, etiam in materia naturali, vt supra in Sect. 7. dicebam. vnde credo in aliquo sensu aliquibus propositionibus simplicibus assignari non posse contradicentes, neque hoc assertum esse contra Philosophum, siquidem verum manet illud nempe *negari contradictoriè posse quidquid affirmatur*, si non omni euentu, & sensu, saltem in aliquo.

Aristotel.

Atque eadem doctrina applicari poterit illis propositionibus, & similibus *omnis mater habens filium, diligit ipsum, aliqua mater habens filium, non diligit ipsum*. quæ contradictoriæ non sunt, sed subcontrariæ, & simul veræ, quia faciunt hunc sensum *omnis mater habens aliquem filium diligit ipsum, aliqua mater habens aliquem filium non diligit ipsum*. quod vtrumque est verum casu, quo omnes matres diligerent singulæ singulos filios, & nulla diligeret suos omnes, erunt tamen contradictoriæ, si qui proferens hanc propositionem negatiuam *aliqua mater habẽs filium non diligit ipsum* distribuat relatiuum *ipsũ*, ex peculiari sua intentione intelligendo idem relatiuum *ipsum*, ac si foret *illum*, quod, vt superius dixi, sequitur naturam signi, quo immediate afficitur, & non sui antecedentis, vti facit relatiuum *ipsum*, secus verò contradictoriæ non erunt.

Postremo admoneo duo; primum est, quod in propositionibus affectis signo specialis confusionis, retinenda sit in vtraque eadem suppositio, vt supra non semel dictum est, & apparet in his contradictorijs, *equus requiritur ad equitandum*, *equus non requiritur ad equitandum*, quæ sunt sine dubio eiusdem de eodem siquidem de eodem equo vago, & confuse accepto affirmatur, & negatur necessitas ad equitandum. Secundum est recolendam esse doctrinam Sectionum duarum præcedentium, & memoriæ, commendandas regulas oppositionis variæ, vt facile quæque oppositiones obuiæ dignoscantur. Vide plura in P. *Arriaga* hic disp. 2. sect. 4. 369

SECTIO X.

Propositioni compositæ ex duplici cõtradicenti, aut pluribus, assignat Contradicentem, contra quosdam Doctos Iuniores.

Disquirimus in præsenti an huic propositioni compositæ ex duplici categorica sibi contradicenti, *Petrus currit, & non currit*, & alijs eiusmodi, assignari possit contradictoria. res videbitur alicui non tam vtilis, quam difficilis, & noua; sed quia inter magistros recentes præsertim Bæticę Prouinciæ est valde contro-

uersa,

uersa, prætermittenda non fuit, sed dicendum breui, ac dilucide quid in ea senserimus.

Sententia ergo nostra est prædictæ propositioni assignari posse contradictoriam, quæ communior sententia est, & probatur primo; quia tunc assignatur contradictoria alicui propositioni, quando eidem præponitur negatio *non*; siquidem, vt fert commune prouerbium, *non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem aduerbialem apponere*, sed huic propositioni *Petrus currit, & non currit* præponi potest negatio aduerbialis; ergo eidem assignari potest contradictoria. maior syllogismi est verissima. minorem esse veram ostendit hæc propositio *non Petrus currit, & non currit*. consequentia vero bene infertur.

370 Probatur secundo. illæ propositiones sibi contradicunt, quarum altera negat, quod altera affirmat seruatis reliquis requisitis, sed hæc propositio *non Petrus currit, & non currit* negat quod affirmat hæc *Petrus currit, & non currit* seruatis reliquis requisitis, ergo eę propositiones sibi contradicunt. maior est euidens. minorem manifestant sensus ipsi expressi propositionum ipsarum. Etenim prior propositio illa *Petrus currit, & non currit*, asserit hæc duo sunt vera simul, siue in veritate iunguntur Petrum currere, & simul non currere: posterior autem scilicet hæc *non Petrus currit, & non currit* negat illa duo simul esse vera, aut in veritate coniungi Petrum currere simul, & non currere, quos sensus contradictorios esse nemo non viderit; neque ego videre potui quæ alia requisita nũ seruent hæ propositiones ex ijs quæ requiruntur ad perfectam contradictionem de lege, quando vna est falsa, & impossibilis, altera necessaria & vera; alia affirmatiua, & alia negatiua; ambæ eiusdem de eodem; & quæ in nullo sensu, aut materia possunt esse, aut simul falsæ, aut simul veræ; vt manifestum fiet consideranti.

Probatur id ipsum tertio ex dialectico & communi præcepto supra statuto in Sect. 8. vbi monuimus quod si duæ propositiones oppositæ producantur in medium, de quarum oppositione dubitemus, præfigatur vni earum negatio non, & si reddantur æquipollentes, pro certo habeamus priores propositiones, de quarum oppositione dubitabamus, esse cõtradictorias. ad punctum ergo præfigamus vni ex his propositionibus, de quibus est disceptatio negationem *non*, & ambæ proferantur in medium sic, *non Petrus currit; & non currit. non Petrus currit, & non currit.* ecce apparent omnino æquipollẽtes, & eædem in verbis, & in sensu, ergo & hæ *Petrus currit, & non currit, non Petrus currit, & non currit*, sunt sibi contradicentes.

Ea sunt principia Logica certissima, quibus innititur nostra sententia, quæ negare ausi sunt aduersæ partis doctores contradicentes præterea Philosopho *Aristoteli* nostram veritatem non obscure exprimenti in 1. Periher. cap. 4. circa finem ibi, *omne vtique contingit, quod quis affirmauerit, negare, & quod quis negauerit affirmare. quare manifestum est quod omni affirmationi opposita est negatio. & omni negationi affirmatio, & sit hoc contradictio affirmatio, & negatio opposita. dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem æquiuocè, &c.* vbi Aristoteles tractando de contradictoria oppositione, vt notarunt *Conimbricenses* ex textu ipso, & ex *Boetio*, sentire videtur cuilibet affirmationi assignari posse negationem, contradictorie oppositam. consonat sibi 1. Topic. cap. 9. & *S. Thomas* ad illud 1. Periherm. lectione sua 9. *Aristotel.* *Aristotel.* *S. Thom.*

SECTIO XI.

Diluit aliquot argumenta, quæ probare intendunt propositioni compositæ ex duplici contradicenti vlterius contradici non posse.

PRimo obijcitur ex ipso Philosopho in 4. metaph. cap. 6. inter esse. & non esse, seu inter duo contradictoria non potest dari medium, ergo illa propositio *Petrus currit, & non currit*, non habet contradicentem. Probatur consequentia, quia si illa propositio haberet contradicentem, ea esset medium inter illas duas *Petrus currit, Petrus non currit*, concedi autem medium inter duas contractorias non est solum contra Philosophum, sed contra rationem naturalem. 371 *Aristot.*

Respon-

Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam; & ad probationem dicendum non dari mediũ inter esse, & nõ esse, neque inter duas contradictorias, licet admittatur tertia alia propositio contradicens toti illi propositioni compositæ *Petrus currit, & non currit*; quia talis propositio contradicens non contradicit singulis categoricis componentibus, seorsim sumptis, neque cum eis conuenit, quorum saltem alterum necessarium videtur, vt conuinceretur esse media inter duas contradictorias, sed toti propositioni compositæ ex vtraque categorica, quæ sine dubio habet sensum tertium compositum impossibilem sibi, secumque repugnans, ac proinde distinctum valde à sensibus contingentibus, singularum categoricarum, siue simplicium propositionum; qua propter hic tertius sensus nouus, atque compositus, quem facit hæc propositio grandis *Petrus currit, & non currit*, qui sic est, hoc vtrumque, nempe Petrum currere, & simul non currere est verum, contradici potuit ab ea propositione item grandi, sine composita, *non Petrus currit, & non currit*; cuius sensus est contradictorius præcedenti nempe hic hoc, vtrumque, scilicet, Petrum currere, & non currere simul, non est verum.

372 Objicitur secundo. istæ propositiones separatæ, *Petrus currit, Petrus non currit*; non habent alias contradictorias, quia ipsæ sibi mutuo contradicunt; ergo neque simul iunctæ, & copulatæ particula &, siue vt componunt propositionem grandem, siue hypotheticam, habebunt. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, & discrimen est, quoniam illæ propositiones, vt ibi dicebatur, sibi inuicem contradicunt, & propositio qualibet vna contradictoria sui contenta est, neque habere potest plures saltem expressas, & formales, cæterum illæ eædem propositiones semel, & simul vnitæ non sunt iam, quæ antea erant, siue non sunt vt antea erant, sed tertiam aliam distinctam propositionem maiorem, & tertium differentem alium sensum faciunt, cuius totius sensus contradictoria propositio, & contradictorius sensus inibi non est, & sic potendus foris est; inuenitur autem in illa propositione item maiori, *non Petrus currit, & non currit*.

Doctrinam solutionis huius, quæ cardo totius quæstionis est, declaro sic vberius: hæc propositio verbi gratia, *Petrus currit* facit hunc sensum *Pedro corre*, & hæc item seorsim sumpta, *Petrus non currit*, facit hunc sensum *Pedro no corre*; & ideo apud vtrinque disputantes hæc illius, & illa huius contradictoria est; coniunge tu modo propositionem vtramque & dic *Petrus currit, & non currit*, & feceris sine dubio tertiam propositionem distinctam multo à prioribus, licet constantem ex terminis priorum, quæ reddit hunc sensum impossibilem item diuersum à sensibus propositionum priorum seorsim sumptarum, *Verdad es que Pedro corre y no corre Iuntamente*. cuius contradictoria illa sola erit, quæ neget id ipsum, siue quæ dicat *no es verdad que Pedro corre, y Iuntamente no corre*, quod sine dubio enunciat hæc negatiua *non Petrus currit, & non currit*, est ergo hæc illius contradictoria. accedit in eiusdem confirmationem, quod istæ æquipollentes censebuntur contradictoriæ *verum est Petrum currere, & simul non currere. non est verum Petrum currere, & simul non currere*, quarum prima est falsa, & secunda vera.

Tertio obijcitur. ea propositio, nempe *non Petrus currit, & non currit*, non contradicit illi *Petrus currit, & non currit*; ergo neque ipsa est eius contradictoria, nec alia poterit assignari, quæ sit. Probas antecedens, quia illa propositio *non Petrus currit, & non currit*, quæ copulatiua, & negatiua est ex partibus contradicentibus, æquiualet huic disiunctiuæ ex partibus contradicentibus, & affirmatiuæ *Petrus currit vel non currit*, sed hæc tantum abest vt contradicat illi *Petrus currit, & non currit*, vt potius ex ea videatur inferri; ergo simili modo eadem propositio *non Petrus currit, & non currit* æquipollens disiunctiuæ, potius inferetur ex altera *Petrus currit, & non currit*, quam ei aliqua ratione opponatur. 373

Respondeo falsum esse fundamentum, quo potissime innititur contraria sententia, videlicet, quod propositio negatiua

ex partibus contradicentibus composita æquiualeat disiunctiuę affirmatiuę ex partibus item contradicentibus compositæ, vt & dicetur infra, quare negatur antecedens; quod tamen, vt semel apprehendant bene nostri lectores, attendant obsecro ad sensum vtriusque propositionis, & ipsi fiant iudices: hæc est negatiua copulatiua, *non Petrus currit, & non currit*, cuius sensus est, non est verum Petrum currere simul, & non currere, qui sensus verus & necessarius est, modo ambæ enunciationes categoricæ forent falsæ, modo altera sit vera, altera falsa; hæc vero est disiunctiua affirmatiua *Petrus currit, vel non currit*, quæ facit hunc sensum, saltem vnum ex his, nempe, vel quod Petrus currat, vel quod non currat, conuenit ipsi, & verum est, & necessarium; qui sensus diuersi sunt ab inuicem & inter se; ergo propositiones, quæ illos efficiunt diuersæ sunt, & non æquiualentes.

Quod autem sensus prædicti valde diuersi sint, licet quoad speciem non ita diuersi videantur, sic probo, & explico, etenim si supponas ad subtilius inuestigandam veritatem hoc impossibile, nempe quod Petrus neque currat, neque non currat, propositio *non Petrus currit & non currit* quæ vera erat ante impossibile, vera perseueraret, quia dicit hæc duo, scilicet, Petrum currere, & non currere, non sunt simul vera, neque Petro conueniunt simul, quæ enunciatio tam vera est si Petrus careat cursu tantum, vel tantum non cursu, atque si vtroque simul careret.

174 Exemplo fit res illustrior, *Cælum* dico ego, *non est simul calidum, & frigidum*, & dico verum, quia Cælum dicitur communiter nec habere frigus nec calorem, & licet haberet calorem, si tamen non haberet frigus, vel frigus sine calore haberet, vera item dixissem dicendo *Cælum nō est simul calidum & frigidum*, quoniam vel caret omnino his qualitatibus sublunaribus, vel vnam tantum habet, & sic nunquam est verum dicere quod habeat simul duas.

Ad punctum ergo illa propositio disiunctiua *Petrus currit, vel non currit*, quæ ab aduersarijs dicitur ęquipollere huic copulatiuæ, *non Petrus currit, & non currit*, esset falsa in illo euentu impossibili, quia assereret quod saltem vnum e duobus debuit Petro conuenire, nempe currere, vel non currere, quod in hypothesi, quod nec Petrus currat, neque non currat, est omnino falsum. sicut modo hæc falsa propositio censetur, *Cælum est calidum, vel frigidum*; Hypothesis autem illa, vt cernitis, destruit veritatem disiunctiuæ propositionis, & eius verum sensum enertit, non autem copulatiuæ. quod argumento est euidenti, eas ambas non esse æquipollentes quoad sensum, nam si æquipollentes essent, seu æque valentes, ictu vno conciderent simul; quod verum est maximè in consequentibus, quæ in alijs fundantur, vt in principijs, & ex eis vt ex antecedentibus originarijs inferuntur, quodque in præsenti eueniret, si vt contendunt aduersæ partis authores, vna ex prædictis propositionibus ex alia, vt ex antecedenti formaliter inferretur.

Contingit quidem (vt ingenue fatear) aliquando inferri ex copulatiua negatiua aliquo modo disiunctiuam affirmatiuam nam si verum non est, quod Petrus simul currat, & nō currat, ergo verum erit quod alteram prędicatum ex ijs illi cōueniat sub disiunctione, currere, videlicet, aut non currere, id autem non contingit necessario, neque semper infertur ratione formæ, vt apparet in cælesti exemplo; quidquid sit si aliquando id eueniat ratione materiæ, aut contingenter, propositio autem quæ infertur solum ratione materiæ, aut est absolute contingens, aut inter contingentes numeratur, composita cum illa, ex qua infertur, aut quasi infertur, idcirco illi, quæ semper vera, & necessaria est, æquipollere non potest quæ potest vera esse & falsa saltem in aliqua hypothesi possibili, vel impossibili, prima illa perseuerante vera.

Sectio

SECTIO XII.

Docti quidam Moderni limitarunt Doctrinam praecedentem, quę absolute assignauit contradictoriam cuilibet propositioni compositæ ex duplici contradicenti, introducendo quosdam sensus implicitos, qui tamen non sunt approbandi.

375 QVarto nobis objicitur. totus sensus huius propositionis *non Petrus currit, & non currit*, includitur in illa altera propositione *Petrus currit, & non currit*, ergo illi non contradicit, sed potius illi subalternatur, aut ex illa infertur, sicut propter eamdem rationem, & inclusionem, hæc propositio, *aliquis homo est animal*. subalternatur illi, *Omnis homo est animal*, & ei non opponitur vera oppositione: consequentia videtur euidens; antecedens probatur, quia hæc propositio *Petrus currit, & non currit*, affirmat quidem explicite, & expresse id vtrumque esse verum, & Petro conuenire, sed implicite affirmat etiam vtrumque esse falsum, seu non verum; nam qui dicit explicite semel verum esse Petrum currere, dicit virtualiter, & implicite falsum esse oppositum, nempe Petrum non currere, & similiter qui dicit explicite verum esse Petrum non currere, dicite implicite falsum item esse oppositum, nempe Petrum currere; ergo propositio composita, quæ dicit, & affirmat Petrum currere, & non currere, seu verum esse simul eum currere, & non currere, virtualiter simul, & implicite affirmat falsum esse vtrique ei asserto oppositum, nempe verum non esse Petrum simul currere, & non currere; qui quidem est sensus, & significatio explicita illius alterius affirmatiuæ propositionis: illi ergo hæc non opponitur. quod idem argumentum formari potest ad ostendendum sensum propositionis affirmatiuę vicissim includi in altera negatiua.

Propter hoc argumentum quidam Docti Recentiores, qui in præcedenti doctrina nobiscum sentiebant, admittentes pręfatos sensus virtuales implicitos, limitant communem nostram opinionem dicentes sensum implicitum vnius propositionis ex supra positis, non opponi sensui explicito alterius, nec vice versa, & sic eiusmodi propositiones sibi quidem inuicem contradici secundum sensus explicitos inter se comparatos, & item secundum sensus implicitos, sed nullo modo opponi vnam propositionem alteri sumptam secundum sensum implicitum comparatum cum sensu explicito alterius, vti supra in argumento declaratum fuit.

Et consectariè ad istos suos sensus implicitos, non verentur concedere propositionibus eiusmodi impossibilibus, & monstrosis compositis ex partibus contradicentibus, vt multis modis sibi contradicant, ac se destruant secundum varios sensus, & quod in vna, eademque propositione reperiantur simul affirmatio vnius rei explicita cum negatione rei eiusdem implicita, quo pacto putant affirmationem, & negationem non esse incompatibiles, vt inquiunt, veluti in hac, & similibus categoricis contingit, *homo est equus*, quæ explicite affirmat falso hominem esse equum, & implicite, & vere id ipsum negat, nam si homo est, equus non est, atque id ipsum indicare aiunt *homo* propositionis eius subiectum, & in hac propositione *nego consequentiam*, quæ explicite affirmatiua dicitur, quia negari potuit per illam *non nego consequentiam*, & tamen implicite negatiua est, quatenus implicite dicit consequentiam veram non esse. 376

Quod si eis opponas impossibile, & absurdum videri dari posse rem, aut creaturam de cuius essentia sit se destruere, cum potius res, & creaturæ omnes innato appetitu se suamque conseruationem, quantum possint, tueantur, & ideo esse impossibile quod propositio aliqua secum pugnet, ac se destruat secundum varios sensus, quamtumuis vnus ponatur implicitus, & alter explicitus.

Respondent sine scrupulo eam propositionem *Petrus currit, & non currit*, & similes vtpote mostrosas ex conditione sua, atque natura esse impossibiles, & innato appetitu se conseruare sibi contradicendo multis modis, & inimicitias perpetuas inter se gerendo, quia cum conditio, compo-

positio, & essentia earum constet ex partibus inimicis in inuicem, & contradicentibus sibi mutuo, nullo alio meliori modo conseruantur, quam sibi contradicendo, & eam contradictionem semper retinendo, quod adeo verum est, vt si similes propositiones concipias non inter se repugnantes; statim earum essentias dixeris destrui, ac perijsse.

377 Quod autem nullum inconueniens sit in eo, quod hæc propositio hypothetica v. g. *Petrus currit, & non currit*, perseueret sibi contradicendo secundum varios sensus, videlicet secundum explicitum, & implicitum, dicunt isti Doctores, vel cæci vident, si enim nullum censes inconueniens quod eadem propositio perseueret habendo duas partes inimicas, & duos partiales sensus explicitos sibi mutuo contradicentes, & se ipsos vicissim destruentes, quos manifeste cernis in hac parte *Petrus currit*, quæ tendit in destructionē alterius, & destruitur ab hac altera *Petrus non currit*, cur concedere recusas mutuam pugnam, & contradictionem inter sensus explicitos ex vna parte, & inter sensus implicitos ex parte altera in eisdem partibus propositionis, id quod intellectu videtur facilius?

Verum enim vero responsio, & limitatio hæc Recentiorum non arridet, etenim eosdem falli opinor in intelligētia horum sensuum implicitorum, qui si bene inspiciantur sui sunt, & non propositionum suarum vocalium, idcirco, vt rem hanc facile expediam, ita distinguendum censui: aliud est significatio & sensus propositionis vocalis, & aliud longe diuersum sensus, sententia, animus, & iudicium hominis proferentis propositionem: sensus illius est, quem voces faciunt, atque significant ex pristina hominum impositione & non alius: Proferentis autem sensus est sententia, & iudicium, quod dum loquitur solet retinere in mente, paratus quidem illum manifestare verbis, dum fit opus, aut velit.

Quando ergo quis dicit *Petrus currit*, prudens auditor duo percipit inter alia, quæ modo ad rem non pertinent, primum est *Petrum currere*, qui sensus est doctrinalis, & expressus, ad quem significandum verba illa fuerunt imposita. Secundum est sibi videri hominem istum, qui asseruit *Petrum currere* in animo suo sentire, aut saltem paratum esse ad sentiendum, oppositum esse falsum, nempe, *Petrum non currere*, & quidem; vt ingenue fatear, hunc interiorem sensum siue iudicium formale, aut actuale, vel saltem virtuale, quodammodo indicare possunt illa verba *Petrus currit*, quatenus illud non doctrinaliter, & ex impositione libera hominū, sed necessario quasi significant, siue, vt melius loquar, audientes non faciunt venire, quasi arguendo in cognitionem animi atque sententiæ intus latentis in proferente.

Ita enim homines constituti sumus, vt si cordate, & prudenter aliquid vt verum affirmemus, oppositum putemus, aut putauerimus non esse verum. hic autem sensus noster, qui quandoq; verbis sibi correspondentibus à nobis non exprimitur, dici quidem potuit implicitus, intus latens & virtualis, sed non proprie significatus per illa verba, quæ exprimunt oppositum, nisi abusiue valde remote, & arguitiue, vel ad summum significatus significatione non doctrinali, quam non esse aptam ad faciendum sensum, aut significationem, secundum quam inter se loquantur homines, & propositiones sibi contradicant, docuimus supra num. 191. quocirca neque isti sensus impliciti, neque Recentiorum subtilis hæc inuentio, & limitatio admittenda fuerunt, quidquid sit de bona illa doctrina circa destructionem propositionum in inuicem. 378

SECTIO XIII.

Declarat quid sit Aequipollentia propositionum simplicium de inesse, & quo pacto facienda, vbi de signorum omnium æquipollentia, & oppositione.

Aequipollētia est *duarum propositionū ex eisdem terminis constantium eadem vis sensus, & significatio proueniens ex diuersis signis*, vt apparet ibi, *aliquod animal est homo, nonnullum animal est homo*, quæ propositiones æquipollentē sēsum habent ratione illorum signorū diuersorum,

sorum *aliquod*, *non nullum*, sed omnino æquipollentium. vt vero monstrem quomodo fiant æquipollentes quæcunque propositiones, quamtumuis inter se repugnantes, pono tres regulas sequentes.

Prima est pro Contradictorijs conuertendis in æquipollentes, & sic est. si cuilibet ex contradictorijs preponatur negatio, aut signum *non*, fiet æquipollens alteri; vnde istæ cótradictoriæ *omnis homo currit, quidam homo non currit*, fient æquipollentes si dicas, *non omnis homo currit, quidam homo non currit*, vel *non quidam homo non currit, omnis homo currit*, quia idem valet signum *non omnis* atque *quidam non*, & *non quidam non* valet *omnis*.

379 Secunda regula est pro Contrarijs, nam si cuilibet ex contrarijs ponas post eius subiectum signum *non*, facies eam æquipollentem alteri, quare istas contrarias *omnis homo est animal, nullus homo est animal* ita reddes æquipollentes, *omnis homo non est animal, nullus homo est animal*; vel sic, *nullus homo non est animal, omnis homo est animal*, quia *omnis non* est quasi *nullus*, & *nullus non* valet *omnis*.

Tertia regula est pro Subalternis, etenim si cuilibet ex eis preponas vnam negationē, & postponas alterā post eius subiectū, effeceris sociē equipollentē, v.g. hanc propositionem *quidam homo currit*, quę subalternatur illi, *omnis homo currit*, ita reddes ei æquipollentem *non quidam non homo currit*, quia *non quidam non* valet perinde, atque signum *omnis*.

Pro Subcótrarijs vertendis in æquipollentes nō assignatur regula, quoniam si hæ subcontrariæ v.g. *aliquis homo currit, aliquis homo non currit* fiāt æquipollētes, debet poni in vna ex eis negatio, vel signum *nō* post subiectū, quod si fiat, vel eędē omnino voces inutiliter repetētur, vel negatio *non* otiose, & ridicule duplicabitur, vt si dicatur *aliquis homo currit, aliquis homo non non currit, aliquis homo nō currit, aliquis homo nō currit*, si autem alio diuerso modo, aut loco ponatur negatio *non*, propositiones istæ non fient æquipollētes, sed valde inter se differentes. Trium vero dictarum regularum Logicæ vocalis doctrina eo carmine continetur.

Præ *Contradic*. Post *Contra*. Præ Postq; *sub alter*. id est Cótradictorijs præponatur negatio. In Contrarijs ponatur post subiectū. in Subalternis ante, & post subiectū. vt fiāt omnes æquipollētes, vti supra declaratū est. & quoniam vt cernitis ex diuersitate signorum, æquiualentiū tamē inter se, prouenit æquipollētia propositionū, scribenda fuerunt alia carmina, quę continēt omnia fere signa, quę propositiones reddere solēt æquipollentes, *ea enim doctrina*, scribit Magnus Basilius in Principio Homiliarum in Psalmos, *quæ Carminibus continetur, fixius imprimitur animo*. ea vero sunt hæc.

Non omnis, quidam non; omnis non, quasi nullus.
Non omnis non, quidam; nonnullus non, quidam non.
Nonnullus, quidam; sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.
Non alter, neuter; neuter non, præstat vterque.
Alter, non neuter; Alter non, est non vterque.

Ad Carminum horum pleniorem intelligentiam aduerte primo, quod particula *non* à qua plerumque ac præsertim causatur æquipollentia, hic sumitur neganter semper, non infinitanter. secundo quod initio posita destruit, inuertit, ac negat omnino quidquid post se inuenit, & ideo signa reliqua, & propositiones vniuersales reddit, atque transmutando conuertit in particulares, & vice versa, & negatiuas facit affirmatiuas. tertio aduerte quod paritas negationum affirmat, imparitas vero negat. quarto, quod eadem negatio posita post signum non mutat eius vniuersalitatem, neque particularitatem, sed solum vertit signum, cui applicatur ex affirmatiuo in negatiuum, & e contrario; cum tamen signo præposita non solum mutet illud de affirmatiuo in negatiuum, seu de negatiuo in affirmatiuum; sed etiam illius vniuersalitatē in particularitatem, seu particularitatem in vniuersalitatem transmutet, atque conuertat. recolantur quæ circa hæc omnia signa dicta superius sunt in hac Disputatione 2. Quæst. 1. Sect. 9. & in præsenti figura inspiciantur eorumdem signorum æquipollentia, & oppositio. 380

Aequipollentia		Subcontraria		Aequipollentia
	Omnis. Nullus non. Non aliquis non. Vterque. Neuter non, idest binarij huius quilibet		Nullus. Omnis non. Non aliquis. Neuter. Non alter, idest binarij huius nullus	

Subalterna — Contra Dic toria. Contra Dic toria. — Subalterna

Aequipollentia		Subcontraria		Aequipollentia
	Aliquis. Nonnullus. Non omnis non. Alter. Non neuter, idest. binarij huius aliquis.		Aliquis non. Non omnis. Nonnullus non. Alter non. Nō vterq; idest binarij huius aliquis non	

381 Quinto adnotādum fuit ibi signum *omnis* sumi distrubutiue, atque signa illa mixta importare, siue significare binarium ostensum, seu demonstratum, vt apparet in ea figura: semper vero eiusmodi signa distribuunt, siue particularizant illud suum significatum in duo, aut circa duo, verumtamen etiam possunt, & solent importare binariū in omnia binaria cuiusuis generis distributū, vel in aliqua determinatum, ita vt *vterque.* & *neuter non*, perinde valeant atque *cuiuslibet binarij quilibet*, *neuter* & *non alter* idem valeant, quod *cuiuslibet binarij nullus*. & *alter*, & *non neuter*, idem *ac alicuius binarij aliquis*. & *alter non*, & *non vterque*. idem atque *alicuius binarij aliquis non*, in quo etiam sibi æquipollent ea signa, & inuicem opponuntur, vt consideranti manifestum est.

Sexto aduertēdum est circa signa in plurali, quod si ea sumantur in sensu clariori, & frequentiori, nempe ita quod significēt collectiones, & perinde sit dicere *omnes homines currunt*, ac dicere omnis collectio hominum currit; & *aliqui homines currunt* significet quod aliqua collectio hominum currit. de signis numeri pluralis atque de eorum æquipollentia, & oppositione idem sentiendum atque si forent de numero singulari, quod si in alio sensu minus claro prædicta signa sumantur, ita vt distribuant, vel determinent nō solum collectiones, vt declaratum est, sed etiam indiuidua omnia, & partes collectionum, ita vt perinde valeat *omnes homines*, atque cuiuslibet collectionis quilibet, & ita de reliquis signis; eorum æquipollētia & oppositio innotescet vsu, & obseruanti exercitatione ad alia transeamus & legat qui plura volet de æquipollentia Categoricarū de inesse *S. Thomam* in Opusculo 48. tract. de Enunciat. cap. 9. S. Thom.

SECTIO XIV.

Exponit quid sit Conuersio propositionum Categoricarum absolutarum; quotuplex; & quo modo facienda sit.

Conuersio est *transmutatio extremorum propositionis, seruata eadem qualitate affirmationis, & negationis*, 382 vt *aliquis homo est animal*, quæ ita conuertitur, ergo *aliquod animal est homo*. vbi prædicatum cōuersum est in subiectū, & subiectū vice versa in prædicatū. atque circa modum loquendi aduertatur, quod illa propositio, cuius extrema transmutātur, dicitur *conuersa*, illa vero quæ ex transmutatis extremis denuo fit, dicitur *cōuertens*. duo item alia adnotanda sunt circa

ca conuersionis definitionem, primum est, soiere aliquando propositionem conuersam esse falsam, & conuertentem esse veram. secundum est ex primo consequutum, nempe non semper mutuo se inferre istas propositiones, ita vt semper fiat argumentum bonum ab vna ad alteram, & vice versa, sufficit vnam inferri ex altera, quod semper contingit.

Triplex deinde est conuersio prima dicitur *simplex*, in qua nimirum eadem quantitas seruatur in vtraque propositione, nullaque particula denuo additur; quo modo conuertuntur propositio vniuersalis negatiua, vt hæc, *nullus homo est animal*, quæ sic simpliciter conuertitur, *ergo nullū animal est homo*: & item particularis affirmatiua, vt *aliquis homo est albus*, quæ ita cõuertitur, ergo *aliquod album est homo*. & ita de reliquis similibus propositionibus dicendum.

Secunda conuersio dicitur *per accidens*, in qua trāsmutanda sunt extrema propositionis, mutata quantitate, & seruata eadē qualitate affirmationis, & negationis; & isto modo idest per accidens conuertuntur vniuersales negatiuæ, vt *nullus homo est equus*, ergo *aliquis equus non est homo*; & vniuersales affirmatiuæ, vt *omnis homo est viuens*, quæ sic conuertitur, ergo *aliquod viuens est homo*. ista doctrina deficit in reductione modi *Baralipton*, vt vides infra num. 468.

Tertia conuersio nuncupatur *per contrapositionem*, quæ fit manentibus eisdē quantitate, & qualitate propositionis quoad affirmationem, vel negationem, mutatis tamen terminis, seu extremis quoad ordinē, & factis denuo infinitis ex finitis: quo pacto conuertuntur vniuersales affirmatiuæ, vt *omnis homo est substantia*, quam ita cõuertes, ergo *omnis non substantia est non homo*; & particulares negatiuæ, vt *aliquis lapis non est leo*, ergo *aliquis non leo, non est non lapis*. doctrina hæc his versibus comprehenditur:

> *Simpliciter* feci. *conuertitur* Eua *per acci*.
>
> Asto *per contra. sic fit conuersio tota*.

383 Notandæ sunt in tribus illis dictionibus, *feci. Eua. Asto*. quatuor hæ vocales *a. e. i. o.* etenim *a* denotat propositionem affirmatiuam. *e* vniuersalem negatiuam. *i* particularem affirmatiuam. *o* demum denotat particularem negatiuam. quod & hæc carmina monstrant.

> *Asserit* A. *negat* E. *sunt vniuersaliter ambo*.
>
> *Asserit* I. *negat* O. *sunt particulariter ambo*.

Ex quo fit vt particula *simpliciter feci* indicet conuertendas esse *simpliciter* omnes propositiones vniuersales negatiuas, & particulares affirmatiuas, vt supra dicebamus, & exēplificabamus. *Eua per acci*, denotat conuertendas esse per conuersionem dictā *per accidens*, propositiones vniuersales negatiuas, & affirmatiuas, item vniuersales. demum *Asto per contra* significat conuerti debere *per contrapositionem* vniuersales etiā affirmatiuas, & particulares negatiuas.

Conturbetur vero nemo, si viderit easdem propositiones conuerti posse multifariam, seu multis conuersionum generibus, sed obuiam quampiam propositionē conuertat vt velit, vtendo modo ista conuersione, modo illa, si vtraque vti potuerit; seruit autem ea varia conuersio ad melius penetrandam veritatem, quæ per quascumque propositiones enuncietur ad aliquid probandum, aut refellendum; contingit enim non raro, Auditori citius persuaderi mediante propositione conuertenti, quam conuersa, quia sæpe per aliqua verba intimius res, ac veritates dignoscuntur, quam per alia quamtumuis ęquipollentia, seruit demum potissimū conuersio ad sciēdum nouas, aut saltem modo nouo veritates significatas per propositiones conuertentes deductas ex conuersis, & vice versa, vti declaratur inferius. tractemus modo de alijs conuertendis.

Quod si subiectum, & prędicatum propositionis conuersæ, aut conuertendæ, sit singulare, vt ibi *Petrus est hic homo. Ioannes non est Paulus*. conuersio fiet *simpliciter* sic, ergo *hic homo est Petrus*, ergo *Paulus non est Ioannes*. si autem subiectum sit singulare, & prædicatum commune, & propositio sit affirmatiua, conuersio item fiet *simpliciter*, sed prædicatum particularizabitur, in hunc modum, *Petrus est iustus*, ergo *aliquis iustus est Petrus*. si vero 384 propositio illa de prædicato communi sit negatiua, præd catum eius mutabitur in particulare, vel vice versa, sic, *Petrus non est equus*. ergo *aliquis equus non est Petrus*; vel *nullus equus est Petrus*. si tamen

è contra subiectum propositionis sit commune, & prædicatum singulare. tam propositio vniuersalis affirmatiua, quam negatiua conuertitur *per accidens*, vt hæ *Omnis causa est Deus*, ergo *Deus est aliqua causa. nullus lapis est Petrus.* ergo *Petrus non est aliquis lapis.*

Ex doctrina præcedenti infertur propositionem conuersam, & conuertentem esse ferme æquipollentes, & posse, & solere duci argumentum ab illa ad hanc, vt exemplificando de facto deduximus, inferendo ex conuersis conuertentes. valet ergo semper argumentum à propositionibus conuersis ad suas conuertentes, & item à conuertentibus ad conuersas, vt ibi *nullum animal est homo. ergo nullus homo est animal*, excipe tamen propositionem vniuersalem affirmatiuam conuertentem, à qua sępe non valet argumentum ad conuersã, nam nõ bene colligitur *aliquod animal est ens*, ergo *omne ens est animal*, puta hanc secundam esse conuersam, illam priorem esse conuertentem; & ratio siue discrimen doctrinæ huius est, quoniam, vt infra edocemur, ex falso quandoque sequi solet verum, quandoque falsum, ex vero autem non nisi verum. legatur, si placet *Aristotel.* lib. 1. Prior. cap. 2. 3. & 4. vbi de conuersione tractauit & *S. Thomas* opusc. 48. tractatu de enunciat. c. 2. & de syllogismo cap. 2. & *S. Augustin.* to. 1. lib. de quant. animæ c. 25. *Aristotel. S. Thomas. S. August.*

QVÆSTIO IV.

De Propositione Categorica Modali ac de ipsius speciebus, & proprietatibus: vbi prius de Modo in communi, & modi multis differentijs.

QVoniam Modalis propositio, vt & ipsum nomen præ se fert, est propositio constans aliquo modo, oportet hic inprimis modum in communi, & modi varias differentias definire. est ergo modus *determinatio rei modificata*, vt ibi *homo albus currit*, vbi *albus* est modus determinans nomen *homo*, & ibi, *homo male loquitur*, modus *male*, determinat loquelam, & item illic, *homo necessario est animal*, vbi modus *necessario* modificando verbum *est*, denotat necessariam connexionem, & vnionem inseparabilem inter eius propositionis prædicatum, & subiectum.

Sed vero relictis alijs modis, qui non spectant ad præsens institutum, Tripliciter est modus vocalis, etenim, vt modo exẽplificabamus, alius est, qui modificat significationem nominis, vt *Petrus albus*, alius qui modificat significationem verbi, vt *male loquitur*, tertius demum, qui ita modificat significationem verbi, vt simul denotet vnionem, vel separationem inter prædicatum, & subiectum, vt *Petrus necessario est animal. impossibile est quod Ioãnes sit equus*. atque de hoc tertio genere modorum, de quibus solis agitur in præsenti, sunt isti quatuor modi sequentes, nempe *possibile*, *contingens*, *impossibile*, *necesse*, & his æquipollentes, ex quibus fiunt quatuor propositionum modalium genera, quæ iam declarare incipiam aduertendo prius ex modis, alios esse affirmatiuos, vt *necesse*, alios negatiuos, vt *impossibile*. legantur *S. Thomas* opusc. 40. & 48. tract. de Interpretatione, à c. 11. *Arist.* 2. Perih. cap. 3. *S. Thom. Aristotel.*

SECTIO I.

Explicat quid, & quotuplex sit propositio categorica modalis in communi, in qua enunciatur connexio, aut disiunctio inter prædicatum, & subiectum; ipsius quantitatem, qualitatem, & materiam, & varia doctrina, & vtilia consectaria.

PRopositio ergo modalis *est oratio affecta aliquo modo denotante vnionem, vel disiunctionem, siue repugnantiam inter eius prædicatum, & subiectum*, vt hæ, *Deum esse bonum est necesse. Petrum esse asinum est impossibile. Ioannem esse doctum est possibile. Franciscum esse musicum est contingens.* & quidem in prima propositione modus *necesse* denotat Deo perpetuo, & inseparabiliter inesse bonitatem: in secunda modus *impossibile* indicat omnimodam repugnantiam esse in vnione essentiæ asini cum essentia Petri. in tertia *possibile* innuit doctrinam inesse posse Ioãni. ac demum modus *contingens* significat contingere posse, quod sit musicus Franciscus.

386 Deinde propositio modalis est duplex altera *nominalis*, altera *aduerbialis*. Nominalis est, quæ constat modo, quod sit nomen, vt hæc *Petrum currere est contingens*, & reliquæ præscriptæ. aduerbialis est quæ importat modum, qui est aduerbium, vt hæ & similes, *Paulus necessario est viuus. Antonius loquitur cõtingenter*.

Subdiuiditur propositio modalis in *diuisam, & compositam*, diuisa modalis est, in qua affirmatur, vel negatur prædicatum conuenire subiecto, sed non pro eodem tempore, supposito, vel forma composita vero est quæ idem affirmat vel negat pro eodem tempore, supposito, & forma. exẽplarem illustrẽt. primum est pro tempore, & sic est, *omnem mundi regionem illuminari à Sole est necesse*, quæ propositio si diuisa dicatur esse, siue accipiatur in sensu diuiso, est vera, quia eius sensus est, omnem orbis regionem necessariò illuminari à sole successiue, & in diuersis tẽporibus, quod verum est, quod si dicatur cõposita siue sumatur in sensu composito, falsa est, vt ex terminis cernitur. legatur *S. Thomas opusculo* 40. vbi docet quando modalis sumatur in sensu composito, & quando in diuiso, & quomodo sit, aut non sit vera, & de Verit. q. 2. ar. 12. ad 4.

Secundum exemplum *pro supposito* est hoc, *omnem personam diuinam esse Patrem est impossibile*, quæ propositio in sensu diuiso falsa est, quoniam affirmat esse impossibile hanc personam diuinam, nempe primam Trinitatis esse Patrem. vera tamẽ est in sensu composito, quia omnes personæ diuinæ simul non possunt esse Pater, siue persona sola Patris; nec enim in diuinis sunt tres Patres, sed vnus est Pater. Tertium exemplum pro *forma* est, *album esse nigrum est possibile* quæ si diuisa est, siue in sensu diuiso sumpta, vera est, quia dicit posse subiectum, quod modo habet formam albedinis, & propterea album est, esse nigrum acquirendo formam nigredinis priori relicta, siue destructa: si vero composita sit, siue sumatur in sensu composito, est falsa, quia dicit, posse simul esse naturaliter in eodem subiecto formas incompossibiles, atque contrarias nempe albedinem, & nigredinem simul, quod est falsum.

Vnde colligitur primo eandem propositionem esse in sensu diuiso veram, & in composito falsam, & è contra, vt apparet in exemplis adductis. Secundo eandem propositionem in vno sensu esse compositam, & in alio esse diuisam, & sic oportere loquentem declarare se, ac dicere quando vtatur sensu diuiso, quando composito, alioqui a respondente distinguenda erit propositio modalis, vt æquinoca, *Aristotel.* quamuis *Aristoteles* quantum ex eo colligere potuit Doctissimus *P. Mentoya* de scientia Dei, disp. 33. sect. 1. a num. 1. nunquam explicuit in propositionibus modalibus alium sensum præter compositum, vnde factum est olim vt propositiones modales, quæ verificari non poterant in sensu composito, falsæ censerentur, legatur iste doctor ibi.

Tertio colligitur bene argui ab vniuersali diuisa ad particularem, vt si dicatur 387 *omnem hominem legere est possibile*, ergo *Petrum vel aliquem hominem legere est possibile*. non tamen valere argumentum ab vniuersali composita ad particularem dicendo, *omnem regionem orbis illuminari a sole est impossibile*, ergo *aliquam regionem illuminari à sole est impossibile*, alioqui daretur antecedens verum & consequens falsum, ex vero autem nil sequitur nisi verum.

Nota hanc propositionem, & similes, quæ reduplicatiuè efferuntur, præ se ferre, & clare sensum compositum. *Petrus pro vt sedet, non potest ambulare*; illam vero, quæ specificatiuè dicitur, sensum diuisum, *Petrus sedens potest deambulare*, quia scilicet Petrus licet habeat *potentiam*, quam dicunt *simultatem*, idest simul habeat potentiam ad deambulandum & ad non deambulandum, non tamen habet, *potentiam simultatis*, idest ad coniungendum deambulationem, & quietem simul, quia id est impossibile, & *ad impossibile non datur potentia*, vnde bene dicunt Theologi in materia de libero arbitrio, quod ex suppositione quod Petrus libere amet aliquid, & eius voluntas sit cõposita cũ amore circa aliquid, pro tunc in eo sensu composito voluntatis cum amore, non potest id odisse, præterquã in sensu diuiso, idest postquã reliquerit talẽ actũ amoris, & ideo non valet à sensu diuiso ad compositum; sicut nec a simultate potentiæ ad potentiam simultatis, vt sit consideranti manifestum.

Pro

Pro quantitate modalium notandum est primo, duos illos modos *necesse*, *& impossibile* & æquiualentes dici vniuersales; alios vero duos *possibile*, & *contingens*, qui in præsenti nihilo differunt, & similes, dici particulares. Secundo, in eiusmodi propositionibus & esse *modum*, qui iam declaratus est; & esse *dictum*, quod est id, quod in eis dicitur affirmando, vel negando, v. g. dictum huius propositionis *Petrum currere est contingens*, est illud, *currere* quod de Petro affirmatur,
388 modus vero est illud *contingens*.

Tertio aduertendum est circa modum efferendi has propositiones; perinde valere propositiones de infinitiuo recto à modo, ac de præsenti, sic efformatas, *Petrus necessario est animal Ioannes contingenter currit*. quæ omnino æquipollent illis, *Petrum esse animal est necesse. Ioannem currere est contingens*. & ita de reliquis dicendum: & sane illæ primæ & faciliores intellectu & frequentiores in scholis sunt, istæ de infinitiuo non scio ad quid ita efformatæ sunt à Dialecticis, si non, ad Tyrones ab earū studio submouendum.

Propositio ergo modalis potest, & solet esse vniuersalis de dicto, & de modo simul, vt hæc, *omnem personam diuinam esse sanctam est necesse*. vel ita, *omnis persona diuina necessario est sancta*, vel etiam potest & solet esse particularis simul de dicto, atque de modo, vt hæc, *aliquē hominem currere est contingens*, aut ita, *aliquis homo contingenter currit*. potest etiam propositio modalis esse mixtæ quantitatis, nempe particularis de dicto, & vniuersalis de modo, vel è contrario, vniuersalis de dicto & particularis de modo; præualet autem ex voluntate communiori Doctorum, vniuersalitas, vel particularitas modorum; & ideo propositio vniuersalis de modo, licet aliunde sit particularis de dicto, absolute iudicatur vniuersalis; & vice versa, particularis de modo, & vniuersalis de dicto, censetur absolute particularis; sunt autem modi vniuersales *necesse*, *& impossibile*, & particulares, *possibile & contingens*, vt supra dictum est, & dicetur vberius infra; quando vero dicta vniuersalia sint, quando particularia, facile apparebit contemplanti.

Sed vero circa qualitatem huiusmodi propositionum notandum est quarto, earum veritatem non solum sumi ex dicto; sed etiam ex modo, vnde hæc propositio est falsa, *Petrum currere est necesse*; sicut hæc *Petrus necessario currit*, licet in hoc tempore Petrus currat, & dictum sit verissimum, nam ratione modi *necesse*, tota propositio falsa fit: ex quo colligitur omnes propositiones modales veras, esse item necessarias, & omnes falsas, esse item impossibiles, & nullam esse contingentem, quod euidens est consideranti quod attinet ad propositiones de *necesse*, & *impossibile*, quoad cæteras sic persuadetur.

Etenim hę propositiones *Petrum currere est contingens. Ioannem esse albū est possibile*, & similes omnes de *possibile*, *& contingens*, sunt veræ, & omnino necessariæ, quia prior affirmat cursum Petro conuenire cōtingenter, posterior vero affirmat possibile esse quod Ioanni adhæreat albedo, quorum quodlibet subiecto suo necessario cōuenire, nemo nō viderit; hæ autē sunt falsę & impossibiles *Paulum esse equum est contingens*, *equum esse hominem est possibile*, quoniam impossibile omnino est quod Paulus sit equus, & quod equus sit homo. 389
lege S. Tom. Opusc. 48. tract. de syllogism. cap. 14. S. Thom.

Rursus notetur quinto circa qualitatē, quod illa propositio, in qua negantur simul dictum, & modus, est negatiua de vtroque, quod si affirmantur, erit affirmatiua de vtroque, si vero modus negetur, & dictum affirmetur, vel è cōtra, fiet propositio affirmatiua de vno, & negatiua de altero, idest affirmatiua de modo, & negatiua de dicto, vel e contrario. quando autem modus fuerit nomen, is præualet: vnde si negetur ea propositio, vbi sit talis modus negatus, negatiua absolute censebitur; & similiter si affirmetur, affirmatiua iudicabitur; quod si modus sit aduerbium prę-ualet dictum, & ideo propositio erit affirmatiua, aut negatiua secundum affirmationem, vel negationem modorum, quæ nomina sunt, sicut *possibile*, & *contingens*, & *impossibile*, & huiusmodi. modi vero aduerbiales, siue quæ sunt aduerbia sunt *necesse*, *necessario*, *possibiliter*, & similia, vt initio sectionis dicebamus.

Sexto & vltimo adnotandum fuit quod; est duplex materia propositionum modalium, alia elucet in dicto, altera in modo. materia, quæ reperitur ex parte dicti, est con-

connexio, vel repugnantia inter dicti prędicatum, & subiectum, eaque est triplex, nempe naturalis, contingens, & remota, vt superius in q. 3. Sect. 1. declaratum fuit. quare repetẽdo nonnulla ex dictis ibi, illa propositio modalis erit in materia naturali, cuius prædicatum necessario conueniat subiecto, vt hæc *Deum esse bonum est necesse*, nam bonitas necessario Deo inest, & conuenit, & illa erit in materia contingenti, in qua prædicatum conueniat subiecto contingenter, vt hæc, *Petrum esse sapientem est contingens*. illa denique erit in materia remota, cuius prædicatum repugnet subiecto, vt hæc, *Deum esse mendacem est possibile*.

390 Materia vero, quæ elucet ex parte modi, quæ in eiusmodi propositionibus præualet, & magis attenditur, & iuxta quam solam absolute iudicatur de materia earum, est tantum duplex; quoniam, vt nuper dicebam, numero præcedenti, omnis propositio modalis, aut est necessaria, aut impossibilis, & sic vel in materia naturali, vel remota; illæ ergo propositiones erunt in materia naturali, & necessaria, quarum dicta recte cohæreant cum modis, qualiter sunt hæ, & omnes modales veræ, *Deum esse iustum est necesse. Petrum esse album est possibile. aliquem hominem currere est contingens*. illæ vero sunt in materia remota, quarum dicta repugnant, seu non bene cohærent cum modis, vt hę *Deum esse iniustum est possibile. leonem esse equũ est necesse*. quomodo etiam sunt quotquot sunt falsæ.

SECTIO II.

Declarat Aequipollentiam, & Oppositionem Modalium de termino singulari; sed prius modorum æquipollentiam, & item oppositionem.

SVpra dicendum fuerat duplicem esse modalem compositam, de qua modo tractamus. prima est de subiecto singulari sic nuncupati, quia eius subiectum est terminus singularis, vt hæc, *Petrum currere est contingens*. altera dicitur de subiecto cõmuni, quia subiectum eius est terminus communis, vt *hominem esse animal est necesse*. in hac ergo Sectione sermo erit de æquipollentia & oppositione modalium de subiecto singulari, in sequenti de modalium de subiecto communi. Quoniam vero æquipollentia & oppositio propositionum proueniunt ex æquipollentia & oppositione modorum, notandum quoque fuit ex dictis, modum *necesse*, se habere vt *omne*: *impossibile*, vt *nullum*: *possibile* & *contingens*. vt *aliquid*: *possibile non*, & *contingens non*. vt *aliquod non*: vt in carminibus sequentibus & in figura monstratur. 391

Omne necesse valet; impossibile nullum.
Possibile quiddam; quiddam non possibile non.
Contingens quiddam; quiddam non, contingens non.





392 Quatuor istæ dictiones inuentæ sunt à Dialecticis ad facilius capiendam modalium æquipollentiam, nempe *Purpurea. Iliace. Amabimus. Edentuli.* in quibus annotantur quatuor literæ vocales *A. E. I. V.* litera *A.* significat modalem affirmatiuam de dicto & de modo. *V.* negatiuam de vtroque. *I.* affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo. *E.* negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo. quam doctrinam carmen illud complectitur.

E dictum. negat. *I.* que modum. nihil
A. sed *V.* totum.

Et sane in præposita figura manifeste ad oculum apparet qui, & quales modi sibi æquipolleant, & inter se opponantur in *Purpurea. Edentuli.* & reliquis dictionibus, & quo modo; & consequenter qui ex eis sint vniuersales, qui particulares, quique affirmatiui, & negatiui, & finaliter qui modi ordinentur ad faciendas propositiones æquipollentes, & oppositas quolibet oppositionis genere. Sed ad maiorem lucem addendum est primo, negationem *non* positam in propositione post modum, non negare modum, sed dictum solum, quod ibi regitur à modo; positam vero ante modum, negare quidem ipsum modum.

Secundo aduertendum est in qualibet istarum dictionum. primam vocalem earumdem denotare propositionum *de possibili*, cui directe scripta correspondet; secundam, propositionem de *contingenti*; tertiam, *de impossibili*, quartam, *de necesse*; & hoc denotant præfatę vocales præter alia munera, quæ ab ipsis paulo superius. præstari diximus. prædictæ ergo dictiones recto ordine compositæ ponunt ante oculos in præsenti figura æquipollentiam, & oppositionem modalium compositarum de subiecto singulari.

Sed

in Pur. pu. re. a. — *Aequipollentes*		in I. li. a. cę. — *Aequipollentes*
Petrum non currere non est possibile.		Petrum currere non est possibile.
Petrum non currere non est contingens.	*Contraria.*	Petrum currere non est contingens.
Petrum non currere est impossibile.		Petrum currere est impossibile.
Petrum currere est necesse.		Petrum non currere est necesse.

Subalterna. — *Contra Dic toria.* — *Contra Dic toria.* — *Subalterna.*

in A. ma. bi. mus. — *Aequipollentes*		in E. den. tu. li. — *Aequipollentes.*
Petrum currere est possibile.		Petrum non currere est possibile.
Petrum currere est contingens.	*Subcontraria.*	Petrum non currere est contingens.
Petrum currere non est impossibile.		Petrum non currere non est impossibile.
Petrum non currere non est necesse.		Petrum currere non est necesse.

393 Sed ingeniosus & studiosus Tyro non contentus doctrina præcedenti sic generaliter tradita, expostulare videtur, vt illi nos practice, vt assolemus, declaremus magis in particulari facere, & nosse facilè modales æquipollentes, & oppositas quacumque oppositione, huic ergo postulationi nos acquieuimus, & vt felicius postulata res omnis peragatur, ex supradictis quatuor potissimum memoria retineri mandamus, Primum est fieri in mente memoriam quasi localem de modo, quo illæ quatuor solemnes dictiones *Purpurea. Edentuli.* & reliquæ opponantur inter se, id quod facile fiet intuendo sæpe præscriptam figuram. Secundum est adnotari diligenter vim literarum quatuor, quibus constat vnaquęque quatuor earum dictionum, nempe secundum negationem, vel affirmationem, quam indicant, contentam illo Carmine, quod incipit *E. dictū negat.* Tertio recordari iubemus quod prima quælibet dictionis cuiuslibet ex dictis quatuor, litera, vel syllaba denotet modum *possibile*, secunda modum *contingens*, Tertia modum *impossibile*, Quarta modum *necesse*, Quarto denique recolatur ex dictis in qualibet dictione sibi æquipollere propositiones efformatas iuxta exigentiam literarum vocalium dictionis correspondentis.

His ergo quatuor documentis memorię commendatis, sic ego facile deprendo, & facio æquipollentes in *Purpurea*, v. g. assumo eius dictionis primam syllabam *Pur.* & quia, vt memini, *V.* totum negat, sic propositionem de *possibile*, formo *Petrum non currere non est possibile* negando dictum, & modum; deinde sumo secundam syllabam *pu.* correspondentem modo *contingens*, & dico sic negando item totum, *Petrum non currere non est contingens*; tertio sumo tertiam syllabam *re.* correspōdentem modo de *impossibile*, & quoniam vocalis *E.* dictum negat tantum, sic efficio modalem, *Petrum non currere est impossibile*, quarto denique assumo vocalem *A* quæ correspondet modo de *necesse*, & me docet nihil negare, & ideo sic facio, *Petrum currere est necesse*, atque eodē modo facere possum æquipollentes in alijs dictionibus sequutus syllabarum suarum significationem.

Feci æquipollentes in *Purpurea* de termino 394

mino singulari, & eodem modo facere possem de termino communi; nunc placet ostendere & efficere contradicentes eidem dictioni, quod ita exequor *Purpurea*, & *Edentuli* sibi mutuo contradicunt, Idcirco illi modali primæ suprafactæ in *purpurea*, nempe *Petrum non currere non est possibile* contradicit hæc item de *possibile in Edentuli*, iuxta quod indicat prima vocalis E. *Petrum non currere est possibile*, & similiter facile assignabuntur reliquis propositionibus suæ contradictoriæ formatæ secundum exigentiam vocalium reliquarum dictionis *Edentuli*.

Et simili modo & proportione sua assignabuntur quoque contrariæ, subcontrariæ, & Subalternæ, semper attendendo ad oppositionem ipsarum dictionum: formatis autem oppositionibus contradictorijs, aut contrarijs, siue aliter quomodolibet, illico necessario resultat contrarias esse quasi vniuersales ambas, & ex contradictorijs vnam esse vniuersalem, aliam particularem, & similiter ex subalternis; Subcontrarias verò semper esse particulares, aut quasi particulares iuxta vim modorum declaratam in principio sectionis, & illis carminibus contentam, quæ incipiunt *omne necesse valet*.

SECTIO III.

Superaddit speciales aliquot regulas pro facienda oppositione Modalium compositarum de termino communi; vbi de earundem æquipollentia, & conuersione remissiuè.

Congerunt hic dialectici documenta plura pro faciendis, dignoscendisue oppositionibus propositionum modalium
S. August. sup. n. 178. harum de termino, dictione communi, & veritus ne illa præ multitudine sua confusionem, vel fastidium pariant studentibus, doctrinam de oppositione eiusmodi propositionum procuraui reducere, in quantum fieri potuit, ad terminos iuris communis, hoc est ad regulas generales, quas proponebam supra in q. 3. sect. 8. à nu. 359. tractando de oppositionibus de lege: superaddam nihilominus breui, si quę speciatim superaddenda postularint oppositiones præsentes, doctrina vero generalis erit, & seruiet modalibus quibuscumque propositionibus faciundis; & quidē quoniam oppositio, & æquipollentia modalium de termino communi postulat non tantum oppositionem, & æquipollentiam modorum suorum, verum etiam debitam sibi quantitatem ex parte dicti; idcirco in hac sectione seorsim illam dilucidamus.

Colligendo ergo ex dictis in illa q. 3. illę duæ modales, de quarum oppositione dubitabas, sunt contradictoriæ, quas, vni earum præposita negatio *non*, reddat æquipollentes; illæ vero sunt contrariæ, quarū altera per negationem præfixam reddatur Subalternata alteri sociæ: illæ autem sunt Subcontrariæ, quarum altera per negationem præpositam fit Subalternans, & inferens alterā: illæ demum Subalternæ sunt, quarum altera infert alteram, quin ab ea vicissim inferatur, regularum harum veritatem experiri debet diligens Tyro exercitando se in varijs propositionibus, & examinando eas secundum exemplar, quod infra monstrandum erit in figura. 395.

Vnde qui volet assignare contradictoriam alicui modali, ei præponat negationem aduerbialem sic, *omnem hominem currere est necesse*; cui contradicit hæc, *non omnem hominem currere est necesse*. deinde qui velit assignare alicui contrariā, quęrat propositionem aliquam ex his, quę Subalternant, & inferunt illius contradictoriam, sic *aliquem hominem currere non est possibile*, cui contrariatur hæc, *aliquem hominem non currere non est possibile*, quoniam hæc infert, & Subalternat illam, *aliquem hominem currere est possibile*, quæ est contradictoria illius primæ. Tertio, si autem voles assignare alicui suam Subcontrariā, quæres illi vnā ex propositionibus, quas infert, & Subalternant illius contradictoria sic, *aliquem hominem currere est contingens*, cui subcontrariatur hæc, *aliquem hominem currere non est contingens*, quia infertur ab illa *aliquem hominem currere non est contingens*, quæ contradicit illi primæ.

Denique qui velit assignare alteri Subalternatam, quærat propositionem, quæ ab illa inferatur & illam non inferat, vti hæc *aliquem hominem currere est possibile*, quæ subalternata est respectu illius *aliquem hominem non currere non est possibile*; & è contra, qui volet assignare Subalternantem alteram, siue inferentem ipsam,

ſam, quærat propoſitionem, quæ ipſam inferat, quin viciſsim ab ea inferatur, & ideo hæc *omnem hominem currere eſt neceſſe*, eſt Subalternans illius, *omnem hominem non currere non eſt neceſſe*, ſiue *nullum hominem currere non eſt neceſſe*.

396 Poſtremo aduerte duo. primo, licitum eſſe inuertere modales quaſque propoſitiones, vt melius earum oppoſitio, & æquipollentia noſcantur; vnde ſic poterunt afferri *neceſſe eſt omnem hominem currere*; *non eſt neceſſe omnem hominem currere*, vel ſic, *omnis homo neceſſario currit. non omnis homo neceſſario currit.* & ſic reliquæ. ſecundo, æquipollentiam, & conuerſionem inueſtigandas eſſe; & efficiendas ſecundum regulas poſitas ſupra à nu. 378. & 382. & paſsim in Summularum Authoribus præſertim *Toleto* lib. 3. cap. 5. & *S. Thoma* in tract. de ſyllogiſmo, opuſculo allegando cap. 3. quæ hactenus docuimus contemplanda ſunt in præſenti figura, & quæ relicta fuerint in Logica *S. Thoma* Opuſculo 48 de enunciatione cap. 13. & alijs nouioribus Dialecticis. S. Thom. S. Thom.



QVÆSTIO V.

De propoſitione Categorica Modali exponibili in communi, de ipſius proprietatibus, & ſpeciebus.

Propoſitiones exponibiles illæ dicuntur, quæ propter obſcuritatem terminorum, aut particularum, quibus conſtant, ſunt obſcuræ, & propterea indigent expoſitione, quæ fiat per exponentes propoſitiones alias æquipollentes quidem, ſed clarioribus terminis conſtantes, atque exponibilium propoſitionum multæ ſunt ſpecies differentes, quarum aliæ nominantur *excluſiua*, aliæ *exceptiua*, aliæ *reduplicatiua*, aliæ *inſolubiles*, dictæ *reflexiua*, & *falſificantes*, de quibus omnibus dicemus nonnihil in ſequentibus. 397

SECTIO I.

De Natura seu essentia, & Oppositione Exclusiuarum propositionum.

PRopositio exclusiua est, quæ habet aliquam ex istis dictionibus, quæ semper excludunt aliquid, *tantum. duntaxat. solum.* & si quæ sunt, similibus, vt hæc *tantum homo est rationalis.* eaque est tripliciter iuxta earum particularum vim triplicem, aut triplicem applicationem, etenim primo applicantur, & vim suam exercent supra prædicatum propositionis, vti ibi, *Apostoli Dei sunt tantum duodecim.* secundo supra subiectum, vt hic *tantum homo est rationalis.* tertio supra copulam propositionis, vt in hac, *Adamus tantum fuit peccans peccato inobedientiæ.* idest peccauit tantum in tempore præterito, non in alio. vnde iuxta variam applicationem particulę exclusiuæ fiunt tres species exclusiuarum.

S.Thom. 1.par.q.31. a.3.ad 2.

Prima ergo earum species, idest, illæ propositiones, in quibus modus, vel dictio *tantum* cadit supra prædicatum, si fuerint affirmatiuæ, exponendæ sunt per hypotheticas copulatiuas, in quibus affirmetur prædicatum de subiecto, de quo negabitur quoduis aliud prædicatum eiusdem generis v. g. hæc propositio *elementa sunt quatuor tantum*, ita exponitur *elementa sunt quatuor, & non plura.* & hæc *homo est tantum animal rationale*, ita, *homo est animal rationale, & nil aliud est.*

Si autem propositiones eiusmodi negatiuæ fuerint, exponendæ erunt per hypotheticas disiunctiuas, ita vt in prima propositione categorica negetur prædicatum de subiecto, & in secunda de subiecto eodem affirmetur aliud prædicatum eiusdem generis, quare ista propositio *elementa non sunt tantum tria*, sic exponitur, *elementa non sunt tria, vel sunt plura*, de expositione vero huius primæ speciei exclusiuarum, & illius tertiæ nihil præterea dicendum occurrit.

398 Secunda species exclusiuarum, in quibus dictio exclusiua afficit subiectum ab eo alia excludendo, variæ exponitur secũdum varietatem affirmationis, & negationis, quæ quia solent contingere quadrupliciter iuxta totidem oppositionum genera, pro singulis regulæ traduntur, & prima sic est. propositio, in qua affirmatur dictio, & verbum, seu copula, vt hęc *tantum homo est rationalis*, exponitur per hypotheticam copulatiuam, in cuius priori parte affirmandum est idem prædicatum de subiecto, & in secunda negandum de alio quocumque in hunc modum, *homo est rationalis, & nihil aliud præter hominem est rationale*, siue *cætera omnia non sunt rationalia*, & ideo dicitur similes propositiones exponi per *Iste*, vti declaro infra.

Secunda regula est, propositio exclusiua, in qua simul negatur dictio, & copula verbalis, exponatur per disiunctiuam ex eisdem extremis constantem, cuius prima pars sit vniuersalis affirmatiua, & secunda particularis negatiua, idest exponatur per *Clano*; quare hanc propositionem *non tantum homo non est rationalis* expone sic, *omnis homo est rationalis, vel aliquid aliud præter hominem non est rationale.* Tertia regula sit, propositio exclusiua affirmatiua de dictione, & negatiua de copula, exponitur per hypotheticam copulatiuam eisdem extremis constantem, cuius prior pars sit particularis negatiua, & posterior vniuersalis affirmatiua, hoc est per *Preram*, quare hanc propositionem, *tantum homo non est rationalis*, sic expones, *homo non est rationalis, & omne aliud ab homine distinctum est rationale.*

Denique quarta regula esto. propositio negatiua de dictione, & affirmatiua de copula, exponi debet per disiunctiuam, cuius prima pars sit vniuersalis negatiua, & secunda particularis affirmatiua, nempe per *Regis*, vt hæc *non tantum homo est rationalis*, quæ sic exponitur *nullus homo est rationalis, vel aliquid aliud ab homine est rationale.* vt vero regulæ prædictæ eluceant magis exemplificabo inferius afferendo pro exemplari propositiones contingentes, quibus melius adnectuntur signa, tum vniuersalia, tum particularia.

Vt autem doctrina regularum istarum
plenius capiatur & a Tyronibus memoriæ 399
commendetur, & executioni; & quo facilius possint exponere quascunque exclusiuas

siuas

fiuas ad quoduis Thema propositum persuadendum, inuenere Dialectici magistri quatuor voculas quasi mysteriosas, quæ sunt hæ *Iste*. *Regit*. *Proram*. *Clauo*. in quibus reperiuntur quatuor illæ solemnes vocales a. e. i. o. quarum virtus, & significatio quoad vniuersalitatem, & particularitatem, quoad affirmationem, & negationem indicari superius dicebamus in illis carminibus, quæ incipiunt *asserit A. negat E.* &c. dictio ergo siue vocula *Iste* denotat propositionem exclusiuam affirmatiuam de dictione, & copula, exponendam esse per hypotheticam, cuius prior categorica sit particularis affirmatiua, posterior vero vniuersalis negatiua; & similiter indicant voculæ reliquæ, vt paulo antea adnotabam, & ne eadem sæpius repetam, omnem doctrinam ob oculos proponet præsens figura, in qua diligenter notetur situs istarum vocularum, vt sine difficultate, propositionum, quas illæ indicant, nimirum exponibilium exclusiuarum, & expontéium simul oppositio contraria, contradictoria, subcontraria, & subalterna dignoscatur.



400 Circa particulas, modos, signa, & dictiones exclusiuas, nam totidem ijs nominibus dicuntur, aduertendum fuit ab eisdẽ solum excludi ea, quæ excludenda sunt iuxta subiectam materiam, vnde quando dicitur *Petrus tantum est domi*, non excluduntur catelli, muscæ neque alia plura, quæ domi solent esse, sed solum homines alij. deinde quando dicat aliquis *Ioannes tantum est Grammaticus*, solum ab eo excludimus alias artes liberales, ac scientias nobiliores, nõ autem nobilitatem generis, neque alias bonas, aut malas qualitates. similiter non excludunt dictæ particulæ ea, quæ sunt intrinseca subiecto, aut inseparabilia, & sic quãdo dicis *tantum homo est rationalis*, non excludis ab eo animalitatẽ, neque risibilitatem, neque intellectũ, nec eiusmodi alia. atque istas dictiones vocant Iureconsulti *taxatiuas*, & addunt non excludere similia, vti notat P. *Sanchez* lib. 7. Consil. d. 25. c. 1. ex *l. fin. C. de reuocat. & Authent. de appellat cognos. § aliud quoq;*

SECTIO II.

Tractat de propositionum exceptiuarum, & reduplicatiuarum essentia, & oppositione.

Modales exceptiuæ sunt quæ habent particulam *præter*, vel aliam similem, & petunt cõponi siue constare termino cõmuni pro subiecto, & quod res, quæ

excipitur à particula exceptiua, contineatur sub eo, à quo excipitur, vt manifeste apparet ibi, *Omne animal præter hominem est irrationale*, vbi vides terminum communem *animal* ex parte subiecti, & *hominem* contineri sub eodem animali, à quo excipitur.

Istæ exponibiles exceptinæ exponendæ sunt per hypotheticas copulatiuas, & disiunctiuas eodé prorsus modo, quo exclusiuæ, sed insuper additis, & interiis copulis implicationis ad explicationem particulę *præter*. solét antè propositiones exceptiuæ esse variæ qualitatis, idest esse affirmatiuæ & negatiuæ illis quatuor modis supra declaratis n.398. quando egimus de exclusiuis;& propterea ad maiorem intelligentiā exceptinarum harum excogitarunt etiam Dialectici quatuor alias voces, siue dictiones, quæ signa forent tum qualitatum

401 propositionum, tum etiam oppositionis. dictiones sunt *Date.Penam.Pigre.Prompti.* In quibus illæ solemnes literæ a. e. i. o, & earum significatio adnotandę sunt iuxta superius sæpe dicta. prima ergo vox nempe *Date* signat quomodo, & per quas propositiones exponi debeat propositio exceptiua affirmatiua de dictione, & copula. secunda, quæ est *Penam* docet per quas propositiones exponatur propositio negatiua de copula, & affirmatiua de dictione. tertia vocula *Pigre*, quo pacto exponenda sit negatiua de vtroque, videlicet de dictione, & copula. quarta demum indicat, qua ratione exponitur propositio negatiua de dictione, & affirmatiua de copula, vt apparet in exemplari præsenti. solum hic aduerti vellem a Recentioribus quot regulas habeat Logica vocalis, quarum obiecta sine dubio sunt voces, vel ipsis aduersarijs consessuris, si dictis steterint suis, & leges præcedentes opinentur, vti debent, ad Logicam pertinere. licet non multum necessariæ sint, & vtiliores confusioni, quam vtilitati.



Deni-

Denique propositio reduplicatiua est illa, in qua reperitur vna ex istis dictionibus *quatenus. inquantum. vt. prout. qua ratione.* & huiusmodi, vt hæc, *homo quatenus animal sentit*, atqui hæ dictiones

S.Thom. solent sumi dupliciter, etiam a *S. Thoma* quæst. de malo, art. 2. ad 2. primò *reduplicatiuè*, & hoc modo propriùs, & frequentiùs, & tunc denotant prædicatū suæ propositionis cōuenire subiecto secundum subiecti perfectionem, aut partem reduplicatam vt si dicas *Petrus vt rationalis discurrit*, quæ sic exponitur, *Petrus quia, & inquantum est rationalis discurrit.* 402

Secundo modo sumuntur *specificatiuè*, siue *simpliciter*, vt loquitur *S. Thomas*, & tunc denotant prædicatum conuenire, & inesse subiecto materialiter, concomitanter. vt si dicatur, *Ioannes quatenus rationalis dormit, aut currit*, cuius sensus specificatiuus est, *Ioannem*, qui aliunde simul est rationalis, dormire simul, aut currere, quas actiones facit quidem Ioannes, qui rationalis est, sed non quia rationalis, sed quoniam animal est, & idcirco ea propositio, & similes sumptæ in sensu reduplicatiuo semper sunt falsæ lege si iuuat *Aristotelem* 1. Prior. cap. 1. in sect. 2. circa bonum vsum particularum reduplicatiuarum, *S. Thomam* in 3. d. 10. quæst. 1. art. 1. c. & *P. Vasquez* 1. p. d. 157. à num. 50. docentem propositiones materiæ naturalis, siue de per se rite resolui per reduplicatiuas, vt videbis infra numero 1193.

S.Thom. 3. p. q. 16. a. 10. ad 3.

Aristotel.

S.Thom.

SECTIO III.

Explicat breui propositiones, quas dicunt insolubiles, reflexiuas, & falsificantes.

Propositiones *reflexiuæ* ita nuncupatæ, quia supra se reflectunt, ac de se ipsis loqui videntur, appellantur etiam *falsificantes*, quia se ipsas falsificant; ex eo enim, quod dicant veritatem, conuincuntur falsitatis, & è contra: appellantur etiam *insolubiles* generali vocabulo ob difficultatem suæ intelligentiæ, & solutionis; quo modo sunt istæ propositiones, & similes, *ego mentior. ego sum falsa.* quas propositiones, si falsæ re vera sunt, vti de se ipsæ enunciant, continuo sequitur esse veras; quod si dixeris esse veras, sequetur similiter esse falsas, quia ipsæ plane fatentur se esse falsas.

Vnde vlterius sequuntur duo magna incommoda, primum est, quamlibet earum propositionum esse simul veram, & falsam. secundum est, dari posse duas propositiones reflexiuas contradictorie oppositas, simul veras, & simul falsas, id quod difficultate superatus non veritus est admittere magister *Sotus*, vir alioqui acutissimi ingenij in Opusculo de Indissolubilibus, lect. 2. num. 8. quem merito reprehendit *Lemosius* cap. 22. de Erratis Dialecticorum.

Neque minor difficultas elucet in quibusdam alijs insolubilibus propositionibus, quarum capita recensebo. prima est reflexiua hæc, *omnis propositio hic scripta in hac papyro est falsa*, in casu quo scripseris duas falsas, & superaddas eam, quam modo ego scripsi, ita quod ea ita loquatur etiam de se ipsa, quam si dicas esse veram, ipsa falsa erit, quia dicit omnem propositionem inibi scriptam esse falsam; si vero dicas esse falsam, & ipsa continuo vera videbitur, quia verum dicit dicendo se cum socijs esse falsam. 403

Secunda propositio captu difficilis fundatur in quodam pacto, & est huiusmodi; nempe supponitur decerni à Republica Doctorum, quod *Blictri* sit terminus formalis in puncto temporis, quo quis proferat aliquam veram propositionem, & tunc quis tempore præscripto dicat *Blictri non est terminus*, ecce *Blictri*, erit terminus, & non erit, & propositio simul erit vera, & falsa; sequela hæc monstratur; etenim si ea propositio est vera, continuo *blictri* ratione pacti erit terminus, & consequenter propositio falsa, quia negat *blictri* esse terminum, quod si dicas prædictā propositionem falsam esse, sequitur *Blictri* non esse terminum, & consequenter propositionem dixisse verum, seu esse veram.

Tertia propositio, quę male torquet Tyrones, ne dicam doctores, est non multū absimilis præcedenti, fundatur enim eius difficultas in quodā pacto, quod ita facilè proponi videtur, ponamus casum, quod aliquis homo robustus, ac sceleratus constiterit in ponte quodam Tyberino, eo animo, & consilio, vt subito deijciat in flumen

præcipitem, prætereuntem quempiã proferentem aliquam propositionem veram, supponamusque præterire Petrum dicentem, *non me deijcies de ponte in lumen, quia sexagenarius non sum*, ecce continuo sequitur deiectionem in flumen futuram simul, & non futuram, & consequenter propositionem esse simul veram, & falsam ratione illius praui consilij, & pacti hominis illius scelerati.

404 Etenim si vera est ea propositio, continuo falsa est, nam sine dubio quia vera est, deijcietur Petrus in flumen, quod si homo ille alioqui sceleratus in animo habeat sinere Petrum incolumem pertransire, Petri propositio erit vera, & rursus simul falsa, quia ratione pacti, & consilij prius habiti cogetur homo ille mutare beneuolum animum erga Petrum, & eundem de ponte deijcere. hæc sunt tria capita seu quasi genera indissolubiliũ propositionum, quorum primum complectitur propositiones omnes falsificantes se propter reflexionem, ad secundum vero, & tertium reuocantur propositiones insolubiles propter difficultatem ortam ex pacto, aut conuentione, siue alicuius particulari consilio, & intentione, quæ tamen omnia à nobis breui exponenda sunt.

Ergo primo illa triplex propositio *ego sum vera, ego mentior, ego sum falsa*, est impossibilis, quoniam nulla est, nec potest esse propositio, quæ possit de se ipsa adæquate loqui, aut se solam adæquate significare, siquidem vt supra à nu. 197. monstratum est, nullum quit esse signum, quod se ipsum omnino adæquate significet, omnis autem propositio signum est, quod si signum alterius necessariò signum est, siquidem omne signum relatiuum est.

Deinde descendendo magis in particulari, & loquendo de illa propositione, & similibus, *ego sum falsa*, dico quod ipsa ex alio item capite est impossibilis, ficititia, & chimærica, nempe ex eo, quod noster intellectus nequeat assentiri falso cognito, vt falso, ita enim à natura naturante, siue a Deo constituti sumus, vt quidquid enunciemus verum esse putemus, & ita esse nos existimare necesse sit; vnde consectarie contingit, vt id reuera in se verum sit, aut saltem in nostra existimatione, vt libris de anima ostenditur, quare dum aliquid affirmamus, vel negamus virtualiter asserimus id esse verum, quatenus parati sumus respondere interroganti de veritate nostri asserti, expresse id esse verum, id quod semper dicimus in actu exercito, nam quando dicimus *homo est animal* verum dicimus, veritas enim est coniunctio animalis cum homine, licet id ipsum in actu signato, siue terminis veritatem grammaticaliter sonantibus, non ita frequenter declaremus.

405 Secundo illa altera propositio, quæ sic efferebatur, *omnis propositio hic scripta in hac papyro est falsa* in casu, quo præscriptæ fuerint duæ falsæ, & ista vltima superaddatur, quæ propterea de se ipsa item loquatur, vt potest, quia vt ostendi numero 196. non videtur impossibile, quod signum aliquod se ipsum inter cætera significet, id quod apparet in exemplo *Sancti Augustini* aientis vocem *nomen* esse signum aliorum nominum, & sui ipsius. ad punctum ergo, ea propositio est vera, quoniam affirmat id quod est, nempe duas illas propositiones à se distinctas esse falsas, quod ita esse casus supponit, de se autem ipsa non loquitur, neque potest etiam in adæquate dicendo se ipsam esse falsam, quia, vt modo dicebam, non potest intellectus assentiri falso, vt falso, quod verum tenet etiam quando enunciatio loquatur de se solum inadæquate; licet si ambæ illæ propositiones essent veræ, posset tertia superaddi, quæ de se, atque de illis diceret esse veras, sic, *omnis propositio hic scripta est vera*, & hoc potest confirmari illo Augustiniano exemplo. licet notabile sit illud Iuris Interpretum præceptum, *generali sermone persona loquentis videtur excepta*. tex. in l. inquisitio. C. de sol. text.

Tertio, circa propositionem illam, quæ est secunda in ordine, *Blictri non est terminus*, dicunt aliqui posito etiam illo pacto eam esse verã in illo instãti primo quasi naturę, ac subinde postmodũ ex eius veritate oriri *Blictri* deinceps fore terminũ; ergo vero addere pactum illud debere esse prudens, ac Republica dignum, & sic debuisse excipi propositionem præsentem ab illo pacto, ne quid implicatorium, ac nugatorium cõtineret, ita quod decerneretur

S. August. (margin)

Blictri

decerneretur *Blictri* fore terminum, quando primum aliqua vera propositio in qua *Blictri* non veniret, pronunciaretur, secus pacto illam propositionem esse chimæricam, & impossibilem.

406 Quarto, accedendo ad illam alteram propositionem non multo absimilem precedenti, qua se tuebatur Petrus dicendo sic, *non me deijciet de ponte in flumen, quia sexagenarius non sum*, dicendum similiter mihi videtur esse re vera propositionem omnino impossibilem, supposita intentione, & consilio hominis peruersi illius, si tamen ipse vt debuit non excepit huiusmodi implicatoriam propositionem; quod si illam excepit, ea propositio esset vera, vel falsa, ex eo quod res esset, aut non esset; potuit enim ille nequam, adhuc perseuerante illa sua determinatione deijciendi in flumen quemcumque audiret proferre veram propositionem distinctam à præcedenti, vel a simili, vbi foret mentio de proiectione in flumen, vel de non proiectione; nempe ex alio consilio ac determinatione differenti illum deijcere; vel non deijcere; & tunc, vt dicebam, propositio possibilis esset, & vera aut falsa secundum quod res arbitraria contingeret.

Vnde tandem infertur nullam propositionem se ipsam posse falsificare, & sic falsificantem se nullam esse, & consequẽter nunquam admittendas esse propositiones quamtumuis reflexinas contradictorias simul veras, aut simul falsas. argumenta vero quæ fieri possunt in contrarium, caute sunt auscultanda, & facile dissoluenda ex doctrina præcedenti. quare ad illas & similes propositiones reflexiuas quamtumuis contradictorie productas, *ego mentior. ego non mentior. ego sum falsa. ego non sum falsa.* dicendum est *esse omnino* impossibiles, & pro libito aut per iocum prolatas sine significatione vera, & sic re vera, non esse sibi contradicentes.

Rursus illæ propositiones *omnis propositio hic scripta est falsa, aliqua propositio hic scripta non est falsa.* in casu possibili relato supra in §. *secunda illa*, erunt contradictoriæ sine dubio, & prima vera, quia loquitur non de se nec inadæquate, sed de duabus alijs propositionibus falsis; secunda vero falsa, si loquatur de eisdẽ, vt nimirum debuit, vt ambæ sint eiusdem de eodem. similiter sunt contradictoriæ illæ propositiones *Blictri non est terminus. Blictri est terminus. non me deijcies de ponte in flumen. tu me deijcies de ponte in flumen.* in casu possibili & pacto possibili modo declarato ad §§. *Tertio circa & Quarto accedendo.*

Quoniam eiusmodi propositiones exclusæ, & exceptæ, vt supra declaratum est, sunt possibiles, & cum vni earum præposita negatio sit, necessario sit contradictorius sensus, quæ vero earum sit vera, & quæ falsa facile dignoscitur a contemplanti, etenim in propositionibus de præterito, ac de præsenti illa est vera, quæ enunciat rem sicuti fuit, aut est, & sic illa est vera *Blictri non est terminus formalis*, & illa *Blictri nunquam fuit terminus*. in propositionibus vero de futuro contingenti, præsertim immediate libero, quæ sit vera, & quæ non Deus scit, & cui voluerit reuelare, vt repetemus infra num. 1148. nos nescimus, quia Dij non sumus, iuxta illud *Isaiæ* 4. *annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos*, quia dicit *Ecclesiasticus* 8. homo *ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.* 407

QVÆSTIO VI.

De propositione Hypothetica in communi, ac de eius speciebus, & proprietatibus.

Propositio hypothetica in communi est oratio enuncians duo simul, vel vnum, quod ex alio veluti ex hypothesi consequitur. siue est vna longa oratio composita ex pluribus vnitis aliqua aduerbiali copula tanquam vnione principali, (quæ in hoc genere propositionum est forma iuxta dicta supra Quæst. 3. Sect. 1.) vt sunt hæ, & similes, *virtus est amanda, & vitium respuendum. si sol lucet, dies est*, copulæ hypotheticales sunt illæ *&*, & *si*. hic aduertunt Dialectici nomen Hypotheticæ solum conuenire proprie loquendo propositioni Conditionali, quia Hypothesis suppositio est Latinis, sed per abusum nomen proprium factum est commune.

408 Quincuplex est species propositionis hypotheticæ iuxta totidem varias copulas principales, nempe *conditionalis. causalis. rationalis. copulatiua. disiunctiua.* de quibus singulis pauca dicturus sum: ad earum vero proprietates cognoscendas, quæ sunt materia, quantitas, qualitas, oppositio, æquipollentia, & conuersio, videantur quæ supra dicta sunt suis in locis à quæstione 2. & quæ hic superaddemus, nam opinor peculiares proprietates aliquot deberi hypotheticis, quæ mutuari non possunt a categoricis, quibus constant. lege *S. Thomam* Opuscul. 48. cap. 12. de Enunciatione. & primo Periherm. lect. 8. litera D. & ibi *Aristotelem.*

S. Thomas. Aristotel.

SECTIO I.

Declarat propositionem Conditionalem, Rationalem, & Causalem; earum materiam, quantitatem, & qualitatem.

PRopositio Conditionalis est oratio, cuius partes vniuntur particula *si* illatiue sumpta, vt *si sol lucet, dies est, si homo est, animal est*. Rationalis est oratio, cuius partes vniuntur particula *ergo*, aut simili, vt *sol lucet, ergo dies est. est homo, ergo est animal*. Causalis vero est oratio, cuius partes vniuntur particula *quia*, vel æquiualenti, vt *quia sol lucet, dies est, quia Petrus est homo, animal est*, vnde colligas primo eas tres propositionum species ferme sibi æquipollere in vi, & in sensu, sicut & particulas hypotheticales. secundo eas esse quasdam argumentationes breues constantes antecedenti, quod ex illo infertur, vti denotant prædictæ particulæ, siue copulæ. Tertio dicendum fuisse de alijs duabus circa earumdem materiam, quantitatem, & qualitatem, quod de vna dictum fuerit.

Dicendum ergo est primo illam conditionalem esse veram, cuius consequens inferatur ex antecedenti, licet alioqui antecedens sit verum, & consequens falsum; aut è contra. & illam esse falsam, cuius cōsequens non inferatur ex antecedēti, quātumuis tam antecedens, quam consequēs vera sint. etenim in eiusmodi propositionibus veritas, aut falsitas non sumuntur à veritate partium, sed ab illatione. Vnde hæc est falsa propositio *si Petrus animal est, dormit*, quia somnus eius actualis non sequitur ex eo quod animal sit, licet contingeret verum esse vtrumque. & hæc est vera *si Petrus est equus, est hinnibilis*, & ideo dicitur veteri prouerbio *Cōditionalis nihil ponit inesse*, quia, scilicet propositio conditionalis vt vera ipsa sit, non curat quod re ipsa verum sit, quod enunciat, sed solum curat hoc esse, si illud aliud ita sit, siue hoc ex illo aliо inferri; vt patet in exemplis adductis. deinde circa qualitatem affirmationis, & negationis aduerte illam, propositionem esse negatiuā, cuius copula hypotheticalis negatur, & illam affirmatiuam, cuius copula affirmatur secundum regulam generalem supra traditam.

Dicendum est secundo circa materiam Conditionalium, & consortium, eas esse in materia necessaria, seu naturali, quarum consequens necessario sequitur ex antecedenti, vt hæ, *si sol lucet, dies est, si Ioannes est animal, sentire poterit*. illas vero esse in materia remota, seu impossibili, quarum consequens sequi non potest ex antecedenti, vt istæ *si Petrus est homo, est leo. si Antonius est equus, est rationalis*. illas demum esse materiæ contingentis quarum consequens infertur cōtingentur ex hypothesi siue antecedenti, vt hæ, *si illa est mater, diliget filium suum, si Ioannes est famelicus, comedet*: & similes, quarum consequentia non semper, sed sæpe, & vt in plurimum inferri solent ex suis antecedentibus, cum quibus non habent connexionem omnino moraliter necessariam, nam quæ huiusmodi connexionem habent reducuntur ad materiam naturalem, vt hæ, & similes, *si est mater Dei, nec minimam imperfectionem commisserit. si est Angelus malus, & peccauit, nunquam peccati pœnitebit. si est homo, sæpe saltem venialiter peccabit.* 409

Supponit ista vltima materiæ diuisio, quam approbarunt *Fonseca* lib. 3. instit. capit. 15. *Toletus* libro primo introduct. cap. 20. *Mercatus* lib. 4. capit. 2. & alij Recentiores, Conditionalem veram non semper esse materiæ naturalis, seu necessa-

fariam, sed aliam esse necessariam omnino, aliam esse necessariam moraliter, & vt in plurimum. sed absolute contingentem, vt istæ *si Petrus studeat, euadet doctus. si lupis adhæres, lupinos contrahes mores.* in quibus vnum contingenter ex alio sequitur, idest aliquando sequitur, aliquando non: atque ea doctrina persuadetur ex communi Dialecticorum, qui admittunt argumentationes solum probabiles, quas vocant Dialecticas, quæ conditionali propositioni huic æquipollent, & quæ inferunt consequens solum contingenter, vt illæ *Ioannes improbis adhæret, ergo improbus erit. multum studet, ergo euadet doctus.* & huiusmodi.

410 Neque contradicit nobis *S. Thomas* in Opusculo 48. cap. 14. vbi sentire videtur omnem conditionalem necessariam esse, aut in materia naturali, vel impossibilem, aut in materia remota, & nullam esse possè contingentem, quia solum velle credédus est S. Doctor omnem propositionem conditionalem veram fore necessariam morali saltem necessitate, sicut & omné conditionalem falsam fore impossibilem morali saltem impossibilitate, quod verissimum est, siquidem, vt supra dixeram, veritas conditionalium harum fundatur in illatione, & connexione consequentis cū hypothesi antecedenti, & falsitas ibi continuo est, vbi nulla connexio est.

S. Thom.

Loquutus tamen sum de propositione hypothetica conditionali, non de illa, de qua loquebar olim in hac Disputat. 2. quæstio 2. sectio 3. quam appellant de conditionato extremo, qualiter sunt illæ *si ires Romam, videres Papam. si Papa dormiret, Turca vigilaret,* & similes. etenim harum veritas non stat in illatione, quæ nulla est inter antecedens, & consequens, sed vnaquæque vera, aut falsa dicitur ex eo quod res, quæ ibi concomitanter cum sua hypothesi enunciatur, esset, vel non esset. & propterea eiusmodi conditionales plerumque æquipollent similibus de ablatiuo absoluto, vt apparet in illa, *si Papa vigilat, Turca dormit.* quæ perinde valet atque hæc *Papa vigilante Turca dormit,* vnde ablatiuus absolutus dicitur a Iurisperitis importare conditionem. l. à testatore, ff. de condit. & demonstrat. quod refert *Thomas Sanchez* lib. 8. de matrimon. disput. 34. num. 30. lege infra. vbi tracto de veritate conditionalium à nu. 1149.

Neque nos vrget Dialecticorum illud axioma dicens *ex vero nil nisi verum sequitur,* quod verificandum est in consequentia omnino formali, non semper in materiali, qualiter est hæc & similes *si est mater, diliges filios suos,* quod tamen consequens non semper sequitur ex eo vero antecedenti, siquidem aliquæ matres non diligunt filios suos, & ideo ex vero sequi solet falsum in materiali argumentatione, quinimo non deerunt alij, qui dicant etiam in formali argumentatione, aut saltem in ea, in qua antecedens habet connexionem cum consequenti, & hoc necessario inferunt, posse quandoque contingere, & aliquando contigisse, sequi ex vero falsum, & exemplificabunt sic, *si est ignis, semper comburet pabulum sibi applicatum.* quot tamen falsum erit, quoties Deus impedierit actiuitaté ignis, vti de facto impediuit ignis Babylonici, rursus *si Petrus sit famelicus & porrigas cibum, nihilo obstante comedet porrectum cibum.* & tamen Petrus absolute potest non comedere, & efficere propositionem falsam quare illud axioma rigorosè deseruiet argumentationi formali, aut factæ in materia omnino necessaria, & metaphysica, vt est ea, *si Petrus est homo, est animal,* aut *est homo, ergo est animal.* sed de argumentatione siue consequentia formali infra commodius agendum. denique de quantitate conditionalium & sociarum dicendum videtur id ipsum, quod superius dicebam de quantitate propositionis Categoricæ à nu. 349.

411 (right margin, beside "Neque nos vrget…")

SECTIO II.

Exponit Hypotheticam Copulatiuam; eius proprietates, & modos arguendi, qui fundantur in ipsa; & notat quando ea æquiualeat disiunctiuæ in obsequium amatorum Iurisprudentiæ.

Propositio copulatiua est, quæ componitur duabus, vel pluribus categoricis vnitis particula *&*, aut alia æqui-

ualenti, vt hæc, *Petrus studet, & Ioannes legit, & Ignatius erat.* vnde infertur primo hanc non esse copulatiuam propositionem *vtinam venires, & ego te viderem.* neque huiusmodi. quia solum sunt meræ orationes non enunciatiuæ quamtumuis vnitę particula &. Secundo copulam & in præsenti, quando est vnio hypothecalis, debere sumi copulatiue, idest vt coniun-
412 gentem propositiones integras, non copulatim, hoc est iungentem solos terminos, vt dictum est sup. n. 301. atque ista particula adhuc sumi solet *copulatim diuisiuè*, quando scilicet copulat terminos, vt efficiat categoricam æquipollentem hypotheticæ vt ibi, *Petrus, & Paulus currunt*, quæ æquipollet huic, *Petrus currit, & Paulus currit.* tunc vero dicitur sumi *copulatim complexiuè*, quando ita iungit terminos vt faciat categoricam non æquipollentem hipotheticæ, vt hic, *Petrus, & Ioannes sunt duo homines*, quæ nequit æquiualere huic, *Petrus est duo & Ioannes est duo.* quæ debent notari ad maiorem notitiam propositionis hypotheticę copulatiuæ, & copulantis particulæ &.

Ad Copulatiuam reduco propositiones omnes, quarum partes sunt integræ categoricæ vnitæ expresse, aut ex modo significandi vnionibus hypotheticalibus, aut alio modo æquiualenti, vt hæ *dum ego dicto Scholastici scribunt. Vbi est Rex, ibi est Curia. Petrus est Apostolus, sicut est Andreas tantus est Iacobus quantus est Matthæus, qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus*, & quæ sunt huiusmodi.

Deinde circa qualitatem Copulatiuarum dico primo, illam esse veram, cuius vtraque categorica est vera, & illam falsam, cuius vtraque, aut saltem altera categorica est falsa, vt apparet contemplanti. rursus illam esse affirmatiuam cuius copula principalis affirmetur, & illam negatiuam cuius copula principalis negetur, quin attendatur vllo modo ad categoricarum affirmationem, vel negationem. quare hæc est affirmatiua, *Petrus non disputat, & Ioannes non ambulat*, quia affirmata manet particula &, quamtumuis aliæ verbales copulæ negeutur; & hæc est negatiua *non Deus est malus, & Dæmon est bonus*, cuius sensus est, non est verum id vtrumque, nec bene cohærent ista duo, nempe quod Deus malus sit, & Dæmon bonus. legatur, & notetur quod tradit *S. Thomas* de Copulatiuæ qualitate 1. distinct. 14. quæst. 1. a. 1. ad 5. *S. Thom.*

Secundo dico circa materiam harum propositionum, quod illa copulatiua est in materia naturali, cuius partes omnes necessario in veritate iunguntur, vt hæc *Deus est bonus, & Franciscus est homo.* illa vero est in materia remota, cuius partes, aut saltem aliqua cum socia in veritate non conuenit, vt hæc, *leo est lapis & equus est homo.* vel hæc, *Angelus est spiritus, & homo est lignum.* illa demum est in materia contingenti, cuius partes alioqui inter se compossibiles contingenter possunt inter se in veritate conuenire, vt hæc, *Ignatius gubernat, & Franciscus baptizat.* est item contingens hypothetica quamtumuis vna pars sit necessaria, vt hæc, *Deus est trinus, & Petrus sedet.* sed si vna saltem pars sit impossibilis, aut incompossibilis cum socia, tota propositio redditur impossibilis, & in materia remota, vti sunt istæ *homo est leo, & Antonius loquitur, aut est animal. mundus existit, & non existit.* 413

Vsque modo in superioribus loqnutus sum de materia, & qualitate, quod attinet ad veritatem, & falsitatem propositionis copulatiuæ affirmatiuæ, nunc autem circa copulatiuæ negatiuæ reliquas qualitates, & materiam dico tertio, illa copulatiua negatiua est vera, cuius contradictoria affirmatiua sit falsa, vt hæc *non Petrus est leo, & Ioannes est equus*, quę vera est, quia est falsa, *Petrus est leo, vel Ioannes est equus.* illa vero copulatiua negatiua est impossibilis, & in materia remota, cuius contradictoria affirmatiua sit necessario vera, & in materia naturali, vt ista *non homo est animal, & leo rugibilis*, est in materia remota, quoniam illa altera sibi opposita *homo est animal, vel leo est rugibilis* est in materia necessaria, aut naturali: de materia contingenti sat dixi supra pro Copulatiuis tam affirmatiuis, quam negatiuis.

Dico quarto circa quantitatem, copulatiuas omnes esse vniuersales, seu quasi vniuersales, eo ipso quod copulatiuæ sint, etiam si alioqui componantur terminis singularibus, & categoricis particulari-

lari-

laribus; & ratio est quoniam copulatiuæ omnes ad duo saltem se extendunt, quia de duobus vt minimum loquuntur, & ad sui veritatem petunt multas veritates vnitas particula *&*, & similibus, quas particulas appellare possumus quantitatis quasi vniuersalis, quia plura iungunt. Vnde colliges quantitatem copulatiuarum non dimetiri penes quantitatem categoricarum, neque ab eis mutuari: Etenim generaliter loquendo, & formaliter, Categoricarum proprietates, vt sunt materia, quantitas, qualitas, & oppositio, non sunt communes hypotheticis nisi solum concomitanter, & materialiter; siquidem quæuis essentia distincta habere solet, ac debet distinctas proprietates; hypotheticarũ vero essentia distincta est à Categoricarũ, licet ex eis sit composita.

414 Postremo aduerto duos arguendi modos fundari in copulatiuis; primus est, bene valet a tota propositione copulatiua affirmatiua sumpta pro antecedenti ad quamlibet eius partem seorsim, vt si dicas *Petrus loquitur, & Paulus orat, ergo Petrus loquitur*, vel *ergo Paulus orat*. secundus est à tota copulatiua negatiua, & affirmatione vnius partis, ad negationem alterius sic, *non Antonius currit, & Ioannes loquitur, sed Antonius currit, ergo Ioannes non loquitur*. ad oppositionem earum efficiendam & cognoscendam recolenda est doctrina generalis tradita supra in hac Disp. q. 3. Sect. 7. & 8.

Hic aduerto pro amatoribus Iurisprudentiæ; quos decet prius Logica esse bene delibutos, quod ante me adnotauit suus *Mascardus* ex c. *iam dudum, de præbend.* cum Abbate, & alijs, & illustrat noster *Thomas* lib. 8. de matrim. disp. 21. à nu. 42. sæpe copulatiuam æquipollere disiunctiuæ, & per eam resolui. ac declarari, & ideo si multæ causę sufficientes copulatiuè narrentur ad impetrandam gratiã, sat erit ad eius valorem, quod vna vel altera causa subsistat & *ratio est* inquit *P. Sanchez quia cum plura copulatiuè narrantur, quæ de iure non sunt necessaria, resoluitur copulatiua illa in disiunctiuam, vt traditur, cap. cum iam dudum, de præbendis*. legant Iureconsulti *P. Azorium* parte 1. libro 5. capit. 28. tractantem de vi & potestate copulatiuæ ad *leg. sæpe ff. de verb. significatione*.

SECTIO III.

Declarat propositionem hypotheticam Disiunctiuam; ipsius formam; species; & proprietates, nimirum materiam, quantitatem, & qualitatem.

Propositio disiunctiua est quæ composita est ex duabus, aut pluribus Categoricis vnitis particula disiungente, *vel* aut alia æquiualenti. vt hæc *Ignatius est Fundator Societatis Iesu, vel Franciscus est Indorum Apostolus, aut Aloysius vir Angelicus*.

Particula disiunctiua *vel*, & similes, quæ sunt formæ harum propositionum iuxta dicta supra in Disp. 2. q. 3. Sectio 1. tunc solum componunt & efficiunt disiunctiuas propositiones, quando disiunctiuè sumuntur, idest quando vniunt disiungendo integras categoricas; quando enim disiunctim sumuntur, solum faciunt Categoricas de disiuncto extremo, vt ibi *Petrus, vel Paulus disputat. Ioannes dedit nobis libros, vel pecuniam*. quod si prædictæ particulæ ita vniant terminos, vt faciant categoricas, quas cõponunt æquipollentes hypotheticis, vt vere æquipollet ea vtraque propositio; dicuntur sumi *disiunctim diuisiue*, quia ita possunt illæ propositiones diuisiue conuerti, *Petrus disputat vel Paulus disputat. Ioannes dedit nobis libros, vel ipse dedit pecuniam*.

Si vero eæ dictiones ita vniant terminos, vt faciant propositionem categoricam non æquiualentem hypotheticæ, dicuntur sumi *disiunctim complexiue*, vt contingit, ibi, *Dexter vel sinister oculus requiritur ad videndum*, quæ non æquipollet huic hypotheticæ diuisæ. *dexter oculus requiritur ad videndum, vel sinister oculus requiritur ad videndum*. denique hypothe icæ sunt illæ propositiones, quæ sub disiunctione enunciant duo, siue sint eiusdem subiecti taciti, vel expresi, siue supplendum sit verbum, aut aliud quod subintelligitur, vt hæ, & similes, *Petrus dedit nobis dona temporalia. vel Paulus spiritualia. Ioannes currit, aut disputat. mundus existit, vel non existit*. 415

Antiqui diuiserunt hypotheticam disiun-

iunctiuam in duas species, aliam dixere *propriam*, aliam *impropriam*; propriam voluerunt esse illam in qua particula *vel* significaret idem, quod particula *tantùm*, ita quod sensus huius propositionis *Petrus est animal, vel Ioannes est leo*, esset vnum tantum ex ijs esse verum, quod si vtrumque esset verum, vel falsum, tota propositio falsa censebatur; vera autem putabatur si alterum ex his, quæ enunciat, tantum esset verum. sed iam in hoc tempore sensus iste propositionis disiunctiuæ non est vsu; imo vero nec olim ab omnibus receptus fuisse videtur, vt monstrat illud illustre *Virgilij* exemplum Æneid. 2. vbi hypothetica vera omnino est, licet omnes eius partes sint veræ.

Aut hoc inclusi ligno occultatur Achiui;
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros;
Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri.

416 Disiunctiua vero, quæ ab antiquis impropria dicitur, & à modernis propria vocatur, & sola & vnica esse creditur, est illa in qua *vel* valet idem, quod *saltem*, seu *adminus*, quæ si affirmatiua sit, tunc vera est, quando vel vtraque eius pars, vel saltem altera est vera: falsa autem, quando vtraque pars eius falsa est; si vero disiunctiua negatiua sit, tunc est vera, quando eius contradictoria est falsa, & tunc falsa, quando ipsius contradictoria est vera. iuxta dicta n. 413.

Et quidem verificari, seu veram esse disiunctiuam affirmatiuam, quamuis eius vna sola pars sit vera, tenent non tantum nostri Doctores, sed etiam Iureconsulti ex regula 70. *in alternatiuis* de regulis Iuris in 6. & lege *stipulatus sum Damam*, 105. *ff. de verborum obligation.* & ideo P. *Sanchez* lib. 4. in Decaleg. cap. 10. n. 20. tradit votum disiunctiuum, quo quis v.g. vouisset recitare in Sabbato Rosarium, vel Officium B. Mariæ, sufficienter & vere impleri recitatione alterutra sola, quia sic recitans reddit suam promissionem veram, quia, inquit, ad veritatem disiunctiuæ sufficit illius alterutram partem eligere, aut exequi.

Atqui illæ omnes disiunctiuæ sunt negatiuæ, quarum copulæ principales negantur; sicut & illæ affirmatiuæ, quarum copulæ principales affirmantur, tunc vero copulæ principales quarumlibet propositionum hypotheticarum, negantur, quando negatio *non*, initio illis præfigitur, quæ ibi præposita solum negat copulam principalem, siue hypotheticalem, & in eam vim suam exercet, non curando de reliquis copulis verbalibus pro tunc, nisi forte intentio loquentis sit negare omnia, quæ post negationem *naturæ malignantis*, inueniantur, tunc enim intentioni huic standum erit.

Circa disiunctiuarum materiam dico loquendo de affirmatiuis, illas esse in materia naturali, vel remota, quæ veræ sint aut falsæ ratione alicuius, vel aliquarum categoricarum suarum necessariarum, aut impossibilium; & ideo merito dicunt quidam Recentiores eiusmodi propositiones non habere aliam materiam præter eam, quam habent suæ Categoricæ. vnde si categoricæ contingentes sint, hypotheticæ erunt in materia contingenti, siue eæ sint affirmatiuæ, vel negatiuæ. loquendo vero de materia naturali, & remota negatiuarum repetenda sunt, quæ dixi num. 413. nempe illas negatiuas disiunctiuas esse veras necessario, siue in materia naturali quarum contradictoriæ affirmatiuæ fuerint falsæ omnino, & impossibiles; & illas esse falsas omnino, siue in materia remota, quarum contradictoriæ affirmatiuę fuerint in materia naturali; quæ omnia vsu, & obseruatione discuntur.

Circa disiunctiuarum omnium quantitatem dicendum est omnes esse particulares, aut quasi particulares, quatenus ad sui veritatem solum petunt veritatem vnius partis, & ad illam vnam sui partem quasi se extendunt, de illa solum quasi curantes, quamuis illis non inconueniat partes ambas esse veras; idcirco, supra num. 354 animaduerti attendendo ad vim, & vsum particulæ disiunctiuæ *vel*, & similium, quæ dicuntur quantitatis particularis, & ad vim particulæ *&*, & consimilium, quæ dicuntur esse quantitatis vniuersalis; hanc mutandam esse in illam, & vice versa, illam in hanc, ad efficiendas propositiones hypotheticas contradictorias. de qualitate harum propositionum, cuius species sunt, veritas falsitas, affirmatio, & negatio, nihil speciale occurrit denuo dicendum. 417

Alte-

Altera pars Sectionis indicat locos, vel modos arguendi fundatos in disiunctiua propositione; & statuit eius veritatem esse distinctã à veritate categoricarum, quibus componitur, licet ab ea omnino dependentem; & notat vsum varium Particulæ vel *apud Iure consultos.*

TRes modi arguendi fundatur in disiunctiuis, quas *improprias* Antiquiores, *proprias* Nouiores vocant; nam primo bene valet ab affirmatione totius disiunctiuæ, & negatione vnius partis eius, ad affirmationem alterius, vt *Petrus est homo, vel Ioannes est lapis, sed Ioannes non est lapis, ergo Petrus est homo.* quæ argumentatio valet etiam, licet admittatur sensus ille Antiquorum proprius propriæ hypotheticæ disiunctiuæ; vt apparet contemplanti. meminit huius arguendi modi *S. Augustinus* tom. 1. lib. 3. contra Academicos, cap. 13.

S. August.

418 Secundo bene arguitur ab affirmatione alicuius partis ad affirmationẽ totius propositionis, vt ibi *Petrus studet, ergo Petrus studet*, vel *Deus est sapiens*. tertio bene valet à disiunctiua negatiua ad copulatiuã affirmatiuam compositam ex partibus contradicentibus; quare bene ducis argumentum ab hac, *non leo currit, vel Paulus est animal*, ad illam, ergo *leo non currit, & Paulus non est animal*. simili modo valet à negatiua copulatiua ad disiunctiuam affirmatiuam ex partibus cõtradicentibus constantem, vt *non homo est animal, & leo est lapis, ergo homo non est animal, vel leo non est lapis*. sed vero quamuis id verum fit, aduerte hoc diligenter, non valet consequutione formali argumentum ductum a copulatiua negatiua composita tamen ex partibus contradicentibus sibi, qualis hæc est *non Petrus currit, & non currit*. ad disiunctiuam hanc affirmatiuam ex partibus item contradicentibus constatam, *Petrus non currit, vel currit*. propter superius dicta à nu. 373.

Postremo colligitur ex dictis veritatem cuiuslibet propositionis disiunctiuæ efficaciam longe diuersam à veritate suarum partium, licet ab ea dependentem. quod consectarium probant duo, primum est ratio efficax, quæ sic est; quia noua propositio nouam veritatem continet, aut falsitatem, sed disiũctiua hypothetica est noua & distincta à suis categoricis, ergo continet veritatem distinctam. & confirmatur quia sæpe disiunctiua est necessaria, & categoricæ sunt contingentes vt ibi, *Mundus existit, vel non existit*, quæ necessaria est & æternæ veritatis; partes vero eius seorsim sumptę sunt materię contingentis; postulat quidem hypothetica disiunctiua vera vt saltem altera categoricarũ suarum vera sit, vt supra dictum est, & ideo merito ab earum veritate pendere dicitur.

Secundum, quod probat id ipsum, est vera fides, etenim veritas disiũctiuarum quarumdam est certa secundum fidem, non autem veritas partium seu Categoricarum seorsim sumptarum, ergo veritas illarum distincta est à veritate harum. antecedens, siue maior patet ex 4. Regum 9. 32. ibi. *Leuauitque Iehu faciem suam ad fenestram, & ait, quæ est ista? & inclinauerunt se ad eum duo, vel tres Eunuchi.* & ex Luca 2. 24. vbi narrat Euãgelista quo modo Maria, & Iosephus *tulerunt* Iesum *in Ierusalem vt sisterent eum domino, & vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum.* Vnde colliguntur hæ duę disiunctiuæ ambæ certa fide tenendæ népe, *duo Eunuchi se inclinauerunt, vel tres Eunuchi se inclinauerunt ad Iehu. Maria obtulit par turturum, aut obtulit duos pullos columbarum.* & tamen explorata non est, sed incerta & ambigua veritas Categoricarum, siquidem quot Eunuchi se inclinarint, aut quid dederit Sancta Maria Sacerdoti pro filio nos determinatè nõ scimus, qui tamen veritates illas reuelatas modo disiunctiuo firmiter credimus. Itaque ex his stabiliri & illustrari potuit doctrina quorumdã Theologorũ, interquos sunt doctissimi PP. & Magistri mei *Iacobus Granado* super 1. par. *S. Thomæ*, de voluntate Dei, tract. 3. d. 5. sect. 3. *Georgius Hemelman* ibidem. *Rodericus de Fegueroa*, & *Michael de Espinosa in M. S.* circa libertatem Dei, quam declarant per quoddam disiunctum ex partibus contradicentibus compositum, quale est illud *Mundus existit, vel non existit*, & simul refelli singularis opinio cuiusdam docti 419

Neo.

Neoterici, qui minus vere opinatus est veritatem disiunctiuæ, non esse aliam à veritate suarum partium, quæ opinio si non explicetur magis, sustineri posse mihi non videtur, postquam notaui loca sacræ Scripturæ superius allegata in fauorem veritatis disiunctiuæ.

Notent hic etiam Canditati iurisperitię particulam *vel* & similes non raro in iure & alibi sumi nõ disiũctiue; sed distinctiuè expositiue & copulatiue, vt bene animaduertit P. *Thomas Sanchez*, qui debet illis esse author familiarissimus *lib. 2. cap. 26. num. 6.* dicens illis verbis cap. *Commissi, priuandi, vel priuatos denunciandi; vel* non sumitur disiunctiue, sed expositiue, ita vt sensus sit idem *priuandi*, idest, *priuates denunciandi*, id ipsum cernitur cum dicitur est Pater, vel habens Filium, & rursus dum imperatur nullus incedat sine toga talari, vel sine corona, perinde valet ac si dicatur gestet vtramque, siue hanc, & illam, & quidem *vel* sumi solere pro & dicitur l. sæpe, ff. de verb. significat. de
420 quo videri possunt PP. *Azor.* p. 1. lib. 5. cap. 27. de verb. significat. vbi notat disiunctiuam dici à Iurecõsultis *alternationem*. & *Fillincius* tract. 11. num. 59. dixit aliquando particulam *vel* ęquiualere posse dictioni copulatiuę, vt si dicatur *nemo legat, vel doceat, vel scribat*. sensus enim est, *nec legat, nec doceat, nec scribat*. legatur etiam *P. Nigronius* super Regulam 12. nu. 3. vbi plura & vtilia intellectui, & voluntati congessit.

DISPVTATIO III.

De Vocibus complexis, quæ spectant potissimùm ad directionem tertiæ operationis intellectus, qui dicitur Discursus, cuius illæ sunt vicesgerentes sensibiles, & externæ, super libros Priorum Posteriorum, & Elenchorum.

QVamuis aliquot voces complexæ, de quibus hic sumus acturi, pertineant directe ad dirigendam primam, vel secundam operationem intellectus, quales sunt definitio, atque diuisio vocales, vtpote quæ externę vicariæ sunt interiorum apprehẽsionum, vel iudicioru mentis nostrę, de industria tamen reseruatæ sunt earum tractationes in hanc tertiam Disputationem, vt modorum sciendi omnium doctrina simul tradita melius perciperetur; vbi item aduerto propter rerum ipsarũ, ac doctrine necessariam connexionem, in hac eadem disputatione directe quidem spectante ad Logicam de vocibus agentem, siue vocalem, necessario intermiscendas esse regulas aliquot Logicæ realis, quę videlicet directe versatur circa res, vt in decursu disputationis indicabo. legat, qui volet tres nostros Præceptores locis, & libris allegandis infra per totam hanc disputationem. *Aristotel. S. August. S. Thom.*

QVAESTIO I.

De Modo sciendi in communi; ac de eius sola triplici specie, & aliquot argumenta dissoluuntur.

MOdus sciendi in communi *est oratio rem ignotam artificiose manifestans*, vt hic, *homo est animal rationale*, qui modus artificiose, idest per applicationem generis, ac differentiæ factam ex præscripto legis alicuius, aut artis, declarat hominis essentiam, siue eam quodãmodo delitescentem, & ignotam ratione illius vocis *homo*, clarius manifestat mediante illa duplici clariori voce, *animal rationale*.

In ista definitione dicitur, modus sciendi *oratio* per quam generice, seu tamquam 421
per commune genus conuenit cum alijs quibuscumque orationibus. ac per idem edocemur modos omnes sciendi vocales, multis vocibus, quarum aliqua verbum sit, debere constare, quoniam vna sola vox oratio non est, ni forsan æquipolleat pluribus.

Per cæteras partes definitionis differt modus sciẽdi à cęteris omnibus rebus. partes vero sunt illæ, quæ in definitione stant loco differentiæ, nempe *rem ignotam artificiose manifestans*, explico sigillatim singulas. Per *rem*, siue nomine *rei* intelligimus quidquid quoquo modo nos latet, & nescimus, & nobis manifestari potest siue id sit verum ens, siue chimæricum, negatiuum, quod vocant, siue positiuum, ens per se, aut etiam per accidens, res item communis, vel item indiuidua, & singularis,

laris, necessaria, & contingens; quod si *Aristoteles* alicubi dixerit rem manifestabilem per modum sciendi debere esse necessario vnam, vniuocam, vniuersalem, & quæ habeat supra se genus, ac de solis rebus necessarijs, ac de non contingentibus posse esse scientiam, nimis rigorose loquutus videtur, negari enim non potuit, vt dicitur infra nu. 1201. de facto declarari nobis atque à multis definiri, & sciri per modos sciendi entia per accidens, vt *exercitus*, & *domus*, res analogas, vt *ens*, & *verum*; res singulares, vt *Petrus*, & *quidam equus*; & contingentes, vt *Eclipsis solis*, *& lunæ*, *& cursus Antonij*; & alia plura, quæ supra se non habent perfectissimã rationem generis iuxta acceptiones nostras, & consequenter iuxta easdem acceptiones earum rerum definitiones perfectissimæ non sint; licet negare quis audeat ea omnia sciri à Deo omniscíente, & ab Angelis perfectissimo modo sciẽdi nobis licet ignoto? neque enim putamus impossibiles esse alios modos sciendi inuentis etiam perfectiores.

Aristotel.

422 Per vocem vero *ignotam*, intelligi volumus non solas res à nobis olim antea cõfuse cognitas, verum etiam res penitus ignoratas, & nobis prorsus occultas; quare hæc oratio *homo est animal rationale* est modus sciendi, quia ex se, & quantum in se ex artificiosè concinnata declarat essentiã hominis, quod æquo modo præstat, modo antea cognita fuerit cõfuse essentia hominis; modo, omnino incognita, imo vero etiam si extiterit antea à te euidenter aliunde nota, non desinet illa oratio esse modus sciendi, ac definitio quoniam; vt dicebam, manifestat essentiam hominis, & tibi iterum eam declarat, vel declararet absolute, si ipsam ignorasses, ad eum modum, quo lux solis illuminat non tantùm locum aliqualiter antea clarum, aut præ tenui luce subobscurum; sed & locum omnino tenebrosum; vel etiam illuminare potest quantum de se est, vt de facto forsan iterum illuminat locum aliunde æqualiter, aut magis pellucidum, dato quod actu illum locum pro luce maiori præcedenti præilluminanti, & sic impedienti non illuminaret, quia vt fertur communi prouerbio *definitiones non dicunt actum, sed aptitudinem, vel potentiam*, idest res creatæ tales dicuntur, & sunt quia possunt aliquid tale facere, non quia illud tale actu faciant; quamuis, vti admonui, credam scientem iam essentiam hominis, iterum scire posse eandem essentiam mediante definitione repetita, & sic semper esse definitionem actu talem, idest semper manifestare ignotum, illam cordate, & artificiose, vt æquum est, efficientibus.

Per vocem *artificiose* intelligo, & admitto ad classem modorum sciendi orationes illas, quæ fiunt ab arte logica, aut secundum eius regulas, quæ ars in præsenti sunt quædam regulæ Logicæ vocalis residentes in intellectu, & inibi dictantes modum rite faciendi modis sciendi vocalibus. excludo vero à ratione modi sciendi enarrationes historicas, inductiones, & exempla Rhetoricæ artis, longas orationes, & figurarum conglobationes, & quæuis alia, quæ carent Logico artificio, idest, quæ facta non fuerint secundum Logicæ regulas, quamtumuis manifestent nobis res, quas antea ignorabamus: quod si contingat præfata omnia ita disponi, vti de facto sæpe à bonis Oratoribus disponuntur, vt definitiones, diuisiones & argumentationes componant, sine dubio erunt modi sciendi, quia sic disposita euadent secundum regulas logicales, quas in substantia non differre à Rhetoricis Præscriptis aduerti olim in Præfatione num. 65. Denique verbum *manifestans* clarum est, & ideo manifestatione non indiget.

Modus sciendi declaratus diuiditur adæquate in solas tres species, vt colligo ex *Aristotele* 1. Metaph. cap. 7. & 2. Posteriorum cap. 5. *Platone in Phædro, & Sophista. S. Augustino* 2. de Ordinat. nempe in definitionem, diuisionem, & argumentationem, de quibus singulis agendum est, ita tenet communis Dialecticorum sẽtẽtia, & ex infra dicendis, & solutione quarumdam obiectionum liquido apparebit. S. August.

423 Sed contra objicis primo. propositio quæuis est modus sciendi, ergo modus sciendi est quadruplex. Respondeo propositionem esse aliquando modum sciendi & tunc non differre ab aliquo ex tribus dictis speciebus, nam si diuidat diuisum dicendo *hominis alia pars est animal, alia rationale*, est diuisio. si definitum definiat sic, *homo est animal rationale* erit definitio.

finitio. si significet, aut inferat vnum ex alio, erit argumentatio, vt hæc *Petrus est homo, ergo est animal*. aliæ vero propositiones, quæ non sunt huiusmodi non sunt modi sciendi perfecti, sed inchoati, & imperfecti, & reducendi ad perfectos, nec enim negari potest, quin propositiones omnes veræ, sint quodammodo instrumenta sciendi, siquidem eis mediantibus scimus multa, nempe prædicata inesse subiectis, de quibus illa enunciant, sed cum ista notanda differentia, quod nimirum propositiones essentiales, idest illæ, quæ enunciat de subiecto aliquod prędicatum, aut prædicabile essentiale, puta genus subiecti, species, vel differentia, reducantur ad definitiones essentiales, vtpote definitiones inchoatæ, & truncatæ: quæ vero prædicant de subiectis aliquod proprium, vel accidens, reducãtur ad definitiones descriptiuas, siue ad modos sciendi reliquos, ad quos magis accesserint, & quibus magis assimilentur; modo eæ propositiones sint categoricæ, modo hypotheticæ.

Obijcis secundo, definitio, atque diuisio includuntur in argumentatione, ergo ab ea non differunt, ergo non est plusquã vna species modi sciendi, nempe argumẽtatio. Respondeo sæpe reperiri definitionem, & diuisionem extra argumentationem, vt manifestum est; quod satis est vt ab ea distinguantur; preterquamquod diuerso modo manifestant ignotum, diuersam architecturam habent ab argumentatione, ac diuersas leges logicales postulant ad sui fabricam, quæ sunt Indicium euidẽs distinctionis suæ ab argumentatione, an vero omnis diuisio differat ab omni definitione, & è cõtra. dicam inferius à n.439.

QVÆSTIO II.

De Definitione in communi; vbi prius pauca de nominibus eius & Inuentore, & excellentia.

424 DEfinitio dicitur ab *Aristotele* 1. Topic. cap. 4. in principio *Terminus*. quia rem definitam vndequaque comprehendens quasi terminat, nil non explicatum relinquens, sumpta, videlicet, similitudine, ab agrorum, & vrbium finibus, seu terminis, quemadmodum enim eiusmodi terminus *Aristotel.*

Et populos, vrbesque, & regna ingentia finit.

ita bona definitio rei definitæ essentiam quasi circumscribendo declarat, atque comprehensiue cognoscit, vnde apparet ipsius excellentia. quare supra in Præfatione num. 21. & 163. merito diximus definitionem inter cæteros modos sciendi, & orationes esse nobilissimam sciendiam, Deo, atque Angelis dignam. atqui ipsius inuentorem communiter circumfertur esse *Socratem*, quod & notabamus supra num. 5. meminit quoque definitionis *Aristoteles* 1. & 7. Metaph. & lib. 2. Posteriorum per totum & ibi latet Interpres. & item toto lib 6. Topic. & iterum *S. Thom.* 1. par. q. 29. ar. 2. ac *S. Augustin* tom. 1. de Categor. cap. 6. & de quantitate animæ cap. 25. *Aristotel.* *S. Thom.* *S. August.*

SECTIO I.

Declarat definitionem in communi, eius species; & producit leges bonæ definitionis: & conditiones definiendæ rei, seu definiti.

DEfinitio, vt colligo ex *Aristotele* 5. Topic. cap. 3. 6. cap. 1. & 7. cap. 1. & 3. & alijs locis, est *modus sciendi rem ignotam artificiose manifestans per genus, & differentiam*, vt *homo est animal rationale*. quod definitio sit modus sciendi, seu rem ignotam artificiose manifestans, ponitur ibi loco generis, per id enim conuenit definitio cum reliquis modis sciendi: per partes reliquas nempe, per *genus & differentiam* differt definitio ab alijs omnibus, quæ definitiones non sunt; & sic intelligendus est *Aristoteles* quando definiendo definitionem dixit lib. 2. Poster. tex. 9. *est oratio quod quid est significans*. *Aristotel.* *Aristotel.*

Multæ sunt species definitionis, nam primo alia dicitur definitio nominis, alia rei; definitio nominis, si à definitione rei distinguenda est, definitio non est, neque modus sciendi, sed per abusum talis dicitur, & solum de nomine definitio est, quia solum est interpretatio nominis peregrini per aliud notius notioris linguæ, vel nominis ethymologię explanatio, vt hæc, & similes *Iesus interpretatur Saluator. atramentum est la tinta*. definitio vero rei est propriè talis, vt istæ, *leo est animal rugibile. terminus vocalis est extremum vocalis*

cialis propositionis. Dominus est nomen substantiuum. vbi definiuntur *les, terminus,* & nomen *Dominus*. quæ sunt quædam res.

Definitio rei alia deinde est essentialis, vel quidditatiua, quæ manifestat ignotum per eius partes essentiales, siue, vt loquitur vbi supra Philosophus, quæ significat
425 *quod quid est rei, vel quæ explicat quid sit id, quod definitur,* vt hæc, *homo est animal rationale*. alia est accidentalis, seu descriptiua, quæ manifestat rem per partes eius accidentales, aut per partem alteram essentialem, & alteram accidentalem, vt hæ *homo est album bipes. homo est animal ridens, praeclara quadam conditione generatum à Deo, cui nimirum insita est facultas percipiendi diuina, & humana*. quæ absolute dicitur accidentalis definitio, licet significet aut importet vnam partem perfectam, & essentialem, quia *bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu*. alij etiam inter definitiones accidentales annumerant illas, & quæ sunt huiusmodi, *homo est animal risibile vel mortale, vel admiratiuum*; quia putant eiusmodi vltima prædicata non pertinere ad essentiam hominis; sed ad eius ornatum, & substantiale complementum; & quæ traduntur per disiunctum vt illa, *corpus est, quod habet partes, vel pendet à re habente partes*.

Et quidem definitio essentialis rei, aliquando est physica, aliquando metaphysica; *definitio physica est quæ manifestat rem per partes eius physicas realiter inter se distinctas*; qualis est hæc *Petrus constat anima, & corpore, siue materia corporali, & anima spirituali*. vbi corpus & materia sunt veluti genus, anima vero est differentia. *Metaphysica definitio est quæ manifestat rem ignotam per partes metaphysicas*, idest sola nostra ratione, seu consideratione differentes, vt hæ *homo est animal rationale. equus est animal hinnibile*.

Denique definitio alia est formalis, seu intellectualis; alia obiectiua, siue realis; alia vocalis, alia scripta. formalis definitio, quæ item dicitur mentalis, *est*
426 *actus intellectus manifestans intellectui rem, eius genus, ac differentiam clare repræsentando, & cognoscendo*. definitio obiectiua, quæ realis dicitur, *sunt res ipsæ, quæ dicuntur & sunt ignotum, genus ipsius, & differentia*. Sed de his duabus definitionibus suis locis inferius sermo redibit. *Vocalis definitio*, quæ proprior est loci, & instituti præsentis, *est oratio vocalis significans rei definita genus & differentiam*. quam definiebat *Aristoteles* dicens in 1. Topic. cap. 4. allegato, definitio seu *terminus est oratio significans quod quid est rei*. de hac in præsenti directe tractamus, de qua quidquid diximus, ac dixerimus, scriptæ, & reliquis proportione sua facile applicabitur. legat qui volet in *S. Boetio* libellum *de definitione*, & ibi quindecim definitionis species, seu diuisiones. Aristotel.

Leges ergo pro bona definitione vocali traduntur, prima est vt definitio sit clarior suo definito; quare constare debet vocibus clarioribus rem directe & sine ambagibus significantibus, quod signate monuerunt, & adnotari voluerunt *S. Thomas* 1. par. q. 85. art. 3. ad 3. & item *Aristoteles* l. 2. Post. cap. 15. & 6. Topic. cap. 1. 2. 3. & 12. & *S. Augustinus* to. 1. de principijs Dialecticæ cap. 8. quatenus generaliter prohibuit vsum vocum ambiguarum, vt nos ponderauimus supra in Præfatione num. 38. S. Thomas. Aristotel. S. August.

Secunda lex iubet, quod definitio constet vocibus vniuocis, quarum altera significet genus, aut quasi genus definiti, altera eiusdem differentiam, vt ibi, *Petrus est animal rationale*, vbi *animal* significat genus Petri, & *rationale* eius differentiam, siquidem per *animal* generice cōuenit homo cum brutis, per *rationale* vero differt ab eisdem, & ab alijs omnibus, quæ homines non sunt. Aristot. 5. Topic. c. 3. & 6. c. 1. & 7. c. 1.

Tertia lex quæ sumitur ex *Aristotele* 6. Topic. cap. 1. & 2. imperat ne definitio sit curta, nec diminuta, sed quæ significet, ac manifestet totam essentiam definiti; defectu legis huius hæc non est bona definitio, *homo est rationalis*. quarta lex requirit ne definitio redundet, & ideo est imperfecta, siue superfluis verbis constans hæc, *homo est animal mortale, bipes, implume*. Quinta lex est, vt definitio obiectiua, videlicet, & realis. idest vt prædicatum omne, quæ est definitio non conueniat alijs à definito distinctis, sed illi soli, & illis omnibus, quibus illud conuenerit, sic est illud complexum prædicatum *animal rationale*, quod conuenit soli homini 427 S. August. tom. 1. de quant. animæ c. 25. Aristotel. Aristot. 6. Topic. c. 1. S. Augustin. De princ. Dialect. c. 9

mini, cuius est definitio, Petro, & Paulo, & cæteris indiuiduis, quibus conuenit definitum *homo*. ista vltima lex pertinet sine dubio ad Logicam realem, quoniam eius obiectum primarium, atque per se sunt res.

Aristotel. Postremo voluit *Aristoteles* varijs in locis suorum operum, vt 6. Metaph. tex.42. & lib.6.Topic.loco 5. & loco 6. & 7.Metaphys.tex.53. quod res definienda sit vna, vniuoca, ens per se, vniuersalis, & quæ habeat supra se genus; & merito si loquendū sit de perfectissimo definiendi modo, hominibus consueto; dixi autem sup.n.421. quo pacto res, quæ non habent istas conditiones, possint sciri, ac definiri. recolantur quæ ibi scripta sunt, & obseruetur ab eodem Aristotele non raro definiri entia per accidens; & speciatim eum video definijsse *definitionem*, quæ est ens quoddam *Aristotel.* per accidens in illo 4.Cap.lib.1.Topicorū. & *Demonstrationem*, quæ similiter est ens per accidens, in 1. Poster. cap.2. & communiter ab omnibus Magistris in voce, & in scriptis, vtcumq. definiri quæcumque subiecta, & res quantumuis analogas, entia per accidens, & infinita, & singulares; vt sic quodammodo æmulentur Deum, qui omnia perfectissima definitione comprehendit.

428 Sed fateor ingenue scientiam definientem de singularibus rarenter haberi; idcirco dum dicis, *Petrus est animal rationale*, speciem humanam quasi vniuersaliter definis, ac secundum eam Petrum cognoscis, *S.Thomas.* & amplius nihil, vt bene docet *S.Thomas* *Aristotel.* cum *Aristotele* 7. Metaph. lect. 10. lit. B. & legis infra num.705. sed aduerte cum *S.Thoma*, & *Aristotele* in 3. Metaph. lect. 8. lit.N. *vnius rei vnam solam definitionē esse*, quod repetit *Aristoteles* in 6.Topic. fine, ibi, *non sunt eiusdem plures definitiones*; ac demum nota diligenter prædictas leges manifeste esse Logicas, & habere pro obiectis per se voces, & res, vt liquidū est.

SECTIO II.

Proponit modum, seu regulas pro inuenienda bona definitione; & modos arguendi, qui in ea fundātur.

VT inuenias facile bonam definitionem realem, & conuenientem cuicumq. rei propositæ, quære primo conuenientiā quam res ea habet cum alijs rebus specie ab ipsa distinctis, & ea conuenientia præcise cognita, erit genus; deinde inspice quid sit proprium eiusdem rei, per quod vltimo constituatur, & perficiatur essentialiter, & ab alijs omnibus distinguatur, & inueneris differentiam; inuentis autem genere & differentia rerum, inueneris earumdem definitiones, ac doctus eris. tunc, si placet, quære voces idoneas, quæ significent id genus, & eam differentiam, & habebis item definitionem vocalem. lege *Aristotel.* lib. 1. Topic. cap. 14. & *Aristotel.* *S.Augustinum* de Categorijs, cap.9. & ite- *S.August.* rum *Arist.* 2. Poster. tex. 22. cap.8. & 7. Metaph. tex.42. & 43. vbi docet recurrere ad prædicamētum vt inueniatur definitio.

Rursus ad inuentionem definitionis, & potissimum differentiarum rerum, in quarum notitia scientia consistit, plurimum iuuant tria; primum est consultatio cum Magistris; secundum assidua librorum lectio; tertium assidua obseruatio, visus, & experientia etiam ea, quę capitur ab externis sensibus, à quibus incipit nostra scientia, ipsi enim indicant nobis rerum multarum differentias, vt plusquam sapienter loquitur *Aristoteles* sic incipiēdo libros Me- *Aristotel.* taphysicorum. *omnes homines natura scire desiderant, signum autem est sensuum di-* 429 *lectio, præter enim vtilitatem, propter se ipsos diliguntur, & maxime aliorum qui est per oculos, causa autem est, quia hic sēsus maxime sensuum nos cognoscere facit, & multas differentias demonstrat.* sentiūt quippe sensus, & præcipue oculi, rerum effectus exteriores, & inde dant occasionē intellectui, vt cognoscat earumdem rerum intimos recessus, & occultas essentias ratiocinando, aut quasi ratiocinando (quod dicunt à posteriori), idest ab effectu ad causam, & radicem effectus, conformiter ad illud axioma Philosophicū, quod vsurpatū inuenio à Christo Domino, Mat.7.20. *Ex fructibus eorū cognoscetis eos.* & 12.33. *Siquidem ex fructu arbor cognoscitur, nunquid*, dixerat in Cap.7. *Colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus, sic omnis arbor bona fructus bonos facit, &c.* denique actus intellectus, qui post hæc, cognouerit rei genus, & differentiam, qualis est ille, qui dicit, *homo est animal rationis particeps*, ipse est definitio formalis, siue mentalis, & perfectissima rei definitæ scientia. lege

S.Tho-

S. Thomas. S. August. S. Thomam opusc. 48. cap. 4. *de differentia* & S. *Augustinum* to. 1. *de quantitate animæ* cap. 25.

Deinde in bona definitione duo modi arguendi fundantur, qui ab illa duplici regula Logicæ realis non obscure indicantur. prima est. *quidquid intrinsecum & essentiale affirmatur & negatur de definito, poteris affirmare, & negare de definitione. & è contrario. quidquid affirmatur, & negatur de definitione, poteris affirmare, & negare de definito*; quia definitio, & definitum connectuntur, & sunt æquipollentia, v. g. de homine, quod ponamus esse definitum affirmo quod sit risibilis, & nego quod sit rugibilis, id ipsum possum enunciare de hominis definitione, nempe de *animal rationale*, hinc ortum fuit cõmune axioma, *cui conuenit definitio, conuenit definitum*, & *contra*. quia si Petrus est animal rationale, Petrus est homo, & si est homo, erit animal rationale.

430 Et propterea secunda regula dictat *bene duci argumentum a definitione ad definitum*, & è contra, *definito ad definitionem affirmanter, & neganter*; nam bene dices affirmãdo, Ioannes est animal rationale, ergo idẽ est homo; & item, Ioãnes est homo, ergo est animal rationale. & neganter, si dicas Ioannes non est animal rationale, ergo non est homo. & item Ioannes non est homo, ergo neque animal rationale, sed de his regulis iterum tracto in quæst. 10. de locis à n. 1010.

Ad finem hic iterum aduerto duo. primum est huiusmodi regulas, sine dubio Logicales esse, quinimo perfectiorem Logicæ partem, & quod mirabile est earum obiectum primarium sunt res, quæ sunt definitum, & definitio, vt nemo non videt. secundum est, ad primum consequens, & prænotatum supra nu. 51. inueniri non posse a Tyronibus bonam definitionem, donec de genere, ac differentia, & reliquis vniuersalibus notitia imbuantur, idcirco eos remittimus ad partem Logicæ sequentem, vbi fuse de his tractamus magistri Metaphysici personam agentes. recolantur quæ superius dicta sunt, vbi modo me citabam, & quæ

Aristotel. scribit *Aristoteles* in lib. 6. Topic. cap. 1. vbi de locis siue de modis arguendi, quæ à definitione petuntur, & in definitione fundantur tam fuse, quam obscure disseruit. clarius procedemus nos infra ab illo numero 1010.

SECTIO III.

Dissoluit obiecta contra dicta de Definitione; vbi probatur eam esse propositionem.

OBijciunt Primo. *illa est mala definitio, in qua definitur idem per idem*, vt communiter fertur, sed in definitione definitionis, definitur idem per idem, idest definitur definitio per definitionem, ergo ea definitio est mala. Respondeo concessa maiori, negando minorem, quoniam supra in sect. 2. non definimus idem per omnino idem, sed definitionem in communi per definitionem quandam particularem, quæ sufficienter distincta est a definitione in communi; hæc enim vel dicit rationem communem definitionis vt sic, vel dicit congeriem omnium singularium definitionum, si primum differt saltem ratione a singulari definitione, per quam definitur; si secundum, differt ab hac definitione vt totum a parte, siue vt differunt multi homines ab vno solo. neque inconuenit quod ista peculiaris definitio obiter se ipsam inadæquate, & inter cæteras conuoluta definiat, ac repræsentet, sicut non est inconueniens quod vox hæc *nomen* significando reliqua nomina se inter ea significet, vt alibi supra dictum est ex *Augustino*. S. August. sup. n. 196.

431 Obijciunt secundo. communiter docent Dialectici *definitum nõ debere intrare in definitionem*, ergo definitio non est propositio, vt videmus nos exemplificando tenuisse, etenim si propositio est, definitum necessario in eam intrabit, & sic cadet veritas communis asserti, vt respondeam argumento huic, aduerto primo dicendum esse consequenter ad nostras opiniones definitionem esse propositionem, vel orationem enunciatiuam, vt videtur docuisse *Arist.* 1. Poster. c. 7. 1. Top. c. 4. & 6. c. 12. & consentit *Arriaga* hic d. 1. sect. 1. ducor. quia definitio formalis, siue mentalis, quæ per antonomasiam est, ac dicitur definitio, & cuius vicaria est definitio vocalis, est actus scientificus, vera & certa rei, ac scientialis comprehensio, Aristotel.

O & qui

& qui firmiter hæret. Obiectio, quasi efficaciter asserẽdo ita illud esse, vt per definitionem enunciatur, & ideo videtur esse iudicium, & mentalis propositio, non simplex apprehensio, quæ est actus satis inefficax, & impropriè verus, vt vides supra num. 136.

Secundo animaduerto distingui oportere in definitione vocali, siue reali, de qua tractarunt Dialectici, quando dixerunt definitum non debere intrare in definitionem, duas partes, quarum altera est eius subiectum, altera prædicatum complexum; & ex vtraq; confici definitionem integram, sed cum ea differentia, quod pars, quæ est prædicatum sit potissima essentia definitionis, pars vero, quę est subiectum sit illius intrinsecum, & substantiale complementum, his positis respondeo ad obiectionem, & dico definitum non debere intrare in definitionem, siue in eam partem definitionis, quæ est eius essentia, posse vero intrare in definitionem cõpleto modo sumptam, vt scilicet dicit essentiam sui, & complementum; quo modo definitio est propositio, & nostra doctrina non videtur esse contra commune prouerbium. & simili modo respondendum ad aliud axioma, quod ait *definitum ac definitionem dici conuertibiliter*, quatenus id quod est principale definitionis

432 nempe prædicatum conuertitur cum subiecto.

Obijciunt tertio. omnis definitio debet esse clarior suo definito, sed vocalis ista definitio *animal rationale*, non est clarior voce *homo*, quod est definitum; ergo illa non est definitio. Maior est certa. Probatur minor. quia *rationale* tã obscura vox est, quam *homo*. Respondeo tamen concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem addo vtramque partem definitionis debere esse clariorem, quam definitum, idest clarius debere significare essentiam rei definitæ, quam ipsum definitum, neque necessarium esse, quod qualibet pars illius seorsim sumpta, clarius significet, & quoniam definitio hæc integre accepta, *animal rationale*, clarius manifestat essentiam hominis, vtpote quæ quasi explicat partes essentiales eius, quæ quasi complicatæ manifestantur à voce *homo*, ideo clarior est voce *homo*. ad finem aduerterem definitionem fere semper esse propositionem categoricam, sed non repugnare esse hypotheticam, vt hæc *homo est animal & est rationale*.

QVÆSTIO III.

De Diuisione in communi; vbi prius de ipsius Inuentore, Nomine, & Vtilitate.

IN Logicæ Præfatione nu. 5. docuimus diuisionis inuentorem, aut instauratorem fuisse Platonem *in Phædro sophysta & ciuili*. nomen vero *diuisio* licet non raro apud *Aristotelem* & *S. Thomam* significare soleat propositionem negatiuam, vt annotaui supra nu. 231. in præsenti valet idem, quod partitio, distinctio; in quo sensu frequentissimè diuisione vsi fuimus in superioribus, & semper, vbi fuerit opus vtemur; quando nimirum dicebamus *Logica alia est naturalis, alia artificialis*: vel *Logica diuiditur primo in practicam, & speculatiuam*; & huiusmodi de alijs rebus, quas in plura membra dissecare solemus, & quidem esse diuisionem magnæ vtilitatis, siue distinctionem non nimiam, sed opportune factam, nemo non experitur, quia ab animis tollit, & eliminat confusionem. *Aristoteles S. Thomas.*

SECTIO I.

Docet quid sit Diuisio, & quotuplex.

DIuisio est *modus sciendi*, siue *oratio rem ignotam artificiosè manifestans, eam in suas partes distribuens*. vt hæc *hominis alia pars est animal, alia rationale*. quæ manifestat essentiam hominis illam in suas partes, seu membra distribuens, aut quasi secans, vt manifestius nobis appareat, & distinctius percipiatur. 433 vbi notanda sunt duo: Primum est, in ea definitione stare loco generis quod sit *modus sciendi*: reliquæ vero partes illæ *eam in suas partes distribuens*, stant ibi loco differentiæ, per quas distinguatur diuisio a reliquis modis sciendi. Secundum est, rem, seu totum, quod diuiditur

tur appellari *diuisum*; partes vero seu mēbra, in quæ diuiditur, appellari *membra diuidentia*. membra autem eiusmodi aliquando ita se habent erga rem diuisam, siue circa diuisum, vt id intrinsece componant, atque constituant, aliquando vero illud ab alijs diuidant, atque distinguant; vt alibi commodius explicatur.

Multifariam est *diuisio*; alia est *vocalis*, quæ sunt voces significantes diuisum, & membra diuidentia, compositæ in modum artificiosæ orationis modo declarato alia est *realis*, vel obiectiua, quæ sunt res ipsæ diuisæ, & membra, in quæ diuiduntur, & quæ significantur per vocalem diuisionem. alia *formalis*, siue mentalis, quæ est actus intellectus repræsentās diuisum, & membra diuidentia; de quibus omnibus aliquid agendum hic est, sed magis directe de diuisione vocali.

Secundo. diuisio quælibet ex dictis, v.g. vocalis, de qua quod dixero reliquis in quātum necesse sit accōmodabitur, alia est actualis, alia potentialis. diuisio vocalis actualis est, quæ significat totum, siue diuisum, & partes, quibus diuisum actu constat, vt hæc, *hominis alia pars est anima, alia corpus*. potentialis est, quæ significat diuisum, & partes, in quas diuiditur, quas illud sub se continet, & quasi sub suo imperio, & potentia, vt ea, *animal aliud est homo, aliud est leo*.

434 Hic aduerto, quod si diuisum sit genus, diuisio dicitur generis in species; vt *animal aliud est leo, aliud est equus*. & si diuisum sit species diuisio dicetur speciei in indiuidua. vt homo *alius est Petrus, alius est Paulus*: si diuisio sit ratio communis analoga dicitur diuisio analogi in sua analogata. vt *ens aliud est substantia, aliud est accidens*. Si vero partes diuisi seu membra diuidentia fuerint accidentia, erit diuisio subiecti in accidentia. vt *corpus aliud est album, aliud nigrum*. vel accidentis in subiecta, *vt corporum aliud est album, aliud nigrum*, vel accidentis in alia accidentia *vt Beatorum existentium in cælis, alij beati magis sunt, alij multo magis. vel albedinum, alia sunt intensæ vt duo, alia vt quatuor*.

Tertio diuisio actualis alia est essentialis, alia accidentalis. *essentialis diuisio est, quæ importat partes essentiales diuisi. accidentalis* autem, *quæ importat eius partes accidentales*; & si partes importatæ vel significatæ fuerint reales, & physicæ, diuisio erit physica, si verò fuerint metaphysicæ, diuisio similiter erit metaphysica. physica est hæc diuisio. *Petri alia pars est anima, alia est materia, seu corpus*. illa vero est metaphysica, *hominis alia pars est animal, alia rationale*. vocatur autem illa physica, quia traditur per partes naturales sumptas realiter, & vt sunt a parte rei; & alia metaphysica, quia traditur per partes quasi artificialiter fabricatas, atque distinctas ab intellectu: qua distinctione, & ratione, non sunt a parte rei, sed velut præcisæ per nostram considerationem, quo modo dicuntur obijci & considerari a metaphysica, a qua *metaphysica* per extrinsecam nomenclaturam dicuntur. denique diuisio vocatur ab *Aristotele* 1. Prior. sectio. 2. capit. 3. *imbecillus syllogismus*, quia modi arguendi in ea fundati deducuntur per disiunctum, aut coniunctum, a *Platone* vero *Regius sermo*, ob eius vsum frequentem, quemadmodum *via Regia* dicitur frequentata. *Aristoteles*

SECTIO II.

Proponit leges pro bona Diuisione construenda; modos arguendi in ea fundatos; & modum loquendi circa Diuisionem, ac Definitionem.

Tres sunt leges pro bona diuisione. prima iubet, quod ea sit breuis & quod diuisum diuidat in pauca membra, eaque principaliora, præsertim quando diuisio fuerit actualis; & quidem hæc lex sicut, & sequentes ad Logicam realem, pertinent.

Secunda lex postulat quod vna pars diuisi, siue vnum membrum diuidens non contineat in se plus quam diuisum, si diuisio fuerit actualis, neque sub se, si diuisio fuerit potentialis, licet omnes partes, & membra diuidentia simul sumpta in quacumque diuisione adæquare possint diuisum, hoc est in se, & sub se conti-

435 nere tantum, quantum diuisum, ratio legis huius est, quia pars vna totius, si pars illius est, minor illo necessario esse debet, sub eo esse, & ad panciora se extendere, sub ea saltem ratione, qua pars illius est: at vero partes diuisi omnes simul sumptæ sunt idem, quod totum, & ita nil mirum si toti æquales sint.

Doctrina legis huius declaratur exemplis; prodeat prima diuisio hæc actualis, *hominis alia pars est animal, alia rationalis*, ecce manifeste vides quod nulla hominis pars in se cōtineat plus quam ipse *homo*, qui continet ambas, & a nulla seorsim accepta continetur, licet bene adæquetur ab vtraque secunda sit diuisio ista, potentialis, *animal aliud homo, aliud leo*, vbi clare cernis quod *leo* sub se contineat solos leones, & *homo* solos homines, & sic non tot animantia, quod sub se continet *animal*, quod ad ea se extendit, & ad alia plura infinitarum specierum.

Tertia lex est, quod partes totum diuidentes aliquo modo inter se sint distinctæ Idest sin minus realiter, saltem formaliter, seu ratione, aut consideratione intellectus, ita tamen inter se se habeant, vt vna sub altera non contineatur, & ideo hæc est mala diuisio, *animal aliud homo, aliud Petrus*; quia Petrus continetur sub homine. illa vero est bona *animal aliud rationale, aliud rugibile*, quoniam eorum membrorum neutrum est sub altero.

436 Quatuor loci, seu modi arguendi fundantur in diuisione; duo in potentiali; & duo in actuali; nam primo in dinisione potenriali bene arguitur ab affirmatione diuisi ad affirmationem omnium membrorum diuidentium disiunctiue sumptorum, vt si affirmetur de homine *animal*, quod ponamus esse diuisum sic, *homo est animal*, bene colligitur, *ergo homo est animal rationale*, vel *rugibile vel aliud irrationale quoduis*. valet etiam bene a negatione diuisi ad negationem membrorum diuidentium, vt si dicas, *homo non est animal, ergo homo non est rationale animal, neque irrationale*.

Deinde in eadem diuisione potentiali valer ab affirmatione diuisi, & vnius membri diuidentis, ad negationem membrorum cæterorum, vt si de homine affirmes diuisum animal, & animalis membrum hoc, dicendo sic, *homo est animal, & est rationale, ergo non est rugibile, neque hinnibile, neque aliud irrationale*. & similiter valet ab affirmatione diuisi, & negatione cæterorum membrorum diuidentium, ad affirmationem vnius mēbri, vt si affirmando dicas de humilitate quod sit bonum quidpiam, sed negas esse bonum vtile & delectabile, bene inferretur, erit ergo bonum honestum; aut si de homine sic enuncies, *homo est animal, & non est rugibile, neque irrationale aliud; ergo est animal rationale*.

In diuisione vero actuali bene valet primo ab affirmatione existentiæ diuisi ad affirmandam existentiam membrorum diuidentium, vt si affirmes, *Petrus existit, ergo existunt eius anima, & corpus*; & vice versa, valet a negatione existentiæ membrorum diuidentium, ad negandum existentiam diuisi sic, *non existunt anima, & corpus, ergo non existit animatum*. secundo bene arguitur ab affirmatione vnius membri ad negationem aliorum, vt si affirmes, *hæc pars hominis*, de qua tractamus, *est corpus, ergo ea non est anima*.

In fine sectionis ex Dialecticis aduertite circa modum loquendi in diuisione & in definitione, interroganti quæ diuisio sit, aut definitio? respondebitis esse essentialem, vel accidentalem, physicam, aut metaphysicam, aut huiusmodi aliam speciem, interrogāti vero quales illæ sint, respondete bonas, vel malas esse, secundum quod vobis videbitur; minus autem bene respondetur eas esse veras, aut falsas, quantumuis propositiones ex sint. 437

Ad nostræ vero superioris doctrinæ euidentius fulcimentum, aduertendum quoque est, facillime posse efformari quatuor logicales regulas practicas docentes vti prædictis quatuor modis arguendi, quæ a diuisione petuntur in hunc, aut similem modum, circa primum arguendi modum potentialis diuisionis, *quotiescunque affirmaueris de aliquo subiecto diuisum, de eodem affirma membra eius omnia diuidentia sub disiunctione*. rursus. *quotiescunque negaueris de aliquo diuisum, absolute de eodem negabis omnia membra diuidentia*.

Et sic sua proportione formari possunt reli-

reliquæ regulæ generales, quæ sine dubio Logicales sunt; & tamen, vt manifestum est, earum obiectum sunt res, nempe diuisum, & membra diuidentia, & subiecta, de quibus prædicantur; nec enim prædicantur aut subijciuntur voces, aut conceptus, vt volunt quidā *Nominales*, sed res, vt alibi cum communi sententia dicēdum est; licet instrumentum, medio quo res assumuntur, sint actus intellectus, & item soleant esse voces, nam plerumq. vtimur vocibus pro rebus.

SECTIO III.

Soluit argumenta contra doctrinam supra traditam circa Diuisionem.

OBijcitur primo. diuisio est oratio totum in suas partes distribuens; ergo hæc non est diuisio, *animal aliud est homo, aliud equus*. probatur consequentia; quia partes animalis non sunt homo, & equus. ex quo vlterius infertur diuisionem potentialem per abusum dici diuisionem, non proprie. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; ad cuius probationē dico, quod homo, & equus non sunt partes actuales animalis, nec quibus actu constituatur intrinsece animal, esse tamen partes potentiales eius, siue, vt rectius loquar, partes illi subijcibiles, & ad quas animalis potentia sese extendit, eas, & reliquas animantium species habens sub suo velut imperio, & potestate; id quod sat est ad statuendam diuisionē potentialem, nec amplius requiritur.

438 Obijcitur secundo. in hac diuisione metaphysica actuali, *hominis alia pars est animal, alia rationale*, illud *animal* plus continet, latius patet, & ad plura se extēdit, quam diuisum *homo*, cum illud se extendat ad *leonem, & equum & ad alia quæ* non pertingit *homo*; ergo non est fidelis illa lex, quæ iubet partes diuidentes in actuali diuisione minus patere, & continere, quam diuisum. Respondeo considerari posse *animal* inquantum est pars actualis hominis, seu hominem constituens, & sub ea consideratione sine dubio minus habet actu, quam *homo*, quia *homo* ipsum *animal* continet, & includit rationale, & hoc tantum voluit, & iussit illa lex, si vero *animal* consideretur, non iam vt pars hominis, sed inquantum est totum, quod vocant potentiale sub se continens omnes animantium species, & vt est diuisum, quod diuidi potest in ipsas, vt in partes, sic multo latius patet quam *homo*, quod non vetuit illa allegata lex.

Obijcitur tertio. diuisio hæc potentialis, (in qua secundum legem secundam supra stabilitam, non debuit membrum diuidens latius patere, nec plura sub se cōtinere, quam diuisum) *animal aliud est rationale, aliud irrationale*, hoc membrum *irrationale* plura sub se continet, quam diuisum, *animal*; quia se extendit ad lapides, & reliqua omnia, quæ carent vsu rationis, ea vero sūt infinita, & sic multo plura, quam viuentia sensibilia, ad quæ sola se extendit *animal*, ergo in diuisione potentiali membrum diuidens potest sub se continere plura, quam diuisum. falsa ergo est secunda lex.

Respondeo tamen negādo antecedens; 439 quia licet illud membrum *irrationale* secundum se sumptum, & non vt membrū diuidens plura significet, & consequenter plura sub se contineat, quam *animal*, vt ibi in argumento exponitur, non tamen ad ea omnia se extendit vt est membrum diuidens, & sub animali, qua ratione illi quasi supplendum & sub intelligendum est adiunctum, nempe *animal*, ita quod perinde sit dicere *animal*, aliud est rationale animal, aliud animal irrationale, quo pacto *irrationale* non se extendit ad plura, quam *animal*, vt manifestum est.

Obijcitur quarto. diuisio non est modus sciendi distinctus à definitione, ergo non apte ab hac secernitur in specie. vt Respondeam huic curiosæ obiectioni, iubet digressionem facere & examinare, quo modo inter se differant, aut non differant isti duo modi sciendi, si re vera sunt duo.

SECTIO IV.

Ostendit Diuisionem actualem non differre specie à Definitione; & soluit argumenta in contrarium.

CONclusionem in titulo contentam tenuit P. *Hurtado* disputat. 10. Logica, sect. 6. quẽ imitatur P. *Arriaga* disp. 3. ratio illius est; quia diuisio actualis non differt à definitione in significatione, neque in declaratione ignoti, neque in modo significandi, aut declarandi ignotum; ergo nullo modo differt à definitione. Probant antecedens primo hæc exempla, etenim hæc diuisio, *compositus homo habet vnam partem corpus, alteram partem animam*, eodem modo declarat id, quod declarat illa definitio *homo compositus est anima, & corpore*; & idem apparet in ista definitione, *quantitas est accidens diuisibile in plures partes maiores, & minores*, comparata cum illa diuisione actuali, *quantitas est accidens, quod habet alias partes maiores, & alias minores*.

440 Probat secundo hæc ratio diuisionem actualem à definitionẽ non differre in modo significandi, in quo solum mihi controuersia cum Modernis erit; quoniam diuisio affert, & significat partes essentiales diuisi, vt vnitas, non minus quam definitio, ergo neque in modo significandi distinguuntur; probo antecedens, etenim ideo definitio dicitur communiter afferre, & significare partes essentiales definiti per modum vnius, siue vt vnitas, quia illas affert, atque significat ad modum termini complexi, qui constat duplici voce vnita aliqua cõiunctione, vt *pars vna & pars altera. Petrus & Paulus*, vel solum ex modo significandi quasi per bonã concordantiam grãmaticalem, vt *animal rationale, Petrus albus*, Sed diuisio simili modo affert, atque significat partes essentiales sui diuisi, ad modum termini complexi, vt apparet in hac diuisione *hominis vna pars est animal, & altera rationale*, ergo diuisio affert, atque significat partes diuisi per modum vnius, atque vt vnitas, & non per modum plurium; ergo non differt à definitione, nec in modo significandi.

Confirmo id ipsum loquendo de diuisione formali, siue mentali, & de reali, siue obiectiua, nam vsque adhuc loquuti fuimus solum de vocali, quoniam vt manifestissimum est, definitio mentalis hominis, verbi gratia, nequit specie differre à diuisione actuali mentali eiusdem hominis, siquidem obiectum vtriusque actus est idem homo, siue eiusdem essentiales partes; & propterea multo manifestius est definitionem obiectiuam omnino esse rem eamdem, atque diuisionem actualem, item obiectiuam, quæ sunt ipsæmet res definitæ, atque diuisæ, siue eædem rerum partes essentiales; quod si definitio mentalis, atque diuisio item mentalis versantes circa easdem res, diuersæ inter se non sunt, cur vocales definitio, & diuisio, quæ tales dicuntur per respectum ad illas, quæ per antonomasiam ita nominantur, & sunt, distinguendæ fuerunt. accedit eodem quod *Aristoteles* non distinxit definitionem, à diuisione, vt infra. *Aristotel.*

Sed contra dicis primo. diuisio affert partes vt diuisas, & vt diuersas, quod indicat relatiuum illud diuersitatis *alia* bis repeti solitum in diuisionibus, ergo diuisio differt à definitione in modo significandi. Respondeo negando antecedens; etenim illud relatiuum ibi se habet instar terminorum numeralium *vna*, & *secunda*, ita vt perinde sit dicere, *hominis alia pars est anima, alia corpus*, atque *hominis vna pars est anima, secunda corpus*; aut *prima pars anima, secunda corpus*; qui termini addita præsertim particula *&*, afferunt atque significant partes diuisionis absolute, & ex modo significandi vnitas, quemadmodũ illas affert, atque significat ista definitio *homo habet duas partes essentiales*, nempe corpus & animam, siue primam animam, secundam corpus, terminus ergo relatiuus, quando æquipollet numerali, vt contingit in præsenti, non significat partes vt diuisas, sed vt vnitas. 441

Contradicis secundo, non solum illud relatiuum *alia* bis repetitum se habet vt terminus numeralis, quod non nego, sed etiam se habet vt relatiuum, quod est diuersitatis distinguendo vnam partem essentialem diuisi ab altera; ergo diuisio affert partes vt diuisas; id quod etiam denotant nomina huic modo sciendi imposita, nempe diuisio, partitio, sectio, distinctio, distributio, & huiusmodi. Re-

spondeo

spondeo concedendo tale relatiuum, quando in diuisione ponitur simul obiter discernere partes essentiales diuisi, & quasi monere nos esse inter se duo distincta, animam, & corpus; sed vero id non habet necessario diuisio formaliter, inquantum est modus sciendi, qui solum attendit ad explicationem claram diuisi ignoti, non partium eius; sed solum materialiter, & inquantum est talis oratio constans relatiuo, quasi dissecante partes, & sic eas obiter explicante, neque enim putandum est diuisionem necessario debere constare relatiuis.

Vnde sicut hæc definitio, *homo habet duas partes essentiales* nimirum *corpus*, *& animam*, non est modus sciendi, quia quasi signate nos monet de numero partium definiti eas obiter distinguendo, & explicando, sed quia per eas partes explicat essentiam ignoti; ita est similiter diuisio. nomina vero illa quibus significari solet, proprie tradita sunt pro diuisione potentiali, quæ vere, & proprie procedit distinguendo partes, aut quasi partes diuisi, ita quod eas non possit afferre vt vnitas, & vt componentes, & constituentes essentiam diuisi, sed non ita proprie congruunt diuisioni actuali, quæ ijs nominibus insignitur, quia vulgo tradi solet per relatiua diuersitatis; non quod aliter fieri nequeat, vt supra dictum est.

442 Contradicis Tertio. diuisio actualis semper, ac necessario est propositio hypothetica, & ita iure suo petit esse, non sic definitio; ergo semper illa ab hac distinguitur specie. Respondeo, dato quod antecedens sit verum, de quo addubito, probari arguméto hoc diuisionem, quæ sit propositio hypothetica ex eo capite differre a definitione, quæ sit propositio categorica, non vero ab ea, quæ sit vt poterit hypothetica, hæc enim definitio est hypothetica propositio, *homo constat animo, & idem constat corpore simul*, & ita aliter modo hypothetico efformari poterunt definitiones.

Contradicis quarto. regulæ Logicales, quæ docent practice facere definitiones, differunt specie à regulis docentibus facere diuisiones actuales; ergo similiter & ipsa artificia, nempe definitiones, ac diuisiones specie inter se differunt. Probas antecedens, etenim hæc est regula docens facere actualem diuisionem, *omnis diuisio actualis constare debet vocibus significantibus diuisum, & eius partes essentiales*. vel hæc, *omnis diuisio actualis debet repræsentare diuisum, & membra essentialia diuisi*. illa vero est regula docens efficere definitionem *omnis definitio constare debet vocibus significantibus definitum, & ipsius genus, & differentiam*: vel illa, *omnis definitio debet repræsentare definiti genus, & differentiam*.

Sed vero hoc argumentum, quod mihi de industria obieci, vt & obiter de Logicis documentis tractarem, clarius adhuc probat nostram sententiam, siquidem prædictæ regulæ similes omnino sunt in substantia, & eadem artificia docent efficere, ac differunt aliqualiter in nominibus, non re ipsa; quoniam, vt cernere est, ambæ iubent adhiberi voces, vel actua intellectus significantes, aut repræsentantes partes essentiales ignoti, quæ semper aut plerumque sunt genus & differentia, ex quibus ignoti essentia constat, ac declaratur. quo circa, vti supra dictum est, definitio, ac diuisio actualis de solo nomine differunt, nisi quando contingat diuisionem esse propositionem compositam, definitionemque rei eiusdem propositionem simplicem.

Contradicis vltimo. si diuisio non differret specie à definitione, non esset triplex species modi sciendi; sed hoc est contra communem Dialecticorum; ergo omnis diuisio specie differt ab omni definitione, sicut differt omnis homo ab omni leone. Respondeo negando maioré; etenim quamuis diuisio actualis non differat à definitione, restat diuisio potentialis, quæ distinguitur, & quæ facit classem distinctam modi sciendi: neque hæc doctrina displicere potuit Dialecticis, qui vel rem non examinarunt ex professo, vel contenti sunt, si diuisio potétialis esset modus sciendi distinctus à definitione, vel definitio ac diuisio nominibus solis discreparent. 443

Simile quid videtur contigisse *Aristoteli*, qui, vt refert P. *Fonseca* lib. 1. Institutionum cap. 4. non distinxit diuisionem à definitione, & ideò interpretandus est conformiter ad nostram veram opinionem, ita quod putauerit nullam distinctionem præsquam de nominibus esse inter diuisionem actualem, ac defini- *Aristotel.*

 tio-

tionem; esse vero maximam inter diuisionem potentialem, de qua Philosophus loquutus non videtur, & definitionem; etenim, vt manifestum est, nulla inuenietur definitio *animal* definiens, quæ non distinguatur plusquam numero ab ista potentiali diuisione animalis eiusdem, *animal aliud est homo, aliud leo*.

QVÆSTIO IV.

De Argumentatione in communi, siue de Consequentia; vbi pauca de locis argumentorum; ac de arte inueniendi medium; sed prius de Inuentore, & regulis rem præsentem concernentibus, præfabor.

Aristotel. ARistoteles in fine libri 2. Elenchorum putauit se inuenisse præcipuam Argumentationis speciem, nempe syllogismum, ita scribens *de syllogismis autem omnino nihil habuimus prius aliud quidpiam, quod diceremus, quam mera perquirentes multo tempore insudauerimus, reliquum erit omnium vestrum, vel eorum qui audierunt hoc opus, omissa quidem artis venia dignari, inuenta autem multa prosequi gratia*. inuenit quippe Philosophus, siue instaurauit non tantum syllogismos, eorumque materiam, aut
444 vsum, sed etiam artem docentem efficere quoscunque syllogismos in materia quacumque; *non enim*, dixerat idem paulo superius, *artem, sed quæ ab arte sunt dantes arbitrati sunt loqui erudite, qui enim futuriam artem non docuit, sed dedit plura genera calceamentorum, profuit ad vsum, sed artem non tradidit*; non sic *Aristoteles* sed eximio labore & industria dedit syllogismos, ac simul præcepta & regulas pro eis in posterum cōstruendis, vt videre est *in lib. Priorum* & *Poster.* vbi de omni argumentationis genere tractat, accuratius tamen de syllogismo, eius partibus, modis, & figuris.

Sed vero nos, qui præsertim scribimus incipientibus, ex regularum immenso numero, & aceruo seligemus faciliores, & magis vtiles sed non sinemus necessarias, propter ea, quæ de industria scripta à nobis sunt supra num. 171. & 177. recolantur, quæ ibi dicta sunt, & scripsit *S. Thom.* *S.Thomas.* in Opusculo 67. & *S. Augustinus* tom. 3. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 31. & 32. *S. August.*

SECTIO I.

Definit Argumentationem in communi; & exponit varias ipsius species.

ARgumentatio in communi *est modus sciendi, in quo vnum ex alio infertur, siue concludendo colligitur*. vt hæc, *sol lucet, ergo dies est*, & huiusmodi, quas semper esse contingit propositiones hypotheticas. ac primo, triplex est argumentatio, alia dicitur *causalis*, quia cōstat particula *quia*, vel æquiualenti, vt hęc *quia Petrus est animal, est sensibilis*. alia *conditionalis* propter particulam *si*, vt ista, *si est homo, rationalis est*. Tertia demum dicitur & est *rationalis*, quia inibi est particula ratiocinans *ergo* vt hæc, *Ioannes currit, ergo mouetur*. *Aristotel. S.Thom. ibi lect. 1.*

Rursus argumentationis huius rationalis sex sunt species, prior est *syllogismus*, 445 *Aristotel.* de quo dicemus infra; Secūda est *enthymema*, quod ita definit *Boetius enthymema est oratio, in qua non omnibus præmissis positis infertur festinata conclusio*; vt *Petrus est homo, ergo Petrus est animal*. dicitur enthymema ab *Aristotele* lib. 2. Poster. cap. 34. syllogismus imperfectus, siue truncatus, quia est altera præmissa destitutus, quæ ibi subintelligitur; & præsenti illa supplenda *omnis homo est animal*, & ita remanebit integer syllogismus.

Tertia species est *Inductio*, quæ sic definitur à Philosopho 1. Topicor. cap. 10. *inductio vero est à singularibus ad vniuersalia necessio, siue progressio*, vt hæc, hic homo laborando, & studendo multum profecit, & ille, & ille, & sic de cæteris, ergo omnis homo laborando, & studendo multum proficiet. hoc genus argumentationis dicitur ab *Aristotele* clarius, notius, & communis, & est optimum, & formale, vt reor, licet non iudicetur valentius, quā syllogismus, & à nobis appellabatur olim in Disp. 2. Quęst. 1. Sectio. 10. *ascensus*. & *descensus*. legite nos ibi & *Aristotelem* 1. Poster. cap. 1. & *S. Thomam* ibi in lect. 1. & *S. Augustinum* de Dialecticæ Princip. cap. 3. *Aristotel. S.Thomas. S. August.*

Quarta

Quarta species dicitur *exemplum*, quod est *oratio, in qua aliquod singulare ex vno, aut pluribus similibus deducitur*, vt colligitur ex *Aristotele* lib. 2. Prior. c. 30. vt hoc, *Abraham* placuit Deo, quia illi credidit, & similiter alij viri sancti; ergo & nos Deo placebimus, si eidem crediderimus. Regi *Ferdinando Tertio*, & inuicto Imperatori *Carolo V.* eius nepoti fuit, est, & erit valde gloriosum pro Religione Catholica prælia suscepisse, ergo *Ferdinando III.* Imperatori S. A. & Catholico Regi *Philippo IV.* illorum nepotibus gloriosum fuit, est, & erit id ipsum. Vide alia exempla in *Aristotele* allegato, & *S. Thoma* Opusculo 48. tract. de syllogismo cap. 1. vbi eodem fere modo definit argumentationem, sed eam tantum diuidit in quatuor dictas species.

Aristotel.

Aristotel. S. Thom.

Quinta species dicitur *gradatio* Latinè, Græcè *sorites*, & *est oratio, in qua ab vna propositione ad aliam, & ab alia in aliam progredimur quousque prædicatum vltimæ cum subiecto primæ coniungamus, aut disiungamus*, vt est illa argumentatio ad *Romanos 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem*. ergo de primo ad vltimum veniendo, *tribulatio operatur spem*, & propter eiusmodi conglomerationem propositionum *sorites* dici etiam consueuit *coaceruatio* à Latinis.

446 Sexta, & vltima species est *dilemma*, quæ est argumentatio bicornis, siue *cornuta* à Gellio dicta, & à Cicerone *Complexio*, constans duobus membris, inter quæ medium dari non solet, & sic vnum è duobus concedere opus est; solet autem dilemma esse ens quoddam per accidens compositum ex hypotheticis Disiunctiua, & duplici repetita Conditionali, vt hoc, quo quis probare conaretur Petrum incarceratum è carcere educendum sic, aut Petrus improbus est, aut probus? si improbus cur non occiditur, aut ad triremes mittitur? si probus, cur hic detinetur inclusus in ergastulo?

Quandoque etiam insurgimus in aduersarium in ipsum rationem suam & argumentum retorquendo, vt eum gladio suo iugulemus argumento, videlicet, quod dici solet, *ad hominem* facto, & eiusmodi redargutio dicitur *violatio*, quæ est argumentatio composita ex ratione aduersarij, sed quoniam eiusmodi ratio necessario affertur in syllogismo, vel in alia argumentatione ex supra enumeratis, idcirco *violatio* non facit septimam, aut certam classem, seu speciem argumentationis, sed ad eam reducenda erit, in qua eam reperiri contigerit; solum aduerterem hic duo. primum est, eiusmodi omnes argumentationes, vt iacent, materiales esse, fieri autem posse formales si componantur ad modum syllogismi, vt sic earum vis magis elucescat. secundum est, eas specie Logica differre inter se, quia habent architecturam differentem, siue compositionem; & consequenter expostulant per diuersas regulas Logicales fieri, vt fit manifestum attente contemplanti. procedamus nos vlterius diuidendo in alia membra generaliora, argumentationem in communi.

Secundo ergo argumentatio alia est bona, alia est vitiosa, & mala. bona argumentatio est illa, in qua vnum infertur ex alio, vt hæ *sol lucet, ergo dies est, Petrus est homo, ergo est animal.* mala vero est illa, in qua consequens non infertur ex antecedenti, siue vnum non infertur ex alio, siue quia illi repugnet, aut cum eo disparate se habeat, & impertinenter, vt hæ *Ioannes est homo, ergo est brutum. Antonius est albus, ergo est musicus.* vide *P. Georgium Stengelium* in libello de bono, & malo Syllogismo, vbi plura de hoc argumento;

Tertio, argumentatio alia est formalis, 447
alia materialis. *formalis est, quæ habet talem dispositionem, & virtutem ad aliquid inferendum, seu concludendum, vt si ea dispositio semper retineatur, bene semper concludatur in quacunque materia*, vt est illa in materia metaphysica, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. *Arist.* 1. Topic. c. 12. videtur opinari Inductionem esse argumentationem formalem, quia illam præfert syllogismo, & merito, quia est infallibilis in omni materia, & clarissima vel oculis sæpe patens, aut sensibus.

Aristotel.

Argumentatio vero *materialis est quædam virtus inferendi aliud in determinata aliqua materia, attenta solum eiusmodi materia*, non forma & artificiosa terminorum dispositione, sed sola inspecta cõnexione, & connaturalitate antecedentis, & consequentis, vt hæc *Ioannes est*

homo

homo. ergo est rationalis, & illa *quia sol lucet, dies est*, vbi ex vi materiæ infertur rationalem esse Ioannem, quia homo est; cum quo connectitur naturaliter rationale: ac diem esse sole lucente, quia nimirum sol lucens necessario inducit diẽ. dicitur autem eiusmodi argumentatio materialis, quia nõ semper est fidelis, & absolute, sed secundum quid, idest ratione materiæ, quando, videlicet, contingit consequens habere connexionem cum antecedenti, & ideo sæpe deficit similis forma arguendi, vt apparet illic, *Petrus est homo, ergo est hinnibilis. quia sol lucet, Turca dormit*. propterea dici solet in argumentatione materiali posse dari antecedẽs verum & consequens falsum, quod est impossibile euenire in formali argumẽtatione, *in qua ex vero semper sequitur verum.*

448 Quarto, & vltimo, argumentatio alia est *necessaria*, alia *probabilis*, siue contingens, quam non semel vocat *Aristoteles verisimilem, ac Dialecticam*. necessaria est ea, cuius consequens necessario infertur ex antecedenti, id quod fieri contingit triplici necessitate, primo metaphysica, vt *homo est animal, ergo est sensitiuus*. secundo physica, vt *est ignis, ergo calefacit*. tertio morali necessitate, vt *est famelicus, & nihil impedit, ergo comedet sibi porrectos cibos*. probabilis argumẽtatio est, cuius consequens solum vt inplurimum, aut verisimiliter sequitur ex antecedenti, vel non certo, sed coniecturaliter, vt *est mater, ergo diligit filium suum. est homo, ergo rogatus respondebit. Agricola oportuno tẽpore seminat, ergo metet vberes segetes*. & eiusmodi plurimæ ex nostris quotidianis assertionibus, quæ vt in plurimum sunt incertæ, & falsitati obnoxiæ.

Aristotel.

SECTIO II.

Proponit, & exponit documenta quædam ad ritè conficiendas argumentationes formales.

ANtequam tractem de syllogismo, qui dicitur principalior argumentatio inter formales, præmitto ex dicendis infra in quæstione de locis, documenta quædã pro similibus argumentationibus legitime construendis.

Primum documentorum est hoc Logicum axioma, *ex vero nil nisi verum; ex falso quandoque verum sequitur, quandoque falsum*; vt patet ab his exemplis, *homo est rationalis, ergo est intellectiuus*, & simili modo sequitur semper ex vero verũ, quotiescumque antecedens verum vera, & necessaria illatione infert consequens, iuxta dicta supra nu. 415. ex falso autem, & sequitur aliquando verum, vt vides in his argumentationibus. *Omne animal est nigrum, Ceruus est animal, ergo Ceruus est niger. Petrus est equus, ergo est animal*. & item sequitur aliquando falsum. vt ibi. *Petrus est leo, ergo est rugibilis*. meminit regulæ huius *Augustinus* tom 3. lib. 2. de doctrin. Christ cap. 32. & 33. & *Aristotel.* sæpe videndus in suo indice verbo *verum*. S. August. Aristotel.

Secũdum axioma est. *ex antecedenti necessario non infertur nisi consequens necessarium*, quia cum necessario non habet cõnexionem nisi quod est similiter necessarium, sicut cum vero nihil nisi verum. quare hęc est bona argumentatio *est homo, ergo est animal*. hæc mala, *est animal ergo sentit, aut videt actu*. ita tradunt *Aristoteles* 1. Post. c. 6. t. 17. & *S. Thomas* 1. p. q. 14. a. 13. Aristotel. S. Thom.

Tertium est. *ex puro contingenti infertur contingens, & necessarium, non autem impossibile*, vnde ex hoc antecedenti contingenti *aliquid currit*, infertur hoc consequens contingens, *ergo est homo*, & illud necessarium, *ergo mouetur*. 449

Quartum documentum est. *ex impossibili infertur impossibile aliud, necessarium, & contingens*, quod parum distat ab illo alio axiomate *ex falso quandoque verum quandoque falsum* v.g. ex hoc antecedenti falso, *Petrus est equus* infertur *ergo est hinnibilis*, quod est impossibile, *ergo est animal*, quod est necessarium, *ergo currit* quod est contingens. & quidem enumerata documẽta omnia sunt axiomata, idest dignitates, seu digna quæ sine alio examine credantur, vtpotè quæ sunt prima principia verissima, in quibus quasi pro dignitate resplendet, ac sedet veritas, sunt propterea sedes fidelissimæ argumentorum, licet generaliores, quatenus, qui volet probare verum esse consequens aliquod, rite id fecerit, aut monstrando antecedens verum esse; ex quo necesse est sem- 450

semper verum inferri, aut saltem esse falsum, ex quo aliquando contingit sequi verum cõsequens. appellatur vero ab Ari-
Aristotel. stotele *antecedens* id quod sumitur vt medium, vt ratio, vt principium, vt sedes, vt locus, vt causa, ex qua inferatur aliud, quod ideo appellatur *illatum* seu *consequens*.

Quintũ est. *ex quocumque sequitur antecedens, sequitur cõsequens*, vel sic Logicè, siue per modum Logici documẽti *de quocumque prædicat antecedens, prædicat consequens talis antecedentis*. vt si dicas *Petrus est rationalis, ergo est intellectiuus*, vbi *intellectiuus*, quod ibi est consequens, sequitur quidẽ ex *rationali*, sed item sequitur ex homine, ex quo sequitur antecedẽs illud *rationale*; quare bene argues Petrus est homo, ergo est intellectiuus. nota medium argumenti in præsenti esse speciem, nempe *homo*, vnde sumitur ratio conuincens Petrum esse rationalem, & intellectiuum.

451 Sextum documentum est; *quidquid sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedenti*, nam bene valet Petrus est homo, ergo est substantia; & est substantia, ergo est ens, & de primo ad vltimum, per soritem infertur, ac bene valet *Petrus est homo, ergo Petrus est ens*, aduerte locum & medium assumptum vt cõuincatur Petrum esse ens, esse in præsenti *substantiam*, & ita posset peti inde argumentũ, & syllogismus demõstratorius sic, quidquid est substantia est ens, quidquid est homo est substantia, ergo quidquid est homo est ens; sed Petrus est homo, ergo ipse est ens.

Septimum est. *quidquid repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti: sed nõ è contra quidquid repugnat antecedẽti, repugnat consequenti*. primæ partis exemplo esto, *Ioannes est homo, ergo animal*. ecce quidquid *animali* repugnat, vt esse lapidem, aut scabellum, & huiusmodi, continuo id ipsum repugnat *homini*, quod est antecedens, ex quo infertur cõsequens *animal*. rursus habenti fruitionem Dei, seu amorẽ Dei in Patria, repugnat indifferẽtia, siue potestas, qua possit cessare ab amore isto, aut odisse Deũ; & consequenter eiusmodi libera potestas repugnat habenti visionẽ Dei, vel aliud principiũ antecedẽter, seu per modum antecedentis inferens omnino necessaria illatione prædictũ aut aliũ Dei amorem: quo circa æque tollit libertatem beati in ordine ad amorem beatificum cõpositio cum amore, quod est *consequens*, atque compositio cum visione, quod est *antecedens*; ergo cum demonstraueris aliquid repugnare consequenti; item demõstraueris id ipsum cohærere nõ posse cum antecedẽti; sed nõ contra; nam vt apparet in eodem exẽplo, *homini*, quod fuit antecedẽs, repugnat esse leonẽ, & alia animalia siue eorum differentiæ, quæ tamen nõ repugnant *animali*, vt manifestum est.

Octauum axioma est, *bene valet ab opposito cõsequentis ad oppositum antecedentis*, vt *est homo ergo est animal, non est animal, ergo non est homo*. ecce *non est homo*, quod est oppositum antecedentis, bene infertur ab opposito consequentis illius, quod est, *non est animal*. *sed non valet è contra; ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis*. neque bene infertur *non est homo, ergo non est animal*. nam potest esse leo, vel equus, aut aliud animal, illud, de quo ibi negatur *homo*. Hoc vtrumque declaratum axioma alijs verbis æquipollentibus sic tradi solet, *bene valet à destructione consequentis ad destructionem antecedentis; non vero contra, à destructione antecedentis ad destructionem consequentis*. 452

Et ideo (aduertite hoc diligenter, nam valde proderit vobis præsertim iam Theologis) prædicta regula ita temperanda, & intelligenda est, vt bene valeat argumentum ductum à negatione consequentis ad negationem antecedentis, idest ab opposito, quod re vera neget, ac destruat consequens; non vero à quocumque alio opposito positiuo, & illud non destruente. v. g. inquit P. *Granado* in 22. de fide tract. 2. disp. 4 nu. 8. Si quis in hunc modum argumentaretur, *hoc est euidenter impossibile, ergo est euidenter inopinabile*, bene valeret à negatione huius consequẽtis ad negatione illius antecedẽtis sic. *hoc non est euidenter inopinabile, ergo non est euidenter impossibile*; non vero esset legitima argumentatio ab opposito consequentis positiuè sic, *hoc est euidenter opinabile, ergo hoc est euidenter possibile*, nam euidens est sub opinionem cadere posse, & re ipsa cadere plura, quæ multi doctores ita, vt ipsi docent, opinantur esse, vt puta infinitum creatum esse possibile, & similia opinabilia;

Lilia; & tamen non est euidens ea esse possibilia, sed multi alij putant esse impossibilia; vnde deducit doctus Pater ad suum propositum hanc non esse legitimam consequentiam *mysteria fidei sunt euidenter credibilia, ergo sunt euidenter respectu nostri possibilia*, quia non seruatur prædicta regula, quæ docet argumentum tunc fieri legitime, quando fit ab opposito negatiuo consequentis, & non ab opposito tantum positiuo.

453 Ex his inferuntur alia duo axiomata, Primum est. *consequens, & oppositum antecedentis de eodem possunt affirmanter prædicari*, vt si dicas, *est homo, ergo est animal*, istud consequens *animal*, & oppositum antecedentis, quod est *non homo* affirmari possunt de leone sic, *leo est animal. leo est non homo*. Secundum est, *antecedens, & oppositum consequentis nō possunt de eodem affirmanter prædicari*, quia vt patet nulli possunt cōuenire simul esse hominem, & non animal, atque ex his illustrata manet doctrina tradita ab *Aristotele* ad finem *libri primi Priorum*. *Aristotel.*

SECTIO III.

Tractat ac definit Syllogismum in communi; vbi de ipsius speciebus materia, forma, vel modo, & figura, & prius de nomenclatura.

NOmen *syllogismus* deriuatur à verbo græco Syllogizescai, quod est computare, colligere, & ratiocinari, sumpta metaphora ab arte arithmetica; quemadmodum enim in ea ex vnitatibus collectis fit vna summa, & numerus, ita in proposito ex multis propositionibus coniunctis fit vna summa, & conclusio, quæ quasi colligitur, & resultat ex illis. Vnde nomen syllogismus cōmune esse potuit omni argumentationi; sed ex vsu soli huic argumentationi formali, de qua in præsenti tractamus, accommodatum est. & quidem S. *Augustinus* de Princip. Dialectic. cap. 3. conclusionem *summam* appellat, atque de inuentione, & ratione syllogizandi pulchra dixit tom. 3. l. 2. de doctr. Christ cap. 31. & 32. *S. August.*

454 *Est ergo syllogismus*, vt colligitur ex Philosopho 1. Prior. c. 1. fine; & *S. Thoma* *Aristotel. S. Thomas.* Opusculo 48 cap. 1. *Oratio, in qua quibusdam positis aliquid ex alio necessario sequitur, seu efficitur propter ea, quæ posita sunt*, id est est quædam oratio composita, constans ex tribus propositionibus, quarū duæ priores, (quæ dicuntur præmissæ, & altera *maior*, seu *propositio*, altera *minor*, seu *assumptio*, debent præsupponi vt veræ, & vt iam probatæ, & quasi prima principia) ita inter se sunt positæ, ac dispositæ iuxta regulas Logicæ artis, vt ex eis necessario inferatur alia tertia propositio, quæ dicitur *conclusio*; quo modo est oratio ista, *omne vitium est detestandum; superbia est vitiū; ergo superbia est detestanda*.

Diuidit primo *Aristoteles* ibidem syllogismum in perfectum, & in imperfectum, *perfectum* inquit *voco syllogismum nullo alio indigentem præter assumpta, vt necessarium appareat. imperfectum vero indigentem, aut vnius, aut plurium, &c.* quare syllogismus perfectus de sententia Philosophi est ille, qui ita planus est, & tam bene compositus principijs suis, vt in eo euidenter appareat legitimam esse, ac fieri conclusionem. imperfectus vero est, qui licet principijs suis, & propositionibus cōstet, indiget tamen maiore luce, meliori dispositione, nempe aliqua conuersione, ac transmutatione, vt in eo euidenter vis illationis cuique nota fit. id quod inferius ad oculum apparebit in figuris syllogismorum. *Aristotel.*

Secundo diuiditur syllogismus in *Categoricum*, & *Hypotheticum*, & in alias varias species, de quibus sigillatim suis infra locis agemus postquam cum *Aristotele*, qui de solo categorico syllogismo loquutus videtur, de eodem, quæ necessaria videbuntur, dixerimus. is autem ita describi potest. syllogismus categoricus est *modus sciendi, siue oratio constans ex propositionibus categoricis, in qua quibusdā positis aliquid ex alio necessario sequitur propter ea, quæ posita sunt.* quo modo est superior syllogismus, & similes.

Materia syllogismi adhuc in communi est duplex, alia remota, qui sunt termini, quibus constant propositiones syllogismi, qui termini in omni bono syllogismo, vt *Aristoteles* 1. Prior. cap. 25. (sicut & tres tantum sunt propositiones) tres tantum esse debent, quorum vnus dicitur *maior extremitas*, alter *extremitas minor*, alter 455 *Aristotel.*

me

medium, alia materia est proxima, quæ sunt ipsæmet tres propositiones, syllogismum componentes, quarum prior dicitur *maior* siue propositio. Secunda *minor*, siue assumptio & ambę dici solent præmissæ, siue principia, & antecedens, tertia demum est, ac dicitur *conclusio*, est autem maior propositio illa, in qua reperitur maior extremitas; & similiter minor ea, in qua est, minor extremitas; est verò *maior extremitas*, quæ dat conclusioni directæ prædicatum; & *minor* quæ eiusdem est subiectum; *medium* est, quod in conclusione non est, & quod in præmissis repetitum inuenitur, vt ex dicendis apparebit. legatur interim *Aristoteles* 1. Priorum à cap. 5. & notetur hic terminorum nominibus, & medij non intelligendas voces, quibus propositiones constant, & syllogismi, sed res per voces significatas, quæ nimirum subiecta sunt, & prædicata, maiores, minores & media, *siquidem vocibus vtimur pro rebus, quemadmodum ij, qui calculos supputant* pro nummis in ludo.

Aristotel.

Forma syllogismorum in eiusmodi materiam inducta secundum Logicæ regulas est duplex, *modus* videlicet & *figura* figura est coordinatio extremitatum inter se & cum medio, certaque dispositio secundum prædicationem, & subiectionem variam, ita vt aliquando in vna præmissa medium sit subiectum, de quo prædicetur vna extremitas, & in alia medium ipsum aut item subijciatur, vel prædicetur de extremitate; & quod in conclusione extremitates iungantur prædicatæ, aut subiectæ in inuicem, nempe iuxta exigentiam figuræ, quæ triplex assignabitur infra.

456 *Modus* syllogismi est dispositio secundum propositionum suarum quantitatem & qualitatem, quæ duæ proprietates conducunt maxime ad congruam syllogismi structuram in ordine ad conclusionem inferendam. quæ potissimum manifestat ignotum, & eius generat scientiam. verbi gratia in hoc syllogismo, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, cernuntur omnia, quæ docuimus, etenim termini, earum propositionum, sunt materia remota syllogismi; & *animal* est maior extremitas, & *Petrus* minor, *homo* vero est medium; sed propositiones integræ sunt materia proxima; figura syllogismi est, quod medium *homo* sit in maiori propositione subiectum, nempe in ea, vbi est maior extremitas de medio prædicata; & quod idem medium in minori, vbi scilicet reperitur minor extremitas, sit de eadem prædicatum: & finaliter quod ambæ extremitates *Petrus*, & *animal* in conclusione iungantur legitima prædicatione; modus autem est, quod prior propositio fuerit vniuersalis affirmatiua, & aliæ particulares, seu quasi particulares, item affirmatiuæ. sed antequam modos istos, & figuras, magis in particulari declaremus, præmittamus cum Aristotele tractationem quorumdam principiorum.

SECTIO IV.

Exponit & illustrat principia, Dici de omni, & Dici de nullo, in quibus Philosophus fundauit artem suam syllogysticã, & regulas pro syllogismis rite conficiendis.

Auctor noster *Aristoteles* breuitate solita, & obscuritate posuit principia duo pro mirabili structura syllogismorum plurium in lib. 1. Priorum cap. 1. in fine. Primũ principium est, *dici de omni*, secundum est, *dici de nullo*, verba Philosophi sunt hæc, *dicimus autẽ de omni prædicari, quando nihil sit subiecti accipere, de quo alterum non dicitur; ac de nullo consimiliter*, ergo dici aut prædicari de omni significat, quod quidquid conuenit subiecto cuilibet vniuersali, ac superiori, & quidquid de ipso prædicatur affirmatiuè, similiter conuenit inferioribus subiecti, ac potest prædicari, ac dici de omni eo inferiori, verbi gratia de *animali*, quod est superius *homini*, ac *leoni*, dicitur, ac prædicatur, quod sentire possit, & ideo id ipsum, prædicari potest, de inferioribus homine, & leone, & reliquis. vnde bene argues animal sentire potest, ergo homo, & leo, & animantia reliqua sentire possunt. vbi nota regulam optimam eam esse pertinentem ad Logicam realem do-

457 *Aristotel.*

cen-

uetur, eædem inuariatæ extremitates, & eodem modo, quo in præmissis iungebantur cum medio, iungantur in conclusione inter se seruatis vbique proprietatibus Logicalibus, quas expedit seruari circa terminos, & sublatis æquiuocationibus. vnde defectu huius documenti sunt vitiosi isti, & similes syllogismi, *omnis, canis est latrabilis, sydus est canis, ergo sydus est latrabile. omnis homo est rationalis, Cæsar depictus est homo, ergo Cæsar depictus est rationalis*. vbi vides vitium in primo
460 syllogismo, quia non retinetur idem medium quod est *canis*, siquidem in maiori propositione fit sermo de cane terrestri in communi, & in minori de canicula cælesti, quod est quid valde distinctum. in secundo autem item est vitium ratione variationis medij, quod est *homo*, vt manifestum est.

Quarta regula imperat quod conclusio sequatur semper debiliorem partem in quantitate, & qualitate, (quamuis hoc vt alibi dicitur ex necessitate fit) ita vt si vna ex præmissis sit particularis, conclusio sit particularis, si sit negatiua, conclusio sit negatiua v.g. *omnis homo est animal, aliquod rationale est homo, ergo aliquod rationale est animal. nullus lapis est homo, aliqua substantia est lapis, ergo aliqua substantia non est homo*. quando autem ambæ præmissæ sint affirmatiuæ, conclusio item debet esse affirmatiua.

Quinta regula prohibet quod medium ingrediatur conclusionem, nisi forte fuerit eius ingressus necessarius ad tollendam confusionem, vel ad maiorem lucem, & declarationem, præsertim dum sermo est ad discentes; atque in hoc syllogismo videtur necessarium medium conclusionem ingredi. *omne vniuersale est prædicabile de multis, homo est vniuersale, ergo homo est prædicabile de multis*, in quantum, scilicet, & quia est *vniuersale*. Denique vitiosus dicitur syllogismus, quando non seruat regulas prædictas omnes, & si vitium sit in medio, dicitur vitium intrinsecum, si vero sit in extremitatibus, dicitur vitium extrinsecum. circa regulas istas legatur
S.Thom. *S. Thom.* Opusc. 48. tract. de syllog. à cap. 5.

SECTIO V.

Declarat tres figuras syllogismorum, quod est Aristotelis inuentum principale in c. 5. 6. & 7. lib. 1. Priorum, & nouendecim modos illorum, quos Dialectici magis approbarunt.

Figura iuxta superius dicta, est collocatio talis, seu dispositio medij cum extremitatibus in syllogismo, & in eius structuram. tres autem sunt syllogismorum figuræ secundum triplicem variam medij positionem; ad primam pertinent syllogismi, in quibus medium est subiectum in propositione maiori, & in minori prædicatum ad secundam spectant illi, in quibus medium est prædicatum in vtraque præmissa. Tertiam denique figuram componunt syllogismi, in quibus medium in vtraque propositione est subiectum. quæ omnis doctrina his versibus continetur memoriæ in subsidium.

Sub prius in prima semel subiici, semel addi- dito prædi.
Bisque secunda petit prædi, & bis tertia subij.

Adhuc pro construendis syllogismis singularum figurarum traduntur regulæ particulares. pro syllogismis primæ, est prima regula, *ne maior propositio sit particularis*, quoniam si particularis est, nunquam bene infertur consequens: nam si dicas aliquod animal est quadrupes, omnis homo est animal, non infertur, ergo omnis homo est quadrupes. 461

Secunda regula pro eadem prima figura dicit, *ne minor sit negatiua*, nam secus fiet argumentatio vitiosa ab indistributo ad distributum, qualis hæc est, omnis homo, est animal, nullus equus est homo, ergo nullus equus est animal, vbi *animal* quod distributum non fuit in præmissis, distributum est in conclusione: vnde variata est proprietas Logicalis, nempe suppositio, quæ debuisset eadem retineri. sed ab his regulis excipiuntur syllogismi, qui fiunt in modo vltimo eiusmodi primæ figuræ, qui dicitur *Frisesomorum*, qui necessario propter eorum constitutionem fiunt ex maiori particulari, & minori negatiua,

gatiua, vti denotant illæ solemnes literulæ I. E. cum conclusione indirecta, vt hic *aliqui homo esse animal, nullus lapis est homo, ergo aliquod animal non est lapis.* quid vero sit indirecta cõclusio, dico infra.

Pro cooficiendis autem syllogismis secundæ figuræ, sunt aliæ duę leges. prima iubet similiter, *ne maior sit particularis.* alioqui fiet argumentum ab indistributo ad distributum sic, aliquod animal est leo, nullus equus est leo, ergo aliquis equus non est animal. secunda regula est, quod *altera præmissarum sit negatiua,* nam secus medium, quod est prædicatum in vtraque propositione, vbique manebit indistributum, quod est inconueniens.

462 Pro tertia figura, in qua medium in vtraque præmissa est subiectum, est prima lex, *ne minor sit negatiua, quando inferenda est conclusio directa, bene autem poterit esse negatiua, si conclusio indirecta inferenda sit,* vt si dicas, omnis homo est rationalis, nullus homo est equus, ergo aliquod rationale non est equus. altera regula est, *ne conclusio sit vnquam vniuersalis,* ne fiat argumentatio ab indistributo ad distributum, quæ semper est vitiosa, vt si dicas, est animal, ergo est omne animal. sed vero oẽs istę regulæ, & pleręque aliæ ex supra enumeratis continẽtur in carminibus iam afferendis, & innuuntur à quibusdã literis componentibus quasdam dictiones.

Ergo Dialectici docuerunt posse fieri in tribus figuris ab *Aristotele,* vbi supra, inuentis, quadraginta octo differentes syllogismorum modos, iuxta totidem combinationes varias variæ quantitatis, & qualitatis propositionum, ita vt cuique figuræ decem & sex modi correspõnderent; Vesumtamen ab eisdem Dialecticis nouendecim combinationes, & modi solum magis approbantur, quos hisce barbaris carminibus, nobis tradiderunt, quorum dictiones, & syllabæ sunt plenæ significatione, substitutæ vero sunt loco dictionum Græcarum, quibus vtebatur Aristoteles. *Aristotel.*

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco.
Darapti.
Felapton, disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Priora duo carmina vsque ad primum asteriscum deseruiunt primæ figuræ cum hac differentia, quod quatuor primæ dictiones, quas deinceps appellabimus modos, dicuntur modi perfecti, quia semper concludunt directe, reliqui licet eiusdem figuræ sæpe concludunt indirecte, & ideo non sunt ita perfecti. quid vero sit directe concludere, vel indirecte dicam fusius numero 1159. ad præsens dicere sufficiat concludi directè, quando id, quod subiectum debet esse attenta sua natura, subijcitur, ac de eo aliud prædicatur in ipsa conclusione, è contra vero quando 463 subijcitur in conclusione, quod ibi prædicari debuisset, dicimus concludi indirecte, siue dari indirectam conclusionem; ac frequenter solet esse conclusio directa illa, in qua maior extremitas prædicatur de minori; & indirecta illa, in quæ inuerso modo, & minus connaturali, minor extremitas prædicatur de maiori, vt de subiecto, legat qui plura volet *S. Thomam* *S. Thom.* Opusc. 48. tract. de syllog. cap. 8.

Deinde quatuor alij modi priores tertij Carminis, nempe collocati à primo ad secundum asteriscum, spectant ad secundam figuram, in quibus omnibus directe concluditur. Modi qui supersunt pertinent ad tertiam figuram, in qua modi, qui affirmatiui sunt, possunt, & solent concludere vtroque modo, directe, scilicet & indirecte, & quidem syllogismi, qui fiunt in modis illis perfectis, qui sunt potissimum illi primi quatuor primæ figuræ, *Barbara. Celarent. Darij. Ferio.* fortasse sunt illi, quos vocat *Aristoteles* in 1. Priorum *Aristotel.* c. 1. perfectos, quia videlicet nihilo alio indigent ad hoc quod concludant directe, & euidenter, ad differentiã cæterorũ, quos dicit imperfectos, quia vel concludunt sæpe indirecte, aut non ita euidenter, sed sæpius indigẽt aliquo, vt puta cõuersione, aut reductione, idest differenti dipositione suarũ propositionũ, vti dicã inferius.

Aduertas oportet ad solemnes illas, & quasi mysteriosas literas vocales, quæ in prædictis modis sunt nempe, A. E. I. O. quarum qualitatem, & quantitatem tute iam scis in illo duplici carmine contineri.

Asserit A. negat E. sunt vniuersaliter amba.
Asserit I. negat O. sunt particulariter amba.

Prima

464 Prima ergo syllaba modorum illorum denotat propositionem maiorem, secunda minorem, tertia conclusionem. Excipe modum *Disamis*, cuius prima syllaba denotat minorem, secunda maiorem: si vero alia vocalis, seu syllaba reperiatur in modo præter tres, ea superest, & posita est ratione metri tantum, vt in modo *frisesomorum*, vbi *morum* redundat. denotant præterea syllabæ eædem maiorem, minorem, & conclusionem fore eius quantitatis, & qualitatis, quas etiam ipsæ literæ indicant. ponamus exemplum in *Barbara*, vbi sunt vocales tres a. a. a. quarum prima iubet maiorem esse vniuersalem affirmatiuam. Secunda similiter iubet esse minorem. tertia similiter item conclusionem vult esse vniuersalem affirmatiuam, & ideo ita fit is syllogismus in modo *Barbara*, omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergo omne risibile est rationale.

SECTIO VI.

Non admittit quartam figuram pro syllogismis, quam vocant Galeni, sed reducit ad primam figuram Aristotelis.

Aristotel. Aristoteles, quem secuta est communis schola, tres prædictas assignauit syllogismorum figuras, & probauit tres tantum esse. & non plures in libro primo Priorum, capit. 23. & quidem nos cum ipso docuimus in prima figura, medium subijci in maiori, & prædicari in minori; & sic suo modo de figuris reliquis. sed præter eas tres circumfertur à *Galeno* medico famoso adinueutam fuisse aliam quartam figuram, illi primæ Aristotelicæ oppositam, in qua, scilicet, in maiori medium prædicetur, & in minori subijciatur, vt apparet in isto legitimo syllogismo, *omne animal est substantia. omnis substantia est ens. ergo omne animal est ens.*

465 Verumtamen stando communi sententiæ, dicendum est eam quartam figuram sine necessitate, & frustra multiplicari; quia omnes syllogismi, qui in ea fiant, spectant re vera ad primam *Aristotelis.* Etenim ex mente ipsius in prima sua figura maior extremitas est illa, quæ in præmissis est superior medio, ac de ipso prædicatur; minor autem quæ subijcitur medio: illa ergo propositio, quæ est in figura *Galeni*, & ibi maior videtur, & continere extremitatem maiorem, re vera est minor; & minor eiusdem sui syllogismi, re ipsa est maior: quare sine maiori alia altercatione, quæ ad rem non pertinet, ita inuertendus, & componendus fuit ille syllogismus, *omnis substantia est ens. omne animal est substantia. ergo omne animal est ens*, & manere videbitur in primo primę, siue in *Barbara*, qui est modus primus primæ figuræ *Aristotelis.* qui plura volet de figura *Galeni*, si tamen eius est, nam in eo nusquam reperitur, consulat nostrum *Vallium* lib. 1. Priorum quæst. vnica c. 3. & *Cardin. Contarenum* in Opusculo de hac re; & nos qui reduximus syllogismorum imperfectorum modos ad perfectos; opus quidem ab aliquibus viris doctis reputatũ inutile, & ablegatũ ab vsu, sed varia sunt ingenia, & gustus hominũ, quibus dedit Deus hanc occupationem pessimam.

SECTIO VII.

Ostendit modum reducendi syllogismos imperfectos ad quatuor primos, qui perfectissimi sunt, ostensiuè, quod aiunt siue monstratiuè.

Aristoteles in 1. Prior. c. 8. docuit satis obscure, vt alias, reducere syllogismos imperfectos ad perfectos dupliciter, videlicet *ostensiue*, sive *monstratiue*, vt ipse loquitur; & *per impossibile*, verba illius sunt, *manifestum autem, & quod omnes imperfecti syllogismi perficiuntur per primã figuram, aut enim monstratiue, aut per impossibile concluduntur omnes.* ideo *S. Thomas* Opusc. 48. a. c. 8. & Dialectici magistri procedendo clarius, sed omnino cõformiter ad mentem Philosophi assignarunt illos quatuor modos perfectissimos primę figuræ, nẽpe *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, in quibus consequentiæ vis magis elucet, & quibus nos semper vti oporteret, alijs omnibus pręte rmissis, extra dicta sup. n. 171. 176 & 178. & ad quos reducendi sunt reliqui omnes imperfecti syllogismi figurarum cęterarum. *Aristotel.* *S. Thom.* 466

Prior ergo modus reducendi syllogismos hos ad illos dicitur *ostensiue*; qui tunc

P inest,

ineſt, quando ita diſponuntur, & mutantur præmiſſæ alicuius imperfecti ſyllogiſmi, vt conuertantur, & fiant præmiſſæ alterius perfecti ex quatuor præſertim primæ figuræ: vt autem premiſſæ legitime mutentur aduertendum eſt primò, literam conſonantem initialem modorum imperfectorum denotare modum reduci ad modum eadem litera incipientem, v.g. in *Darapti* modo imperfecto, litera D denotat ſyllogiſmũ de *Darapti* reducendum eſſe ad *Darij* modum perfectũ; & ita denotat literæ initiales in modis reliquis.

Secũdo notandę ſunt in modis imperfectis, quales ſunt omnes præter ſolos quatuor priores primæ figuræ, hæ literæ conſonantes S.P. M. C. nam litera S. denotat propoſitionẽ ſignificatã per vocalẽ præcedentẽ conuertendã eſſe *ſimpliciter*. P. cõuertendam eſſe *per accidens*. M. monet ita tranſmutari præmiſſas vt maior fiat minor, & minor maior. C. poſitum in medio dictionis denotat eos modos, quibus ſic inſertũ ineſt, non poſſe reduci *oſtenſiue*, ſed tãtum *per impoſsibile*. hi autem modi ſunt duo nimirum *Bocardo*, & *Baroco*, atque hæc doctrina his carminibus continetur.

Simpliciter verti vult S.P verò per acci.
467 *M vult trãſponi. C per impoſsibile duci.*
Ego igitur ſyllogiſmũ vnũ, vel alterum e poſitis in modis imperfectis ad perfectos reduco, vt inde ſumãt Tyrones exẽplum, & & reliquos oẽs per otiũ ipſi reducant. v.g. hunc, *nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis*, hic ſyllogiſmus eſt in modo imperfecto ſecundæ figuræ *Ceſare*, ſiquidẽ animal, quod eſt mediũ in vtraq. præmiſſa prędicatur, & prima & cõcluſio ſunt negatiuæ vniuerſales, & minor vniuerſalis affirmatiua; reducẽdus itaq. erit ad modũ perfectũ primæ figurę *Celarẽ*, vt denotat litera initialis C. vtriq. modo cõmunis; & quia litera S. inſerta eſt in *Ceſare*, admonemur cõuertendã ſimpliciter propoſitionem primã, nempe illã *nullus lapis eſt animal*, & ideo ſic cõuertitur, & formatur totus ſyllogiſmus, *nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis*. & manet in prima figura ſiquidẽ medium *animal* in prima, ſiue in maiori premiſſa ſubijcitur, & in minori prędicatur, & concluſio euidentiſſima cuicunque eſt, vtpotè in modo clariſſimo, atque perfecto *Celarem*.

Rurſus reduco hunc ſyllogiſmũ, qui eſt in prima quidem figura, ſed in modo imperfecto *Fapeſmo. omnis homo eſt rationalis, nullus equus eſt homo, ergo aliquod rationale non eſt equus*, ad *Ferio*, vt me monet litera F. cõuertendo per accidens maiorem, vt denotat litera P. & minorẽ ſimpliciter, vt innuit litera S. & poſt tranſmutãdo præmiſſas, ita vt ponatur minor loco maioris, & loco minoris maior, vt vult literaM. in hũc modũ ea omnia exequẽdo, *nullus homo eſt equus, aliquod rationale eſt homo, ergo aliquod rationale non eſt equus*, qui ſyllogiſmus tam clarè, & euidenter cõcludit, vt cõſequentiã, niſi proteruus nemo negare audeat, cõceſſis maiori, & minori.

Circa modum *Baralipton* aduerto primò, eius concluſionem conuerti debere per accidens, idest de particulari in vniuerſalem, id quod dico contra regulam conuerſionis *per accidens* ſupra traditam nu. 482. quoniã ita poſtulat modus *Barbara* ad quem *Baralipton* reducendus eſt, & ſic pro hac vice cõuertes item. per accidẽs propoſitionẽ particularem affirmatiuam. nam præſens neceſſitas caret illa lege. 468

Poſtremo circa modos *Baroco* & *Bocardo* aduerto ſecundo, eos non poſſe reduci *oſtenſiue*, quia cum reductio oſtenſiua fiat per conuerſionẽ aliquam præmiſſarũ, aut tranſmutationẽ, nõ ita diſponi poſſunt pręmiſſę iſtorum modorum duorum aut per tranſmutationem, vel conuerſionem, vt correſpondeant alicui ex modis perfectis quatuor, prioribus; vt manifeſtum erit manus executioni admouenti.

SECTIO VIII.

Tradit modum reducendi ſyllogiſmos imperfectos omnes ſine vlla exceptione ad quatuor perfectos, qui dicitur per impoſſibile.

Secundus, & magis vniuerſalis modus reducẽdi ſyllogiſmos imperfectos ad quatuor illos perfectos, dicitur *per impoſſibile*, ita nominatus, quoniã quis negãs aliquod verum, aut concedens aliquod falſum, eo adducitur argumenti vi, vt concedat aliquod implicatorium, & manifeſte impoſſibile; ſed quia tres omnes ſyllogiſmorum figu-

figuræ habent suos modo imperfectos, qui propterea indigent reductione;nam prima figura habet quinque posteriores. secunda quatuor, idest suos omnes.tertia sex.idcirco pono regulas pro eorum reductione ad quatuor illos figuræ primæ priores,nempe *Barbara. Celarem. Darij. Ferio.* incipiendo à modis imperfectis eiusdem primæ figuræ. legatur item S. *Thomas*, Opusc. 48. circa finem cap. 10.

S.Thomas.

Dico vero inprimis pro prima figura inuentas fuisse à Dialecticis dictiones quasdam mysterio, & significatione plenas, ęquipollentes reductionis regulis,quarum dictionum syllabę siue vocales nos docent quot, & quos modos reducere debeamus, & ad quos;dictiones vero sunt, *nesciebatis. edisbam. letare. Romanis.*in quarum qualibet sūt quatuor literæ vocales significātes quatuor modos perfectos primæ figurę, ad quos fit reductio cæterorum; nempe, A. E. I. O. quæ sunt finales modorum eorum, & ideo A. indicat *Barbara*. E. *Celarem*. I. *Darij*. O. *Ferio*. Deinde prima illa dictio *nesciebatis* habet quinque syllabas respondentes ordine suo quinque modis imperfectis primæ figuræ, qui reducendi sunt.

469 Secunda dictio *edisbam*, habet quatuor correspondentes quatuor modis secundæ figuræ, ac duæ aliæ dictiones illæ *letare*, *Romanis*, habent sex syllabas vnaquęque tres ordine suo correspondentes sex modis tertiæ figuræ. Ita tamen omnes syllabæ modis omnibus suæ figuræ respondent, vt primæ syllabæ primis modis in ordine, & secundæ secundis, & ita reliquæ reliquis, v.g. in hac dictione *nesciebatis*, quæ cum quinque suis syllabis correspondet totidem modis imperfectis primæ figuræ; Prima vocalis E. significat *Baralipton*, qui est prior modus in ordine post quatuor perfectos, & simul denotat reducendum esse *Baralipton* ad *Celarem*, secunda vocalis est I. quæ significat modum secundum, qui est *Celantes*, ac eum reducendum esse ad *Darij*. tertia vocalis quæ est item E. indicat tertium modum *Dabitis*, & item reduci ad *Celarem*. quarta, quæ est A. admonet *fapesmo* reducendum ad *Barbara*. Denique quinta vocalis I. indicat modum quintum *frisesomorum*, ac eum reduci debere ad *Darij*. itaque quælibet litera vocalis ea duo munera præstat, memoria firma retinenda.

Vt autem ea documēta ijs literulis contenta executioni mandetis, sit regula prima pro reducendis modis imperfectis primæ figuræ ad quatuor perfectos figuræ eiusdem. Si quis concessis maiori, & minori, alicuius imperfecti syllogismi spectantis ad primam figuram, ausus fuerit negare consequentiam; continuo assumite oppositum consequentis vestri, quod libenter ille concedet pro maiori noui argumenti, & retenta antiqua maiori pro minori, inferetis necessario oppositum minoris vobis antea concessæ, quam ille negare non poterit, sed omnino concedet; quia videbit euidenter syllogismum hunc vestrum iam esse in modo claro, & perfecto, nisi homo iste sit aliquis ignorans, aut contumax.

Exemplo esto syllogismus in *Baralipton* hic, *Omnis homo est animal, omne rationale est homo, ergo aliquod animal est rationale*. quam consequentiam ille negat credens bonam non esse, tunc sic argumētor, & procuro reducere syllogismum ad *Celarem*, quia sic me monet prima syllaba dictionis illius *nesciebatis*, nempe E. Illa propositio,siue conclusio *aliquod animal est homo* est falsa,& ideo negatur;ergo eius contradictoria, nempe hæc, *nullum animal est rationale* est vera? tunc sic efformo integrum syllogismum conformiter ad regulam præcedentem, *nullum animal est rationale, omnis homo est animal, ergo nullus homo est rationalis*. quæ conclusio negari non potest concessis maiori, & minori, quia syllogismus, vtpote, qui iam est in modo perfecto *Celarem*,est euidentissimus, & clarissime concludit. 470

Iam vero si conceditur ista consequentia, & dicitur verum esse consequens, concedit ille, qui negarat prioris syllogismi consequentiam, & hanc admisit, duas contrarias esse simul veras, nempe illam minorem primi syllogismi, *omne rationale est homo*, & hoc consequens perfecti syllogismi, *nullus homo est rationalis*, & consequenter cogitur admittere duas contradictorias esse simul veras; quod est reduci ad concedendum impossibile.

Aduerto pro hac eadem prima figura duo, primum est, aliquando non inferri immediate, & continuo conclusionem oppositam minori, etiam facta reductione 471

syllogismi imperfecti ad perfectũ, sed post aliqua paucas consequentias, in quibus, si opus fit, vtendum erit conuersione, vt eluceat citius, & clarius eiusmodi oppositio inter concessas incaute maiorẽ, & conclusionẽ. secundum est excipi à regula tradita modum *Celantes*, in quo negata consequentia, maiori, & minori concessis, repetenda est minor loco maioris, & oppositum illationis, seu consequentis ponendũ est loco minoris, vnde inferetur cõclusio cõtradictoria maioris cõcessæ, quã itẽ concedere cogetur, quia eo facto, syllogismus remanebit in aliquo modo perfecto.

Secunda regula pro syllogismis secundæ figuræ est, quod negata consequentia, retineatur maior, & assumpto opposito conclusionis pro minori, inferetur oppositum minoris concessæ; ac tandẽ qui incaute negauit primam consequentiam, cogetur concedere duas contradictorias, v. g. hic syllogismus est in *Cesare*: *nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis*. negas consequentiã; tunc sic reduco retinendo maiorem, & cętera ibi monita exequendo, *nullus lapis est animal, aliquis homo est lapis, ergo aliquis homo non est animal*, qui syllogismus manet in *Ferio* modo perfecto, vt etiã indicat prima vocalis dictionis *edebam*. quare si, vti debes, cõcedis cõsequentiam, concedis quoddã impossibile, nẽpe veras esse illa duas cõtradictorias, *omnis homo est animal, & aliquis homo non est animal*. vnde satius fuisset concessisse totum primũ syllogismum, ne ad istas angustias redacereris.

472 Tertia demum regula pro syllogismis tertiæ figuræ, iubet, quod in eis retineatur minor, & oppositum consequentis sumatur pro maiori, & sic inferetur oppositum maioris concessæ, quod item cogetur concedere, qui ausus fuit negare consequentiam syllogismi imperfecti, vt apparet ibi in syllogismo, quem formo contra te in *Darapti*, intendendo probare quod *aliquod admiratiuum est animal*, sic argumentor, *omnis homo est animal, omnis homo est admiratiuus, ergo aliquod admiratiuum est animal*. negas male consequentiam concessis maiori, & minori; tunc sic reduco syllogismum ad *Celarent*, vt denotat prima vocali E. dictionis *letare* obseruãdo item regulam prędictam, & sumo oppositum consequentis; quod putas esse falsum, & dico, *nullum admiratiuum est animal, omnis homo est admiratiuus, ergo nullus homo est animal*. quod si, vt cogeris, concedis consequentiam, concessisti illas contrarias esse simul veras, nempe *omnis homo est animal, nullus homo est animal*, & consequenter, & illas contradictorias, *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*, atque earũ triũ regularum doctrina in his versibus continetur.

In Prima illati contradictio sitq; ea maior.
Atq; prior maior ponatur sede minoris.
Excipe celantes; *in quo iste inuertitur ordo.*

Seruat maiorẽ, variatq; Secũda minorẽ.
Tertia maiorẽ trãsfert, retinetq; minorẽ.

SECTIO IX.

Declarat syllogismorum species varias, nempe expositorium, irregularem, seu terminis obliquis constantem, illatiuum, probatiuum, Modalem, exponibilem, hypotheticum, & quatuor terminis compositum.

SYllogismus expositorius est, qui cõpositus est terminis tam claris, atque perspicuis, vt propterea demõstratio sensibilis soleat nominari, & licet frequentius cõstet medio singulari, non incõueoit quod item constet cõmuni, vt bene expooit *Toletus* lib. 4. c. 14. syllogismi isti expositorij fieri possunt in triplici figura, sed congruentius in tertia, vbi mediũ in vtraque præmissa subijcitur, siquidem magis decet singulares terminos subijci, quam prædicari.

Ad syllogismos expositorios de medio singulari aliqua obseruãda sunt. primũ est, quod mediũ, quod est terminus singularis sit omnino incommunicabilis, vt Petrus, & 473 ideo tale mediũ nõ indiget distributione, vt si dicas *Petrus est hoc rationale, hoc visibile est Petrus, ergo hoc visibile est hoc rationale*. quod si cõtingat terminũ, qui est mediũ, esse singularẽ, & quodãmodo communẽ vt *Deus* vel *essẽtia diuina*, distribuẽdus necessario est nõ signo *omnis*, sed signo *quidquid*, sic; *quidquid est essentia diuina est Pater, quidquid est essentia diuina est Filius, ergo Pater est Filius*, quod cõsequẽs bene infertur ratione formę, sed totus syllogismus est, plus quã falsus. secũdo aduerte necessariũ nõ esse ꝙ oẽs termini cõponẽtes eius.

eiusmodi syllogismos sint singulares, sufficit mediū esse singulare, vt ibi *animal est Petrus. rationale est Petrus. ergo rationale est animal.*

Deinde syllogismus obliquus est, qui habet medium aut aliquam extremitatē in aliquo casu abliquo; qui syllogismus dici etiam solet irregularis, quia nō seruat omnes regulas reliquorum; & ideo pro ipso regulas alias inuenerunt Dialectici, quæ legi poterūt in *Fonseca* cap.30. facilior est regula Philosophi in lib.1.Priorū cap.1. in sect.3. quę iubet mutari casum obliquū in rectum retento eodē sensu, quo facto apparebit vitium, vel bonitas syllogismi, modus, & figura; quare hunc syllogismū *omne quod est à Deo est bonum, omnis virtus est à Deo, ergo omnis virtus est bona.* sic reducitur *omne donum diuinum est bonum, omnis virtus est donum diuinum, ergo omnis virtus est bona.* qui est in *Barbara.* *Aristotel.*

474 Sed caute aduerte in eiusmodi syllogismis sæpe latere vitium, quia nimirum cōstare solent quatuor terminis, cum tribus tantum debere constare perfectum quemque syllogismum, nos docuerit *Aristotel.* 1. Prior.cap.25 vt si dicas, *Batis est iuxta Cordubam, Hispalis est iuxta Batim, ergo Hispalis est iuxta Cordubam.* quod non infertur, quia vtraque ciuitas Bæti approximatur per diuersam partem & situm. syllogismus autem ita exponitur vt clarius appareant quatuor termini, *Batis, est ens vel existens iuxta Cordubam, Hispalis est existens iuxta Batim, ergo Hispalis est existens iuxta Cordubā.* vbi deprehendis quatuor terminos nēpe *Batis, existēs iuxta Cordubam. Hispalis, existens iuxta Batim.* *Aristotel.*

Verumtamen licet ab *Aristotele* reijcitur, vbi supra syllogismus constans quatuor terminis, tamen contingit dari bonum syllogismum quatuor terminis compositum, quando interueniunt aliqui termini infiniti, vt est ille, *omnis homo est animal, aliquod risibile. non est non homo, ergo aliquod risibile. est animal.* qui reducitur ad *Darij.* & termini quator sunt *homo. animal. risibile non homo.* sed eiusmdi syllogismi inutiliter fiunt, & sine vlla necessitate.

Tertio, syllogismus illatiuus est ille, cuius altera, vel vtraque præmissa est falsa, in quo solum attenditur bona illatio, & consequentia, qui est frequens *Aristoteli* exemplificanti vbique sic, vt videat, & experiatur illationis vim in quauis figura. Omnis A. est B. Omnis C. est A. ergo omnis C. est B. syllogismur vero probatiuus est, cuius præmissæ sunt veræ, & in quo aliquid probatur scitur siue concluditur, semperque erit probatiuus illatiuus, vt manifestum erit contemplanti, ac supra ipsum reflectenti. *Aristotel.*

Quarto, syllogismus modalis dicitur, qui constat vna præmissa, aut pluribus modalibus; & similiter exponibilis dicitur, cuius vtraque, vel altera præmissa est exponibilis; Hypotheticus autem est argumentatio composita ex vna, aut multis propositionibus hypotheticis, & est quadruplex nempe Disiunctiuus, Copulatiuus, Conditionalis, Causalis iuxta varietatem Hypotheticarum, quibus constat atque componitur: iste est conditionalis, si homo est immortalis, aliquod animal est immortale, sed nullum animal est immortale, ergo nullus homo est immortalis. fieri autem possunt prædicti omnes syllogismi in quacumque figura, & facti in modis imperfectis reduci ad perfectos, de quibus qui plura volet consulat *Toletum* lib.4. instit.c.17. & *Fonsecam* lib.6. c.36. & *S Thomam* Opusc.48. tract. de syllogis. à cap.13. 475 *S.Thom.*

SECTIO X.

De syllogismo Demonstratiuo, Dialectico siue Probabili, & sophistico; vbi pauca de Iuridico, Theologico, & alijs; sed prius exponitur quæ argumentatio sit modus sciendi.

Syllogismus demonstratiuus *est argumentatio efficiens scientiam*, scientia vero, seu scire, est rem ignotam per syllogismum demonstratiuum cognoscere, ita definiemus hanc perfectissimam argumentationem infra num. 1190. cum *Aristotele*, vbi de ipsa fuse, & commodius agemus; in præsenti sat est aduertere eiusmodi argumētationem solam esse modum sciendi. quamuis non audeo negare modos sciendi esse quascumque argumentationes quamtumuis materiales, & sine tanto artificio, si tamen rei alicuius ingenerent in nobis scientiam, lege *S. Thomæ* *Aristotel.* *S.Thom.*

P 3 Opusc.

Opusc. 38. & 48. tractatu vltimo de syllogismo demonstratiuo.

Dialecticus autem syllogismus, qui probabilis etiam solet nominari, *est ille, qui ex verisimilibus præmissis cōclusionem colligit* vt hic, *omnis homo, qui studet euadet doctus, Ioannes studet ergo euadet doctus.* & ita sunt plerumque alij, quos frequentissime nos homines efficimus.

Syllogismus Theologicus, est qui con-
476 stat vna, vel duplici præmissa de fide, vt hic, *quidquid Deus dixit est verum, dixit se esse trinum & vnum; ergo ipse est trinus, & vnus*, similiter syllogismus metaphysicus est, cuius propositiones ad metaphysicam pertinēt. & simili modo diuidi possent ac dici syllogismi alij aliarum scientiarum, sed pro Candidatis Iurisprudentiæ prætereundus non fuit syllogismus *iuridicus* solemnis valde apud Iureconsultos in iudicijs forensibus, tam ciuilibus, quam criminalibus, is ergo est vt bene tradit *Laimon* lib. 3. tract. 3. c. 3. nu. 2. *cuius maior est maxima, siue principium Iuris: minor facti species, seu casus, & res gesta; & cuius conclusio continet petitionem apud Iudicem*: vt hic, emptor rei obligatus est ad soluendum pretium, tradita ipsi merce, sed Titius emit à me equū, quē ei iam tradidi, ergo iure peto vt ille mihi soluat pretium. atque syllogismum huiusmodi debet continere quicumque libellus Actoris, vel Accusatoris, quia talis syllogismus est basis, & fundamentum cuiusuis litis, & iudicij ordinarij, sicut constat ex *tit. Decretal.* hęc nos adnotamus libenter, quia Logica est omnium scientiarum instrumentum, & limen, & lumen.

Demum sophisticus syllogimus, qui dicitur Elenchus, apparens, & cabilatorius, est *qui ex præmissis apparenter veris conclusionem colligit*, siue *qui fallax est, & verus apparet*: vocatur à Philosopho *pecuniosus*, quia eo vtitur Sophista, vt vanam sapientiā ostentet, quæstum faciat, & pecuniam lucretur. legatur *Aristoteles* 1. Elench. à cap. 1. vbi pulchre de hac materia disserit, & *S Thomas* Opusculo 39. per totum, & *Sanctus Augustinus*, tomo 1. libro 3. contra Academicos, cap. 13. [*Aristotel.* *S. Thom.* *S. August.*]

Quinque sunt incommoda, quæ appellat *Aristoteles* in cap. 2. *metas*, seu *fines* Sophistæ, ad quæ is respondentem inducere intendit. primum est *redargutio* idest, vt neget quis, quod concessit. secundum *falsum*, vt scilicet concedatur aliquid omnino falsum. tertium *inopinabile*, vt dicatur aliquid contra communem sensum. quartum est *solœcismus*, idest vt à respondente fiat. quintum *nugatio*, hoc est vt inutiliter, & nugatorie repetatur verbum ab eo, qui condisputat. his ergo, & similibus argutijs vtitur sophista, vt in ea incōmoda intrudat incautos, *omnis homo potest loqui, mutus quidam est homo, ergo mutus quidam potest loqui. veritas odium
parit, quoddam mendacium odium parit,* 477
ergo quoddam mendacium est veritas, quidquid non amisit homo pauper habet, non amisit homo pauper thesaurum, ergo ipse habet thesaurum. omnis homo est albus, aut niger, mulier est homo, ergo mulier est albus, aut niger. omne simum est nasus simus, aliquis nasus est simus, ergo aliquis nasus est nasus simus. sed non est vitiosa repetitio omnis, nam illa bona est, *quidquid est sanctus sanctorum, est Deus, Pater diuinus est sanctus sanctorum, ergo ipse est Deus.*

Habet pręterea Sophista in promptu locos paratos, seu regulas ad suas vanas argutias componendas, alias dicit *Aristotel.* 1. Elench. cap. 3. & 4. esse fundatas in *dictione*, seu vocibus, alias *extra dictionem*, siue in rebus. in dictione fundantur istæ argutiæ, & similes, *quidquid ambulat habet pedes, sol ambulat, ergo sol habet pedes. omnes magistri sunt homines, libri sunt magistri, ergo libri sunt homines. qui bene viuit saluus erit. quidam Caluinista bene bibit, ergo quidam Caluinista saluus erit.* extra dictionem, hoc est in rebus fundantur istæ fallaciæ, & similes, *homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus, Capra est mater, Capra est tua, ergo Capra est mater tua.* bene concluderet iste syllogismus si inferres *ergo aliqua res tua est Capra.* [*Aristotel.*]

Nos autem decet sophistas non esse, sed sophos, scire, & aduertere ad fallacia Sophistarum, quos videtur carpsisse Apostolus 1. ad Timot. 6. 4. ibi *superbus est nihil sciens. sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum*, vnde *Clemens Alex.* 1. Stromat, cap. 4. *Vides* inquit *quomodo in eos inuectus sit, eorum artem, morbum appellans*, vtitur quippe sophista ad concinnandos dolos suos figuris, *Aristotelis*, & eius arte

re

re vera, aut apparenter, & item ex simi-
libus quo ad apparentiam locis, petit ar-
gumenta sua, vt fælicius decipiat; sed fal-
laces argutiæ, earumque defectus, & vitia
facile deprehendet, qui bene norit artem
veram syllogisticam, quoniam *opposita iu-*
478 *xta se posita magis elucescunt*.

Peccant autem Sophistarum argumen-
tationes primo ratione materiæ, vt quan-
do constarent ex puris particularibus, aut
ex terminis plus quam tribus, vt quando
medium iterum repetitur in conclusione,
vt supra repetitur *Capra*, aut ratione va-
riæ appellationis, idest ratione variatio-
nis rei, aut vocis in præmissis. secundo
ratione formæ, quia non seruantur regulę
Logicales, aut aliqua præmissa non est ve-
ra, aut medium non bene distributum,
quod vniuersaliter accipi debet saltem in
altera præmissarum, quando vniuersale
Aristotel. est. tertio peccant ratione materiæ simul
& formæ, quocirca vt ait *Aristoteles* in
fine lib. 1. Elench. Sophistæ ostendendus
est defectus argutiæ suæ, vel alia simili
fallacia respondendum, quod est cũ *vulpe*
vulpinari iuxta Græcorum prouerbium,
quinimo refertur inter prouerbia *Salomo-*
nis cap. 26. 5. ibi, *responde stulto iuxta*
stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videa-
S.Thom. *tur*; vt vult *Beda* apud *Salazar*. sed de
his cõsulantur *S.Thomas* Opusc.39. & 48.
Toletus lib.5. introduct. à cap. 11. *Conimb.*
ad libros duos Elench. q.1. & 2. *Casilius*,
lib.3. tract.3. c.vltimo sect.3. *P. Fonseca*
in suis instit. *P.Stengelius* in libello de syl-
logismo bono, & malo, & quilibet alius
interpres, qui adnumerant fallaciarum
S.August. multas species ex varijs radicibus ortas. le-
gatur item *Augustinus* t.3. lib. 2. de doct.
Christ. cap. 31.

SECTIO XI. ET VLT.

Remittit alio tractatum longiorem de arte inueniendi medium, de quo tamen hic breui edisserit nonnihil.

AD finem Summularum, siue Logicæ
vocalis, sistimus in medio inuestigã-
do, vetusto ac celebri non minus, quã peri-
culoso ponte, ita dicto ob difficultatẽ ortã
tum ex verbis quibus obscurissimè traditur
Aristotel. ab *Arist.* 1. Prior. c. 27. vel 1. in sect. 2. tum
ex multis Dialecticorũ quorumdã regulis
circa medij inuentionem; nos vero facili-
tatis, & claritudinis semper amatores, hic
solũ in generali dicemus breui, quæ senti-
mus, fusius rem declaraturi in Logica rea-
li, ad quam directe pertinet eiusmodi tra-
ctatio; præterquamquod capi à Tyroni-
bus non possunt plura circa causas rerum;
quæ in medij declarationẽ necessario sup-
poni debuerunt. interim legatur *S. Tho-* *S.Thomas.*
mas in Opusc.48. tract. de syllogis. simpli-
citer cap.9. & Opusc. 50.

Mediũ ergo est causa, & ratio, quæ sumi-
tur ab intellectu ad probandũ Thema, seu
intentũ, de quo est dubiũ, & quęstio Thema
vero probatur, & scitur per actum intelle-
ctus, qui de subiecto themate affirmat,
quod illi conuenit; aut negat, quod illi nõ
cõuenit, & tunc demum sapit quisquam,
quando de quacũque re proposita scit af-
firmare, quod est, & negare, quod non est.
vnde nostra scientia omnis coalescit ex a-
ctibus certis affirmatiuis, & negatiuis.

Ergo ad probandum, & scientifice affir- 479
mandũ prędicatũ rei propositę conuenire,
est prima regula generalis, *quæratur causa*
aut ratio cur prædicatũ recte cohæreat su-
biecto, & deinde formetur propositio ratio
vel argumentatio innixa in prædicta causa,
siue ratione v.g. volenti probare, & scire
vtrum *homo quidam sit discursiuus*, quod
sit Thema, medium accommodatum est,
rationale quod est causa discursus. vel etiã
actualis discursus, qui supponit potentiã
discurrendo, & sic efformabitur argumen-
tum cum primo medio, *omne rationale est*
discursiuum, quidam homo est rationalis,
ergo quidam homo est discursiuus, & sic
medio secundo, *quidquid actu discurrit*
est discursiuum, quidam homo actu discur-
rit, ergo quidam homo est discursiuus.

Rursus ad sciẽtifice negandũ prædicatũ
rei propositæ conuenire, est secunda
regula generalis pro inueniẽdo medio ac-
cõmodato, *quæratur causa, aut ratio cur*
prædicatũ non cohæreat subiecto, & ea erit
mediũ, E. G. vis probare *Petrum brutum*
animal nõ esse, assume pro medio *rationa-*
le, quod cum irrationali in vna sede mo-
rari non potest, & sic forma syllogismum,
quidquid animal rationale est, brutum nõ
est, Petrus est animal rationale, ergo Petrus
brutum animal nõ est, lege infra vbi modo
me citabã à n.1005. ista hic dicta sufficiant
ad maiorem Dei gloriam.

COMMENTARIVS SECVNDVS

In ſecundam partem Logicæ Ariſtotelis, S. Auguſtini, & S. Thomæ, quæ agit de omnibus rebus, ſiue de Decem rerum Prædicamentis; & in Quinque Prædicabilia Porphyrij; quam nos Logicam Realem, vel rerum diſpoſitiuum tractatum nominamus: vbi de rebus realibus, & veris; atque item de fictis, & non veris; ac de locis argumentorum tractamus.

Sed prius indicamus loca, & libros, in quibus Philoſophus, & SS. Patres de eiuſmodi rebus potiſsimum diſſerunt, ipſorum intentionem Logicam, & finem.

Ariſtotel.

PHILOSOPHVS Ariſtoteles author noſter, in ſua Logica fuſe de rebus tractauit, ſpeciatim in toto fere libro Prædicamentorum, & in octo libris Topicorum; ibi enim declarat rerum huius vniuerſi decem varia genera, ac docet quo pacto diſponenda, vt rite ab intellectu humano dignoſcantur, & quæ, & quo modo aſſumenda, vt principia, vt in rerum aliarum notitiam deueniamus. Etenim vt in ſuperioribus ſæpe, præſertim in Præfationis num. 51. præclare notab..mus, prius oportuit generalem ſaltem notitiam rerum omnium, Tyronibus hic in Logica tradi, vt facilius poſſent regulas Logicæ, ac eius imperia circa res ipſas verſantia, executioni mandare: vnde non abs re, aut extra propoſitum eſt Logico de rebus tractatio, conſiderat enim Logicus res omnes ſecundum reſpectum, & conditionem prædicandi, aut ſubijciendi, ſicut metaphyſicus eaſdem conſiderat ſecundum conditionem eſſendi, vt benè aduerterunt ante me cum cõmuni ſchola PP. *Suarez in metaph.* diſp. 6. ſect. 8. nu. 4. & *Conimbricenſes in Proœmio Categoriarum:* ſed vero nõ tractat Logica de rerum effectione, aut productione, vt non nemo nobis imponat ſine fundamento. 480

Quapropter quando *Ariſtoteles*, *S. Auguſtinus*, *S. Thomas*, ceu magiſtri metaphyſici, nobis definiunt, ac propinant rerum genera, & ſpecies,

cies, & alia media, eâ intentionem habuisse reor: quis enim efficiet artificiosam definitionem, v.g. quæ, vti iubet regula, constare debuit genere, & differentia, si ignoret res, quæ sint genus, & differentia? ergo leg te per otium cap. 3. *Categor.* S. *Augustini in tom* 1. *& Prologum Opusculi* 48. *S. Thomæ in tom.* 17. vbi cur *Aristoteles* in logica tractet quoque de rebus, videlicet, de prædicabilibus, & prædicamentis, pulchrè ostendunt, & obiter aduertunt ad connexionem, quam inter se habent voces, conceptus, & res; & *cur mixtam*, subdit, *Augustinus, de his tribus disputationem debemus accipere ab Aristotele, quamquam separatim postea ea, quæ sunt*, idest, res, siue prædicamenta, *definiturus sit: id namque quod quis concipit animo lingua prosequente declarat, cum liqueat non posse dici aliquid, nisi quod perceptum fuerit, nec percipi aliquid posse, nisi res fuerit de qua imago intuendo concipiatur*. Ego vero quoniam expedit maximè ad Logicæ comprehensionem, hic nonnulla repetere ex dictis in Præfatione; doctrinæ ibi fuse traditæ huc spectantis facio Compendium. S. August. S. Thomæ. Aristotel.

COMPENDIVM DOCTRINAE traditæ supra in totius Logicæ Præfatione pertinentis ad Logicã Realem, seu partem Logicæ præsentem: vbi pauca de nouo isto nomine, & redditur ratio digressionis ad tot, & tantas Metaphysicæ quæstiones.

481 Ex dictis sæpe in Præfatione præsertim à nu. 41. constat 1. Logicam realẽ existere eamque esse tum actus quosdam intellectus practicos, & scientificas regulas in intellectu residentes, docentes nos facere prædicabilia varia ex rebus omnibus, & ipsa facta de suis inferioribus prædicare, vnumquodque, videlicet iuxta genus suum; tum etiam actus speculatiuos, qui supra prædicabilia iam facta, & supra prædicationes reales, & obiectiuas, reflectendo examinant, & iudicant an ea arte facta euaserint prædictis regulis conformia.

Constat secundo Logicæ huius realis materiale obiectum esse amplissimum, nempe res omnes, quotquot aptæ sunt, vt ex eis fiant media, prædicabilia, prædicata, vel subiecta cuiusuis prædicationis realis; formale verò eiusdem Logicæ obiectum esse earumdem rerum prædicabilitates, & alios vsus; quemadmodum præclarissimè declarabamus superius à nu. 73. & quidẽ res oẽs esse Logicæ obiectum directum, neque solum indirectum, vt volunt quidam Nouiores, qui regulas Logicales non considerarunt, demonstratum à nobis est ibidem ab authoritate præsertim *Aristotelis, SS PP. Augustini, & Thomæ*, & rationibus; idq; esse omnino conforme opinionibus alibi statutis ab ipsis Recentioribus patet euidenter nu. 72. & 108. Aristotel. S. August. S. Thomas.

Constat Tertio ex dictis à n. 21. Logicæ realis partem hanc, non esse simplicem qualitatem, aut vnum actum, sed plurium congeriẽ, ac multitudinẽ regularũ, & speculatiuorũ actuum, eamq; scientiam esse practicã ex parte, & ex parte speculatiuã; partem verò practicam dixi à n. 147. concurrere ad actus aliarum scientiarum in genere causæ dirigentis solum, & ad eas comparandas vtilem, sed simpliciter necessariam non esse, nisi in quibusdam euentibus ibidem expositis. vsque modo loquutus sum de Logica actuali, de habituali sufficiunt illa, quæ supra in eadem Præfatione cap. 2. & 3. dicta fuerunt.

Præterea ne quis nimis religiosus nos reprehendat, quod agere instituamus de rebus omnibus non solum Logico more, sed metaphysico, hoc est illas considerando *secundum conditionem essendi* ac non tãtum *secundum conditionem prædican-* 482

dicandi; ac insuper quod inuenerimus nomina noua nominando præter omnium opinionem, hanc partem Logicæ *Realem*, præmonemus duo: primum est nos consulto, atque de industria, induentes personam magistri metaphysici, & munus, tractaturos de rebus omnibus, tam veris, quam fictis, vt subministremus materiam applicādam pro structura propositionum, ac modorum sciendi obiectiuorum, vt vocant; licet enim Logica de eiusmodi rebus definitiuè cognoscendis non curet, curare debet Logicus homo, & res præcognitas vtcunque a se præsupponere, propter ea, quæ num.480.dicta sunt, iuxta intentionem Aristotelis. *Sicut* enim, ait Sotus, *ars sartoria non facit pannum, aut sericum, sed ex illis facit vestem*, & ideo sartori expedit prænosse quid sit pannus, & sericum, ita Logico mandaturo executioni Logica præcepta, quæ dictant res adhiberi in alicuius operis structuram, contingit in præsenti; & idcirco congruēter de rebus hic tractamus; quod si videbitur tractatio fusior iusto, & prætergressa breuitatis terminos, falcem mittat in alienam messem, definiendo tum entia realia, tum entia rationis, excusent ipsam vsus, abusus Dialecticorum, & dictum illud Philosophi, quod referunt *Conimbricēses* quæst.5. Procemij art.2.ad 3. *eiusdem*, nimirum, *esse agere de eo, quod est, & quod tale videtur, vel apparet*. *Aristotel.*

483 Secunda præmonitio est, nos iure optimo, & accommodatissimo ad intelligentiam rei iam olim existentis fine nomine, imposuisse nomen huic parti Logicæ, sumpto, videlicet, nomine ab ipsius obiecto, vti nos edocuerunt antiqui Magistri, & recentiores, quorum principales sunt *Aristoteles, S. Augustinus, S. Thomas*, & *S. Gregorius Nazianzenus* vidēdi supra à nu.33.& 85.repetā hic verba *Augustini* ex tomo 4. lib. 83. qq. in q. 46. scribentis, *licere cuique rei ignotæ quæ nullum habet vsitatum nomen, quodlibet nouum imponere. Sunt enim doctrinæ congruentes verborum nouitates, quando res ipsæ, & ante nomina sua erant*, quod idem scripsit S. Pater *in tract. 97. in Ioannem*, & est verissimum documentum, tunc, vel maxime, quando, nomen nouum ponitur actibus innominatis olim, seu scientijs, deriuatum ab eorum obiecto, vnde Philosophus *in 1. Metaph. c. 2.* inquit *scientiam diuinam dici, quam Deus habet, aut quæ de diuinis est*, & *Nazianzenus in Oratione 2. in Pascha. diuinam* vocat, *quæ de Deo habetur, oratione*. ac demum *S. Thomas* scribit in principio. Poster.& Ethic.sect.1. cū *S. Augustino* ibidem allegato Logicam dici *rationalem, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam*. quare cum nos alibi à n.69. monstrauerimus partis Logicæ huius propriam materiam, seu obiectum esse res, merito audemus eam nominare *Realem*, sine de rebus agētem, quod item facio ad imitationem antiquorum Dialecticorum, vt apparet supra num.85. Sed omissa quæstione de nomine alias inutili, in præsenti maximè vtili, ad quæstiones de rebus gradum facimus, *turpe est* enim ait August. *contra Academ.* cap. 11. *disputantibus in Verborum quæstione immorari, cum certamen nullum de rebus remanserit*. *Aristotel.* *S.Thom. S.August.* *Aristotel. S.August. S.Thom.* *S.August.*

DISPVTATIO IV.

Metaphysica maiori ex parte, de Vniuersalibus, seu Prædicabilibus in communi, & in particulari: de eorum proprietatibus, ac differentijs, in Porphyrij Isagogen, siue Introductionem ad Aristotelis Prædicamenta; vbi de Distinctione rerum breui tractamus, postquam de mali Porphyrij consilio, & intentione pauca dixerimus.

Pessimus Author, & hæreticus *Malchus* cognomento *Porphyrius* pluribus confutatus à SS. Patribus *Hieronymo*, & *Augustino*. de quo videndi sunt *Conimbricenses* in Cōmentario super ipsius Isagogen in Procemio, fecit tractatum de quinque vocibus, siue, vt rectius loquar, de significatis quinque vocum, nempe de *Genere, Specie, Differentia, Proprio*, & *Accidenti*, in obsequium, & gratiam *Chrisaorij Romani Patritij*, qui ab illo eorum explicationem postulauerat, vt facilius *Aristotelis* prædicamenta penetraret; atque eiusmodi tractatum à Porphyrio 484 *S.August.*

rio congestum, & collectum ex *Aristotelis* & *Platonis* doctrina, quem vocant communiter *vniuersalia*, siue *prædicabilia*, & ex Boetio *Philosophiæ prægustatorem*. nos hic præmitti debere vt valde vtilem credamus, cum communi schola Christiana, & experiamur, illud semper memoria firma retinentes, tunc, nimirum Metaphysicos nos esse, quando vniuersalia definimus, aut eorum essentias declaramus; tunc verò Logicos, quando eorumdem fabricam, subiectionem, aut prædicabilitatem consideramus; est enim huius Logicæ pars, vti dicunt allegati *Conimbricenses* cum Scoto *subiectum*, siue obiectum, *vniuersale non tam secundum rationem vniuersalis, quam prædicabilis, Dialectica enim in quacunque parte magis attendit modum prædicandi, quam essendi, vt fusius explicabimus in quæst. 7. de vniuersalium diuisione*. Et nos supra sæpius diximus, & repetemus inferius quamobrem consilium, & intentio Porphyrij fuit obsequi in primis *Chrysaorio*; deinde ipsum instruere præmittendo hanc logicam tractationem omnino seruientem ad intelligenda prædicamenta, & ad construenda quæuis prædicata, seu prædicationes, quæ si perfectæ sunt, plerumque componuntur aliquo ex quinq; prædicabilibus.

QVÆSTIO I.

De rerum omnium Distinctione; vbi ostenditur rem quàlibet in varias formalitates posse ab intellectu partiri.

Acturus in tribus disputationibus sequentibus de rebus omnibus in genere, compendio dicam, quæ dicam in metaphysica fusius, circa distinctionem omnium rerum, nam sine doctrinæ præsentis notitia progredi vlterius ad difficultates obuias, quæ necessario se offerunt in eiusmodi rerum, non solum quoad an sint, sed quo ad quid sint, Quæstione, aut tractatione, non possumus sine casu, aut certè prolapsione.

SECTIO I.

Declarat compendio quid sit, & quotuplex rerum omniū Distinctio, & cum S. Thoma, & multis alijs admittit formalitates obiectiuas factas ab intellectu præscindente, & abstrahente.

Distinctio ergo formaliter sumpta est *negatio identitatis vnius rei cum alia*, v. g. Petrus distinctus est formaliter à Paulo, & reliquis omnibus per negationem, quæ est in Petro, quæ negat Petrum esse eundem cum Paulo, & reliquis omnibus: sic est distinctio formaliter sumpta: fundamentalis verò, siue fundamentaliter sumpta distinctio est Petrus, vel res alia quæuis supra quam cadit, & cui inest negatio identitatis collata cum alia, aut cum alijs, à quibus distinguitur. 485

Hinc obiter colligas duo scitu digna, primum est, rei cuiuspiam specificam, aut essentialem, vel etiam materialem, seu numericā differentiam formaliter quidem componere, & constituere modo suo rem, cuius est, distinguere verò ipsam ab alijs solum radicaliter; vnde licet intelligas hominem esse rationalem, non continuò cognoscis eum esse distinctū ab alijs, quousque intelligas negationem, quā veluti, forma non est aliud, siue non est idē cum alio; & ideo istæ propositiones non sunt æquipollentes, *Petrus est animal rationale. Petrus distinguitur ab alijs rebus irrationalibus*, sed prior præ se fert Petri formam constituentem, posterior distinguentem. Secundum consectarium est distinctionem, specialem relationem esse, & sic importare non pullulantem modum quempiam, aut modalem entitatem hic impertinentem, sed extrema duo, aut tria. Si enim distinctio est fundamentalis, seu radicalis, ea est Petrus collatus cum Paulo, vel alia quæuis res comparata cum illa, quæ eadem cum ipsa non est: si verò distinctio est formalis, de qua in præsenti loquimur, ea est negatio, quā res vna, alia non est; & sic ea distinctio integrè, & complete intellecta videntur esse res tres, vna veluti forma, duæ quasi materia, & fundamenta, sine denominationis relatiuæ subiecta.

Scio doctos viros putasse distinctionem formalem esse, quam nos dicimus fundamentalem, idest extremum vtrumque 486

quæ quod dicatur distinctum per proprias essentias, & formas, quibus constitutum est, nam vt ex communi axiomate notat *Maratius* tom.1. d.53. sect.2.nu.5. & 8. *per id quælibet res distinguitur, per quod constituitur*, & non per inhærentes negationes; sed quoniam visum nobis est melius exerceri distinctionem formalem per negationes, negationesque esse aptiores formas distinguendo, quatenus ita distinguitur Petrus v.g. à quodam equo per negationem, vt per ipsam cum eo in nihilo conueniat, quod non contingit, si ponas distingui per propriam entitatem, per quã si bene distinguitur, item conuenit; idcirco perseuero in sententia, & in conciliationé horum Doctorum repeto entitates distingui se ipsis fundamentaliter, & radicaliter; etiamsi dicantur differre per proprias formas; distingui vero aptius, & cõgruentius, per negationes formaliter, & quasi per vltimas formas ad distinctionem solum destinatas; vnde illa veritas *Petrus distinguitur à quodam equo*, melius declaratur, & innotescit per hanc propositioné, *Petrus non est equus, seu Petrus habet negationem equi*, quam per illam, *Petrus est rationalis, & equus est hinnibilis*.

Distinctio formalis in communi diuiditur primo in distinctionem realem, & rationis, vel intellectus. distinctio realis est illa, quæ reperitur inter res, quæ sunt distinctæ à parte rei, & ante opus intellectus, distinctionem efficientis; qualis est ea, quæ reperitur inter Titiũ, & Caium, Petrum, & Paulum, & inter entitates reliquas, quæ quasi vel oculis vsurpantur, aut digito demonstrantur; ac etiam inter Petrũ & aliquod ens rationis; etenim generaliter loquendo, & cum aliqua latitudine cordis illa dicuntur distingui, siue gaudere distinctione reali, quæ ita se habent, vt possit vnum perire manente alio; vt colligunt PP. *Suarez*. disp.6.sect.2.n.2. & *Vasquez* 1.p.disp.117.cap.5.nu.25.ex *Aristo*. dicente 7.Topic cap.1. *si alterum interimitur, alterum autem non, profecto non idẽ sunt*, & ex *S. Augustino* 6.de Trinit.cap.6. & alijs. quare distincta realiter sunt tam ea, quæ separata existunt, quam, quæ cõiuncta, vti sunt anima, & corpus, & similia; siquidem coniunctio impedit quidem separationem, eique opponitur; sed non distinctioni, quæ semper datur inter quæuis coniuncta, siquidem ad minus debent esse duo.

Aristotel.

S. August.

487 Et ideo non semper illud, quod dicit *Aristoteles*, necessarium est ad hoc, vt detur distinctio realis inter aliqua, vt patet ad oculum in actu, quo cernis colorem quendam, qui licet distinguatur realiter à colore, durare tamen non potest pereunte colore, sed continuo colore pereunte, siue disparente, disparet; quomodo item sunt reliqui omnes actus potentiæ cognoscitiuæ, & amatiuæ, & entitates modales, & forsan, & incompletæ; quæ genera rerum realiter quidem distinguuntur à suis obiectis, subiectis, & complementis, siue consortibus, & tamen durare, ac persistere non possunt sine illorum concomitanti persistentia;

Hæc distinctio realis, alia dicitur *distinctio rei à re*, alia *distinctio rei à modo*, illa est, quæ reperitur inter rem, & rem, quarum nulla est modus alterius, vt inter Petrum, & Michaelem Archangelum; hæc verò est inter res, quarum vna est modus alterius, vt inter Petrum, & eius figuram, quæ Petri modus est; & si distinctio illa rei à re intercedat inter duo indiuidua eiusdem speciei, & solo numero distincta, dicitur distinctio realis *numerica*, & non rarò *materialis*; qua distinctione differunt Paulus, & Ioannes, & equi duo; & reliquæ omnes entitates, quæ aliàs dicuntur eædem in specie; licet, & quod est idem numero dicunt Iureconsulti idem in specie. Si verò intercedat inter res diuersæ naturæ, dicitur distinctio essentialis, aliquando specifica, vt inter Petrum, & equũ; aliquando generica, vt inter hominem, & Angelum, vel inter res pertinentes ad varia prædicamenta, vt sunt substantia quædam, & quoddam accidens.

488 Alia demum *distinctio* dicitur *includentis ab incluso*, quæ communis est rebus distinctis realiter, & item ijs, quæ solum differunt ratione, atque eiusmodi *distinctio* dici etiam solet *inadæquata*, qualiter distinguitur anima nostra à toto nostro cõposito Physico, vel nostrũ rationale comparatum cum toto nostro composito metaphysico, quod præter rationale includit animal, sicut & illud præter animam includit etiam corpus: sed verò huiusmodi distinctionis quasi membra de solo nomine differre videntur à distinctione reali, & ratio-

rationis simpliciter dictis, siquidem distinctio animae in composito, v.g. solum attenditur penes alteram partem compositi, quae anima non est; & ita in reliquis distinctionibus eiusdem nomenclaturae dicendum est.

Distinctio rationis est ea, quae datur inter aliqua extrema in re indistincta, & solū quasi desecta per considerationem intellectus, qui dicitur *ratio*, & qui *natus* perhibetur *adunata diuidere*, quia distinguere possit & soleat res quascunque in tenues quasdam, & exiles particulas, quas vulgo vocant *formalitates*, & entia rationis, idest quasi effecta à ratione, aut intellectu. facit autem eiusmodi distinctionem intellectus, quando ad id habet fundamentum, quod solet esse triplex, aut quadruplex, aut saltem ex his aliquod: primum est rei distinguendae foecunditas, virtus eminentialis vna quidem, sed quasi in virtute sua multiplex, habens ordinem ad plura. Secundum est limitatio intellectus, qui vno haustu, vel intuitu nequit rem totaliter comprehendere, vnde eam vtens artificio quasi partiendo, paulatim cognoscere aggreditur, & quasi per partes. Tertium fundamentum est esse, ac praeuidisse intellectum res alias existentes à parte rei, ad quarum similitudinem efficiat formalitates suas, addo quartum fundamentum, si forsan in enumeratis tribus non includitur, quod est conuenientia plurium rerum inter se in aliqua, vel in aliquibus perfectionibus; ex hac enim conuenientia, & similitudine sumit ansam intellectus, vt efficiat praescindendo à rebus singularibus vniuersalia rebus conuenientibus cōmunia, & eadem item conuenientia vtitur intellectus vt efficaci medio ad varia puncta scientiarum firmiter comprobanda, vt edocebit vsus, & obseruatio.

489 His ergo principijs, seu fundamentis, innixus intellectus humanus distinguit E. C. in Deo, qui est vna res simplicissima, sed foecundissima, & virtute multiplex, intellectum à volantate: tum quia intellectus ipse limitatus est, & melius percipit principium, siue rationem intelligendi quasi seiunctam à ratione volendi, & è contrario, hanc ab illa quasi separatam; quàm simul vtranque perfectionem; tum etiam, quia praeuiderat in homine similes perfectiones realiter, aut essentialiter distinctas; nempe nostrum intellectum, & nostram voluntatem, quae censentur esse duę perfectiones valde differentes; ac demum quia aduerterat Deum esse substantiam, & item Angelum quendam, aut aliud quidpiam, substantias quoque esse, considerare potuit substantiam in communi quasi abstractam, atque seiunctam à Deo, Angelo, & alijs in ea ratione communi, & formalitate conuenientibus.

Distinctio illa rationis est duplex, alia dicta est *distinctio rationis ratiocinatae*, alia *rationis ratiocinantis*. distinctio illa prior reperitur inter formalitates obiectiuas, quasi diuisas ab intellectu; quae formalitates, si non se includant ad inuicem, dicuntur differre essentialiter, vt animal & rationale: si vna includat alteram, & non contra, vt Paternitas diuina, quae includit essentiam diuinam, & ab ea non includitur; & *homo*, qui includit *animal*, à quo tamen homo non includitur; dicuntur; habere distinctionem quasi essentialem; & ex parte, penes explicitum. Si denique viciſſim, ac mutuo, formalitates includantur, distinguuntur quasi essentialiter, seù penes explicitos conceptus, quo modo differūt essentia diuina, sapientia Dei, & voluntas eius, & reliqua attributa, quae & essentiā includunt, & ab ea includuntur, & sic solum differunt explicite, videlicet, quatenus sapientia diuina v.g. non est formalissimè & explicitè voluntas, neque aliud attributum post operationem intellectus. isto etiam modo exili distinctionis, differre dicuntur ens, & eius attributa verum, bonum inuicem collata, vel etiam cum particularibus entibus, nempe Petro, quodam lapide, & reliquis. quatenus, qui concipit Ens vt sic, nondum explicatè tangit veritatem, aut bonitatem vel Petrum, & è contra, qui Petrum cognoscit, implicite quoque tangit rationem entis, & attributa entis. & ideo agnosco maiorem distinctionem inter ista extrema enumerata, quam inter definitionem, & definitum, quae credo synonyma esse, vti dico infra num. 704.

Et quidem huiusmodi distinctionem formalitatum, quam appellauimus *rationis ratiocinatae*, agnouerunt, & nobis tradiderūt *Aristoteles* in 4. metaph. tex. 3. & in 5. textu 10. & alibi. *Patres Concilij Florentini* 490

ventini in sessione 18. col. 8. & sessione 19. col. 5. & alibi. SS. Patres Athanasius, Damascenus, Bernardus, Basilius, & S. Thomas 1. par. quæst. 28. art. 2. & q. 39. art. 1. Corp. & in 1. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 3. quos imitantur, & allegant in suis commentarijs Caietanus, Bañes, Zumel, Molina, Torres, Pesantius, Capreolus, Ferrara, Hispalen. Henricus, Durand. Alensis, Bachonus, quos afferunt Conimb. in præfatione Porph quæst. 4. art. 2. Pla. disput. de vniuersis quæst. 6 & sequẽtibus, Vasquez. 1. par. disp. 120. c. 4. & disp. 117. cap. 1. Suarez. lib. 4. de Trinit. cap. 2. & 4. & in metaph. disp. 6. sect. 1. num. 4 P. Amicus 1. par. d. 3. sect. 2. P. Alarcon. 1. p. d. 5. de Trinit. cap. 4. num. 1. P. Turrianus in selectis par. 1 disp. 9. dub. 3. P. Præpositus 1. par. quæst. 4. art. 3. d. 2 Beccanus cap. 2. de Trinit. quæst. 4. Valentia disp. 2. qu. 13. par. 1. Rubius in tract. de entis rationis natura, §. ex his. Tannerus 1. par disp. 2. de Deo quæst. 2. dub. 2. à num. 1. Albertinus tom. 1. Coroll. quæst. 1. Theologica ex 7. principio Philosophico, P. Ludouicus Maratius tom. 1. disp. 17. sect. 2. num. 108. & disp. 46. sect. 1. num. 3. vbi allegatur S. Thomas, P. Didacus Ruiz. de Trinitate disp. 12. sect. 1. & de scientia disp. 8. sect. 6. & 7. Granado 1. par. controu. 1. tract. 2. disp. 6. Faseli quæst. 4. art. 2. dub. 14 Zunniga de Trinitate quæst. 37. disp. 2. membro. 2. dub. 4. à nu 2. Durello lib. 1. post prædic. c. 13. Scotus item & sectatores eius afferendi num. 482. & 493. vt reor, non tantum in re, sed post intellectum formalitates agnouerunt, & communiter Thomistæ recentiores, inter quos vidi Romæ integrum librũ, quem fecerunt Dominicani duo, nempe M. Aquarius, & P. Alphonsus de Marco, & vocanerunt formalitates iuxta doctrinam Angelici Doctoris. Legatur caput 10. eius libri, & quæ nos afferemus inferius in quæst. 2. sect. 6. in eiusdem sententiæ, quam & nos sequimur confirmationem.

491 Distinctio autem rationis ratiocinantis abusiuè dicitur, & valde impropriè distinctio, quia dari dicitur inter extrema, quæ duo non sunt, vt opus erat, sed vnum bis in oratione repetitum, vt hic apparet, Petrus est Petrus. Vbi Petrus, quod est prædicatum, nullo modo differt à se ipso vt est subiectum sublata omni fictione; & propterea dicitur ea propositio identica non doctrinalis, sed nugatoria, & inutilis. quare distinctio rationis ratiocinantis melius dicetur distinctio realis, vel rationis quasi numerica inquantum exercetur, vel inter duos cõceptus intellectuales concipientes Petrum ipsum bis, vel inter conceptus eiusdem, duas particulas, & formalitates, æque claras, vel obscuras, quarum vna repręsentat Petrum ex parte subiecti, & altera eumdem ex parte prædicati; dici tamen poterit distinctio rationis ratiocinantis illo modo improprio, qui adhuc, propter Recentiores admittendus fuit, ea, quæ intercedit inter definitũ, & definitionem, inter totum, & eius partes collectim sumptas, vt alibi monstrabo euidenter.

Sed nihilominus quamuis eiusmodi distinctio parui momenti visa sit, & à P. Didaco Ruiz. assertum fuerit in materia de scientia Dei disp. 8. sect. 6. num. 3. eam incognitã fuisse inter scholasticos antiquiores, adhuc Magister Aquarius in libro illo de formalitatibus S. Thomæ cap. 12. contẽdit eam nobis fuisse traditam à S. Doctore 1. par. quæst. 15. art. 12. C. vbi postquam distinctionẽ rationis ratiocinatæ insinuaret esse, vsurpando illam propositionem homo est animal, subiungit. Sed in propositionibus, in quibus idem prædicatur de se ipso hoc aliquo modo inuenitur, idest aliqua distinctio rationis cum identitate reali: Sed sane quidquid velit Aquarius ex parte obiecti in ea propositione homo est homo, nihil video distinctum in subiecto, quod in prædicato non sit, nisi forsan fingatur. Vnde ista distinctio rationis, aut est membrum distinctum, quantum ad solum nomen, aut refundenda ad conceptus, id quod voluisse videntur inibi S. Thomas & Aristoteles 1. Prior. cap. 63. & alibi allegati ab eodem Aquario.

Præter præfatas species distinctionis, 492
aliqui adnumerant distinctionem, quam vocant virtualem, sed ea absolutè loquẽdo nihil aliud est, vt colligitur ex S. Thoma in 1. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 3. & dist. 22, quæst. 1. art. 3. ad 4. quam illud primum fundamentum, quod habere solet intellectus ad efficiẽdam distinctionem formalem rationis, nempe rem distinguendam esse fœcundam, idest simplicitet quidem vnam, sed virtute quasi plures, & ideo dici solet distinctio fundamẽtalis, quæ

quæ reperitur in rebus eiusmodi, vt est Deus, qui vnus cum sit, intelligit, amat, creat, & est vbique per immensum vbi: vnde intellectus valuit distinguere formaliter eas perfectiones.

SECTIO II.

Refert, & impugnat Distinctionem mediam Scoti, & Sectatorum eius, & Virtualem illi affinem, quam ponunt in Diuinis multi, & graues Authores, Scoti imitatores.

DEinde *Scotus* in 1. dist. 8. quæst. 3. tota, sed præsertim *post medium* §. *ad quæstionē*, & eius Discipuli introduxere aliam distinctionem inuentam, & exercitam à parte rei, siue ante opus intellectus, quam vocauerunt *mediam*, siue *ex natura rei*; mediam quidem, quia non est tanta, quæ euadat ad realem, nec tam exilis, quæ non sit maior quam rationis, & sic manet media inter vtramque. vocarunt etiam eandem distinctionem formalem, & ex natura rei, vt ostenderent, ita exigente rerum fœcundarum natura, in re & ante operationem intellectus reperiri in eadem re, & realitate formas, seù formalitates distinctas. Vnde Scotistæ non verentur concedere cum Authore suo a parte rei distingui sapientiam Dei ab eius voluntate, tamquam duas formalitates ex natura rei distinctas, & similiter se habere animal & rationale, hominem, & Petreitatem, & formalitates similes.

Et quidem *Scotum* sequuntur quidam docti Recentiores, & pro ipsius opinione congerunt magnam nubem testium, nempe viginti nobiles scriptores, inter quos sunt *Liquetus*, *Bargius*, *Basolis*, *Mauro-nus*, *Trombeta*, *Rada* 1. par. Controu. 4. cap. 5. *Anton. Andreas* 7. metaph quæst. 3. *Iandunus* 2. metaph. quæst. 5. *Aegidius* de præsent. tomo 1. in 1. 2. lib. 6. quæst. 5. art. 4. §. 2. *Fonseca* libr. 5. tomo 2. capit. 6. quæst. 6. sect. 2. loquendo de creatis perfectionibus, nam inter diuinas non audet ponere mediam hāc distinctionem, *Gelius* item, & *Albertinus*, *Vallius* quæst. 3. in prædicamento ad aliquid, *Amicus* in Log. tract. 4. quæst. 3. in 3. Conclus. & artic. 3 fine. *Ioannes Canonic.* 1. Phys. quæst. 7. & alij, quos videbis in *Carthusiano* 1. senten. d. 2. quæst. 2. in *Suarez* disp. 6. metaph. sect 1. n. 13. & in *Ruiz* de Trinit. disp. 11. sect. 2. & in alijs ex allegatis.

Scotum re vera imitantur, qui inter diuina posuerunt *distinctionem* dictam *virtualem*, sed tantam, vt eius meritis in re alias simplicissima, ante intellectum dentur duo, quorum vni conueniat vnum prædicatum, & alteri eius contradictorium. Hi sunt. *Caietanus* 1. par. quæst. 39. art. 1. & de ente, & essentia c. 6. q. 12. in respons. ad argum. *Scoti*. *Canariens.* q. 28. art. 2. disp. 3. in 2. par. *Zumel* ibi. quæst. 2. *Molina*. disp. 5. *Valentia* disp. 2. quæst. 13. par. 1. ad 1. & 2. *Becanus* cap. 2. q. 4. conclus. 3. *Albertinus* tom. 1. quæst. 1. Theol. ex 7. Princip. dub. 1. num. 18 & 19. *Aegidius* 12. lib. 2. quæst. 12. art. 3. & 5. *Fonseca* lib. 5. met cap. 6. quæst. 6. sect 2. *Hurtado* in metaph. dist. 6. sect. 3. §. 26. *Zunniga* de Trinit. quæst. 27. disp. 2. dub. 4. mem. 1. à num. 3. *Tannerus* 1. par. disp. 2. de Deo quæst. 2. dub. 3. à n. 3. *Arriaga* disp. 3. Logica sect. 4. à subsect. 1. qui non contenti cū distinctione rationis, nec virtuali declaratis supra num. 490. & 492. dicunt in Deo Patre v. g. Paternitatem, & essentiam in re ita esse duo, vt ante intellectum conueniat essentię *communicari*, & Paternitati *non communicari*, & hoc sine recursu ad præcisiones intellectus: si ergo concedunt illa esse duo distincta, licet illudāt nos, addendo *virtualiter*, debent concedere actu ea esse in re duas res, rationes, formales, seu formalitates; quales esse fatetur doctus *P. Arriaga* post præcisionē intellectus, qui sane non potuit dare illis nisi id nomen, præsertim si fuit diuinus, cognoscēdo ipsas, vt ipsæ erant in rè. quare istę formalitates confunduntur cum Scoti, atque communiter reijciuntur, & merito. 493

Etenim implicatoria est distinctio actualis, quæ sit ante intellectum, & quæ non sit realis. probatur, quia quidquid est in re independenter ab intellectu, non est ens rationis, neque formalitas rationis, ergo est ens reale; siquidem medium in re non est inter ens reale, & ens rationis, præter nihil, siue omnimodam negationem entitatis tam realis, quam rationis, vnde quidquid aliquo modo est, vel est simpliciter res & ens nullo intellectu con-

considerante, & sic est ens reale, vel non est simpliciter res, & ens, nullo intellectu considerante, & sic est ens, aut formalitas rationis; Ergo distinctio, quæ ponitur ab Scoto à parte rei, & sine dependentia ab intellectu inter formalitates *animal, & rationale*, aut ens reale est, aut nihil omnino est.

Confirmatur id ipsum primo, nam inter duo cōtradictoria non datur medium. Hæc autem sunt contradictoria, distinctio hæc simpliciter est ens, & res ante operationem intellectus, distinctio hæc non est simpliciter ens, nec res ante operationem intellectus, quare, hæc Scotica distinctio (siue extrema distincta, ex quibus distinctio coalescit) aut erit realis, vel rationis, aut nihil; quoniam medium quidpiam aliud esse non potest.

Confirmatur secundo. quia secundum *Scotum* vna realitas, v. g. Petrus includit formalitates, & tamen eæ non sunt entia rationis, neque factæ ab intellectu, erunt ergo entia realia; vnde omnis formalitas intrinsecè erit res, & realitas habens negationem veram, & realem identitatis cũ quauis alia. quo posito sic argumentor, omnis formalitas existens in re ante intellectum intrinsecè, & essentialiter est realitas, ergo quotiescunque, & vbicunque dentur plures formalitates distinctæ ante intellectum, dabuntur totidem realitates 494 distinctæ aute intellectum, quod ipsum est dari inter ipsas distinctionem realem, cum distinctio sit vtraque formalitas, aut altera cum negatione identitatis cum alia; quæ negatio nequit non esse realis, neque eum permittet identificari formalitatem vnam cum altera, vt manifestum est, ac proinde distinctio, quam adstruit *Scotus* à parte rei, inter sapientiam, bonitatem, & essentiam Dei videtur euadere ad realẽ, siue quasi inter duas res; atqui concedere inter diuina attributa distinctionem realẽ, foret negotium valde periculosum.

Scotus distinxit in Petro, v.g. *animal à rationali*, vt per hoc Petrus differret à Bucephalo, & per illud conueniret, quia falso putauit impossibile esse rem eamdem per suam entitatem cum alia conuenire, & differre; sed bona pace tanti Doctoris, non assequitur intentum; nam & ipse cogitur admittere, quod negat, etiam stante sua illa distinctione, & aliud incidit in non toleranda incommoda. probo vtrumque. dicat, vti decet, Scotus primus, vtrum *animal* Petri sit idem, quod *animal* Bucephali, & si putat ea esse duo distincta; peto an numero distinguantur, vel specie? numero solo distingui ille non dicet, si dicturus est consequenter id vtrumque animal singularitate carere, vtpotè ab ea distinctum quoque ex natura rei, rectius ergo dicet distingui specie, & probare poterit, quia animal Petri respicit rationale, & animal Bucephali respicit hinnibile, & vtrumque à varia in specie differentia respecta specificatur, ex quo ego infero cōtra *Scotũ*, ergo ea duo animalia persemetipsa conueniunt simul, ac differunt, frustra ergo recurritur ad differentias *rationale*, & *hinnibile*, quibus à parte rei differant; quod si adhuc contendat ea animalia differre in inuicem per alias respectiuas formalitates, nō euitat formalitatum in re existentium infinitam multitudinem, vt prosequitur contra ipsum *Scotum Suan* in metaph. disp. 2. sect. 3.

Quod si dicat *Scotus*, animal Petri nudũ esse ab omni differentia tam specifica, 495 quam numerica, & similiter esse animal Bucephali, dicet consequenter idem animal à parte rei in multis esse, ex quo infertur incōmoda hæc. primum est, vniuersale formaliter esse à parte rei à singularibus distinctum. Secundum, nos, & bestias omnes esse idem vnum animal, non plura, & quid altius Trinitatis mysterio in nobis reperiri, quod si, vti debuit, *Scotus* putat plura esse animalia, sibi contradicit; quoniam iam habebimus intentum, nempe animantia posse inter se per idem conuenire, & differre: quod negabat *Scotus*, & ob quod coactus fuit suam illam distinctionem introducere. Tertium, dum gignuntur animalia varia, nihil de animali gigni; quia iam genitum totaliter illud est. quartũ, dari in creaturis multas perfectiones nempe rationes substantiæ, spiritus, vitalitatis, & alias innumeras, quæ sunt eædem in Deo, sed quæ infinitæ esse non possunt, neque creatæ, aut increatæ, sed ab vtroque abstrahentes. quintum incommodum est, Personam Patris diuini habere compositionem physicam in re, quatenus componitur ex ratione communi personæ & personalitate, vel etiam ex essentia, & personalitate, veluti ex partibus

tibus actu, & à parte rei distinctis, sed hęc alibi prosequar commodius.

Altera pars Sectionis refert Authores, qui negarunt fieri posse distinctiones rationis: & alios qui aliquando eas factibiles iudicarunt, aliquando non.

POstremo vocant alij, cum quibus infra nobis grande, sed amicum dissidium erit in quaest. 2. sect. 6. à num. 535. quia negarint intellectui humano omnem facultatem, & vim ad efficiendas formalitates obiectiuas in rebus, quantauis eminentia, & foecunditate praeditis, distinctionem rationis eam, quae fit ab intellectu, qui dici solet *ratio*, & *mens*, quando res vna aliunde foecunda concipitur quasi partita, & incompletè in ordine ad varios ipsius terminos, aut effectus, siue connotata, quouis modo ab illa respecta v.g. materia prima, quae potens est capere omnes formas concepta modo in quantum potest recipere animam rationalem, dicunt illi, distinguitur ratione à se ipsa inquantum potest recipere formam equinam, aut aliam quampiam, & ita efficiunt suas distinctiones rationis, & aliter non posse fieri contendunt, quorum fundamenta afferam, ac dissoluam inferius à num. 535.

496 Quapropter in praesenti circa modum huius distinctionis dico duo, primũ est, mediante hac opinione, quae videtur esse cõmunis inter *Nominales*, facilius nos posse liberari ab argumẽtis *Scoti*, cui maximè cõtradicit ista sententia, & ab argumentis robustis, quae fiũt cõtra formalitates obiectiuas *S. Thomae* vt monstratur, inferius, in illa quaest. 2. sect. 6 secũdum est, eiusmodi distinctionem fieri posse, & solere ab intellectu, qui pro libito potest concipere rem incompleté & in ordine ad vnum terminum, non curando de alio pro tunc, ac eam dici distinctionem rationis posse, quia fiat ab intellectu. vti dicam infra numer. 899. quamuis absolutè loquendo realis est distinctio, quae reperitur inter conceptum animae v. g. in ordine ad intellectionis actus, & conceptum eiusdem animae in ordine ad voluntatis actus, quia actus intellectus, & voluntatis connotatili, quae intrant item componendo distinctionem, realiter inter se distinguuntur.

Missos hic facio doctos Neotericos, qui concedunt vim intellectui vt distinguat, vti vult *S. Thomas*, formalitates in quibusdam rebus, in alijs non item, qui pro se allegant doctos viros Castellanos *Franciscum Zuñiga*, in tractatu de Trinitate q. 27. disp. 2. dub. 8. membro 2. n. 2. & *Valẽtinũ Herice* 1. par. tract. 2. disp. 12. num. 18. & possent allegare Patrem *Arriaga* qui disp. 3. Logica sect. 4. concessit praecisiones in diuinis, non item in creatis, sed quorsum praescindat intellectus formalitates diuinas, si praeuidit ipsas iam antea tam distinctas, vt de ipsis posit in opinione docti huius Patris contradictoria praedicare á parte rei, iuxta dicta supra num. 495.

Ego enim credo eiusmodi praecisiuam vim vbique, aut nullibi negandam intellectui, semper enim, & in re quacumque quamtumuis simplici inuenietur aliquod ex dictis fundamentum, praesertim quartum, quod nos subiunximus, & quod Noeterici aliquot non considerarunt, ad efficiendas formalitates aliquas ratione ratiocinata distinctas, neque enim aliqua res reperiri poterit, à qua non posit abstrahi ratio aliqua communis, saltem analoga, quando non fit generica, specifica, aut per modum differentiae essentialis; atque eiusmodi rationes communes, vt nemo non videt, formalitates sunt ratione ratiocinata distinctae ab inferiorum, à quibus abstrahuntur, differentijs, quinimo de eiusmodi formalitatibus in praesenti potissimum sermo noster est futurus. quare dictinctionis formalitatum, quae ratione ratiocinata differunt, oportet hic in primis meminisse, pro faciliori vniuersalium intellectu.

QVAESTIO II.

De Nomine, Natura, Causis, & Proprietatibus Vniuersaliũ in cõmuni super varios textus Aristotelis.

REm hanc, & quęstionem ex se satis explicatu difficilem, vtpotè è me- 497
Q dia

dia metaphysica deprompta, statim in eius primo limine obscurant magis pugnātia secum placita, siue quodlibeta Doctorum, & multo diffidentes sententiæ; quocirca, vti solitus sum, ipso quæstionis, vel sectionis initio, perspicuè dicam, quid de vnaquaque re sentio, loco postremo relecturus aliorum opiniones, quo minus ingenia discentium fastidio, & obscuritate retardentur, & à capienda difficultate, alias grandi, sed valde vtili, arceantur. ego verò in ea emollienda, & amolienda Labori non parcam, quoniam sapientibus, & incipientibus debitor sum obsequentissimus, in præsentiarum fere semper more Metaphysici, raro Logici res pertractans, ac disputans: legat qui volet Opuscula 48. 55. & 56. *S. Thomæ* vbi vbi fuse disputat de vniuersalibus Doctor Angelicus, & noster Magister. *S.Thomas.*

SECTIO I.

Decernit an sit Vniuersale; quid; quotuplex: & vbi sit ante, & post operationem intellectus; sed tractat prius pauca de nomine.

Nomen *vniuersale* videtur terminus æquiuocus significans plura vt plura. nam primo significat agens vniuersale, siue res, quæ dicuntur, & sunt principia, & causæ omnium effectuum, siue multorum, qualiter sunt Deus O. M. Cælum, & Sol, quæ tres causæ, & similes propterea appellari solent vniuersales in causando. secundo significat res, quæ sunt vniuersales in significando, quomodo sunt voces, aut termini cõmunes, homo, equus, & huiusmodi, qui significant naturas vniuersales, atque communes pluribus particularibus, nẽpe Petro, & Paulo, Bucephalo, Brunello, & alijs indiuiduis eius vtriusque speciei. tertio significat nomen vniuersale res, quæ sunt vniuersales in
498 repræsentando, tales sunt actus intellectus, qui licet singulares sint, abstrahunt, cognoscunt, & repræsentant prædictas naturas vniuersales, atque communes, quarto denique significat rem, siue rationem, vel naturam vniuersalem in essendo, & in prædicando, quales sunt naturæ communes pluribus significatæ per terminos illos vniuersales, atque communes, & abstractæ, præcisæ, & repræsentatę peractus intellectus, quos modo dicebam esse vniuersales in repræsentando, vt *homo, leo, animal, viuens, substantia*. legatur *Sanctus Thomas* q. 7. de veritate, art. 6. & 7. & in 2. d. 3. quæst. 2. art. 3. vbi de nomine vniuersalis plura. *S.Thomas.*

In præsenti tamen solum agendum est de isto quarto, & vltimo significato nominis *vniuersale*, quod dicitur vniuersale in essendo, & in prædicando, quoniam illud in se, & ex se est ratio, & natura essentialiter vniuersalis, atque communis, postquam semel abstracta est, & liberata à differentijs illam contrahentibus, & vt talis de suis inferioribus, quibus apta est inesse, prædicatur, sicut prædicatur natura humana verbi g. de suis, cum dicimus, Petrus est homo, Paulus est homo, & sic de cæteris.

Et quidem existere rationes, siue naturas istas communes & in essendo, & prædicando vniuersales, saltem post operationem, & præcisionem intellectus, est communis sensus cum *Aristotele* 1. metaph. tex. 5. & 3. metaph. tex. 12. 1. Perih. c. 5. & ibidem *S. Thoma* dicentibus, *res alias esse singulares, alias vniuersales*, & dubitari non debuit, quoniam, vt experientia comperimus, intellectus noster sæpe naturaliter, vel ex solo ductu naturæ, & non raró instructus ab arte, apprehendit, præscindit, & abstrahit, idest solitarias cognoscit rationes communes existentes in rebus veluti absconditas, atque coniunctas, præuisa prius earundem rerum conuenientia, & similitudine; quas rationes postmodum idem intellectus prædicat respectiue de suis inferioribus, nempe de illis eisdem rebus, à quibus eæ abstractæ fuerunt, vt modo exemplificabam; quod præstare aut facere non posset, nisi prius fecisset naturas vniuersales in essendo, & prædicando, eas quasi secando à suis inferioribus ex modo suo cognoscendi, secundum quem solet in re fœcunda attingere, & repræsentare vnum sine alio, & ideo vulgo dicitur *natus* aptus *adunata diuidere*. *Aristotel. S.Thomas.*

Quid vero vniuersale istud sit, definiuit bene *Aristoteles* tum alibi tum 7. metaph. cap. 13. textu 49. & *S Thomas* ibi Lect. 13. dicens *vniuersale est aptum* 599 *Aristotel. S.Thomas.*

quod

quod in pluribus insit quae definitio sic communiter traditur. *Vniuersale est vnũ aptum esse in multis.* idest, est vna natura, ratione cõmunis de se potens & petens esse cum pluribus. bona est ista definitio, siquidem constat genere, ac differentia: loco generis ponitur illud *vnum*, per quod generice conuenit quæuis natura vniuersalis cum reliquis entibus, quæ omnia vnitaté habent. per reliquas definitionis parter differt vniuersale à cæteris rebus, quarum nulla potest esse in multis modo necessario, & requisito ad naturam vniuersalis, vti declaro infra, quando pensiculatius exponentur partes singulæ huius definitionis.

Duplex in primis discerno vniuersale cũ *Aristotele*, & *S. Thoma* in 2. dist. 3. q. 2. a. 3. ad 1 & sępè alibi. primum est *vniuersale formale* hoc est vniuersale in essendo pręcisum, & factum ab intellectu, quod supra definiebat *Aristoteles*, ac de quo plura dicam in sequentibus, hic superaddendo hoc idem vniuersale non distingui ab vniuersali in prædicando, sed omnino idem vtrumq; esse, nuncupatum eo duplici nomine diuerso, ex duplici, quem illud habet, respectu, vt explicatur infra. S. August. S. Thom.

Alterum vniuersale dicitur *fundamẽtale aut physicum* quod abusiue appeliatur tale, quoniam id nihil est præter fundamentum, quod inuenit intellectus in rebus singularibus ad faciendum vniuersale formale, nempe rerum similitudo, & conuenientia, ac rerum similes operationes, permixta quoque sua differentia, ac dissimilitudine, vti declaratur inferius.

Vocat vero *S. Thomas*, supra, vbi vniuersale fundamentale *vniuersale in re*, formale autẽ *post rem*, quod dicit *Aristoteles* infra *posterius esse*: quia scilicet priora sunt naturalia artificialibus. rursus vniuersale fundamentale dicitur à *S. Thoma* Opusc. 55. & ibi à *Boetio* vniuersale *potentia*, siue *sensibile*. formale verò vniuersale *actu*; & illud etiam dicitur ibi vniuersale *secundum quod est in rebus*, & hoc secundum *quod est in anima*, siuè obiectiuè cognitum ab animæ intellectu, id, quod innuit *Aristoteles* dicens *vniuersale est in multis, & vnum prater multa*. S. Thomas. Aristotel. 500 S. Thomas. Aristotel.

Deinde vniuersale formale, aliud dicitur *Logicum*, aliud *Metaphysicum*. sed neque hoc est duplex, sed vnum cum diuerso nomine sumpto à titulo diuerso; etenim vniuersale idem Logicum, dicitur, quia, & inquantum consideratur à Logica per varias regulas, quæ illud docent artificiosè efficere, & item prædicare. vt enim bene nostis ex *Aristotele*, *Augustino* præsertim, & *Thoma*, Logica res item omnes considerat vt subiectum esse possunt, & prædicatum, & secundum quod in vniuersalia possunt fabricari; & ideo vniuersale Logicum communiter vocant vniuersale *quoad prædicationem*, & meritò, propter regulas logicales docẽtes illud prædicare; metaphysicum verò dicitur quatenus circa ipsũ metaphysica versatur actibus suis speculantibus, ipsius essentiã, & proprietates, & ideo itẽ nominatur vniuersale *quoad essẽtiã* cõsideratum, & non ex alio capite, aut titulo; & ideo refellemus inferius in Sect. 16 quosdam Recentiores, qui ob inconsiderantiam Logicæ Realis, & regularum eius & amplitudinis obiecti Metaphysicæ, vocarunt vniuersale Logicum, quod fit per comparationem, & metaphysicum, quod fit per abstractionem, quasi in Logica non suppeterẽt regulæ docẽtes id vtroq; modo fieri; aut intra gregem obiectorũ Metaphysicę nil esset nisi cõmune, & abstractum. Aristotel. S. August. S. Thomas.

Tertio aliud est vniuersale *quidditatiuum*, seù quidditatiuè acceptum, aliud denominatum, *denominatiuum*, seù denominatiue sumptum. illud est coniunctum quoddam, & complexum ex actu intellectus præscindente, & natura vniuersali præcisa, ex quibus quasi resultat quoddam ens, & compositum per accidens, cuius quasi materia est obiectum illud commune, & forma, intellectio præscindens. Vniuersale verò denominatiuè acceptum est solum obiectum, sola natura, sola formalitas præcisa, quæ dicitur, ac denominatur vniuersalis, abstracta, præcisa, & cognita: & sane in hac formalitate stare essentiam integram vniuersalis, nimirum ibi esse vnitatem, aptitudinem ad plura, & de ipsis prædicabilitatem, ac finaliter huic vniuersali denominato conuenire definitionẽ supra ab Aristotele traditam, commonstrandum est inferius. 501

Vbi verò vniuersalia sint modo, planum fit ex dictis, nam si quæritur vbi sit vniuersale fundamentale? dicendum id esse à

parte rei, & esse res singulares, quæ vel digito possunt demonstrari; nempe Petrum Ioannem, Bucephalum, & reliqua animãtia, & entitates, quæ omnia, minus cõgruè vniuersalia nominãtur, & proprius dicũtur materies, & fundamenta ad vniuersale formandum; sicut non bene appellabitur vas, aut calix, argenti, vel auri quoddam rude fragmentum, quod melius dicitur materiã esse ad calicem, seù aliud vas affabre construendum; materiam ergo vniuersalis intelliges, cum audieris vniuersale fundamentale esse à parte, id nomen vulgo concede, vel eius vsum, aut abusum, scientiam tibi reseruando.

502 Quod si quæratur vbi sit vniuersale formale responde ex *S. Thoma* alibi sæpe, & super 1. periher. lect. 2. & 10. præsertim à §. *concludit*, & *Aristotele*, & communi sententia assumi solere ab intellectu ex rebus existentibus à parte rei, & in eodem conseruari obiectiuè, quasi præcisũ, & à rebus truncatum non aliqua vera sectione, sed sola consideratione, ac tandiù ibi perdurare, quamdiù ista durat repræsentando illud. & quoniam vbique reperitur vniuersale identificatum cum aliquibus singularibus: et vbique potest à quolibet humano intellectu ibi existente, aut existere potente, abstrahi, dicemus inferius connumerari inter proprietates eius, esse posse vbique. dicit verò frequenter *S. Thomas vniuersale esse in anima*, idest obiectiue in animæ intellectu. lege *S. Doctorem* de ente, & essentia cap. 4. hæc omnia pulchre differentem, et 1. par. quæst. 8. art. 4. et ibi *Aristotelem*.

S.Thom. Aristotel. S.Thom. Aristotel.

SECTIO II.

Colligit ex dictis, & probat authoritate, & ratione efficaci vniuersalia esse Res, non Voces, nec formales Conceptus, & cum rebus singularibus esse identificata, & multiplicata realiter, & ab eisdem sola ratione distingui cõtra Doctores Nominales, Scotum, & Platonem; *vbi quo modo ab intellectu fabricentur.*

EX dictis infero primo cum communi Realium Philosophorum Schola sequuta *Aristotelem* in 1. Periher, cap. 5. & sæpe alibi, vniuersalia esse res, rationesue reales præcisas à rebus, quæ sunt à parte rei, non verò voces, aut nomina, vt refertur sensisse Philosophos Nominales (qui ita vulgo nominantur, quia ferè omnia reducebant ad voces, & nomina, de quibus videndi sunt *S. Thomas* in Opusc. 55. & *Conimbricenses* in Præfat. *Porphyrij* q. 1. artic. 2. vbi eorum Antesignanus dicitur esse *Guilielmus Otham*, discipulus *Scoti*, sed Scholæ Nominalium *Venerabilis inceptor* nuncupatus, quoniam dixit *Aristoteles* Author noster supra in illo cap. 5. lib. 1. Periher. *rerum alia vniuersales, alia particulares, dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est*. Vnde ibi in sua lectione 10. sic interpres *Thomas, si attendantur*, inquit, *verba Aristotelis, ipse non diuisit nomina in vniuersale, & particulare sed res*.

Aristotel. S.Thomas Aristotel. S.Thomas

Et ratio euidens huius illationis est; etenim illud est vniuersale, quod conuenit rebus, de quibus prædicatur, sed res conueniunt rebus, de quibus prædicantur, & non voces, ergo illæ sunt vniuersales & non hæ. minorem vides, dum dicis *Petrus est animal, leo est animal*; vbi ratio animalis conuenit eis subiectis, non autem nomen *animal*. & confirmatur ex regula Logicæ docente omnẽ *prædicationẽ bonam fundari in identitate prædicati cum subiecto*. & ideo *S. Thomas* de ente, & essentia c. 4. *prædicari conuenit generi per se cum in eius definitione ponatur, prædicatio enim est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis, & diuidentis, habens tamen fundamentum in re ipsã vnitatem*, idest identitaté eorũ, *quorum vnum de altero dicitur*, ea vero, vt manifestũ est, nõ possunt esse voces aut nomina, quoniã hæc identificari nõ possũt cũ subiectis, de quibus vniuersalia dicuntur. 503

S.Thomas.

Quocirca meritò inuectus videtur *S. Anselmus* lib. de Incarn. Verbi c. 2. contra Nominales alios scribens sic prope finem. *cautissime ad sacræ paginæ quæstiones accedẽdum sunt cõmonendi, illi vtiq; nostri temporis Dialectici, imo Dialectica heretici, qui quidem nõ nisi flatum vocis putãt esse vniuersales substãtias, qui enim nõ dũ intelligit quo modo plures homines in specie sint vnus homo, qualiter in illa secretissima & altissima natura cõprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est*

Aristotel.

est perfectus Deus, sint vnus Deus, atque
eadem ratio conuincit vniuersalia non es-
se singulares rerum intellectuales concep-
tus, quos dicebamus supra vniuersales in
repræsentando, siquidem falso affirmatur
*Petrus est conceptus, quo concipitur ani-
mal*. Nominalium fundaměta habes apud
Conimbr. vbi supra. ea ego prætermitto,
quia firma non sunt; & ex dictis, ac dicen-
dis facile diluentur.

504 Infero secũdo vniuersalia formalia à parte
rei & ante operationẽ intellectus nõ esse,
neq; distingui a singularibus aliquo modo,
aut genere distinctionis, sed cum illis om-
nino identificari, ita quod vniuersale, &
singulare in re, nullo modo sint duo, sed
omnino vnum singulare, & idem; id quod
Aristotel. docet vbiq; *Aristoteles* legatur 1. Poster.
cap. 18. & 19 vbi ait *vniuersale nihil esse
præter singularia*. & idem repetit 7. me-
taph. cap. 13. textu 45. & 1. de anima tex. 8.
dicens *vniuersale aut nihil esse, aut po-
sterius esse*, idest nullo modo esse vniuer-
sale à parte rei à singularibus distinctum,
nisi post præcisionem intellectus, qui fa-
cit in rebus vniuersalitatem, vt commen-
tantur ibi *Auerroes, Magnus Albertus*, &
S.Thom. *S. Thomas*, qui rem hanc stabilit optimè
de ente, & essentia, cap. 4. vbi allegat
cõmentatorem *Auerroem*, & *Auicennam*
Mauros famosos, olim in Bætica florentes
& *Opusc* 55. *super* 1. *Perihér. lectione sua*
S.Thoma. 3. ita scribit de vniuersali, *Hoc secundum
suam abstractionem non subsistit realiter
Aristotel. secundum sententiam Aristotelis, sed in
solo intellectu*. lege per otium eundem
Aristotelem in 7. metaph. textu 41 iuxta
cuius mentem ibi & *super* 1. *Perihér.* lect.
S.Thomas. 10. *S. Thomas* loquutus est dicens, *prop-
ter hoc Philosophus dicit in 7. metaph.
quod si essent species rerum separatæ sicut
ponit Plato, essent indiuidua*. Consonant
innumerabiles Authores,něpe quotquot
aduersantur *Scoto*, & *Platoni*. & qui al-
legati sunt num. 450.

Ratio verò doctrinæ communis ea
est, quoniam ante præcisionem intel-
lectus, nihil est in rerum vniuersa natu-
ra, quod singulare non sit; vt patet fa-
cto ascensu à minimo terræ pulusculo
vsque supremum, singularissimũq; Deum:
singularia sunt elementa, insensibilia om-
nia, & item sensibilia, bruta, rationalia,
Angeli, Cælum, & quidquid Cæli, aut
vniuersi ambitu cõtinetur: quidquid enim
existit habet certam entitatem, ac deter-
minatum esse, ac proinde singularitatem
certam ac determinatam, vel ipsis exter-
nis sensibus patentem: & ideo sapienter 505
dixit Boetius ex *Arist.* cap. 9. 2. Post. vbi *Aristotel.*
allegatur à *S. Thoma* Opusc. 42. capit. 2. *S.Thom.*
quod est, ideo est, quia vnum numero est;
& 55. tract. 1. *vniuersale esse singulare,
dum sentitur*, nimirum aliquo externo
sensu vt visu, aut tactu, aut alio, quibus
fermè patent corporea omnia, quæ sunt à
parte rei, Ergo vniuersalia formalia non
sunt à parte rei aliud præter singularia. &
confirmatur hæc ratio, quoniam ante ope-
rationem intellectus nihil est, quod sit
vnum aptum esse in pluribus, in quibus
realiter crescat, & multiplicetur; ergo à
parte rei formale vniuersale non est.

Verumtamen pro statutæ veritati huic è
Nostris opponuntur *Scotus*, & *Scotistæ*,
quos infra cum fundamentis suis refelle-
mus, ex Gentibus autem *Plato*, vel *Xe-
crates* (si credendum magis est S. *Augu-* *S. Augustin.*
stino in lib. 7. de Ciuitate Dei cap. 28.
quam *Aristoteli*) cum aliquibus antiquis *Aristotel.*
Philosophis, quos & refert *Plato* ipse in
Theeteto, commenti sunt latitare *in Con-
cauo Lunæ vniuersalia separata à singula-
ribus*, quæ vulgo vocant *Platonicas, ideas*
atque ibidem esse rerum omnium species,
nempe vnum primum hominem, vnum
primum leonem, & sic cæteras, quas ap-
pellabant *Autohominem Autoleonem*; &
sic respectiuè reliquas; sed isti veteres
Philosophi, quicunque ij sint, implicato-
ria dicunt; quia si homo separatus existit,
simul erit communis pluribus, & non erit;
erit quidem, quia vniuersale est; & non
quia aliunde debuit esse singulare; siqui-
dem separatum, & solitarium potuit exi-
stere à parte rei, sed consulantur *S. Thomas* *S.Thom.*
1. par. quæst. 55. art. 1. ad 2. & in commen-
tario ad locum Philosophi citandi. & *Ari-
stoteles* 1. metaph. cap. 6. & 37. & lib. 7. *Aristotel.*
cap. 8. vbi errorem illum attribuit Magi-
stro suo *Platoni*, iure an iniuria, videri-
tis apud *Conimbricenses* in Præfat. *Porph.*
quæst. 1. art. 3. illud est certum, efficaci-
ter illic impugnari ab *Aristotele*. nos ad
vtiliora transeamus.

Infertur Tertio ex doctrina sectionis 506
huius, & præcedentis, vniuersalia forma-
lia ab inferioribus distingui solum per in-

 telle-

tellectum distinctione rationis ratiocinatæ; quare homo, siue natura humana facta vniuersalis ab intellectu, illam præscindente à Petro, & Paulo, est quædam formalitas distincta ab eorum singularitatibus, vel differentijs, quas illa respicit respectu transcendentali, qui respectus relatiuus cum sit, nequit consistere minus, quam inter duo aliquo modo distincta.

Probant illud consectarium primò illa omnia, quæ supra in quæst.1. probarunt fieri posse ab intellectu innitente fundamentis illis tribus, aut quatuor ibi expositis, eiusmodi distinctionem, & quæ afferemus inferius in Sect.6. contra quosdam, qui vim distinguendi negarunt intellectui; & quæ fusè probant item infra in Sect.9. interesse relationes transcendentales, inter vniuersales naturas, & eorum singularia. Secundo confirmant id ipsum cum S.Thoma omnes illi Doctores allegati supra num.490. & speciatim in materia præsenti de vniuersalibus agnoscunt distinctionem solam rationis inter ea, & singularitates eorum, S.Thomas Opusc. de natura generis cap.9.1.par.quæst.50. art.2.& 4. & in 1. dist.25. quæst.1. art.1. & quæst.6. de verit. art. 2. & alibi frequenter, quem imitantur Thomistę, Capreolus, Ferrara, Hispal. Caiet. Henricus, & plerique Recentiores.

S.Thom.

S.Thomas.

Distinctio ista metaphysica, quæ contingit inter gradus metaphysicos præsentes, siue inter vniuersalia, & eorum differentias, facilius capietur, si ostenderimus modum, quo procedit noster intellectus in fabricando vno, vel altero vniuersali: procedit autem sic fabricando speciem: nempe videt, & animaduertit Petrum v.g. cõuenire cum Paulo in plerisque nimirum in eo, quod vterque intelligat, & amet, sentiat, & ratiocinetur; diffidere item aduertit vtrumque in aliquibus, vt in figura, magnitudine, colore, loco, & alijs, quæ propria sunt vniuscuiusque; in quo negotio maximè adiuuatur intellectus à sensibus præsertim ab oculis, *causa vero est*, ait Aristoteles 1. metaph. cap.1. *quod hic sensus vnus ex omnibus maximam nobis rerum cognitionem afferat, multasque differentias ostendat*, & ideo dicitur veteri prouerbio, *nihil est in intellectu. quod prius non fuerit in sensu*, & continuo idem intellectus abstrahit, siue præscindit illorum hominum conuenientiam nulla pro tunc ex meritis præcisionis, cognita differentia, sed solitarie cognoscens *naturam humanam*, hoc est principium sentiendi, & ratiocinandi, quod ab effectibus, & operationibus prius olfecerat illis inesse, & hoc modo facit illam vtrique communem, ac prædicabilem de vtroque, & de alijs hominibus quibuscumque; ecce ea ratio communis, quæ est *homo*, est species, & vniuersale vnum aptum esse in pluribus numero differentibus.

Aristotel. S.Thom.

S.August. inf.n.1113.

Atque proportione sua, & modo procedit intellectus in fabrica cæterorum quatuor prædicabilium; & aliarum rationum communium, vt pulchre nos docuit S.Thomas allegandus sect.6. legendus 1. Periher. cap.5. lect. sua 10. ea vero facit aliquando ductus, & instructus solo lumine naturæ, siue Logicæ naturalis; aliquando, & fælicius ductante doctrina, & arte, quę sunt regulæ Logicæ realis docentes efficere vniuersalia, quas præclarè produximus infra à num. 762. & alibi frequenter. 507

S.Thom.

Quarto, & vltimo infertur vniuersale, quod dicitur vnum aptum esse in pluribus, debere esse naturam communem, vnam quidem, sed multiplicatam simul, nec tantum successiue: vel saltem multiplicabilem à parte rei per plura inferiora realiter, vel quasi, distincta, ita quod Petrus v.g. quod est inferius ad hominem habeat naturam humanam Physicam numero differentem à natura Pauli, & ita reliqua indiuidua humanæ speciei; ex quo necessario fit plures homines habere plures naturas similes quidem, sed non vnicam eandem numero à parte rei, illis omnibus communem. hoc enim est admirabile, & quod tantum potuit reperiri in Trinitatis mysterio, vbi vnica indiuidua natura independenter ab intellectu est communis, & communicata personis tribus, quæ propterea, licet aliunde sint tres, sunt vnus Deus propter vnitatem singularis naturæ, & catholice dicuntur tres habentes naturam vnam, non tres, secut multo est in hominibus tribus, qui dicuntur habere naturas tres, quoniam natura humana præcisa, est tantum vna per intellectum, & sic à parte rei multiplicatur realiter, & crescit pro numero singularium.

Quando autem à Doctoribus homines, & 508

& similia indiuidua dicuntur in re esse eiusdem naturæ, vel habere eandem naturam, intelliges eos homines habere similem, vel si eandem non numero, sed specie naturam; nam simili modo dici etiam solent gemelli duo, ac duo ætate pares, & duo, qui æqualem habent magnitudinem, & figuram, habere eandem ætatem, eandem magnitudinem, & figuram; cum tamen certum sit vnicuique inesse in re propriam distinctamque ætatem, magnitudinem, & figuram, numero ad minus differentes. quo sensu item loquutum se esse
Aristotel. ait *Aristoteles* 1. Poster. c. 8. agens de communissimis principijs scientię, quæ vocaret eadem, siue communia dicens, *appello autem hoc loco cōmunia, siue eadē propter similitudinem, per quā pari ratione multis conuenire posse cernuntur.* vide *Augu-*
S. August. *stinum* lib. 13. de Trinit. c. 2. t. 3.

SECTIO III.

Respondet ad fundamenta subtilis Scoti, & Sectatorum eius, qui inter Vniuersalia, & eorum differentias distinctionem mediam; & Fautorum ipsius, qui inter Diuina distinctionem virtualem interesse a parte rei, passim adstruunt.

SCotus Doctor subtilis propter eximiū ingenij acumen vulgo nuncupatus, in 7. metaph. quæst. 16. & 1. sent. distin. 8. quæst. 4. & alibi sæpe, & ferè omnes eius Discipuli, & sectatores, qui sunt plurimi & sapientes, vt vides supra nu. 492. opinati sunt naturas vniuersales a parte rei distingui à singularibus, siue ab eorum differentijs, non quidem realiter, inquiunt, vti distinguuntur duæ res, neque solum formaliter, quia hoc solum fit per intelle
509 ctum, sed ex natura rei, distinctione quadam media inter distinctionem realem, & rationis; quasi perinde non valeret, nec idem esset, vt nos supra à num 490. cum S. *Thoma* & multis alijs Doctoribus monstrabamus, *distinctio realis, ac distinctio reperta à parte rei.* Sed *Scoti* mens, & sententia ex suis proponendis fundamentis fiet euidentior.

Scoto vero, mea quidem, & grauium Doctorum sententia, re ipsa, si non assentiuntur, maxime fauent grauissimi Doctores, qui prolixè allegati fuerunt sup. n. 493. quatenus tractantes Diuina, propter rationes & fundamenta *Scoti*, ibi introduxerunt in re virtualem distinctionem actu tantam, vt à parte rei verificentur hæ, & similes propositiones, *relatio verbi producitur. essentia verbi non producitur, relatio vnita est humanitati, & essentia non.* & quoniam fundamenta horum Doctorum, vel sunt eadem cum Scoti fundamētis, vel ipsis consentanea, cum eisdem à me commiscentur.

Primum ergo Scoti, & eorum fundamentum est. illa omnia distinguūtur à parte rei, & ante operationem intellectus, quibus à parte rei conueniunt prædicata contradictoria; sed naturæ vniuersali, & singularitati conueniunt prędicata contradictoria, à parte rei; ergo natura, & singularitas distinguuntur à parte rei, & ante operationem intellectus. maior propositio, est euidens. minor probatur; quia primo natura est communicabilis; secundo habet aptitudinem saltem remotam vt sit in pluribus; tertio natura humana v.g. est principium sentiendi, & intelligendi, & amādi, siue est animal rationale; singularitas verò nihil horum est, sed est omnino incommunicabilis, inepta vt sit in pluribus, & omnino sterilis, Petreitas enim non est principium sentiendi, neque intelligendi, sicut nec est animal rationale. ergo natura, & differentia duo distincta sunt à parte rei. (& similes contradictiones obijciuntur de Diuinis ab illis Theologis fautoribus Scoti, vt probent suam distinctionem virtualē dictam, sed quæ sit actu inter Diuina). 510

Et confirmatur id ipsum primo. quoniā ea, quæ essentia, & definitione diuersa sunt à perte rei, duo distincta sunt ante intellectum, sed ita sunt homo, & Petreitas, & animal, & rationale, ergo ea duo destincta sunt ante intellectum à parte rei. Minor fit euidens ex dictis, siquidem homo est animal rationale, Petreitas verò modus singularizans; & animal definitur esse principium sentiendi, & viuens sensibile; rationale autem principium intelligendi, quæ definitiones definiunt definita plusquam specie distincta. Confirmatur secundo, etenim quæ semel distin-

cta fuerunt essentialiter, semper eandem distinctionem retinêt;ergo si apud vtrimq; disputantes, post operationem intellectus animal, & rationale inter se distinguuntur essentialiter, signum est ante intellectum iam fuisse distincta, siquidem intellectus mutare nequit essentias rerum,neque efficere vt differant essentialiter, quæ antea à parte rei erât indistincta,&omnino vnius, & eiusdem essentiæ.

511 Postulat obiectio hæc, vt solutio ipsius, & subsequentium, melius capiatur, declaremus breui vsum quorumdam terminorum, & nominum, quorum nonnulla dicuntur *primæ intentionis*, quia imposita sunt ad significandas res, prout sunt à parte rei; alia vero dicta sunt *secundæ intentionis*, quia res significant vt præcisas ab intellectu. primi generis sunt hæc, & similia. *Entitas hominis. realitas animalis.res quæ est singularis. Petrus. entitas naturæ, & item res. entitas. realitas. hoc ens. quidam homo*. Posterioris vero generis sunt ista,*essentia.natura. differentia singularitas. Petreitas.* & huiusmodi, quæ quidem nomina significant res, quæ sunt a parte rei, sed non eodem modo, quo illæ sunt à parte rei, sed alio differenti, nempe vt præcisas ab intellectu,quo modo non sunt in se à parte rei, sed solum intentionaliter, idest obiectiue in intellectu. quare dum aliquis vsurpat vocabula posterioris huius generis,& adhuc dixerit se loqui de rebus non solum, quæ sunt à parte rei, sed eas intelligendo vt sunt a parte rei,semper dicet falsum, & negandum erit suppositum, supponit enim se loqui de rebus, vt sunt à parte rei, & non vtitur terminis significantibus eas, vt sunt à parte rei, sed terminis abutitur. His expositis.

Respondeo ad primum fundamentum Scoti,concessa maiori,negando minorem, vel suppositum eius; ad cuius probationem dico illa prædicata conuenire naturę, & opposita seu contradictoria conuenire singularitati intellectis, ac præcisis, prout scilicet eis nominibus significantur,quibus non significantur, vt sunt à parte rei natura, & singularitas; quod probandum, & non supponendum fuit ab *Scoto*; sed vt præcisæ, & distinctæ iam ab intellectu; quo modo non est inconueniens, sed omnino necessarium verificari de natura, & singularitate,prædicata contradictoria,nedum prædicata essentialiter distincta; & definitiones plus quam specie differentes, quod sic adhuc contendat *Scotista* nominibus illis *natura*, & *singularitas*, significare res, vt sunt à perte rei, negandum est pleno ore suppositum, quia omnes illæ conglobatæ suæ propositiones, sunt de subiecto non existenti, vt illis nominibus effertur; quia nomina loquuntur de duobus, siue significant à parte rei esse duo naturam, & singularitatem, quæ tamen non sunt nisi vnum, & idem in re, & tantum quasi duo per intellectum, & post illum: ideo negandæ fuerunt ambæ illæ consequentiæ. & ita me docuit respondere argumento huic S. *Thomas* p. 1. qu. 39. art 2. vbi ostendit ad verificandas propositiones oppositas satis esse distinctioné rationis, seu factam ab intellectu.consentiũt plerique Theologi, vt legis infra à n.626. 512 S.Thomas.

Quod si propositiones illas ita componeres, vtendo, nimirum, terminis significantibus res, prout sunt à parte rei, ac diceres, *entitas naturæ Petri est communicabilis multis, & apta eis inesse. entitas singularitatis eius, non est communicabilis multis, sed inepta eis inesse*, non possent verificari prædicata contradictoria; quia similia de eodẽ vno verificari est impossibile; sed priores duæ, & similes falsæ forent, vt patet consideranti: posteriores vero veræ. Similiter est vera hæc propositio. *entitas Petri est principium sentiendi, & ratiocinandi*, & eius contradictoria nempe, *entitas Petri non est principium sentiendi, & ratiocinandi*, est falsa, & ita de reliquis dicendum. vnde non conuincitur naturas vniuersales,& earum differentias aliquo modo discretas esse,aut duo esse à parte rei, sed omnino esse eandem rem singularem. atque ex dictis facile diluetur argumentum illorum Theologorum.

Ad primam confirmationem concessa maiori, nego suppositum minoris, ad cuius probationem patet ex dictis paulo supra responsio. ad confirmationem secundam, distinguo maiorem, quæ semel distincta sunt essentialiter, semper ita distincta manent, dum ambo perseuerant, & manent,& sic concedo maiorem quãdo ambo non perseuerant, nec manent, & quia tantum in intellectu existunt quasi duo effecta, *natura*, & *singularitas*, ideo

ibi

ibi retinent distinctionem essentialem inter se, quæ tamen à parte rei disparet, & non est, quia illa iam amplius non sunt duo, sed vnum, & idem; habere autem
513 intellectum vim hanc distinguendi, quę indistincta sunt, non negat Scotus, nec distinguendo res in eas formalitates, ipsas intellectus corrumpit, aut immutat; quoniam eiusmodi distinctio, seù sectio solum consistit in limitata quadam cognitione non penetrante omninò rei totam essentiam, sed in ea cognoscendo conuenientiam illius cum alijs, non cognitis differentijs; ex qua quasi sectione resultant formalitates, quasi denuo factæ, denuo habentes varias essentias formales, quod cõtingit manentibus omnino eodem modo, & integritate eadem, rebus, quæ sunt à parte rei, & à quibus similes formalitates abstractæ fuerunt: quare licet intellectus nequeat mutare essentias rerum, potest illas non mutando, ex illis abstrahere, ac denuo efficere formalitates plures, & inter se valde differentes, sed rebus à quibus abstrahuntur conuenientes. memini legisse hoc alicubi in S. Doctore. S.Thomas

Præterquamquod huic argumento cum illis suis replicis, & confirmationibus, tenetur respondere stando in sua opinione Scotus. Probo euidenter. putauit Scotus vti debuit, vt euitaret infinitum processum in suis istis gradibus ex natura rei distinctis, & delyrium Platonis, qui posuit naturam humanam in re sine vlla differẽtia; & ne turpiter erraret ponendo à parte rei naturam Petri esse tuam, & meam, & reliquorum hominum vnam numero formaliter, aut fundamentaliter, quod est mirabilius Trinitatis mysterio, putauit, inquam, naturam Petri habere à parte rei quasi duas differentias numerales, & singularē dici titulo duplici, altero quasi extrinseco, intrinseco altero; nempe dici singularem propter Petreitatem à natura cõdistinctam, & propter hæcceitatem, quasi inchoatam, & fundamentalem, seù differentiam qualemcunque omnino intrinsecam & eandem cum ipsa natura; vnde consequenter collegit, & dixit Scotista Fonseca allegandus num. 618. 620. tot esse numero distinctas naturas humanas à parte rei distinctas ex natura rei à differen-
514 tijs, quot sunt homines.

Ad punctum ergo dicat Scotus, si melius potest, & scit, vel de eius mente, qui vellit, quo pacto, & quibus terminis loqui nos oporteat à parte rei de illa natura Petri affecta, & identificata, non iam cum Petreitate, sed cum hæcceitate fundamentali, & propria differentia; & si licebit loqui de illa existente singularizata à parte rei. terminis significantibus eam, vt præcisam à sua differentia; vel ad huiusmodi loquutionem expectanda sit intellectus operatio, vt videtur omnino necessarium; nam qua ratione dicemus naturam illam vnam esse duo. antequam facta sit duplex formalitas de illa? Deinde dicat Scotista quî fiat, vt post præcisionem intellectus abstrahentis naturam Petri ab omni differentia puram, resultent quasi duo nempè vniuersalis natura ex parte vna, & hæcceitas ex altera? quibus conueniunt sine dubio prædicata contradictoria; natura enim est communis pluribus & apta eis inesse, hæcceitas vero nil horum est; sed omnino contradictoria. quare licet subtilis videatur ista opinio, solido fundamento caret, quia nullum probat Petreitatem ex natura rei distingui ab eius natura, quod simul non conuincat, si conuincit quidquam, hæcceitatem quoque illam inchoatam, & quasi fundamentalem distingui cũ infinito processu. vt demonstratur iterum atque iterum infra.

Secundum, & præcipuum Scoti fundamentum est, impossibile est differant duo per eandem omnino entitatem, sed Petrus, & Paulus conueniunt, & differunt, ergo conueniunt per suas naturas, & differunt per singulares differentias suas: ergo à parte rei in eorum quolibet sunt duo distincta, nimirum natura, & singularitas. Ego respondebo argumento, quamdo eidem fermè responderit Scotus, volo prius discere ab ipso responsum. sic argumentor, impossibile est differre duo, & conuenire per idem? sed naturæ illæ duæ condistinctæ ex natura rei à Petreitate, & Pauleitate conueniunt, ac differunt, ergo in ipsis adhuc sunt distincta alia duo, nempe naturæ, & aliæ hæcceitates, & sic fiet processus in infinitum, si negabitur minor.

Respondeo tamen pro me, & Scoto negando maiorem, quia, vt me docuit S.Thomas Opusc. 48. cap. 2. initio, potest eadem entitas esse causa, & ratio conueniendi, & differendi; hæc enim conuenientia, & differen- S.Thomas

ferentia, quæ exercetur inter entitates à parte rei, consistunt in quadam maiori, & minori similitudine, siue in similitudine, & dissimilitudine earundem in se, aut
515 in operationibus suis; similitudo autem, sicut & dissimilitudo minus, quam inter duo realiter, vel saltem ratione distincta, esse non potest, quia relatio est; & consequenter eadem entitas comparata cum alia, potest cum ipsa conuenire, & per semetipsam differre; sicut & esse similis, & dissimilis.

Exempla tria communiter recepta rem illustrant. duo sunt paria, tertium est à contrario sensu quodammodo. primum est *ens in communi*, quod dicitur analogũ, quia simul est ratio conueniendi, ac differendi. Secundum est *sensus communis*, qui per suam entitatem conuenit cum visu in eo quod sensus is vterque percipiat colores; & per eandem distinguitur ab eo, quia ille vlterius percipit sonos, quos non videt visus; & quidem *Scotus* ipse, vt supra adnotabam, concedere tenetur eandem naturam Petri, vt distinctam sua illa distinctione media, secerni ex natura rei per semetipsam à Petreitate, & rursus conuenire item persemetipsam cum alijs naturis cæterorum hominum, dato quod ipsa natura non exerceret quoque rationem differendi cum illis alijs naturis, vt re vera exercet; siquidem ab eisdem numero distinguitur per propriam quasi hæcceitatẽ, seù differentiam naturalem identificatam secum.

Scoto possumus concedere esse non posse inter duo rationem aliquam communem vniuocam plus quam rationem conueniẽdi, vt est animal, per quod conueniunt homo, & equus, sed non differunt; & vt est natura diuina, duæ quia vna numero est in tribus personis, per ipsam eæ conueniunt, sed non differunt, ratio huius est, quia animal illud hominis non est simile animali equi, sed idem; & diuina natura Patris est omnino eadem numero cum natura Filij, & Spiritus sancti; quando autem ratio conuenientiæ, est ratio, non identitatis, sed similitudinis, & in multis multiplex, credo indubitanter cum *Aristotele*, SS. *PP. August. & Thoma*, & communi, vt habes infra vbi de *Relatione* à num. 831. quod possit esse causa conueniendi, & differendi, ideft multa possunt

Aristot. *S. August.* *S. Thomas.*

conuenire per suas entitates pares, & per ipsas præsertim connotantes aliud sibi vel vnicuique proprium, differre; & hoc fuerit tertium exemplum à contrario sensu.

Pars altera Sectionis reliqua Scotistarum fundamenta diluit.

Tertium fundamẽtum. est id quod per se ipsum, & non per aliud à se distinctum, est singulare, nequit fieri vniuersale ab intellectu; sed natura humana v.g. potest fieri vniuersalis, ac de facto fit; ergo per se ipsam non est singularis à parte rei, sed per singularitatem sibi quasi extrinsecã, siue ab eà condistinctam ex natura rei. Maior suadetur, qui natura diuina non potest fieri vniuersalis, non alia de causa, nisi quia per semet ipsam est singularis. Respondeo distinguendo sic maiorem, id quod per se ipsum est singulare, idest essentialiter, siue per suam formam, & essentiã, nequit fieri vniuersale, concedo maiorem; id quod per se ipsum est singulare materialiter, identicè, & realiter solum, nequit fieri vniuersale, nego maiorem; est quidẽ natura humana à parte rei realiter, & identicè singularis, & omnino eadem cum sua singularitate; sed tamen non ita identificatur illa natura cum sua singularitate, vt in quocunque statu, & euentu, eam essentialiter debeat includere, vt propriã essentiam, aut vt prædicatum inclusum formaliter, si enim illam includeret, esset non solum realiter, sed essentialiter singularis, & deputari non posset omnino à differentijs; & sic inepta foret, vt fieret vniuersalis, instar naturæ diuinæ, quæ quia est ob suã infinitam eminentiam essentialiter singularis, & non tantum identicè, aut realiter, nequit fieri vniuersalis. Huic etiam argumento debuit respondere *Scotus*, & dare disparitatem, cur portio naturæ Petri condistincta à Petreitate singularis cum sit à parte rei, & omnino identificata cum natiua sibi inchoata hæcceitate, possit in sua opinione fieri vniuersalis, & in nostra, quę non identificat magis naturam ipsam cum Petreitate, quam ille cum sua illa quasi hæcceitate, fieri non possit? 516

517 Quartum fundamẽtum pro *Scoto* potest esse: quoniam à parte rei in Petro datur aliquid, cui conueniat aptitudo remota vt

vt sit in pluribus; sed hoc non potest esse Petri singularitas; ergo eius natura est: natura ergo distinguitur à parte rei à sua singularitate, & confirmatur, quia dici debet quod Petrus à parte rei sit aptus ad essendum in pluribus eisque communicabilis, ratione naturę suæ, & ineptus ad essendum in pluribus, eisque incommunicabilis ratione singularitatis; quemadmodum dicitur à Theologis entitas Patris diuini communicabilis ratione naturæ diuinæ, & incommunicabilis ratione Paternitatis; & odium Dei habere priuationem debitæ rectitudinis genericæ, qua id est actus humanus potens esse bonus, & rectus, & posse fundare similem priuationem à parte rei, & recipere differentiam boni actus charitatis.

Respondeo negando maiorem; cum enim à parte rei non dentur nisi Petrus, Paulus, & entitates singulares, & vt tales reduplicatiuè vt ostendam inferius in Sect. 13. omnino incommunicabiles; omnino explodenda est aliqua, vel remota aptitudo ad esse in pluribus, vt in eadem illa Sect. monstrabo contra quosdam hic *Scotum* reijcientes, illic scoturientes.

Ad cōfirmatioem negandum est suppositum; quia in Petro non existunt ratio naturæ, & ratio singularitatis, vt ijs nominibus significantur, nempe quasi duo; sed valde differenti, nempe quasi vnum, & omnino idem. simili modo dicendum ad exempla Theologica, de quibus iterum redibit sermo infra in Sect. 7. *in residue sectionis*. sed tamen hic addendum illam propositionem simpliciter prolatam *Entitas Patris est communicabilis à parte rei*. veram esse, illam vero falsam. *Entitas Patris est incommunicabilis à parte rei.* quoniam entitas Patris est Deus à parte rei trinus & vnus, vna & trina entitas, vti declaramus inferius num. 626. & 627.

518 Sed vrges à parte rei, & independenter ab intellectu, hæ propositiones sunt verę, & æternæ veritatis. *Petrus est homo. Ioannes est animal. Antonius est rationalis*. ergo à parte rei ea tria prædicabilia distinguuntur aliquo modo à subiectis, ac dantur in re eo modo, quo significantur per illos æternos terminos. Respondeo eas, & similes propositiones veras esse, & æternæ veritatis secundum res significatas, non secundum modum, & terminos, secundū quos significantur, quia ij temporales sunt, & ad significandum contingenter impositi. nam vere dantur illæ res, de quibus loquuntur cum illis perfectionibus realiter secum idētificatis, sed modū, quo à nostris terminis significantur, non habent, idest in re prædicata non sunt distincta à subiectis, quo modo, & distinctione à nostris loquutionibus significantur; quare vt sic significētur expectarunt, aut passæ sunt illę res contingentem pręcisionem intellectus, & ideo propositiones secundum suum modum significandi, non sunt æternæ, sed contingentes. lege quæ dicemus infra in Sect. 7. circa finem.

Quintum fundamentum quorumdam Iuniorum est hoc dilemma, quo deterrent Tyrones, etenim Petrus à parte rei vel est essentialiter animal, vel non est essentialiter animal, sed habet negationē animalis, si dicas hoc secundum, dicis absurdum; si primum, habetur intentum; & iam Petrus à parte rei, & ante distinctionem rationis, seu factam ab intellectu, habebit partem essentialem, quæ sit animal distinctam ex natura rei, seu virtualiter à rationali.

Respondeo illam priorem propositionē in sensu *Scotistis* acceptam, esse falsam; quia sic facit hunc sensum, Petrus à parte rei est, aut habet animal metaphysicum, ita quod Petrus animali condistincto à parte rei à rationali, & hoc vtroque à Petreitate distincto constet; quod est omnino implicatorium, & oppositum est verū, nempe quod asserit secunda illa propositio *Petrus non est essentialiter animal*, sed potius habet negationem animalis, siquidē manifestum est Petrum non habere animal à suo rationali distinctum; quamuis enim Petrus à parte rei sit essentialiter animal physicum, & realiter, ac identicè sit quoque animal metaphysicum, nequaquam tamen verum est Petro inesse, vt ipsius essentiæ partem animal à rationali aut Petreitate, distinctum à parte rei.

Quinimo quamuis effingeretur Petrus quidam metaphysicus, nempe per opus intellectus quasi cōpositus animali rationali, & Petreitate, ratione distinctis, quod fieri potest ab intellectu, vel etiam ex natura rei, quod vult Scotus, minus legitima videretur, si falsa non est, illa propositio *Petrus essentialiter est animal*, quia 519

pec-

peccat in regula docente non bene prædicari partem de toto; nec enim benè prædicatur pars physica de toto physico, vt patet si dicas. *Petrus est animal*. neque pars metaphysica de toto metaphysico *non enim dicimus* ait S *Thomas*, consulendus circa eam regulam de ente, & essentia c.3. *quod definitio sit genus, vel differentia*. illæ vero propositiones trium vniuersalium. *Petrus est animal*. *Petrus est homo*, *Petrus est rationalis*. quoniam ibi prædicatur, metaphysica pars de toto physico ad idétitatem, vt repetam inferius in Sect.7.circa finem, sunt legitimæ, ac verissimæ.

S.Thomas

Quamobrem ad argumentum magis in forma sic propositum. Petrus essentialiter est animal à parte rei, ergo eius essentia constat animali, & rationali condistinctis ex natura rei; negabis suppositum antecedentis, quod, vt indicat illud aduerbium *essentialiter* impositum ad consignificandum plerumque rei, non vt sunt à parte rei, supponit sermonem esse de Petro metaphysico, seù gradibus metaphysicis constituto; quo modo Petrus non est in re, & sic est propositio de subiecto non existente: propositiones autem de subiecto non supponenti, siue non existente, si affirment, sunt falsæ, si negent, sunt veræ, & ideo opposita illa est vera, *Petrus non est in re essentialiter animal*.

S.Thomas post Lect.4.

520 Postremo objicitur. *vniuersale*, & *singulare* sunt *correlata* sed singulare datur à parte rei, ergo similiter dabitur vniuersale, & sic distinctum actu à singulari, confirmas, quia singulare, & vniuersale sunt contraria, quæ oportet esse sub eodem genere; sicut sunt calor, & frigus; ergo illud vtrumque existit in re ab inuicem discretum. Respondeo concessis maiori, & minori negando consequentiam, etenim singulare, quod alias dicitur particulare, & inferius refertur ad aliquod vniuersale, quod sit in re iam, vel quod possit esse, neque necessario exigere, quod sit distinctum actu à parte rei. ad confirmationem dic singulare, & vniuersale non esse proprie contraria, sed opposita relatiuè, vt dictum est, vnde non requiritur quod sint à parte rei discreta, contenta sub eodem genere. Sane calor in communi, & hoc frigus magis opponuntur inter se, & tamen non oportuit contrarium vtrumque existere à parte rei.

Concludo ergo, & iterum dico cum *Aristotele*, *S. Thoma* & communiori sententia Theologorum, & Philosophorum nullam distinctionem reperiri à parte rei, & ante operationem intellectus inter naturas vniuersales, & eorum differentias, aut singularitates, quamtumuis ea dicatur *media*, aut *virtualis*, dari autem concedo fundamentum in rebus singularibus ad hoc, vt intellectus earum varias conuenientias considerádo abstrahat, formalitatesq; quasi præscindat, & ita distinguat eas ab inuicem, & quasi de nouo efficiat in tantum inter se differentes, vt ipsis postea conueniant prædicata contradictoria, ne 521 dum definitiones differentes; neque oppositum persuadere video ab *Scoto*, seu sectatoribus, quorum fundamentis fuse satis respondimus, & vt credo, solide, an verò solidius, & facilius illis satisfaciant quidam *Nominales Iuniores*, qui negarunt intellectui vim ad efficiendas formalitates & posuerunt vniuersalia esse congeries singularium, indicabo inferius, quando dissoluam ipsorum argumenta in Sect.7.fine. à num. 562. incipiamus iam distinctius, commentari, ac declarare per partes definitiones *Aristotelis*, de vniuersali.

Aristotele. S.Thomas.

SECTIO IV.

Explicatura priorem partem definitionis Vniuersalis, nempe, est vnum, quæ ibi ponitur tamquam genus, tractat breui de Vnitate in generali, ac de ea, quæ competit vniuersali formali.

BEnè vos nostis Discétes optimi, & benè dicitis quamlibet rem huius vniuersi seorsim acceptam esse vnam. Sic Petrum dicere soletis esse vnum hominem, lapidem vnum, solem vnum, vniuersale vnum, ac Deum item vnum, licet aliunde etiam Trinum vocatis, & creditis, docēdi modo estis propter quid rem quamlibet vnam vere nominetis.

S.Thomas 1.p.q.6.a.3.ad 1.

Ergo ratio, ob quam res quæuis vna perhibetur, hoc est vnitas in communi conformiter ad doctrinam *Philosophi* 5. metaph.cap.6 & 10. item metaph.cap.1 & S.*Thoma* ibi l.701. definitur esse *indiuisio rei in plures res*. Et in primis est duplex alia

Aristotel. S.Thomas.

alia dicitur vnitas *fundamentalis*, alia *formalis*. illa est ipsa positiua rei, Petri v.g. indiuisa, sola, & vna substantia, qua de se est homo vnus, & non plures. vnitas verò formalis est quædam negatio Petro quidem quasi annexa, & fundata in ipsius Petri substantia, negans, ac remouens ab ipsa pluralitatem, propter quam negationem ipse est, ac dicitur vnus formaliter: & eiusmodi vnitas definitur *negatio* S.Thomas. *diuisionis in plura*, vti docuit *S. Thomas* 1. par. quæst. 11. art. 1. & 2. & quæst. 30. art. 3. & apud *Vasquez* disp. 128. licet ipse cap. 2. sentiat cum *Bonauentura*. vnitatem consistere in positiuo. lege Opusculum 42. cap. 2. Angelici Doctoris.

522 Deinde vnitas illa prior dicta positiua, & *fundamentalis*, est duplex, alia *physica*, & realis, alia *metaphysica*, & rationis. physica vnitas fundamentalis, est Petrus, & quoduis aliud ens singulare existens à parte rei, etenim omnes, & singulæ entitates ita habent vnitatem, vt vnaquæque sit vnica, & non plures, præter Deum cuius admirabilis entitas est vna simul, & plures, vna & trina, vt cum Sanctis Patribus optime declarat *Ruiz* de Trinit. disputat. 22. & 36.

Vnitas autem metaphysica, siue rationis, est illa, quæ quasi comitatur res, rationesue communes, siue quascumque alias formalitates obiectiuas, quæ non existunt à parte rei, sed obiectiuè in intellectu eas efficiente, & præscindente; qua vnitate est vnus *homo* v.g. idest ratio communis hominis, quia in se, & in suo obiectiuo conceptu non est aliqua hominum singularium confusa turba, vel multitudo confusè cognita, sed quædam de se vna essentia, & non plures, quam positiuam vnitatem metaphysicam, dictam rationis, quia facta est ab intellectu, prætendit nobis declarare *Suarez* & non aliud in metaph. disp. 6. sect. 2. à numero 11. & hanc eandem positiuam vnitatem, quam vocant alij, & merito *formalem formaliter*, idest specificam factam ab intellectu, dicturus sum poni in definitione vniuersalis, ego, qui credo integram essentiam vniuersalis saluari in solo obiecto, & reliqua quę circumstant, aut esse causas efficientes, conditiones, aut impertinentes fictiones.

Tertio vnitas illa alia formalis, quæ à nobis dicta est negatio distincta à rebus, quibus adnectitur, est quoque duplex; alia dicitur vnitas formalis, siue specifica, aut generica; alia est numerica numeralis, aut materialis; vnitas formalis est *negatio diuisionis formæ vnius, vel essentiæ in plures alias formas, vel essentias specificas, aut genericas*, ratione cuius res, & natura quælibet redditur, & est in se vna in tali sua propria specie, & ab eadem excluditur multitudo essentiarum differentium: sic natura humana, v.g. propter vnitatem formalem constituitur vna in tali specie, & indiuisa in species entium cæterorum. Vnitas verò *numerica est negatio, diuisionis quam habet quæuis res singularis in plures alias numero ab ea differentes*, ob quā Petrus est indiuisus in plures numero homines, idest est vnus homo, & non plures homines, vbi obiter nota discrimen inter eas vnitates formales duas, nempe illam dictam duplici titulo formalem (quia est negatio, & quia est specifica) conuenire rebus singularibus, & cōmunibus seù abstractis, vti iam dicam; numericam vero nonnisi singularibus existentibus à parte rei. 523

Aristotel. 5. metaph. cap. 6.

S.Tho. l. 7.

Metaphysici meliores duo aduertūt circa istas negatiuas vnitates cum *Aristotele* 5. metaph. textu 11. & *S. Thoma* ibi, & Opusculo 42 cap. 7. primum est, eas ambas reperiri à parte rei, & merito, quia Ioannes ante præcisionem intellectus non solum est vna entitas indiuisa in plures entitates numero distinctas, sed etiam in entitates in physica specie differentes. siquidē ipse Ioannes ita est à parte rei vnus, vt nec sit plures homines nec plura animantia; atque hoc ipsum habet quodnis indiuiduum nō solum ratione vnitatis formalis, & negatiuæ, verum etiam ratione vnitatis fundamentalis, seù positiuæ; vt manifestum est. secundum est, ambas eas vnitates negatiuas (idem dic de positiuis à fortiori) esse eandem entitatem negatiuam, seù negationem à parte rei, quoniam *non sunt multiplicanda entitates sine necessitate*, cum præsertim vna sola negatio possit exercere illud vtrumque munus à parte rei, sicut de facto illud ipsum exercet vnitas fundamentalis. possunt autem vnitas numeralis, & vnitas formalis ratione distingui, si præscindantur ab inuicem, quod contingeret, si quando præscindimus hominem v.g. à Petro, & Paulo, simul per eundem actum, aut per alium

Aristoteles S.Thom.

alium concomitantem duo vniuersalia faciamus, alterum, quod sit natura humana; alterum quod sit vnitas formalis eius in communi relictis in singularitatibus, vnitatibus numeralibus, veluti inferioribus vnitatis formalis abstractæ; sunt enim illa inferiora huius, quemadmodũ Petreitas, & Pauleitas sunt inferiora naturæ humanæ.

524 Postrema vnitas dicitur *vnitas præcisionis*, quæ item est duplex, altera obiectiua, siue passiua, quę est ipsa natura cognita, & præcisa per vnam cognitionem, vnadicta intrinsece propter se, suamque formalitatem, quam supra appellabamus *vnitatem positiuam metaphysicam*, & *rationis*. Secunda dicitur vnitas præcisionis, quasi actiua, quæ est actus præscindens; & nimis impropriè vocatur vnitas respectu obiecti, quod prescindit, & solum per quandam similitudinem, quam videtur habere cum vnitatibus præcedentibus; etenim quemadmodum illæ reddunt rem suã vnam ab ipsa remouendo pluralitatem; ita suo modo cognitio intellectualis, quia ab vniuersali natura quasi separat, ac remouet singulariũ plurium differentias, illam, quæ alias in re erat multiplicata realiter, solitarie cognoscẽs, & sic vnã cõmunẽ efficiens & quodammodo exercet officiũ vnitatis; & ideo vulgo nuncupatur *vnitas præscindẽs*. explicuimus varias vnitates, ac de alijs, quæ non ita faciunt ad nostrum propositũ, videri possunt vbi supra *Arist.* & *S. Thomas*, videamus nos per quam vnitatem dicatur, & sit vniuersale vnum. Aristotel. S. Thomas

SECTIO V.

Probat Vniuersale in definitione dici sufficienter vnum propter vnitatem formalem positiuam obiectiuam; sed vnum quasi efficienter fieri ab vnitate præcisionis, seu præscindente.

525 VT ab implexa, & satis vtrinque controuersa difficultate facile me expediam, & breui, suppono tria. primum est, eundem effectum formalem prouenire posse, & solere à causa duplici, altera intrinseca, intrinseca altera; nam ego viuo propter Patres meos, ac propter Deũ tanquam propter causas efficientes extrinsecas vitæ meæ, & propter animam meam, quæ mihi est forma intrinseca viua, & causa meæ vitæ. Secundum est, ens per accidens dici; & esse aggregatum ex multis, nempe duobus aut pluribus rebus non vnitis, sed coaceruatim iunctis, aut quasi iunctis. vnde Petrus, & negatio, qua dicitur formaliter vnus, vel etiam natura quęuis vniuersalis considerata cum sibi annexa aliqua negatione formaliter formali, vel aliqua appendenti fictione, vel etiam cum sui ipsius cognitione aut abstractione, sunt entia per accidẽs. Tertio suppono quoduis obiectum intellectus, siue id sit singulare, siue commune, ens per se, aut per accidens, dici in primis, ac denominari posse cognitum, ac deinde larga quadam ratione denominari quoque posse vnum, non tantum ab vnitate sibi intrinseca, vel annexa; sed etiam à cognitione illa vnatum præsertim quando contingat obiectũ quasi fieri vnum ab illo vno actu, illud à pluribus quasi remouente, & sic ab ipso pluralitatem excludente. His tribus præsuppositis ponuntur tres assertiones.

Prima est, *vniuersale esse ac dici sufficienter in definitione vnum genericè propter solam vnitatem formalem positiuam, quæ est ipsa obiectiua ratio, & formalitas cuiusque naturæ factæ vniuersalis*. assertio est ad mentem *P. Suarez* in met. disp. 6. sect. 2. à nu. 11. & Recentiorum plurium, qui docent vniuersalis propriam vnitatem esse formalẽ, & definitionẽ vniuersalis cõuenire vniuersali denominatiuẽ sumpto, idest obiecto intellectualis præcisionis, &

Probatur primo. etenim ipsa ratio forma, & formalitas præcisa, & semel facta vniuersalis, est in se, & per se vna essentia metaphysica, & non plures; vt probant cum *Aristotele*, & *S Thoma*, *Conimbricenses* in præfat. *Porphyrij* quæst. 1. art. 2. & *Amicus* tract. 4. quæst. 1. dub. 3. art. 3. & quæst. 2. dub. 2. art. 3. *dicens id esse communem opinionem Thomistarum, & Scotistarum*. Secundo, quia vniuersale quoduis debet esse res vna, aut *ratio simplex*, vt bene annotauit *S Thomas*, super *Dionys.* de diuin. nomin. c. 7. lect. 5. initio, & consequenter ens per se, nullo modo per accidens, vt sic possit poni in prædicamento: & conuenienter prædicari; quare dum prædicas *animal est vniuersale, vel homo est animal*. nihil negatiuum credo prædicari 526 Aristotel. S. Thomas S. Thom.

cari de animali, neque de homine, & tamen de his subiectis prædicatur quidquid verè vniuersale est, & quidquid ad ipsius essentiam pertinet; veluti ratio generica, aut specifica; præterquamquod, nihil inibi negatiuum prædicatum innotescit eas prædicationes efficienti tibi, nihil ijs medijs nisi positiuum, scis, nil nisi positiuum, nimirum, quod conuenit positiuis subiectis prędicas, sufficit ergo vnitas formalis metaphysica, ad hoc vt vniuersale dicatur vnum, eaque id constituat generis ad instar; vti animal hominem constituit.

Sed Amici nostri, qui nobiscum in assertis substantia cōueniunt, sic nobis objiciūt. non inconuenit concedere vniuersale *animal* v.g. dici, & esse vnum vnitate negatiua; imo consentaneum videtur, & necessario dicendum; quoniam dum abstrahitur animal, & vniuersale fit, concomitantur venit abstracta cum ipso vnitas formalis in communi præcisa ab vnitatibus numericis, vel formalibus, quæ erant à parte rei; vel saltem ex animali semel pręciso resultat ea formalis vnitas, aut negatio, vti ad sectionem lineæ resultat punctum terminans; ergo vniuersale dicitur in eius definitione vnum, non sola vnitate formali positiua, sed etiam vnitate formali negatiua.

527 Negatur antecedens, propter rationes præcedentes, & valeat pro assertione secunda. quoniam ea negatiua vnitas est superflua, & facit ens per accidens definitum; quamuis verum esset, & experientia compertum, quod assumitur, vt persuadeatur antecedens, quod puto, & experior esse falsum; siquidem dum abstraho *animal*, totum abstraho principium sentiendi, in quo, & non in alio prius pręuidi conuenire animalis inferiora, omnino sæpe immemor negationum, siue vnitatum existentium in te: quare mea cognitio abstrahens, nil nisi positiuum repræsentat, neque vnitatis negatiuæ vllius, est signum formale. deinde opinor ab animali præciso non posse resultare vnitatem, nisi illi affingatur; sed manere, quod aiunt, *negatiuè vnum*, ideſt per semetipsum, non per vlteriorem formam; sed nihilominus concedamus cōcomitanter venire cum animali abstracto, quoquo modo vnitatem formalem negatiuam; quid fiet inde contra nos? credo quod nihil, quoniam ea negatio erit proprietas, passio, vel accidens vniuersalis, non quid spectans ad eius essentiam, nec dignum, quod in definitione essentiali vniuersalis apponatur, sicuti vnitas negatiua, aut vbi, siue præsentia Romana Petri, non ponitur in hac Petri definitione essentiali. *Petrus est animal rationale singulare*.

Licet ergo vniuersale sit vnum multis causis, & titulis, nempe propter vnitatem præcisionis, propter vnitatem formaliter, ideſt negatiuam abstractam, & propter vnitatem positiuam, hæc vltima sola digna est, quæ in definitione, vti ratio vniuersalis generica apponatur, quia sufficit, ceteræ omnes multis ex capitibus nō possunt apponi; primo, quia superfluunt, & necessariæ non sunt. Secundo, quia sunt extra essentiam vniuersalis, & ad summum eius affectiones. Tertio quia impediunt vniuersalis simplicitatem, vti superius declaratum est.

Sed vero directè magis se opponunt statutæ assertioni alij Recentiores, qui cū *Petro Hurtado*, & multis Nominalibus existimarunt vniuersale esse non posse vnam formalitatem obiectiuam, sed multorum turbam confusè, & inadæquatè conceptā per cognitionem, non perfectè præscindētem, sed res ex parte cognoscentem, modo declarando in sect. sequenti, vbi ij Doctores cum suis fundamentis referendi sunt, & refellendi, & quoniam ijdem Authores non inueniunt intrinsecam vnitatem in vniuersali, (si tamen re vera vniuersale admittunt) illam quærunt aliunde, & authumant esse vnitatem præcisionis, nempe cognitionē singularium confusam multitudinem, per modum vnius agnoscētem; & in adstruenda eiusmodi vnitate pręcisionis, tanquam proprieri, & de qua fiat mentio in vniuersalis definitione, conueniunt etiam alij plures, qui nihilominus nobiscum formalitates, & vnitatem vniuersalium fundamentalem supra declaratam agnouerunt, contra quos omnes 528

Assero secundo, vel tertio, vnitas præcisionis formalis, ideſt actus præscindens facit quasi efficienter vniuersale vnum, nō formaliter, nisi extrinsecè, & impropriè, & vt conditio sine qua non. assertio hęc est euidens, ac debet recipi ab omnibus, qui credunt vniuersale non esse à parte rei distinctum à singularibus, sed post operatio-

nem

nem intellectus; & ideo eam sustinent *Aristoteles* pluribus in locis, & 1. de anima tex.8. ait *vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse, idest* postquam factũ est ab intellectu, vnde, ibi dixit Auerroes *intellectum facere vniuersalitatem in rebus.*

S.Thom. Consonant S. *Thomas* cap.4. de ente, & essentia, vbi allegat Commentatorem *Auerroem.* & *Auicennam,* Thomistæ omnes, & Scotistæ; sed luculentius S. Doctor pro omnibus rem declarat in 10.met. lect.1. ibi, *non enim in indiuiduis singularibus est aliqua natura vna numero, quæ dici possit species,* (vel vniuersalis) *sed intellectus apprehẽdit vt vnum id, in quo omnia inferiora conueniunt, & sic in apprehensione intellectus species fit indiuisibilis, quæ realiter est diuersa in diuersis indiuiduis.* similia habet S.Pater 1. Perih. lect.10. sed de hoc argumento, ac de efficientia, quam intellectus exercet erga vniuersalia, legendus sum in tota hac, & sequenti quæstione, præsertim in sect. 6. immediata, vbi de modo, quo fiunt ab actibus intellectus fuse iterum tractabo. & iuxta hanc doctrinam explicandus est S.Thom. S. *Thomas* legendus in Opusc.56.

529 Quod si vnitas præscindens est causa, quasi efficiẽs vniuersalis, quod de se aliunde formaliter est vnum vnitate formali, liquidum vlterius fit eandem vnitatem, seu cognitionem præscindentem non posse reddere propriè, & formaliter vniuersale vnum; & probatur ex quatuor capitibus, primo. quia causa nec solet, nec potest esse ratio formalis, qua suus effectus sit vnus, vt patet inductione, quis enim dicat solem dici vnum, quia productus est a Deo vno? quod si propterea vnus diceretur, potuit etiam dici trinus. quare ad summũ actus intellectus denominabit obiectum suum cognitum, repræsentatum, & huiusmodi alia denominatione concernenti, & vniuersale factum dici poterit factum ab actu, & si is fuerit vnus, factum ab actu vno; sed ipsum dici vnum ab actu à quo fit, est tam impossibile ac dici ab ipso spirituale, aut solem dici à Deo immensum, infinitum, ac trinum ab infinita perfectione cõditoris sui, vnde merito dicitur quasi per prouerbium quod *actus nõ possit cõmunicare obiecto aliud præter denominationem extrinsecam,* non quamcumque, sed cogniti, repræsentati, & huiusmodi,

Secundo quoniã vniuersali, eiusque aptitudini, vnitati, & essentiæ per accidens est fieri ab actu vno, vel à pluribus & æque bene se haberet, & esset si fieret à pluribus, ac si fieret ab vno; etenim, vt illud sit vnũ aptũ esse in multis, & prædicabile de illis, solũ per se petit, & indiget separari à multis, quæ illi sunt impedimento; separari autem, & præscindi vno ictu, vel actu, aut pluribus, non curat; & sic materialiter, & præter appetitum, aut exigentiam vniuersalis contingit fieri ab actu vno.

Neque proficit aduersario dicere vni- 530
uersale denominari vnum ab actu vno ipsum à pluribus quasi colligente, & cognoscẽte *per modũ vnius,* tũ quia à multis actibus posset sic colligi, & cognosci per modum vnius, ita quod omnes eandem quasi intentionem haberent. tum etiam, quia iste modus vnius se tenet ex parte obiecti, quod si verè sit vnum, & simplex, tale erit ob suam vnitatem intrinsecam, sin minus, & fuerit quoddam aggregatum, vnum item per accidens nuncupabitur ab vnitatibus totius gregis simul acceptis, à cognitione vero solum sumet denominationem, qua dicatur cognitum per modum vnius, sed non dicetur vnum quamuis eam contingat esse vnam, propter dicta; & quia similem denominationem emendicari ab vniuersali opus sibi non est, siquidem sufficientem vnitatem habet aliunde. quocirca hæc est mala consequentia, *vniuersale factum est ab actu vno, ergo est vnum,* idest non est consequentia formalis. formalior est illa *vniuersale factum est ab actu vno, ergo dici potest cognitum ab actu vno.* quare vnitas actus denominet ipsum vnum, de obiecto vno item denominando non curet. quemadmodum pallium vnum operiens duos nõ curat eos reddere, neque denominare ipsum vnum.

Tertio reijcitur ista vnitas præscindens ex eo, quod ipsa non possit reddere vniuersale formaliter aliquo modo vnũ. Etenim primò nõ reddet illud vnum, quasi numero, & indiuisũ in plura numero, siquidem vniuersale, vtpotè quod singulare non est, non indiget vnitate numerali, & ex parte, qua est quoddam quasi singulare ens, & indiuiduum metaphysicum, sufficienter redditur vnum, & indiuisum in plures essentias physicas, & metaphysicas, & consequenter in plura numero, & specie, per vni-

vnitatem formalem præcisam, seù obiectiuam; licet hanc eandem vnitatem, & indiuisionem habeat ab actu intellectus, quasi mediatè, vt à causa efficiente, conditione, & occasione; siquidem idem effectus potuit prouenire à multiplici causa concurrente in diuerso genere, vt supra initio sectionis dictũ est. quocirca quemadmodum cognitio præscindens facit, & sic dat aptitudinem vniuersali, non secus, neque formaliter; simili modo dat eidem
531 vnitatem. deinde vnitas præscindens, vt manifestum est, non dat formaliter vnitatem formalem, siquidem vniuersale de se habet propriam essentiam, quæ non est plures, dat tamen efficienter vnitatem formalem formaliter, idest metaphysicam, & abstractam, quam nõ recusamus appellare vnitatẽ præcisionis passiuam, hoc est datã, seu factã à præcisione, non in alio sensu, aut genere, præterquam efficienti, aut quasi.

Quarto tandem reijcitur, quia vnitas formalis cuiusque rei, est passio, & complementum eiusdem rei, sed cognitio præscindens non est huiusmodi respectu vniuersalis; ergo non est ipsius vnitas. dices vnitatem rigorosam ita debere esse, vt dicitur in maiori, non largam, & impropriã, & extrinsecam, qualiter est ista vnitas præcisionis. dico quod si contentus es cum eo solo, voca vniuersale vnum factum à cognitione, vt causa efficiente, & rursus, si sic placet voca item ipsum vnum à cognitione vna, sed id effeceris sine fundamento, & sine necessitate, nam quamuis id factu sit possibile, nihil conuinces contra nos, neque eiusmodi vnitatem poni in definitione, sed esse quendam nouum titulum, ob quem item quodammodo dicatur vniuersale iterum vnum, & quandam appendicem superfluam, impedientemque vniuersalis simplicitatem, quam supra n. 526. & infra n. 543. cum *Aristotele*, & *S. Thoma* commendant communiter Interpretes. *Aristoteles S. Thom.*

Concludo ergo vniuersale in sua definitione sufficienter dici vnum per vnitatem formalem, non vtcumque sumptam, sed præcisam ab intellectu; & propterea eiusmodi vnitatem congruenter appellaui formalem formaliter, vnitatem obiectiuam, abstractam, metaphysicam, rationis, & præcisionis, idest tactam à ratione, & præcisione vt conditione; eandemque expressè addidi esse positiuam ipsam vniuersalis abstracti essentiam, vt seruarem indemnem simplicitatem eius, ita me docuit meus in Philosophia Magister R.P. *Iacobus Melendez* Hispali Anno Domini 1611. & credo conuenire nobiscum præter multos Recentiores PP. *Tolet* q. 3. vniuersaliũ, *Suar.* in met. disp. 6. sect. 3. n. 10 & 11. & sect. 5. cum ibi allegatis *Arist. S. Thoma, Auerroe, Alberto*, & alijs multis. *Conimbr.* in Præf. *Porphyrij* q. 2. a. 1. § *præter*, & a. 2. § *secunda conclusio*, iuncto cum sequentibus, atque in eodem articulo secundo stant pro nostra opinione, quotquot docuerunt inesse vniuersali vnitatem formalem, sed id tale non esse nisi post præcisionem intellectus. hi sunt *S. Thomas*, & omnes eius Discipuli in materia Formalitatũ. *Scotus* etiã in 7. met. q. 8. & *Scotistæ* plurimi ibidem apud *Conimb.* quare immeritò allegabuntur à modernis deinceps isti Doctores pro suo Concreto, quãdo in ipsis legerint vnitatem vniuersalis esse per intellectũ; neque enim volent tanti Doctores fieri illud vnũ formaliter per vnũ actũ præscindẽtem, sed vnitatẽ sufficiẽtem de se habere post actũ vniuersale præscindentẽ, seu illud efficiẽtẽ. *Aristotel. S. Thomas* 532

Altera pars Sectionis respondet argumentis quorundam, qui adhuc contendunt vnitatem vniuersalis propriam, esse vnitatem præcisionis, seu actum præscindentem.

VEruntamen multi Nouiores, quorum supra mentionem feci, adhuc posuerunt vniuersale esse concretum quoddam, aut quasi compositum, & ens per accidens, constitutũ ex actu intellectus præscindẽte, & obiecto, siue natura cõi præcisa, & hanc vocant materiam vniuersalis, actum vero formam, à qua id & habet esse efficienter, & formaliter, & item vnitatem, non solum efficienter datam, sed formaliter. atque ad id concretũ conuincendũ allegant quasdam authoritates *Arist. S. Thomæ*, & aliorũ Antiquorum, quæ solum reuincunt *Vniuersale esse vnũ in apprehensione, & ab intellectu*, quod est nostrum tertium assertum, nempè vniuersale, vt aiebat *Arist* vbi sup. & ibid. *Cõmentator, Auicenna, S. Thomas, Albertus, aut nihil est, aut posterius est*, quãdo ab intellectu, *qui facit in rebus vniuersalitatem*, factũ est; fit ergo vniuersale, & fit non tantum vnum, sed aptum etiam *Aristot. S. Thom.*

esse in pluribus ab apprehensione, quasi à causa efficiente, vel conditione, impedimenta executiente, non vt a causa formali vnû illud, sicut neq. aptû formaliter reddéte, sed opponût illi Authores rationes suas.

533 Prima est, quia ad hoc, vt aliquid sit vnû aptum esse in pluribus, non sat est habere vnitatem formalem, siquidem Petrus illam habet, & non cõtinuo est communis pluribus; ergo necessaria est vnitas alia præcisionis. Secunda, vniuersale vt sit tale, idest commune pluribus, nihil debet habere de pluralitate illorum, quibus est cõmunis, & sic debet esse indiuisum in ea plura: hanc indiuisionem nequit habere per vnitatem formalem, ergo ponenda est vnitas præcisionis. Tertia ratio est. illud axioma *opposita ab oppositis fiunt*, fiant ergo, oportet, singularia, siue particularia vna per vnitates numerales, vniuersalia verò per remotioné earundem, idest per rationem remouentem illa ab illis, ratio verò remouens est actus intellectus, siue vnitas præscindens, ea ergo sola erit vnitas propria vniuersalis, quæ in eius definitione ponitur.

Sed respondetur ad primam distinguendo antecedens, ad hoc vt aliquid sit vnum aptum esse in pluribus, non sat est habere vnitatem formalem vtcumque, aut quálibet, & sic concedo; non sat est habere vnitatem formalem præcisam; & sic nego antecedens; & defectu huius præcisæ vnitatis non est Petrus communis multis. ad 2. concessa maiori negatur minor; quoniam vniuersale abstractum, per vnitatem formalem est indiuisum sufficienter in plura, & ab eis est exclusum, ac remotum formaliter, vti foret vniuersale Platonicum; quamuis etiam ratione actus præscindentis sit quoque remotum, ac indiuisum redditum, efficienter. ad tertiam dico ita euenire in proposito, & oppositos effectus effici ab oppositis causis, aut veluti causis; nam particularia, vt bene ibi dicitur, fiunt vna ab vnitatibus numeralib⁹ physicis: vniuersalia verò è cõtra fiût vna ab vnitatibus formalibus metaphysicis, & abstractis, quę formaliter, idest, per semet ipsas remouent omnem multitudinem ab vniuersalibus.

534 Et addo propter amicos aduersæ factionis, eandem multitudinem remoueri à sua vnitate præscindente efficienter, cum quo debent esse contenti; sed eam vnitatem non ponere in definitione vniuersalis, ne illud contra communem sensum, reddant complexum, & ens per accidens, incapax perfectæ definitionis. & sic explicata manet illa particula definitionis vniuersalis, *est vnum*, idest ratio, & formaliras per semet ipsam vna vnitate formali, quæ est ipsa passiue concepta, præcisa ab actu præscindente, qui rectè dicitur præcisio, à qua item habet vnitatem eandem in genere causæ efficiétis profectam. vel vt à conditione, aut occasione. Sed neque potuit vniuersale esse multorum obiectiua cõgeries, & vnum tantum per aggregationem, vt efficaciter relinquitur demonstrandum.

SECTIO VI.

Ostendit copiosa authoritate, & rationibus ita esse Vniuersale vnû, ac simplex in suo cõceptu obiectiuo, vt nullo modo possit esse turba singularium cõfusè, & inadæquatè cognitorum contra quosdam Nominalium sectatores.

PAter *Petrus Hurtado* in disp. 5. metaphysica à sect. 10. ac docti alij Magistri *Societatis IESV* ante, & post illum, sibi persuaserunt cum quibusdam Philosophis *Nominalibus* vniuersales naturas non esse rationes communes simplices præcisas ab intellectu à singularibus, neque formalitates ratione ratiocinata distinctas à differentijs eorum; sed eas esse eorûdem singularium congeriem, siue inferiora simul, & confusè cognita per vnam cognitionem in ordine tamen ad aliquam vim, potentiã, virtutem, vel etiam in ordine ad aliquam operationé in illis similem, & vniformem: quam vim, virtutem, & operationem clarè quidem cognoscit intellectus dum fabricatur vniuersale per eam cognitionem, reliqua quæ ad singularia pertinent pro tûc confusè tangendo, & cognoscendo.

Quocirca in eorum opinione vniuersale genus animal v.g. est collectio omniû, vel multorum animantiû, qualiter fuit in Arca Noe, nempè homo quidam, quidã Equus, quidam Leo, & quidam Vrsus, & alia singularia cognita simul per vnam potentem cognitionem, confusam tamen, & quæ solum explicitè & clarè in eis cognoscat ea animalia esse, siue principia physica operationum

tionem sentiendi; ita quod obiectum cognitionis re vera sint plura, sed tamen vnũ dicatur per aggregationem, id est aggregatũ vnum, grex vna, vna confusa animantium turba, collectio, siue congeries, vna dicta, quia vna cognitione cognoscitur, & ita philosophandum putant ij Doctores de reliquis prædicabilibus.

535 Dixerunt hoc *Hurtado* in illa disput. 5. met. sect. 10. *Guiliel. Ocham. Gregor. Arim. Gabr. Maironus, Maior. Aliacus, Andreas de Castronouo.* quos item refert *Fasoli.* 1. p. q. 4. a. 2. dub. 14. & Recentiores, hoc innixi fundamento: quia nimirum sibi persuaserunt nõ posse nostrũ intellectum quãtalibet sua vi, aut limitatione partiri, quo quomodo obiectũ, quãtumuis in se fœcundũ, & virtute multiplex, in formalitates obiectiuas; sed semper idem obiectũ integrum indiuisibiliter ab intellectu debere cognosci; si tamen vnum, & idem illud sit, & nõ habeat partes realiter distinctas, aut realiter distinguibiles; quamuis fateãtur modo eiusdem subiecti vnam virtutem, modo alteram; modo in ordine ad has operationes, modo cum respectu ad alias posse cõcipi, & frequentissime solere ab eodem intellectu, qui pro limitatione sua rem virtute multiplicem, id est multarũ operationũ principium rarò, aut nunquam comprehendit. adhæsit opinioni huic nouissime *Arriaga* in Log. disp. 6. sect. 6. & sub s. 3.

Circa istam opinionẽ dico primo, possibilem quidem esse actum intellectus, ac de facto nõ rarò existere, qui plura singularia, vel vnum ea confusione cognoscat, non cognoscendo in illis, neq. attingendo explicitè aliud, nisi aliquod vnũ prædicatum, quod in eisdem simile sit, non vnum, & idem: quo modo est actus ille oculorũ, qui cernit à longè plura corpora similis coloris, & magnitudinis simul moueri nõ discernendo an ea sint homines, aut arbores, vel alia animantia: & item ille actus intellectus, qui occasione visionis huius confusę cognoscit clarè quidem, sicut & visio clarè videbat ea omnia corpora moueri, & sic in ipsis motum, quem securè de ipsis potest prædicare; reliqua tamen, quæ ad ea pertinent confusè omnino cognoscendo, neq. enim adhuc determinare certo potest, an illa sint homines, vel bruta; & finaliter eo etiam modo est ille actus, qui clarè cognoscit Petrum, Paulum, & reliquos homines sentire, vel sentire posse, videre aut videre posse, non curando pro tunc, an & ipsi discurrant, audiant; aut discurrere, & audire possint.

Et sanè hoc dictum meum, non est meũ tantum, sed cõmune, ac planè deduci potuit ex *S. Thoma* 1. p. q. 85. a. 4. ad 4. q. 12. a. 7. & 8. & 3. p. q. 2. a. 5. ad 2. verumtamen illi, & similes actus non abstrahunt, nec faciunt vniuersalia, neque ita abstrahenda fuisse docuit abstractionis inuentor *Socrates* apud *Fonsecam* lib. 6. c. 1. q 6. sect. 1. vt ostendam etiã ex *Arist.* & *S. Thoma*, & ex communi sententia inferius, qui nullam naturam vniuersalem agnouerunt *secundũ quod est in indiuiduis, sed secundum*, loquitur 3. p. *S. Thomas, quod est abstracta* ab omni indiuiduo, *& prout in nuda contemplatione consideratur*: ostendo verò nunc id ipsum ex his inconuenientibus, quæ ex opposita opinione sequuntur. 536 S. Thomas. Aristot. S. Thomas

Primo, quia omnis vniuersalium bona prædicatio de inferioribus suis semper est vera, quoniã fundatur in vnitate, seù identitate prædicati cum subiecto, saltem rationis habentis, sed si species humana v.g. esset collectio indiuiduorũ, falsa omnino esset hæc propositio, *Petrus est homo*, quia eius sensus esset, *Petrus est omnis homo*, vel collectio plurium hominum; siquidem in horum Doctorum opinione vniuersale, quod aptum est esse, & prædicari, & quod prædicatur actu, est multorum singulariũ confusa turba, vel congeries.

Secundo, quia necessarium esset omnia indiuidua humana simul per vnum actum cognoscere ad hoc, vt vniuersale fieret, & conueniret homo in communi omnibus suis inferioribus, ac de ipsis posset prædicari; secus si Paulus, vel alius Belga, aut Indus non est cognitus, neque reperitur in grege, & collectione cæterorum, falsa est hæc propositio, *Paulus est homo*, & solum esset vera, si faceret hũc sensum, quem nõ debet, nec eum ab ea fieri nos volumus. *Paulus est similis homini cuidam*, seù *collectioni hominum*, aut *homo tãtum per similitudinem*; cum tñ aliundè sit homo verus, & non pictus, nec fictus. quare nõ video, neq. capio, quo fine isti *Nominales*, & qua necessitate exigãt cognosci plura, aut omnia singularia cognosci ad vniuersale faciẽdum. nã æque falso dici posset vniuersale integrũ esse, vel vnũ indiuiduum confuse, siue inadæquatè cognitum; vt quid enim oportuit plura simul cognosci, si non pos- 537

sunt oĩa, nisi per grande miraculũ, vt verè vniuersale fiat? siquidē tã falso prædicatur de Petro collectio indiuiduorũ multorum inter quæ sit ipse Petrus, atque si singulare aliquod, vel collectio, cui Petrus non interfit ex quo vlterius sequitur absurdum.

Tertium, nimirũ necesse esse ad vniuersale fabricandũ, speciem humanã v.g agnouisse collectionem omnium hominũ præteritorum, præsentium, & possibilium, vel quotidie ante quamlibet prędicationẽ denuo efficere vniuersale. primũ patet nam secus, vniuersale illud nõ poterit verè prędicari de quolibet homine. secundũ item est manifestum; frequentissime enim continget nos velle prædicare de quodam indiuiduo nobis olim ignoto, & sic intra gregem non posito, & verè prędicare non poterimus prius quam illud cõfusè cum reliquis cognitione nostra abstrahente collegerimus; id vero vtrũque vel est impossibile physicè nobis hominibus, vel moraliter, & necessũ nobis foret ministerio Angelorũ vndiq; asportari ante oculos nostros, nõ tantũ animantiũ, ac cęterarũ rerũ genera, sed indiuidua, quę vt ait *Arist.* sunt infinita, & ideo recurrit ipse ad vniuersalia, vt & illa quodam modo à nobis hominibus sciantur in hac breuissima vita. *Aristotel.*

Quarto sequitur ex ea opinione, nullam esse rationem cõmunem vniuocã, vel omnem vniuocam esse, quod vtrumque est paradoxum. primum quidē; etenim nullũ vniuersale erit, quod non sit simul ratio conueniendi, & differendi, siquidē Petrus, & Paulus sunt similes, & dissimiles, & ita indiuidua reliqua collectionis simul, vel seorsim excepta; quod si id nõ impedit vniuocationẽ vniuersalis, infertur secundũ esse verum, nimirum rationẽ entis quãlibet, vel cõmunem creaturis solum, vel cõmunem Deo, & creaturis vniuocam quoque
538 esse, quantumuis quælibet afferatur esse rerum congeries.

Quinto sequitur nullum vniuersale prędicatum; nullumue prædicamentum esse simplex, & ens per se capax definitionis perfectæ, atque scientiæ; vel rationem communem entis esse genus, & vnum tantum prædicamentũ, sub quo, vel in quo existant Deus, & Creaturæ. Probatur primũ, quia omne vniuersale est ens quoddam per accidens ex pluribus congestum; non vnum, nisi tantum improprie, vnum dictũ per aggregationem; quemadmodum dicitur vnus exercitus, & lapidum aceruus. quod si adhuc contendunt non ideo impediri rationẽ perfecti vniuersalis, & prædicamenti, dicant secundum, nempè rationẽ communissimam entis esse genus, & vnum tantam esse rerum prædicamentum.

Sane si ego *Nominalis* essem, negarem potius ingenuè vniuersalia ob duplicẽ rationem, primo, quia non sunt, si formalitates non sunt, his enim reiectis ab scholis nihil relinquitur, quod sit vnum aptum esse in pluribus ea vnitate, simplicitate, & aptitudine, quæ necessaria est ad prædicationes vniuersalis; & quam docuit *Aristoteles*. Secundo quia inutilia illa iudicarem, & ad sciendum magno impedimento, vt quid enim tempus breue meum, & malos dies pessimo labore consumerem considerando rerum omnium in particulari, aut saltem earum, quas scire vellem varias non solum operationes, sed similitudines in eum finem intermedium, vt nimirum similitudinem prægnoscerem, & deinde prædicarem? non ne facilius postquam viderim oculis, aut alijs sensibus olfecerim Petri varias operationes dignas ratione, atque consilio, & alias imperfectiores profectas à sensibus corporeis, diiudicabo continuo, & immediatè *Petrus est rationis particeps. Petrus est principium physicum sensationum*, nimirum quasi colligendo, & intima Petri penetrando à posteriori, quod aiunt, siue ab effectibus, iuxta axioma Christi Domini *à fructibus eorum cognoscetis eos*? ad hęc. quorsum *Nominalium* imitatores tractent de Prædicabilibus, de eorum aptitudine, vnitate, coordinatione in prædicamentis, & alijs concernentibus rationes istas & alias communes, non satis intelligi potest. *Aristotel.*

Vt quid ergo oportuit ire per istas *No-* 539
minalium ambages ad sciendum. neque retorqueri potest argumentum hoc contra *formalizantes*, quoniam eorum vniuersalia, & conueniunt inferioribus omnibus, quamuis non præcesserit notitia nisi paucorum; & propterea vtilia omnino sunt, siquidem ex notitia hominum duorum, vel saltem vnius à quo abstraxeris *hominem*, aut *animal*, adducimur in cognitionem multorum; & rursus eadem vniuersalia facta sunt facilia; ac rursus facta, scripta reseruantur per voces, aut scripturas simplices in prædicamentis; vnde assumuntur ad va-

rias

rias prædicationes, de quibuscunque respectiuè inferioribus conficiendas, nihil horum habere possunt istę istorum Doctorum hominum confusæ congeries, discursus iste noster est conformis *Augustino* tom.1. initio Categoriarum, ibidem, & *S.Thomæ* Opusc.55 vbi dicit viam sciēdi per vniuersalia esse breuiorem, quia singularia sunt infinita, *Aristoteli* vbique & *Platoni* cum Porphyrio cap.de specie, & toti Peripateticæ Scholæ antiquæ, ac recenti.

Aristotel. S.Thomas S. August.

Sexto infertur nullam propositionem vniuersalium, aut prædicationem (alias omnino commendatam, vt perfectissimā subiecti scientiam) esse determinatè veram nec determinatè certam, nec per eam posse intellectum prædicantem firmiter adhærere obiecto; si nimirum prædicatio hæc *Petrus est animal*; dicatur, vt dicendum videtur ab ijs Doctoribus æquipollere huic, *Petrus est aliquod animal physicum hoc, vel illud*, cum tamen certum aliunde sit, & nos ita certo sciamus Petrū esse hoc determinatum animal physicum, & non aliud, nec vagum. fanè hoc mirabile est in hac materia, quod nos homines vniuersalia facimus, & prædicamus, & adhuc non scimus, sed opinamur, quod facimus, & sub lite, & sub iudice adhuc est, quid sit animal, aut quid significet in hac certissima propositione *Petrus est animal*, dicis tu collectionem afferre singularium, aut aliquod indiuiduum vagum, quod nec credo, nec capio; dico facilius ego afferre rationem communem identificatam cū Petro.

540 Septimo sequitur vniuersale fieri posse à sensibus corporeis, qui non rarò simul indiuidua plura in aliquo similia sentiunt, & præsertim ab oculis, quos *Aristoteles* 1. metaph.cap.1. dicit *ostendere nobis rerum multarum differentias*, quare actus visus videns plura alba simul intuitu vno effecerit vniuersale accidens, vel speciem, & ita dicendum proportione sua de reliquis sēsibus, imo, & de appetitu tam corporis, quàm animi nostri. Concludo ergo ab his Recentioribus cum suis Nominalibus patronis, omnino de medio tolli vniuersalia, & prædicaméta Aristotelicæ Scholæ item secundas substantias, quarum mentionem fecit *Philosophus* cap. 5. Prædicam. ac demum abstractiones omnes intellectus,

Aristotel.

Aristotel.

quare cohærentius ad suam ipsorum opinionem esset negare ea omnia expressè, & iam non amplius verbis nos illudere.

Octauo demum sequitur absurdum inconsequentiæ. etenim si humanus intellectus præscindit diuina, quid ni creata? si facit formalitates, quando dicit, in Deo ratio intelligendi est alia à ratione volendi. natura diuina non generatur, bene tamen diuina filiatio. caro nostra vnita est immediatè personalitati filij Dei, non sic naturæ ipsius. & huiusmodi aliter, quid nī præscindat, quando dicat Homo est communis pluribus. ratio hominis non est ratio singularitatis eius. animal distinguitur à rationali, in quodam homine sunt varij gradus, alius ratio sentiendi, alius ratiocinandi, alius corporis, alius substantiæ, & sic aliter? sane ego ista non scio concordare, quando considero vim præcisiuam intellectus in eo consistere, vt possit vnum concipere sine alio in re, in qua ea duo sunt idem. Vnde non proficit respondere discrimen esse, quia Deus sit entitas magis fœcunda, & magis distinguibilis, cum ex alia parte sit magis simplex, & magis identificata cum suis perfectionibus, & ideo *Fonseca* supra num. 492. concessa distinctione media in creaturis, negauit in Diuinis. aliud mirabile est, quod Moderni, cum quibus disputamus, admittunt in Deo ante intellectum distinctas quasi formalitates virtuales, & forsan in creaturis, vt eas, hic de nouo secari negent ab intellectu. Vide supra num 509.

Dico secundo, prædictum Nominalium fundamentum directè opponitur commu- 541
ni sententiæ sanctorum Patrū, & Theologorum, qui expressè admittunt distinctionē rationis ratiocinatæ, quam noster intellectus, qui *natus* vulgo dicitur ex *Auerroe* 6.metaph.Com.8. *adunata diuidere & diuisa adunare*, facit quasi partiendo obiectum fœcundum in formalitates plures, propter fundamentum illud triplex, aut quatruplex supra expositum num. 488. vt ostendunt Patres quatuor, totidem fulgentissima lumina Scholasticæ disciplinæ, nempe *Granado* par.1. Controuer.1. tract. 2. disput. 6. vbi ad *Nominalium* fundamentum perspicue, vt assolet, respondet. *Ruiz* de Trinitate disp. 12. sect.1. vbi dicit distinctionē hāc rationis ratiocinatæ exosā esse Hæreticis Arianis, *Vasq.*

1.p.disp.117.c.1.*Suarez* lib.4.de Trinitate c.2. & 4. & apud ipsos SS.PP. *Athanasius, Damascenus, Bernardus, Basilius,* & alij ; & innumerabiles illi Scholastici Doctores , quos retuli supra num.490.

Idcirco, quasi antiquorum Patrum cõcõmune placitum esset , dixit olim *Iustinianus Imperator in Epistola ad Papam Ioannem II.* quæ habetur in Concilio V. Constantinopolitano, cui ipse interfuit in confessione suæ fidei , *solum intelligitur mente separante inseparabilia .* & *Dionysius Carthus.* in elucidatione *S.Dionysij* de diuinis nominibus cap.5.art.40 ita scribit. *Potest namque natura secundũ se purè, & nudè considerari , & quantum ad ea, quæ sunt de ratione ipsius, quod negare vel magnæ cæcitatis est, vel contentiosæ peruersitatis esse censetur .*

Et *S.Anselmus* reprehendit eos,qui nesciunt præscindere in creatis , & audent præscindere in diuinis lib.de Incarnatione Verbi cap.2. ibi inuectus contra sui temporis Nominales dicens: *Cautissimè ad sacra pagina quæstiones accedant , sunt cõmonendi illi vtique nostri temporis Dialectici, imò Dialecticæ hæretici, qui quidem non nisi flatum vocis putant esse vniuersales substãtias; qui enim nondum intelligit quo modo plures homines in specie sint vnus homo , qualiter in illa secretissima, & altissima natura comprehendet quo modo plures personæ , quarum singula quæque*
542 *est perfectus Deus,sint vnus Deus,& cuius mens obscurata est ad discernendum inter equum suum,& colorem eius, qualiter discernet inter Deum ,& plures relationes eius ; denique qui non potest intelligere aliquid esse hominem, nisi indiuiduum , nullatenus intelliget hominem, sed humanam personam , omnis enim indiuiduus homo persona est .* consonat S. *Boetius* alle-
S.Thom. gatus à *S.Thoma* in Opusc.56.

Hæc pauca dicta sunt pro mente Sanctorum Patrum, qui in ea semper fuerunt existimatione , vt intellectus noster limitatus , præsertim dum negotiatur circa diuina, obiectum, quod haustu vno non capit , quasi partiatur in formalitates obiectiuas, vtendo nimirum arte , quando , & vbi non sufficit exiguum lumen naturæ . legantur illi nostri Doctores , & potissimũ eruditissimus *Pater Ruiz de Montoya.* Atqui Theologi dũ moralia tractant,& Iureconsulti euidenter supponunt rationes communes præcisas à singularibus, quos magno numero allegant, & imitantur PP. *Sanchez* lib.1.cap.11.nu.6. *Vasquez* 1.2. disp.59. c.3. *Diana* de Circumst.resol.24. in p.1.

Pars altera Sectionis VI. producit alias authoritates, & rationes, & multos alios Authores pro tuenda contra Nominales vna, & simplici Vniuersalium formalitate obiectiua, quam prius perspicuè declarat .

Dico Tertio firmiter tenendum nobis est posse , & solere intellectum humanum in fabrica vniuersalium præscindere, & abstrahere à singularibus, quæ sũt à parte rei solam illorum conuenientiam sine mica differentiæ, ita depurando naturam , quam facit vniuersalem , à differentijs singularium , & indiuiduorum , vt natura ipsa præcisa omnino maneat in se obiectiuè vna formalitas distincta ratione ratiocinata, & essentialiter à singularitatibus,non autem plures similes naturæ , nec aggregratio similium indiuiduorum ; & iuxta hanc veram sententiam, natura humana facta vniuersalis non quidem est idolum aliquod fictum ; sed neque reale quid physicum , sed ens metaphysicum cõmune , & vniuersale dictum species , vna simplex ratio , & formalitas abstracta,& præcisa,ac distincta modo dicto à Petreitate , Pauleitate , & cæteris
singulorum hominum differentijs ; quæ 543
formalitas ita est vna , vt non solum habeat illam vnitatem , nuncupatam vnitatem extrinsecam præscindentem,seu actiuæ præcisionis , sed præsertim vnitatem passiuam , quasi fundamentalem, obiectiuam metaphysicam , *positiuam* assertam à nobis supra cum *Aristotele*,quem illustrat, & sequitur Doctissimus *Vasquez* 1.par. disp.128.c.2. vbi omnem vnitatem consistere probat in positiuo ; quæ propterea vnitas in materia præsenti non est aliud , quam ipsa natura humana præcisa , tam vnica , & tam indiuisa in plures , atque si daretur solitaria, & sine singularibus à parte rei supra in concauo Lunæ, vt voluit *Plato*, & exẽplificat, *S.Thomas*,& *Suarez*

in

in metaph. disp.6.sect. 3. num.12. vt vnitatẽ naturę vniuersalis cuiusque declarent S.Thomas. euidentius. *vnitas* ergo vt ait *S. Thomas* 1.par.quæst.39.art.4. ad 3. *sine communitas humanæ naturæ*, E.C. *non est secundũ rem, sed solùm secundum considerationem: & quia Plato non cõsiderauit.* addidit q.85. a.1.ad 2. *quod dictum est de duplici modo abstractionis, omnia, quæ diximus abstrahi per intellectum, posuit abstracta esse secundum rem*.

Hæc est Peripateticæ scholæ sententia, quam communiter tradunt vel supponunt Aristotel. Interpretes ad illa verba *Aristotel.* quibus definiuit vniuersale dicens in 7. metaph. cap.13.tex.45.& 2.Post.cap.11. *vniuersale est quod aptum est, vt in pluribus insit, quod de multis dicitur, sed præter multa*; vt euidenter colligitur ex illo c.8. & Aristotel. *Aristot.* ipse, vt refert, & sequitur *Hieronymus Pla.* in Logica disp.de vniuersis q.1. inquit lib.1. de demonstratione c.20. *iam vero si vniuersum*, vel vniuersale, *ipsum est genus vna quadam ratione, non autem sola nominis cõmunione.* vnde in loco met. superius allegato subintelligendum esse, *vnum quid nomine, & re ipsa, sine ratione*, benè colligit interpres *Fonseca* 5.met.c.28. Aristotel. q.1.sect.2.& 3.in medio, ex ipso *Aristotel.* qui iterũ lib.1. Perih.c.5.in princ. *vniuersale*, inquit, *dico quod de pluribus aptum est prædicari, vt homo*. vbi interpres sacer S.Thomas. *Thomas* lect. 10. sic loquutus est. *oportet quod diuisio ista rerum accipiatur, secundum quod cadit in intellectu, ea vero, quæ sunt coniuncta in rebus, intellectus potest distinguere, quando vnum eorum non cadit in ratione alterius. in qualibet autẽ re singulari est considerare aliquid, quod sit illi proprium, inquantum est hæc res, sicut Sorti, vel Platoni, inquantum est hic homo, & aliquid est considerare in eo, in quo cõuenit cum alijs quibusdam rebus, sicut quod Sortes est animal, aut homo, aut rationale, aut risibile, aut caluus*.

544 Vides quam expressè ibi S. Doctor dixerit posse nostrum intellectum distinguere formalitates obiectiuas, & adunata diuidere, & quam paucis, & pulchre distinxerit ipse in Sorte formalitates; quæ sunt prædicabilia quinque? id ipsũ nos vbique Aristotel. docuit *Aristoteles* legendus 1. metaph. tex.5. & 3.metaph. t.12. & 1.Poster.t.29. vbi dicit obiecta scientiarum esse debere vniuersalia, nec singularia esse posse; sed præsertim libro fermè toto, & tractatu de Prædicamentis, præsertim cap. de *substantia*, vbi enumerat, ac diuidit substantias in primas, & secundas; & has dicit esse vniuersales; illas verò res singulares; de quibus aliæ dicuntur. consonant *Porphyrius in sua tota tractatione de quinque prædicabilibus*, & *S. Augustinus* de Principijs S.August. Dialecticæ cap. 9. fine, & sequenti toto tractatu de Categorijs in t. 1. digno quidem, qui legatur ab omnibus, quoniam est breue compendium doctrinæ Logicæ Aristotelicæ; & ibidem alij Commentatores, aut Interpretes, qui vnanimi cõsensu edocti ab *Aristotele*, & Antiquitate tota illa duo carmina nobis tradidere, non tam bella, quam veram doctrinam continentia; sæpè dum tractarunt de requisitis vniuersalium, quæ digna sunt, quæ in prædicamento reponantur.

Vox vna, & simplex, proprijsque accommoda rebus.

Entia per sese, finita, realia tota. 545.

Quorũ sententia facilè patet cõtemplãti, & inferius nu.792. explicatur vberius; legat interim, qui volet *Aristot.* lib.8.met. Aristotel. tt.16. vbi docuit quo pacto, quæ abstracta sunt à materia sensibili, sint entia, & vnumquodque vnum, & ibidem *S. Thomam* S.Thom. & *Tolet.* quæst. de vniuersalibus 1.3. Primo, cum illo consentientes. adde quod *Aristot.* sæpè, vt legis supra, vniuersale definiuit, qui tamen semper docuit complexa definiri non posse, credidit ergo illud vnum esse.

Deinde *S. Thomas* super textum allegatum Philosophi in 7. metaph. lect. sua 13. S.Thomas. euidenter demonstrat vniuersale nullum esse congeriem plurium; referam eius aliquot verba, ne describã omnia. *Aristoteles* inquit, *in hoc capitulo intendit* cõtra Platonem, *reprobare, ostendens quod animal commune, vel homo communis non est aliqua substantia in rerum natura, sed hanc communitatem habet forma animalis, vel hominis secundum quod est in intellectu, qui vnam formam accepit vt multis communem, & vnam in multis, inquantum abstrahit eam ab omnibus indiuiduantibus.*

Et infra dum refert impugnationes *Aristotelis* contra dictũ *Platonem* subiungit, *hoc enim dicitur vniuersale, quod natum est multis inesse, & de multis prædi-*

Aristoteli. S.Thomas *carisi ergo vniuersale est substantia,oportet quod sit substantia omniû,quibus inest, aut vnius,non est autem possibile quod sit substantia omnium, quia vnum non potest esse substantia pluribus, plura enim sunt quorum substantia sunt plures, & diuersa, &c. relinquitur, ergo, quod ex quo vniuersale non potest esse substantia omnium de quibus dicitur, nec vnius alienius quod nullius sit substantia.sciendum autem quod ideo dicit, quod vniuersale est, quod natum est pluribus inesse, non autem quod pluribus inest, quia quædam vniuersalia sunt, quæ non continent sub se nisi vnum singulare sicut Sol, Luna. Sed hec non est quin ipsa natura speciei quantum de se est, sit nata esse in pluribus.* Pondera hic duo,primum est:ab *Aristotele,& Thoma* vniuersale quoduis dici vnam solam formam communem abstractam. Secundum, saltem vniuersale aliquod nempe *Sol*, aut *Luna* non esse congeriem, quod qui non videt, non indiget Solis ministerio, nec Lunæ.

546 Tertio persistit in incepto 1.p.quest.85 art.1. ad.1.explicando modum. quo vniuersale abstrahitur respondens *ad primum dicendum, quod abstrahere cõtingit dupliciter vno modo.&c. alio modo per modum simplicitatis, sicut cum intelligimus vnum nihil considerando de alio, & hoc modo abstrahere per intellectum, quæ non sunt abstracta secundum rem, non habet falsitatem, sicut quando consideramus colorem, & proprietatem eius, nihil considerando de pomo colorato: pomum enim non est de ratione coloris, & ideo nihil prohibet colorem intelligi nihil intelligendo de pomo. similiter dico quod ea,quæ pertinẽt ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis, puta lapidis,aut hominis,aut equi,possunt considerari sine principijs indiuidualibus, quæ non sunt de ratione speciei, & hoc est abstrahere vniuersale à particulari considerare scilicet naturam speciei absq. consideratione indiuiduantium principiorum.* ergo sicut qui videt colorem, vnum tantũ videt,pomum non tangit,ita qui abstrahit *animal* vnũ tantum cognoscit, singularia non tangit.clarius loquitur S.Doctor a.2. ad 2.dicens quod abstractio *est similitudo naturæ speciei, & non indiuidualium principiorũ.* & q 46. a.2.c.*vniuersalia* abstrahere *ab hic, & nunc, propter quod dicitur quod sunt vbiq; & semper & super Dionys.* S.Thomas. c. 7. lect.5. quod *ratio hominis abstracta est aliquid simplex.*

Clarissime etiam loquitur S. Pater in Opusc.55.dicens *rem extra intellectum esse vniuersalem potentia,quia potest per intellectum depurari ab indiuiduationibus.* ac de ente, & essentia toto integro tractatu, præsertim c. 4. euidenter docet id ipsum, vt monstrat ibi Caietani Commentarius à S.Thomas principio,& Opusc.48. c.1.& 2.& 7. met. lect.10.l.B.& c.præclarissime,& 3.p. q.2. art.5.ad 2. ibi, *naturam humanam, quæ quidem non habet rationem speciei communis secundum quod est in vno solo indiuiduo, sed secundum quod est abstracta ab omni indiuiduo, prout in nuda contemplatione consideratur:filius autem Dei non assumpsit humanam naturam, prout est in sola consideratione intellectus: quia sic nõ assumpsisset rem humanã naturæ,nisi forte diceretur quod humana natura est quædam idea separata, sicut Platonici posuerant hominem sine materia*: & clarius S.Thom. multo loquutus est in q 4. art.4. vbi cum Aristotel. *Aristotele*, & *S. Damasceno* statuit naturã abstractam, atque factam ab intellectu communem, & ab indiuiduis separatam quasi fictioné esse,& per se nõ subsistenté. Verba licet plusquã argentea prætermitto.

Sed prætermittenda nullatenus fuit auctoritas, quæ habetur in eadem 3.p. q.78. 547 S.Thomas. art.5.vbi supponit S. Doctor eandem hanc veram sententiam,quando interpretaturus illa plus quam sanctissima verba consecrationis,*Hoc est corpus meum*,docuit illo pronomine *Hoc* significari ibi aliud singulare nihil præter rationem generalem, atq. cõmunem entis substãtiæ, aut edulij, cõmunem pani præsenti,& Corpori Christi Domini,iam iam præsentando, finita verborũ illorũ prolatione,ita vt sensus eorũ sit,*Contentũ sub his speciebus, quod modo est panis esse corpus meum.* quia Christus Dñs dixit *in generali,Hoc est Corpus meum,nullo nomine apposito ex parte subiecti,sed solo pronomine, quod significat substantiam in cõmuni sine qualitate, idest forma determinata,& dictio hoc demonstrat substãtiam: sed absque determinatione propria naturæ.* S.Thomas. idem habet S.Pater in 4.d.8.q.2.a.1.ad 1. vbi,vt manifestũ est, nõ potuit opinari pro nomine *Hoc* significari rerũ, aut substãtiarum omnium singulariũ, aut multarũ congeriem,

geriem, cũ sola vna sub speciebus panis cõtineretur, de qua tamen non vt singulari, sed vt communis est ad panem, & corpus Christi, putat Christum fuisse loquutum.

Quidquid autem sit de ista interpretatione verborum Christi Domini, sanè exploratũ est ad eius expositionẽ præsupposuisse *S. Thomã* Vniuersale esse obiectiuè vnã formã cõmunem, non multorũ singulariũ congeriem, atque ipsum è vestigio sequuntur *P. Granado* ad prædictũ a. 5. to. 5. in 3. p. disp. 1. sect. 6. in tract. 8. controu. 6. de Euchar. & ibi *Valentia*. & *Henriquez*. *Suarez* t. 3. 3. p. disp. 58. de Euchar. sect. 6. §. 1 *sententia*. & ibj allegati *Guismũdus*, *Scotus*, *Durãdus*, *Capreolus*, *Paludanus*, *S. Antoninus*, *Ferrara*, *Caietanus*, *Iansenius*, *Sotus*, *Alsiodorensis*, *Aegidius*, *Victoria*, *Bellarminus* lib. 1. de Eucharist. c. 11. *Richardus*, *Ledesma*, *Viguerius* de instit. Theol. c. 19. inclinant *Laimam* lib. 5. de Sacramẽto Euchar. tract. 4. cap. 3. & *Coninc*. de Eucharist. quæst. 75. art. 1. num. 36.

548 Sed ad propositũ accedendo propriuѕ, & magis directè, vniuersale esse vnũ nomine, & ratione, & non multitudinem expresse tenuerũt *Suar*. in met. disp. 6. sect. 1. n. 4. iuncto cũ 13. vbi cũ *Arist*. 4. met. tex. 10. & 7. tex. 13. dixit optime posse definiri naturã humanam in cõi, quia sic est vna, & non plures, idest vnum ens per se, & nullo modo per accidens, quod definiri nõ posse docuit alibi *Aristot*. & 8. metaph. tex. 7. vbi nihil ait definiri posse nisi vnũ per se. & ipse sæpè nobis definit vniuersale. & cũ ipso, & ex ipso S. *Thomas* infra n. 705. tradit *definitiones proprie dari de speciebus*. rursus *Suarez* in sect. 2. num 9. ad 16. interpretando definitionẽ *Aristotelis*, qua dicitur *vniuersale esse vnũ, & de multis, seù præter multa*, dixit non posse illud esse rerũ multitudinẽ, seù aggregationẽ, vt possit esse in pluribus, *quoniam vnitas, quæ videtur esse à parte rei inter plures homines, re vera nõ est vnitas, sed similitudo tantũ*. quocirca vnitas vniuersalis non existit in rebus, nec est per modũ multitudinis vnius, sed admodũ vnius rationis præcisè per intellectũ, quę est vna vnitate rationis, & pręcisionis, idest quasi facta ab actu intellectus præscindente, adde quod illud verbum *præter multa* excludit omnẽ multitudinẽ.

Aristoteles

S. Thom.

Et in sect. 5. & 6. n. 8. sed clarius n. 9. dicit ipse Pater vniuersale abstractũ tam purum, ac liberũ esse ab indiuiduis, atq. si vere separatũ foret, vt voluit *Plato*. & antea explicat similitudinẽ multorũ ęsse vniuersale in potentia, seù fũdamentale, formale vere esse conceptũ vnũ obiectiuũ indiuisibilẽ in plures similes habẽtẽ nouã vnitatẽ, sicut nouã, aut denuo aptitudinẽ ad plura illa similia. legatur in eadem disp. 6. sect. 6. n. 5. iuncto cũ 9. vnde nõ est cur Nominalizantes confundãt vniuersale fundamẽtale cũ formali, siue quod perinde est, potẽtiale cũ actuali, cũ id vtrumq; præclarè distinxerint *S Thomas* allegatus iã ex 3. par. q. 2. a. 5. ad 2. & cũ ipso *Suarez* vbi supra, & *Conimb*. afferẽdi. legatur præterea *Suar*. disp. 7. sect. 2. n. 26. & disp. 2. sect. 2. n. 7. & d. 5. sect. 2. n. 8. vbi clarissime docet cõceptũ entis nõ posse esse entiũ similiũ cõgeriẽ. ac de mente ipsius non dubitetur amplius.

S. Thomas.

Consentiũt *Toletus* q. 2. vniuersal. § sit igitur. *Fonseca* lib. 5. met. c. 28. q. 3. sect. 2. *Conim*. expressè in Præfat. *Porph*. q. 5. a. 3. § sit prim. conclusio, & q. 4 a. 3. sect 3. §. quartum, referentes illã definitionẽ *Arist*. 2. Poster. c. vlt *Vniuersale esse vnũ præter multa, in quibus tamen insit*. & q. 2. a. 1. §. Præter, & sequẽtibus, dicũt perspicuũ esse naturã vniuersalem in statu præcisionis esse vnã essentiã, vnũ per se & nullo modo per accidẽs; quod repetunt in articulo toto, & q 1. a. 4. §. sunt, & §. quod vbi ex *Aristotele* 1. Post. c. 3. volunt vniuersale esse *vnũ nomine ratione, & essentia*. Quoniã *Aristoteles* reiecerit à classe vniuersalium, quæuis aggregata, siue cõplexa & q. 4. a. 2. §. his præmissis, se referentes ad q. 1. ar. 2. §. secũdo, docent *speciem humanam non esse aggregatum hominum singularium, sed essentiã quandã diuersã à Socrate, & alijs singularibus hominibus, quæ de omnibus prædicatur*. id ipsum sentiũt *Caiet*. cum *S. Thoma* 1. p. q 85. a. 1. ad 1. §. quoad 1. & Thomistę omnes. *Rubius* q. 3. a. 4 vniuersalium. *Vasquez* 1. p. disp. 117. c. 1. *Paulus Vallius* to. 1. Logicæ pag. 159. *Amicus* t. 1 tract. 4. quæst. 2. dub. 2. art. 2. *Aquar*. de formalit. *S. Thomæ* cap. 11. *Iauellus* tractat. 4. prædic. cap. 1. *Sotus* q. 1. de vniuer. *Iustin*. lib. 2. c. 11. *Smigleciws* disp. 4. q. 4. *Blanch*. d. 1 sect. 3. *Castelui*. d. 2. dub. 6. & sauẽt *Cæsarius*, & *Hunæus* in suis Logicis, & communiter Recentiores, atq; Scoti imitatores allegati supra nu. 492. & *Animastici* cum *Conimbri*, de anima separata. d. 1. art. 3. ex 549

Aristotel.

Arist.

*Arist.*3. de anima dum demonstrant animã rationalem esse immortalé, quia cognoscit vniuersalia, quæ à nullo sensu corporali tanguntur, sensus enim tangunt sola singularia, & rursus *Aristoteles* dicens 1. Met. c.1. *actiones esse circa singularia*. & ideò *Medicus non sanat hominem, sed Calliam.* vt ibi annorauit *S.Thomas*, & *Vasquez* to.1. in 3.p.disp.21.c.3.n.19.

Aristotel. *S.Thomas.*

Tertia Pars Sectionis probat ratione Vniuersale esse vnam formalitatem communem, & iterum indicat modum, quo fit.

Ratio nostræ assertionis est cõmunis, & sic vulgo proponitur. quotiescumque datur à parte rei fundamentum, vt intellectus præscindat aliquam formalitatem ab alia, potest illam præscindere; sed à parte rei datur fundamentum, vt intellectus præscindat à singularibus naturam vniuersalem, siue formalitatem naturæ; ergo eam potest præscindere: iam verò si semel ea natura præscinditur, & vt loquitur *S.Thomas depuratur* à singularitatibus, seù *indiuiduationibus*, reperietur cõtinuo esse vna natura obiectiuè *ex pluribus* quidem, vt ait *Aristoteles* apud *Telesium, collecta, sed facta vna intentio* obiectiua, siue in intellectu; non verò congeries indiuiduorum, & collectio vna solum, quia nomine vno significetur, aut propter cognitionem vnã, plura per modum vnius confusè cognoscentem.

S.Thomas *Aristotel.*

550 Minor huius syllogismi, in qua est tota difficultas, probatur à Magistris Realibus longo, & firmo discursu, enumerando fundamentum illud triplex, aut quadruplex, (de quo mentionem feci supra num.488.) quod habet noster intellectus, vt distinguat, & præscindat formalitates in re fœcunda, & abstrahat, quæ non sunt abstracta secundum rei veritatem, vt malè voluit *Plato*, & minus benè *Scotus*, & optimè probatur à *Card. Toleto* vbi supra, supponendo res huius vniuersi omnes, & conuenire inter se in aliquibus, & in alijs discriminari; vt Petrus, & Paulus vterque est homo, licet particulariter differant. similiter planta, & animal vtrumq. est viuens, sed & modo differẽti, eorum ergo singularium, & similium conuenientiam capit, & solitariam concipit intellectus, quia vult, vel quia limitatus est, & rem totam, simul capere sæpius non potest, omnis enim potentia cognoscitiua, inquit ille, in 9 *sis secundum*, nostra tam sensitiua, quàm intellectiua limitata est, & finita, ita vt vnum possit percipere, non aliud v. g. visus videt colorem, non odorem, gustus sentit saporem, sed non colorem, vel odorem; intellectus cognoscit primo communia, *non singularia*, quamuis color, odor, sapor, ratio communis, & alia inueniantur simul in aliquo singulari, v. g. in quodam pomo; ergo à fortiori multo minus poterit intellectus res plures inuentas in pluribus comprendere; Vnde ipse sui insufficientiam naturalem videns, vtitur arte, & industria, & plurium seorsim solet percipere conuenientiam, & sic quasi facere rem vnam seù formlitatem vnam, pro tunc de differentijs non curando; ergo intentum.

Confirmatur hæc ratio primò, quoniam quando abstrahimus singularium conuenientiam, nostra abstractiua cognitio, vti docuit nos experientia, terminatur ad rem, in qua nulla est differentia, sed tanta conuenientia, & identitas, vt capere nullo modo possimus, si nos non seducimus, quo pacto inferiora illius rei, per ipsam quoque differant, & non tantum conueniant; ergo ea res vna in se est, & non plures similes res, siquidem in rebus
pluribus quantumuis simillibus aliqua dif- 551
ferentia semper, & necessario est: non ergo est vniuersalis quæque natura, congregatio indiuiduorum confusè cognitorum, vna penes solum nomen vnum, sed vnica nomine, essentia, & ratione; nempe conuenientia plurium explicitè, & solitariè cognita, & separata, aut desecta non re ipsa, vt posuit *Plato*, sed consideratione nostra; vbi tam pura, ac libera est ab omni contactu indiuiduantium inferiorum, atque foret si re vera ab eisdem securi secta fuisset, aut solitariè in concauo Lunæ cohabitaret. vt supra dicebat n.543 cum *S.Thoma Suarez*.

Confirmatur secundo. quia in simplicissimo Deo distinguere valet intellectus noster essentiam à personalitatibus, & è contra personalitates ab essentia, & reliqua attributa in inuicem, ergo à fortiori valebit distinguere vniuersales naturas à singularibus, eas quasi separando ab illorum

rum differentijs: antecedens experienti compertum est, & propterea à plerisqua aduersæ partis Doctoribus conceditur, e quantumuis inconsequenter; & cõsequentia liquida videtur à paritate.

SECTIO VII.

Respondet argumentis eorum, qui pro Nominalibus stant, & acriter tuentur Vniuersales naturas esse singularium Congeries.

ANtiqui *Nominales*, nempè *Gregor.* in 1. dist. 8. q. 1. artic. 1. & 2. *Maior.* q. 1. *Gabr.* in 1. dist. 2. q. 1. art. 1. & alij Sectatores, contradicentes *Scoto*, qui concessit supra distinctionem inter gradus metaphysicos à parte rei; & *S. Thoma*, qui eiusmodi distinctionem fecit per intellectum, nobis objiciunt hoc argumentum, quod est illorum fundamentum. quia quidquid in se est indiuisum, & fine vlla distinctione ex natura sua, non potest per aliquid extrinsecum distingui, aut separari; sed nostra intellectio est rebus extrinseca, ergo ea nequit illas distinguere, aut separare. Confirmant id ipsum declaratione hac suæ opinationis, aut simili. Petrus exempli causa, sentit, siue elicit actus sentientes, & ideo accommodè dicitur *animal*, quod significat principium sentiendi; rursus idem Petrus ratiocinatur, siue elicit actus intellectus, vnde congrue dictus est *rationalis*, quod nomen significat principium discursus, siue intelligendi: præterea quidam Leo sentit, & similiter, quædam alia bestia, vnde meritò Petrus, & illa alia bruta habent nomen commune *animal*, quod significat omnium sensitiuorum Congeriem.

552 Ecce, inquiunt, in Petro vides distincta quodam modo sufficienti, (nam alius modus distinctionis videtur impossibilis ob rationem dictam in argumento) duo, nempè *animal*, & *rationale*, quorum nominum quodlibet, licet significet eandem entitatem Petri, tamen in ordine ad varios effectus, seù ministeria; & simili modo *animal*, quando est commune, significat confusè omnia animantia, & eorum copiosam multitudinem fecundum virtutem sentiendi; ex quo tandem fit omnem rerum distinctionem reduci tantum ad distinctionem nominum, & vniuersalia, aut communia non esse res, sed nomina communia, quorum vnũquodque licet vnum, significare quit multa; vnde est vnum in multis, & sic vniuersale in significando, nam in essendo nullum est, si non est singularium Congeries. Hic est, inquantum capere potui, *Nominalium* discursus, & suorum Vniuersalium speciosè composita structura, quæ licet ridicula videatur aliquibus, non ita facilè funditus amolitur. id Confirmant Secũdo Nouiores quidam, quia ex eo punctum nequit realiter bipartiri, neque tangi ex parte, quia est res vna, & simplex, ergo Petri entitas simplicissima nequibit partiri; neque spiritualiter, idest cognosci ex parte, & quia tota quodammodo cognoscatur.

Sed tamen Respondeo, id, quod in se est vnum natura sua, & indiuisum posse ab intellectu nostro intentionaliter, idest ex modo illud sibi objiciendi, & cognoscendi distingui, non tamen diffecari verè, & realiter, vt supra sæpè dictum est, quantumuis enim intellectio nostra sit rebus extrinseca, nihilominus in re fœcunda potest vnum cognoscere sine alio, & duo quasi facere, & ex pluribus colligere conuenientiam sine vlla differentia. ad confirmationem repeto, quod dixi supra nu. 535. §. *circa*, nimirum posse, & solere fieri id omne, 553
& eo modo, quo ibi explicatur, sed asseuerandum non fuit, aliter quoque fieri non posse; neque enim habemus firmum fundamentum ad negandam vim, vnita diuidendi, intellectui nostro. quocirca *animal* non tantum imponitur ad significandum confusè multitudinem animantium, aut vnum aliquod singulare; verumetiam ad significãdum vnum commune principium sentiendi, vnum ratione, & essentia; & sic *animal* non tãtum est vnum nomen significandis multis singularibus commune, quod volunt *Nominales*, & non negant *Reales*, verum etiam significat rem, siue rationem vnam multis communem, quod volunt isti, & probant.

Ad confirmationem dic, verum esse antecedens, & falsum consequens; quoniam ea est innata vis intellectus, vt possit res quantumuis simplices, & alioqui indiuisibiles realiter quasi diuidere in conceptus obiectiuos varios ratione solũ distinctos, vt manifestè apparet in *Patre æterno* vno, & simplicissimo, in quo tamen noster intellectus quasi partitur essentiam à Paternitate,

nitate, dum illam cognoscit sine hac, & vice versa; id quod in diuinis fieri, vel ad-
554 uersarij multi confitentur, quid ni etiam in puncto possit cognosci ratio pũcti, quin cognoscatur materia, cuius punctum sit? doctrina hęc videmur experiri quotidie, quando nimirum procedimus cognoscentes rationes communes via doctrinæ, & ex auditu. nam puta te audire à magistro definitionem essentiæ vt sic, vel puncti itē in communi, sanè concipis essentiam solitariam, & punctum item solitarium; siquidem nescis neque cofusè, cuius essentia illa sit, neque cuius materię punctum illud sit: quod si quis contendat quamlibet rationem communem relatiuam esse, & sic non posse essentiam cognosci, quin simul vagè, & confusè cognoscatur id, cuius essentia sit, ipse non volens nobiscum fatetur distinctionem inter essentiā, & differentiam; quoniam relatio minus quam inter duo, re, vel ratione distincta esse non potest.

Secundum eorum argumētum est, quādo noster intellectus facit vniuersale, cognoscit plures res singulares, & plura indiuidua inter se distincta, vt similia, & conuenientia in aliquibus, aut in aliquo; ergo non tantum cognoscit, & repræsentat illorum puram conuenientiam, sed aggregatum rerum conuenientium, & simul differentium; ergo res, & indiuidua, quæ sunt à parte rei gregatim cōcepta sunt vniuersalia, & solitaria conuenientia non abstracta, depurata à differentijs.

555 Respōdetur cōcedendo siue distinguēdo maiorē, cognoscit intellectus plura distincta cōueniētia per actũ pręcise vniuersale abstrahentē ab ijs pluribus; nego maiorē, per alium actum, aut alios pręcedentes, qui disponāt ad fabricam vniuersalis, prius explorando rerum similitudines, concedo maiorem. itaque vt supra dixi in sect. 2. & 6. & dicam infra, præsertim in sect. 16. necessarium est ante fabricam vniuersalis, quando efficiendum est proprio labore, & industria, præcedant in fabricāte aliqui actus, tum sensuum externorum, tum potissimum intellectus, terminati ad res sensibiles singulares, vt sunt in se differentes, & conuenientes, nempè ad vniuersale in potentia, siue fundamentale, quod dicitur supra num. 505. à *S. Thoma* ex *Boetio singulare dum sentitur*, ad quos actus S. Thom.

subsequitur cognitio noua, præscindens conuenientiam à differentijs, siue vt loquitur Doctor Angelicus *depurans* naturam ab *indiuiduationibus*.

Sed instas Primo. impossibile est cognosci cōuenientiam, quin cognoscantur plura, quæ conueniunt, sicut impossibile est cognosci plurium differentiam, quin cognoscantur ea plura; ergo quando abstrahitur cōuenientia in vniuersalis fabricam, cognoscitur plurium collectio, antecedens probatur; quia conuenientia est quædam relatio, relatio autem sunt duo, aut plura simul cognitione, idest, simul cognoscenda.

Respondeo. duplex est conuenientia, alia per modum similitudinis, & hæc verè 556 est relatio prædicamentalis constans pluribus cognoscendis necessario, quoties cognoscitur similitudo: atque de cognitione eiusmodi conuenientię pręclarè loquutus est *S. Thomas* 1. p. quæst. 85. art. 4. vbi probat per vnum actum posse cognosci plura præsertim corp. & ibi, *ad quartum dicendum quod quando intellectus intelligit differentiam vel comparationem*, seu conuenientiam, *vnius ad alterum, cognoscit vtrūque differentium, vel comparatorum sub ratione ipsius comparationis, vel differentia, sicut dictum est, quod cognoscit partes sub ratione totius*. Sed per istam cognitionem cognoscitur quidem tota relatio conuenientiæ, vel differentiæ, quia cognoscuntur partes plures, quibus componitur, non vero fit vniuersale, quod est longè alio modo conuenientia; nēpè per modum identitatis; ita quod illud, quod terminat cognitionem non sit similitudo, sed identitas sine multitudine conuenientium, vel differentium, quod tunc fit quādo natura humana v. g. in qua conuenerunt plura indiuidua, *consideratur sine principijs* indiuidualibus, vti dicit *S. Thomas* eadem quæst. 85. a. 1. ad 1. & quando *depuratur*, vt potest, *per intellectum ab indiuiduationibus*, vt dixit in Opusc. 55. vt enim idem S. Doctor in eo art. 1. corpore dicebat, *proprium est intellectus humani cognoscere formam in materia quidē corporali indiuidualiter existentem, non tamen, prout est in tali materia; cognoscere vero id, quod est in materia indiuiduali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam à materia indiuiduali*, & ideo

S. Thom. (margin, beside "est S. Thomas 1. p.")

S. Thom. (margin, beside "principijs indiuidualibus")

& ideo, prosequitur in a. 2. ad 1. *nihil prohibet colorem intelligi nihil intelligendo de pomo*, & similiter nihil prohibet hominem intelligi, & *Considerari* vt *aliquid simplex abstractum à multis*, vt ait super *Dionysiū*, c. 7. lect. 5. initio nil intelligendo de multis singularibus, & per huiusmodi intellectionem fiunt vniuersalia.

557 Sed instas secundo. Conuenientia, quantumuis dicatur identitas, est quoque relatio, siquidem est plurium, ex pluribus collecta, vt supra loquitur *Aristoteles* & propensa, & ordinata ad plura, apta nata illis inesse, vt ostendemus à sectione sequenti. ergo nequit pura intelligi in pluribus, & quin cognoscantur plura; ergo intellectio cognoscens vniuersale, idem facit, siue cognoscit collectionem. sed hæc instantia non fauet *Nominalibus*, licet conuinceret plura debere cognosci per actū vniuersale abstrahentem; etenim ea plura afferrentur vt inferiora, ad quæ vniuersale propenderet transcendentali respectu, non vero vt constitutiua ipsius, vt ostendam infra à sect. sequenti, & præsertim in sect. 16. vbi dicturus sum vniuersale fieri posse & solere duplici actu, & modo: primo per actum mere, abstrahentem, terminatum solum ad naturam, quam facit vniuersalem, non tangentem alia, neque in obliquo, id quod fieri posse ab intellectu, paulò supra docebat S. *Thomas*. Secūdo, fieri quoque vniuersale per actum cōparantem, siue quasi complexum cognoscentem mediante vna sui particula naturam, eamque efficientem vniuersalem, & aliâ se extendentem ad inferiora, de quibus natura vniuersalis abstracta est, & potest prædicari: sed quoquo modo, & actu vniuersale fiat, nunquam est singularium congeries, vt patet contemplanti.

Et quoniam frequentius vniuersale fiat per actum comparantem, qui simul est abstrahens, & comparans, idest simul præscindit naturam, & videt eius inferiora, dixerit alicubi S. *Thomas*, non fieri vniuersale nisi per cognitionem plurium; dato tamen quod ita semper vniuersale, & necessario fiat; & quod ita senserit (quod falsum est) S. Doctor, non conuincitur vniuersale esse relationem prædicamentalem, siue multitudinem; sed esse relationē transcendentalem; idest vnam obiectiuam essentiam relatam ad plura, quibus apta est esse, & de quibus potest prædicari. dixi falsum esse quod S. *Thomas* senserit cognitionem abstrahentem vniuersale, debere repræsentare plura, quia ipse dixit supra in illa q. 85. 1. p. a. 1. cor. fieri per merā abstractionem, non tangentē plura, & idem repetit *ad* 1. vnde *Caietanus ibidē*. *quoad primum* scribit, *ista abstractio*, qua scilicet fit vniuersale, *& cognoscitur quidquid est hominis abstrahendo ab hoc, & illo homine, solum est expoliatio rei abstractæ nō per realem denudationem, sed per negationem actionis, seu considerationis, vt in responsione ad primum clarè patet in litera.*

558 Tertium argumentum est. res omnes à parte rei sunt singulares ergo noster intellectus, etiam quando facit vniuersale, non cognoscit nisi ad summum res multas singulares. antecedens est certum. consequētia probatur primo. quia intellectus non potest mutare, nec inuertere, aut destruere naturas rerum, sed eas cognoscere, vt sunt in se, secus, si videlicet eas præscinderet, & cognosceret aliter ac sūt in re, efficeret chimeras, & prorsus falleretur non se accommodando rebus, vt sunt à parte rei. Probatur secundo. quia nihil potest cognosci sine eo, quod est de ipsius essentia, & definitione, sed singularitas est de essentia rerum; ergo non possunt sine falsitate cognosci sine singularitate. ferè totū hoc argumentum sibi opponit S. *Thomas* 1. p. q. 85. art. 1. ab initio, ex cuius Respōsis assumo solutiones.

Et concesso antecedenti, nego consequentiam; ad primam eius probationem dico, quod intellectus realiter, & physicè loquendo, nec mutat, nec destruit res, sed tamen præ sua limitatione, & itē industria perfectione, ex eis quasi colligit, ac separat naturam cōmunem à differentijs, nimirum eam considerando solam, & aliud nihil, in quo non fallitur, nec facit chimeras, quia nihil fingit, sed meram conuenientiam capit, nec falso affirmat naturam conceptam separatā esse à singularibus re vera, aut ratione ante rationem, seù ante intellectum: sed solum eam naturam apprehendit solitariè ipsam repræsentādo, & dicitur cōmuni prouerbio desumpto ex *Aristotel.* 2. Phys. c. 2. quod *apprehendentium, vel abstrahentium non est mendacium* quare quamuis intellectus dum cognoscit res, quæ

quæ sunt à parte rei, non se cum illis ac-
cómodet, sed eas abstrahendo cognoscat
aliter, atque sunt à parte rei, non fallitur,
neque efficit chimeras, dum tamen nil fal-
so iudicet, aut componendo, idest affir-
mando aliquid esse quo modo, aut vbi non
est; aut diuidendo, hoc est negando ali-
quid non esse, quo modo, aut vbi est.
Sed solummodo rem simpliciter appre-
hendat, *sicut cum intelligimus vnum ni-
hil considerando de alio.*

Abstrahere igitur dixit S. Pater ad 1.
559 S.Thom. *per intellectum ea, quæ secundum rem non
sunt abstracta, secundum primum modum
abstrahendi, non est absque falsitate; Sed
secundo modo abstrahere per intellectum,
quæ non sunt abstracta secundum rem,
non habet falsitatem. vt in sensu apparet.*
ideo oculus, vel intellectus percipiens co-
lorem pomi, siue in pomo, hoc licet non
percepto, non est falsus; sed qui videndo,
& percipiendo colorem diceret *color est
separatus à pomo, vel non est in pomo*,
falleretur: abstractio ergo, qua fit primo
modo vniuersale, non fallitur; falleretur, si
fieret modo secundo. addemus tamen in-
fra in obsequium grande lectorum, quo
pacto, nec fallatur intellectus etiam dum
iudicat cognoscédo in actu, vt aiunt, exer-
cito, res aliter ac sunt in se, postquam ad
secundam probationem argumenti respó-
derimus.

Respondeo ergo cum S. Doctore ad 2.
S.Thom. concessa maiori, negando minorem, nec
enim probari poterit esse de essentia Petri
& Pauli, siue de naturæ humanę, Pauleita-
tem, & Petreitatem, aut alias differentias
indiuiduales, quemadmodum firmiter cre-
dimus esse de essentia, aut de intrinseco
conceptu naturæ diuinæ, ipsius indiuidua-
lem differentiam, qua quantumuis à per-
sonis per intellectum discreta, semper ea
vna numero perseuerat, propter ipsius im-
mensam vnitatem, & perfectionem, ita
quod neque disiuncta, per intellectum
ab illis, neque coniuncta cum ipsis cre-
scat multiplicetur, aut sit plus quam
vnica.

Secus multo est de natura humana, &
quælibet alia creata, quæ quia crescit in
multis multiplicata realiter, præbet fun-
damentum intellectui, vt illam, supposi-
ta conuenientia singularium, faciat præ-
sciendendo vnam nó numero, quod est im-
possibile factu, si nequit intellectus res in-
uertere, & rerum essentias immutare; sed
vnam in specie. *Intellectus igitur*, inquit
S Pater, *abstrahit speciem rei naturalis*, S.Thomas
*singularis à materia sensibili indiuiduali,
sicut speciē hominis abstrahit ab his carni-
bus, & his ossibus, quæ nō sūt de ratione, vel
essentia speciei sed partes indiuidui, vt di-
citur* in 7. met. tex. 36. *& ideo sine eis consi-* Aristotel.
derari potest. Vnde negatur consequentia.
fatendum verò est, vt occurratur replicis,
singularitates rerum realiter esse idem cū 560
ipsis a parte rei, nec in re esse aliud, rem,
aliud singularitatem ipsius; sed verò, vti
dicebam, quia reperiuntur plures res eius-
dem speciei, dant ansam, & occasionem
intellectui, vt præscindat, & colligat ex
ipsis collatis vnum commune, quod non
importat vllam differentiam, quia de se
vnum numero verè non est, nec esse po-
tuit ob conditioné imperfectionis, & mul-
tiplicationis creatis rebus inseparabilis.

Hic quoque adnotarem tria pro facili
solutione reliquarum obiectionum. primū
ex *Suarez* disp. 2. metaph. sect. 2. num. 4.
nempe non argui perfectionem grandem,
& quæ capi nó possit in aliquo extra Deū
posse vnum in specie dici de multis, nam
in eo est planè sola, & mirabilis natura di-
uina, quod vna non in specie solum, sed
in numero, adhuc dicatur de tribus, in
quibus sine sui multiplicatione identifica-
ta sit. secundum est. dum dicis *Petrus est
homo, Paulus est homo*, & si de cæteris,
prædicas rem seu formalitatem eandem
de quolibet, in quo identificata, fit rea-
litas, & crescit, ita quod in tribus sit nòn
vnus, sed homo triplex, secus multo est,
vt firmiter credis, In diuinis, vbi in Trini-
tate Personarum secum identificantium
diuinam Naturam, agnoscis vnum Deum
propter vnitatem naturalem indiuiduam
naturæ ipsius. Tertio aduerto naturam 560
abstractam a Petro, & Paulo, vel ab vno
solo indiuiduo, posse prædicari de omni-
bus, quia non est duplex aut, vna numero,
sed vna species, quæ in re identificata est
cum omnibus hominibus, & est om
nium hominum, sicut abstracta
dicitur & est vna non rea-
liter, sed formaliter
apta nata esse
in illis.

Res-

Residuum Sectionis huius 7. deducit corollaria quædam Metaphysica, & Theologica. Vbi de modo prædicandi Vniuersalia, & alias formalitates de suis subiectis, & qua veritate id fiat, siquidem res à nobis hominibus sæpius cognoscuntur, & efferuntur aliter ac sunt in se.

561 *S. Thom.* EX occasione doctrinæ *S. Thomæ* allegati in illa quæst. 85. a. 1. primæ partis, pro relegandis tenebris ab animis studentium, hic per quædam quasi consectaria dicendum fuit primo, Vniuersale quoduis, quoad se attinet, æque bene fieri vnum, tam actu simplici abstrahenti, in quo nequit esse falsitas, quam actu enunciatiuo componente, aut diuidente, vero, vel etiam falso, sed qui, vt vniuersalis est fabricator, falsus non sit, idest, fictum quid non repræsentet, sed verum prædicatum cum fundamento abstrahat, licet obiter id ipsum affirmet, aut neget de subiecto. res tota illustratur practicis exemplis. Visa rerum similitudine v.g. animantium vniformi modo sentientium, apprehendis *animal* seorsim, simpliciter, ae sine vlla enunciatione, vel enunciando dicis, *animal est in his rebus*, vel etiam aliquo errore ductus ais, *animal separatum esse ab ipsis vel in ipsis nō esse*. Fecisti vniuersale vnū genus, nā multis modis, & a[illegible] bus fit vniuersalis abstractio, ne[illegible]e [illegible]r, quot contingit *cōsiderari sine principijs indiuiduantibus*, idest sine singularitatibus, vt fusè dicemus inf. in Sect. 17. quantumuis alsi de actus deprauantes falsi sint, quod nō iudicent de rebus cognitis, vt ipsæ sunt, & vt oportet iudicari; semper enim illa cognitio, quæ repræsentat *animal* repræse[illegible]tat prædicatum verum: supponimus enim in proposito non fingi chimæricum animal; & hoc non est contra *S. Thomam*.

Dicendum fuit secundo, tātam esse imbecillitatē intellectus humani præpediti, & existētis in isto nostro terrestri corpore, vt sæpè necessarium nobis sit, cognoscere res quidem, quæ sunt a parte rei, sed aliter ac ipsæ sunt in se: ex quo fit vt res cognitæ à nobis cum ista imperfectione, non sint à parte rei eo modo, quo à nobis cognoscuntur, sed alio valde differenti; siquidem *animal* à nobis cognoscitur seorsim, & quasi præcisum ab inferioribus, quo modo illud à parte rei non est; quia est ipsa inferiora. sed neque hoc solum contingit in simplici apprehensione, sed etiam in iudicando & discurrendo; nec solum in materijs creatis, verum frequentius in diuinis, vt apparet in his propositionibus vocalibus, quæ sunt vicesgerentes sensibiles intellectionum nostrarum.

Petrus est homo, Ioannes est animal, Antonius est rationalis, Homo est visibilis homo est albus, animal est corpus, corpus est substantia, & in similibus versantibus circa obiecta creata, & in his versantibus circa diuina, quæ Theologis, ac sanctis Patribus sunt frequentissima: *Pater æternis filium generat medio intellectu, & non voluntate. essentia diuina communicatur filio, non filiatio. misericordia miseretur non iustitia*. & in alijs pluribus locutionibus, medijs quibus solent Sacra Concilia, sancti Patres, Theologi, & Philosophi significare bene, & cum omni veritate ea, quæ sunt à parte rei, vt legis apud *P. Granada* 1. par. controuersia de substātia Dei, tract. 2. disp. 5. sect. 3. num. 16. & *Ruiz* de Trinit. disp. 12. art. sect. 1. & 2. quoniā res, & entitates singulares, quæ sūt à parte rei, significare possumus non solū vtendo terminis, seu verbis eas significantibus, vt sunt a parte rei, quibus congruentius & proprius, & earum naturis accommodatius, significantur, (nec enim potuimus hoc negare *Nominalibus*) verum etiā præ humanæ intelligentiæ limitatione, vtendo verbis illas significantibus, non vt sunt à parte rei, sed vt a nobis limitato, & certo modo cognoscuntur. in Cælo cum Angelis à Deo edocti, & euecti vtemur illis terminis, modo in terris his vtimur frequentius. quotiescunque rerum entitates non comprehendimus, sed paulatim, atq; per partes, alias ab alijs quasi partiendo, quandoq; pro mera lubentia arbitraria, quandoque pro necessitate, cognoscimus. 562

Quamuis neque negare possimus Nominalibus prædictas omnes propositiones item veras esse, & captu faciliores in eorum opinione. vt exemplifico in vna, & altera. Hęc est vera, *Petrus est animal*, quia eius sensus est in Petro est physica virtus sempe anima, aut aliud singulare quod sentire potest. rursus illa diuina est quoq;

vera

vera *misericordia miseretur, non iustitia*. cuius sensus est Deus inadæquate consideratus in ordine ad benefaciendum non punit. sed cautè aduerte illam prædicationem *Petrus est animal*, non esse prædicationem generis, sed prædicati cuiusdam singularis, & quasi identica. nec enim illud animal, quod ibi affertur, vt est à parte rei potest esse vniuersale, aut vnum aptū esse in pluribus, quare si Nominales nobis cōcederēt vlterius posse fieri ab intellectu præcisiones formalitatū, saltē aliquādo, aut in rebus valde obscuris, siue intellectu difficillimis, omni ex parte vera prædicarent;

563 nam sanè eorum prædicationes, & propositiones securius veritatem vbique continent, & facilè cum illa sua distinctione rationis penes inadæquatos conceptus nō obiectiuos, sed tantum subiectiuos, & formales, respondere possunt authoritatibus & rationibus incontrarium: si tamen vniuersalia non ponant congeries. quæ nos dicimus esse formalitates obiectiuas aliquantùm difficiles intellectu, sed affertas à magnis viris, & sine quibus stare non possunt prædicabilia, nec prædicamenta eorum, quos imitari debemus.

Dicendum ergo fuit tertio, ac declarandum quo sensu prædicentur, & sensum verum contineant propositiones vniuersalium, siue quarum prædicata sunt vniuersalia, vt hæ. *Petrus est animal. Paulus est rationalis*. & similes. & ratio obscuritatis est, quia earum subiecta sunt entitates singulares, & prædicata sunt rationes, formalitatesque communes, à qua difficultate facilius, quod debent *Formalizantes* ingenuè confitēri, se expediūt *Nominales* iuxta sensum suarum propositionum paulò superius explicatum. sed tamen dico illarum sensus hic est, animal siue principium sentiendi metaphysicum realiter est Petrus, & similiter est Paulus principium commune discurrendi. difficilior est captu sensus illius propositionis *Petrus est albus*, quia *albus* est concretū per accidens, quod resoluitur per *habens albedinem*, & nullum vniuersale quit esse ens per accidens. sed respondeo nec in prædicatione proprij, aut accidentis prædicari ens per accidens, vt enim est quædam Logica regula, *aliud est id ratione cuius prædicatum affirmatur, aliud id cuius meritò prædicatio verificatur*. ergo in prædicta propositione prædicatur concretum *albus* ratione habentis, quia dicit *S. Thomas*, est regula logicalis, quod *prædicatio fundatur in identitate prædicati cum subiecto*. sed eam habere veritatem contingentem verificatur, seu conuincitur ratione albedinis, quæ accidentaliter cōuenit subiecto, quia eius propositionis, vt est prædicatio accidentis, & vniuersalis, sensus est, *Petro inest albedo*. Sect prædicatio illa non pertinet ad accidens, sicut nec ista, *album est dulce*, quæ, si prædicatum conuoluat subiectum, & sit concretum per accidens, pertinebit quasi ad genus essentialiter conueniens inferioribus; si autem æquipolleat huic, *albo inest dulcedo*, est prædicatio accidentis, quia subiecto prædicatum simplex conuenit contingenter. sed de his alibi fusius & cōgruentius, nempè à num. 732. & 1159. S. Thomas.

SECTIO VIII.

Declarat secundam partem definitionis Vniuersalis, positam ibi loco differentiæ, qua illud dicitur aptum esse in pluribus: *vbi de Aptitudine in generali; ac de ea, quæ competit vniuersali formali.*

Miserandum omnino est quantoperè diuexent Tyronum ingenia vniuersalium aptitudines, quibus nihil tradi solet, ac edoceri obscurius à Doctoribus propter rei difficultatem, & fusam tractationem. consulemus nos memores emolumenti vestri, ac leuamēti, vti solemus breuitati, & claritudini, quæ duo labore assiduo, & non mediocri industria, & potissimum fauēt e Numine fortasse assecuti fuimus, & cum veritate coniunximus.

Ante veritatis ergo explanationem admonemus primo, Aptitudines, siue potentias dici plures, & inter se esse valde differentes. nam in primis aptitudo alia est *remota*, alia *proxima*. Aptitudo remota est, vt ait *Ruiz* de scientia Dei disp. 33. sect. 1. num. 9. potentia radicalis, quam habet ad currendum, qui ligatus est pedibus: & ad videndos colores, qui est in caliginoso loco, & sine luce; & quam habet materia prima Petri ad recipiendum formam cuiusdam equi; & similia, quæ non pos-

possũt exercere suas operationes, vel quia deest illis aliquid requisitum ad operandũ, vel quia superest aliquid impediens, vt in exemplis vidistis. aptitudo verò proxima, est potentia expedita, & prompta, quam habent res, quibus ad opus suum nihil impedimento est, quomodo est potentia ad currendum in adolescente forti, sano, expedito, & præcincto; aut in equo, quod aiunt in *planicie*; & in potẽtia visiua ad videndos colores in illuminato loco; & quã habet materia ligni cum vltimis dispositionibus ignis ad formam ipsius recipiendam.

565 Deinde alia aptitudo est *positiua*, alia *negatiua*. positiua aptitudo, quæ alio nomine dicitur innatus appetitus, propensio & inclinatio, est illa, quam habent res erga effectus suos, erga compartes, & cõplementa sui, vel ornamenta connaturalia, quibus eæ res quasi satiantur, complentur, ornantur. similem aptitudinem habent intellectus ad sciendum, siue ad actus scientificos; voluntas ad amandum, siue ad actus amoris; homines ad suam fælicitatem; materia prima ad formas recipiẽdas; res graues ad centrum, *oculus ad visum, corpus ad sanitatem*, vt exemplificat *Aristoteles* l. 1. *Moralium Eudemior.* cap. 5. vbi rebus inanimatis concedit quasi appetitum ad propria commoda, Aristotel.

Aptitudo autem negatiua, (quæ vulgo Logica, nõ repugnantia, siue potentia dici consueuit) est, quam habent res ad actũ, vel rem, quam nec petunt, nec respuunt. sic est quam habent cæleste orbes ad motum, vel quietem, qui propter eiusmodi aptitudinem æque bene se habent, siue ab Angelis impellantur in orbem, siue alio motu, siue nullo; & quoniam ista aptitudo negatiua de actu non curat, nec eum petit, aut appetit, licet aliunde, vt fert occasio ipsum efficiat connaturaliter, & recipiat sine violentia, differt vel maxime ab aptitudine positiua in actum suũ propensa, vt declaratum est.

Tertio denique alia est, aptitudo *realis* alia *rationis*. illa est, quæ existit in rebus à parte rei: hæc nõ nisi post operationẽ intellectus; vtraque tamen est vera potẽtia, & non ficta, aut chimærica. reales aptitudines sunt supra illatæ in exemplis, quæ dici etiam solent physicæ potentiæ ad differentiam aptitudinis rationis, quæ quia pendet a præcisione intellectus, dici solet metaphysica potentia, qualis est ea, qua ens in communi quodlibet quasi facit, & quasi recipit suas operationes in communi, & item passiones. quarto denique alia dicitur aptitudo determinata ad vnum ex parte actus, idest determinata ad vnũ actum in specie, vt est potentia grauis ad vbi circa centrum. alia est indeterminata, & vaga ex parte actus, idest libera, & non adstricta huic determinato soli, aut illi actui, qualis est potentia comedendi, quam quisque habet, quæ alligata non est ad comestionem hanc, vel illam, huius, cibi determinati, & non alterius, sed latitudinẽ oris, stomachi, & ventris habet ad 566
quem volet cibum comedendũ, hunc, vel illum, aut alium, nisi ex accidenti restringatur ad vnum. simili potentia, qui sedet, stare potest, aut cubare, ambulare, vel sisti, & quiescere, per se loquendo, & nullo extrinsecus cogente violenter, nec trahente.

Pro luce harum aptitudinum maiori aduerto primo, eas omnes vel earum plures reperiri posse, & solere in eadem re sub varia consideratione. exemplo sit materia prima, qua anima mea informatur, cui insunt aptitudo *proxima* ad recipiẽdam animam meam; *remota* ad formam vermium; *positiua*, erga formas omnes tam substantiales, quam accidentales, ad quas à Deo conditore ordinata est: *negatiua* fortassè in ordine ad aliqua accidentia, vt vbi, & motus, vel erga formas cælorum, si fortè eæ non continentur intra collectionem suarum; *realis* item physica, & vera, siquidem ipsa realis & physica entitas est, & ad actus suos vim physicam, & realem habet, & exercet. Sexto videtur etiam materiæ inesse aptitudinem determinatam ex parte actuum, quia determinati sunt actus eius, nempè formæ, siquidem certa, & determinata est collectio, & numerus formarum, quas potest recipere quæuis materia. denique non videtur carere aptitudine vaga, & indeterminata ex parte actus aliquo saltem modo, quatenus attenta ipsius materiæ appetentia, & propensione, nõ magis postulat hic, & nũc actuari, & informari forma rationali equina, leonina, quam alia ignobiliori, sed cum qualibet æque de se satiata, & contenta est; nam quod dicitur, quod *materia appetit formas, & magis appetit meliores*, metaphorica loquutio est, 567

quæ mõstrat quid materia faceret, & quo modo in seligendis formis procederet, si ipsa consilio, rationeque polleret. Vides aptitudines plures vni materiæ inesse, & alijs etiam rebus plurimis id ipsum euenire, si aduerteris, frequentissimè experiere.

Aduerto secundo alia duo. primum est, quod si rigorosè loquendum sit, nomen *aptitudo* magis propriè videtur impositum ad significandam potentiam, qua res per se ipsam cõmunicatur,& se dat alteri aliud recipiendo, vel informando,quam potentiam, qua res producit aliquos effectus à se distinctos, vt aiunt, transeunter, & non per sui exhibitionem,& intra se, sed extra; vt est illa, qua lapidem iacis, & qua ignis manum calefacit. quare aptitudo propriissime dicitur de materia prima, quæ recipit in se formas, ac de formis, quæ materiam informant ipsi se dantes, & communicantes vicissitudine; & minus propriè de igne, & alia causa efficienti; de quibus congruentius dicũtur *potentia, causa, virtus effectiua*, & similia, non ita propriè *aptitudo*, quæ magis concernit causas materiales,& formales, & huiusmodi. Secundum est, nomen *aptitudo* grammaticaliter solum differre à nominibus,quibus significatur res,cuius est: ideò in materia prima Synonyma sunt ista, *materia, essentia, siue potentia, capacitas, appetitus, relatio transcendentalis, respectus, & aptitudo*; quæ vbique significant rem, quæ tot eis modis dicitur, nominatur, & est.

Admonemus Secundo, duplex esse genus compositorum, alia dicuntur, & sunt composita physica, idest composita ex naturalibus partibus distinctis realiter, vt Petrus, qui componitur anima, & corpore, vnione realiter vnitis. alia sunt composita metaphysica, quæ componuntur ex quasi partibus, seù formalitatibus non existentibus à parte rei,sed distinctis solum per intellectum, vt homo, qui constat animali, & rationali; & Petrus formaliter sumptus, quatenus compositus intelligi potest animali, rationali, seù homine, & Petreitate vnitis identitate.

568 Admonemus Tertio, in compartibus compositorum generis vtriusque expositi, dari vicissim mutuas aptitudines, appetitus, relationes transcendentales, siue respectus, quibus eæ partes se mutuò petũt, & appetunt vnisi, & in compositionem venire, cum illa notanda differentia, quod partes physicæ ita vniuntur vnione reali, vt semper in composito ex eis resultante perseuerent distinctę inter se realiter; partes verò metaphysicæ, ita inter se commiscentur à parte rei, vt omninò sint idem, & nullo modo distinctæ. ideò vulgò dicuntur vniri vnione identitatis.

Hac demum trina admonitione præmissa, quæ conformis est veræ doctrinæ, ferenda nostra sententia est, & absolutè pronunciãdum aptitudinem vniuersalium quorumlibet siue illud, per quod dicitur in definitione *Vniuersale aptum esse in pluribus*, tanquam per ipsius specialem differentiam, esse ordinem, seù relationem transcendentalem, & appetitum positiuum proximum, verum non fictum, quem habent vniuersalia omnia erga singularitates, vel differentias inferiorum suorum, & erga ipsa singularia, seù inferiora, ab illis respecta ratione singularitatum, seù differentiarum, cum quibus illa componunt composita metaphysica, cum eisdem se identificando, & per ea se multiplicando realiter.

Verbi gratia, aptitudo, quam habet natura humana facta vniuersalis, est ipsius essentia concepta per modus respectus transcendentalis positiui, & veri erga differentias numerales omnes humanas, nempè erga Petreitatem, Pauleitatem, & reliquas, à quibus præcisa fuit, & abstracta, vt medijs ipsis informata componat metaphysica composita, & cum eisdem à parte rei identificata realiter quasi crescat, & multipliciter, & fiant indiuidua plura, & singularia omnia humanæ speciei: & ita de reliquis vniuersalibus, nempè de genere, ac differentia, quæ sola ratione ratiocinata differunt à singularibus dicendum est, nam de alijs duobus nempè de Proprio, & Accidenti, quorum primum plerunque, secundum semper distinguitur realiter à suis singularibus, nemo dubitabit, quin ambo respiciant inferiora sua vero, & reali respectu, vti suum connaturale subiectum solent respicere connaturales passiones: quocirca albedo etiã in communi abstracta comparata ad inferiora realiter à se distincta, nempè ad Petrum, ad quandam Columbam, & hunc Cygnum, & alia alba, quorum est præ- 569

dica-

dicabile quintum, ideſt *accidens*; aut quartum ideſt *proprium*, habet ſine dubio erga ipſa verum quaſi realem, & tranſcendentalem reſpectum, veluti erga ſubiecta connaturalia, quibuſcum quodammodo faciunt compoſita, aut quæ ſaltem perficiunt, ſatiant, & adornant, & per quem reſpectum ea vniuerſalia his ſubiectis apta ſunt eſſe, vt probandum eſt, ac declarandum magis, ac magis in ſequentibus.

SECTIO IX.

Probat efficaciter Vniuerſalia habere de ſe ſine fictione intellectus, relationes tranſcendentales veras erga inferiorum differentias, atque eaſdem eſſe Aptitudines poſitiuas proximas illorum; ac deducit conſectaria in maiorem lucem doctrinæ, & concordiam Dialecticorum.

TRes partes habet noſtra ſententia. prior dicit, *naturas vniuerſales eſſe, ſeù habere tranſcendentales reſpectus ad differentias, vel particularia, à quibus fuerunt abſtractæ*, ita videntur ſentire *Ariſtoteles* infra referendus, & *S. Thomas* in tractatu de ente, & eſſentia cap. 4. dicens, *ipſa enim natura* (humana vniuerſalis facta) *habet eſſe in intellectu abſtractum ab omnibus indiuiduantibus, & habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ ſunt extra animam, prout eſſentialiter eſt imago omnium, & inducens in cognitionem omnium, inquantum ſunt homines, & ex hoc quod talem relationem habet ad omnia indiuidua, intellectus adinuenit rationem ſpeciei, & attribuit ſibi.* & *Caietan.* ibi præſertim §. & pro primo, cum *Ariſtotele*, & *Auicenna*, & alij antiqui, & moderni inferius allegandi, & *Conimb.* quæſt. 1. vniuerſal. art. 5. §. ad locum.

Ariſtotel. *S. Thomas.*

570 Probatur ratione euidenti. etenim quæcumque res habet relationem tranſcendentalem ad illud, à quo ſumit ſpeciem, ſiue perfectionem intrinſecam; ſed naturæ vniuerſales ſumunt ſpeciem, & perfectionem intrinſecam à differentijs ſingularium, à quibus abſtractæ ſunt; ergo & ipſæ habent relationem tranſcendentalem ad ſingularium ſuorum differentias. maior demonſtratorij huius ſyllogiſmi, eſt euidens apud omnes, minor facilè perſuadetur ex dictis, & conceſſis à communi ſententia Sectione præcedenti; primo quia pleraque vniuerſalia ſunt quædam compartes, natura ſua ordinata, & apta nata ad componenda cum ſuis differentijs metaphyſica compoſita, in quibus illa ſe habent inſtar materiæ, vel formæ, & propterea communiter dicunt Dialectici cum *Ariſtot. S. Thoma*, & cum Porphyrio cap. de differentia *animal*, quod eſt genus eſſe veluti materiam comparatione *rationale*, *hinnibile*, & reliquarum differentiarum animalis, quæ dicuntur eius, quaſi formæ; ſed compartes omnes cuiuſuis compoſiti, vt patet inductione facta per omnes, ſe ſpecificant mutuo, & viciſſim aliæ ab alijs conſortibus ſumunt perfectionem intrinſecam, ergo naturæ vniuerſales habent relationes tranſcendentales ad ſuas differentias, ſiquidem eas reſpiciunt, petunt, & appetunt tanquam proprios actus, & formas, non ſecus, ſed titulo ſtrictiori, quam materia prima, quæ quia ordinatur ex natura ſua ad componenda phyſica compoſita cum formis ſuis, ab eis ſpeciem ſumit, & perfectionem, & conſequenter ad eaſdem fertur tranſcendentali reſpectu. quod me docuerunt *Ariſtot.* 1. Phyſ. tex. 81. & *S. Thom.* ibi lect. 15.

Ariſtotel. *S. Thomas* nu. 685. & 712.

Ariſtotel. *S. Thomas.*

Perſuadetur Secundo eadem minor. 571
etenim quæcumque vniuerſalis natura ſpeciem ſine dubio ſumit, aut perfectionem à proprietatibus ſuis, ſiue paſſionibus, quarum ipſa eſt quaſi radix, vel fundamentum; ſed natura humana, verbi gratia, eſt quaſi radix, & fundamentum ſuarum differentiarum, nimirum Petreitatis, Pauleitatis, & reliquarum hæcceitatum ergo ab eis ſumit ſpeciem, aut perfectionem: neque proderit aduerſario reſpondere naturam humanam eſſe radicem non phyſicam, ſed metaphyſicam differentiarum harum, quoniam inuniuerſum receptum eſt in ſchola, radices omnes tam phyſicas, quàm metaphyſicas ſpecificari, aut perfici penes collectionum ſuarum paſſionum, aut affectionum; vt monſtrant exempla communiter allata in huius rei confirmationem; quorum vnum eſt

ens in communi, siue omne ens, quod tale est in sua essentia, quia quasi radix est talium passionum metaphysicarum, videlicet *Veri*, *Boni*, & cæterarum, quæ indicantur à dictione barbara REVBAV. alterum exemplum est anima rationalis, quæ item iudicatur esse talis speciei propter intellectum, voluntatem, & reliquas proprietates suas physicas, quarum est physica radix. iam verò si conuincitur naturam humanam specificari à singularibus suis; euidenter concluditur vniuersalem quamque naturam habere relationes transcendentales ad differentias respectiuè suas.

Tertio persuadetur efficacius adhuc id ipsum, quoniam illud dicit relationẽ transcendentalem ad aliud, quod cõprehendi non potest sine ordine ad illud aliud, sed vniuersale nullum potest comprehendi sine ordine ad proprias differẽtias; ergo omne vniuersale dicit relationem transcẽdẽtalem ad ipsas. maior est certa. minor cõuincitur; quia omne vniuersale est compars apta nata, & ordinata ad componẽdum cum alijs, nempe cum differentijs, vt patet euidenter in *animali* comparato cũ *rationali*, & *hinnibili*; sed compars necessario cognoscenda est cum respectu ad compartem; ergo nullum vniuersale potest perfectè cognosci sine suis differentijs ergo intentum. vide infra num. 981.

Quarto persuadetur. quia ea, quæ inducunt, & mouent ad cognitionem aliorum, habent cognationem cum ipsis, & relationem; sed vniuersalia inducunt, & mouent ad cognitionem singularium; ergo cum ipsis habent cognationẽ & relationẽ ad ipsa. maior est axioma *Aristotelis* cap. ad aliquid, vbi dicitur *quod relatiua sunt simul cognitione*, & quæ simul cognoscuntur, sunt relatiua; & fit illustrior ab exemplo materiæ primæ, quæ quia mouet, & ducit nos in cognitionem formarum, conuincitur habere respectum ad ipsas. minorem nos docuit supra *S. Thomas* dicens ibi. *natura humana inducens in cognitionem omnium* & demonstrata iam est in præcedentibus. fauet idem S. Pater 1. Contra Gentiles, capit. 65. num. 3.

Vltimo cõfirmantur minoris probationes; quoniam ea res dicitur habere relationem transcendẽtalem ad aliam rẽ, quæ perit pereunte alia re; sed si periret species humana, aut impossibilis redderetur, periret vniuersale *animal*; ergo *animal* habet relationẽ transcendentalem ad rationale, & ad reliquarum bestiarum differentias. maior propositio est cõmunissime recepta inter Theologos, & Philosophos. de minori non est, qui dubitet, si sapit, vt notabamus in num. 348. consequentia legitime infertur, maneat ergo inconcussa veritas, & absolutè dicatur vniuersales naturas habere appetitus, respectus, siue ipsas esse relationes transcendentales erga differentias suorum inferiorum, & ratione ipsarum erga ipsa quoque inferiora, à quibus per intellectum illæ abstrahuntur.

572

Secunda pars veræ sententiæ affirmabat *præfatas relationis vniuersalium erga inferiora*, à quibus sola ratione ratiocinata distinguuntur, *vocari debere*, *& esse ordines reales*, *aut veros*, *non fictos siuè rationis fictiones*, vt falso credunt multi Iuniores cum *Conimbricensibus in Præfat. Porphyrij* quæst 6. art. 1. & sequentibus, & cum alijs Antiquioribus ibidem allegatis, & à nobis afferendis in sect. sequenti: sed nos tantum volumus relationes istas, atque respectus veros esse, & non chimæricos fabricatos ab intellectu, & vniuersalibus veluti appendices annexos; licet in ipsis non eluceant, nec existant distincti à singularibus, nisi post operationem, & distinctionem intellectus vniuersalia fabricantis; & eos significari congrue posse nomine, ac termino *realis*, & *reale*, qui aptus est significare quidquid habet veram entitatem, & essendiam modo existat à parte rei ab alio distinctum, modo discernatur per intellectum, licet cum aliqua extensione vocabuli, quam nunc admittimus, vt melius nos declaremus contra istos fictarum relationum inuentores.

Probatur ergo ea secũda pars hac vnica ratione. Inter ea, quæ sola ratione ratiocinata distinguuntur, possunt dari relationes reales, seu veræ, si mutuo se specificent, aut saltem vnum specificetur ab altero: ergo relationes, quæ reperiuntur inter naturas vniuersales, & earum differentias, sunt, & dicendæ sunt veræ, & reales; siquidem, vt probatum iam est, naturæ vniuersales specificantur à suis differentijs. antecedens videtur esse expressa 573

sen-

S.Thomas. sententia S.*Thomæ* 1.p. q.19.a.3. corpore ibi. *voluntas diuina necessariam habitudinem habet* (idest relationem) *ad bonitatem suam, quæ est proprium eius obiectum, sicut & qualibet alia potentia necessariam habitudinem habet ad proprium, & principale obiectum, vt visus ad colorem, quia de sui ratione est, vt in illud tendat.*

Ecce Angelicus Doctor agnoscit inter diuinas perfectiones, quæ sola ratione differunt, relationem similem illi relationi, quæ est inter res realiter distinctas; qualis est in potentia visiua erga colores, quæ sine dubio vera, & non fucata relatio est: ratio verò, quæ mouit S. Patrem ad id afferendum, fuit, quia potentia visiua speciem sumit ab obiecto, & talis est, quia ad illud tale obiectum tendat. Consentiunt docti Magistri è nostra Societate in Boetica Prouincia, inter quos est vnus Magister meus P. *Michael de Espinosa* in Controuersia de Trinitate, cuius scripta magno Reipublicę Scholasticæ ornamento, & emolumento euulgari deberent. licet verbis, contra sentiant Doctissimi *Suar.* tom. 2. met. disp. 47. sect. 4. num. 4. *Ruiz* de Trinitate disp. 54. sect. 4. nu. 16. & alij, quorum fundamenta argumentorum loco apponentur, ac diluentur inferius.

Confirmatur eadem ratio. quia illi omnes ordines respectus, & relationes sunt reales, qui veri sunt, & non ficti, aut metaphorici, sed ordines, quos habent vniuersalia erga singularia, sunt veri, & non ficti, ergo meritò dicuntur reales. Maior videtur manifesta, minor ex eo liquet, quod vniuersalia ex natura sua seclusa omni fictione quantumuis afferta per modum respectus superioris ad inferiora, respiciunt singularitates, vel differentias, vti suas cõpartes, vt proprias verasque passiones.

Pars altera Sectionis cõuincit Vniuersalium declaratas Aptitudines esse ipsorum essentias veras, non fictiones: & positiuas, ac determinatas esse.

574 POstquam probatum à me est vniuersales naturas ferri ordinibus, & respectibus transcendentalibus veris, & non fictis ad inferiora, sine ad eorum differentias, à quibus illæ abstractæ fuerunt; qui respectus, aut relationes nihil aliud sunt, quam ipsæmet naturæ vniuersales aptæ natæ esse in pluribus, consideratę quasi propensę, & appetentes idẽtificari cum suis inferioribus, aut differentijs, fit manifesta tertia pars nostræ sententiæ, nempè, *aptitudines vniuersalium consistere in ipsis positiuis relationibus transcendentalibus*, siue nihil aliud esse, quam ipsas relationes, & vniuersalium naturas, & essentias ad inferiora relatas, & propensas.

Hoc ipsum videtur sentire *Aristoteles* quoties definit *vniuersale esse aptum natum inesse pluribus*, quasi ex origine, & natura sua habeat vniuersale aptitudinem, & propensionẽ ad plura. legatur 1. Periher. cap. 5. & ibidem in lect. 10. *S.Thomas*, vbi in vniuersali natura fatetur dari aptitudinem similem illi, quæ datur in forma, vt sit in pluribus materijs, aptitudo autem formæ sine dubio est relatio transcendentalis vera, & realis, erga eas materias, tanquam erga compartes. Consonant hi nostri Magistri infra n. 740. vbi dicunt Talpæ genus esse natum habere visum, legantur ibi. docent id ipsum *Ferrara* 4. contra gentes cap. 35. & re ipsa *Suarez* disp. 6. metaph. sect. 6. num. 8. & 9. *Conimbricen.* quæst. 1. vniuersal. articul. 4. & 5. & cap. 1. de genere quæst. 2. articul. 2. §. hæc, & quotquot dicunt definitionem illam *Aristotelis* essentialem esse. P. *Granado* tum in suis Logicis M. S. tum etiam in Theologicis in prima part. Controuers. 5. tract. 3. disputat. 4. sect. 3. num. 2. *Cardin. Toletus* de Vniuersalibus, de Subiecto libri quæst. 2. §. pro istius. Consentiuntque docti Iuniores, quin etiam Antiquiores, de quibus ita loquitur *Fonseca* to. 2. metaph. lib. 5. c. 28. q. 10. sect. 2. sic incipiens. *Veteres tamen Aristotelis enarratores facilius se ab hac quæstione expediunt, ipsas enim aptitudines, quibus naturæ communes dicuntur aptæ, tum vt sint in pluribus, tum vt de pluribus dicantur, relationes vocant. sic Boetius*, &c. & colligitur ex communi sententia, quæ naturas vniuersales vocat vniuersales in essendo; quia nimirum essentiam vniuersalem habent ad plura patentem; & plura inferiora sibi per suas essentias, quasi per relationes respiciunt. & quidem Thomistæ omnes, & quotquot præscindunt formalitates, consequenter debent ita, sicut & nos de aptitudine sentire, e & communis, vt vides infra n. 982.

Aristot. S.Thomas.

575 Probatur secundo ratione. quoniam aptitudo v.g. naturæ humanæ, (& eodē modo est aptitudo reliquorum vniuersaliū) est potentia, qua illa potest, & apta est identificari cum suis singularibus, seu differentiis; sed ipsa natura per se, & per ordinem transcendentalem sibi essentialem, siue per suam essentiam potest, & apta est identificari cū prædictis differentijs, ergo naturæ humanę aptitudo est ipsius relatiua essētia. Maior est certa. probo minorē. per id enim potest & apta est res vna idētificari cū alia, per quod actu idētificatur; sed natura quęuis vniuersalis per se ipsā actu identificatur cum suis inferioribus; ergo per se ipsā potuit, siue apta fuit identificari cum eisdem. quoniam *actus, & potentia sunt idē, siue eiusdem generis*, quod ait *Aristoteles* 9 metaph. cap. 8. *& ab actu ad potentiam bene valet consequentia*. & confirmatur. quia aptitudo, sicut & potentia, vt nomen prę se fert, est ad aliquid, siue ad aliud, & sic relatio.

Aristotel.

Relinquitur ergo ex dictis primo, aptitudines vniuersalium esse ipsas naturas eorundem abstractas per intellectum, & factas communes pluribus, inquantum sunt relationes transcēdentales reales, seu verę, positiuæ respicientes inferiorum suorum differentias in ordine ad identificationem cum illis, cum quibus pleraque vniuersalia componunt composita metaphysica, vti probatum manet in hac Sectione, ac declaratum supra præsertim n. 568.

Quapropter neque satis mirari quando video tantos viros, etiam ex ijs, qui nobiscum formalitates admittunt, posuisse quasi de necessitate in vniuersali præciso, inprimis vnitatem extrinsecus affixam, vel effictam; ac deinde fictam aptitudinem, dictam ens rationis, siue relationem, quia illud sit vnum, & relatiuum, & respiciat sua inferiora. quorsum istæ fictiones, an seruire possunt, vel necessariæ sunt ad cōparandas scientias, & vt ego proficiam, & sapienter dicam *Petrus, aut homo est animal*, qui prius & facilius agnosco *animal* genus secundum suam definitionem, de se esse formalitatem vnam, aptam natā relatam, & procliuē ad identificationē cū homine & Petro, & inferioribus reliquis; quam ista intermedia ficta & chimerica, indicula afferta Petri & cęterorum inferiorum, de quibus genus *animal* debeam prędicare? sed vero forsā hi Doctores per istas suas fictiones superfluas, & non multum necessarias ad fabricam, etiam *vniuersalis*, quod dicunt *Logici*, & eius vsum, voluerunt Tyrones instrui, ac disponi, vt intimus vniuersalium occultiores alias natiuas vnitates & aptitudines veras relatiuas quasi per signa magis sensibilia penetrarēt; præsertim cum nouum non sit nos homines vti fictionibus, vti adminiculis in rerum verarum, etiam diuinarū intellectionibus, vt vides infra n. 1079.

Quod autem *aptitudines* hucusque declaratæ sint, ac dicendæ sint *proxima*, 576
ex eo certissimum est, quod inueniuntur in naturis vniuersalibus omnino liberis ab impedimentis singularitatum, siue sunt ipsæ naturæ vniuersales, vt ita rectius loquar, effectæ ab intellectu remotæ, & liberatæ à singularium differentijs, quæ solæ poterant illis esse impedimento, quominus aptæ essent, vt indifferentur identificarentur cum qualibet, ac de quolibet inferiori prædicarentur.

Colligitur secundo easdem vniuersaliū *aptitudines* esse, ac dici debere *positiuas*, non solum quando, & quia ipsæ essentiæ vniuersalium plerumque entia positiua sunt; sed præsertim, quia vniuersales omnes naturæ siue positiuæ, siue negatiuæ, respiciunt singularium suorum differentias positiua inclinatione, appetitu, & respectu, eas petunt, & appetūt, & erga ipsas innatam propēsionem habent, tanquam erga compartes, & complementa sui, quibus cum bene se habent, naturaliter connectuntur, perficiuntur, ornantur, & conseruantur, & sine quibus non ita bene se habent; & si fas est ita sentire, & loqui de rebus inanimatis, vniuersales istæ naturæ magis quasi propendent in perfectiora inferiora, id quod docere solent curiosi Philosophi de materia prima, quæ quasi appetat formas, & magis appetat meliores, idest magis appeteret animas rationales, quam alias ignobiliores, si intellectu, consilioque polleret. simili metaphora dici potuit quod *animal*, quod est genus appetat differentias, & quasi magis appetat perfectiores.

Colligitur Tertio, præfatas *aptitudines* non recte appellari à *Suarez* in metaphys. disp. 6. sect. 4. num. 10. & communiter à Recentioribus, *negatiuas*, siue non repugnantias, si tamen ab eisdem auctoribus excludantur appetitus, & positiuæ propē-

sio.

siones, quæ vniuersalia habent erga inferiora sua; licet in aliquo sensu verum est à fortiori non repugnare rei id, ad quod res aliunde innato appetitu fertur, & sic S. Thomas explico pro me *S. Thom.* 1. Perih. lect. 10. ibi, *contingit autem quandoque quod nō repugnet rationi intellectæ esse in pluribus*; & locum Opusc. 56. quem allegarunt *Conimbr.* in *Præfat. Porphyrij* q. 3. art. 2. sequuti communem, quam dicunt, sententiam cum *Suarez*, quorum rationes pro tuenda sua aptitudine negatiua, parum vrgent, & ex dictis, & dicendis facile diluentur.

Colligitur quarto, *aptitudines* istas esse,
577 & dici posse *determinatas* tam ex parte ipsarum, vtpote quæ sunt ipsæmet naturæ vniuersales, quæ determinatas essentias habent; quam ex parte singularium suorum, siquidem vniuersalia omnia respiciūt suo illo ordine, & respectu transcendentali determinatam quandam collectionem inferiorum, de quibus prædicantur, & à quibus specificantur, ac diuersificantur; quemadmodum dicitur habere materia prima, (cui assimilantur valde vniuersalia) Aristotel. infra num. 683. determinatam aptitudinem ex parte sui ad omnes suas formas, & ex parte formarum; nam determinatam ipsa essentiam habet, & determinatam collectionem formarum respicit, & à determinata formarum collectione specificatur, & ab alijs rebus diuersificatur.

Quocirca non video quo sensu appellari possit *aptitudo* vniuersalium *vaga*, incerta, & indeterminata, præsertim cum vniuersales naturæ sint instar rerum possibilium in abstractione sua, neque petant actualem existentiam sui in re, aut suorum inferiorum. postulat quidem materia prima, supposito, quod à Deo creanda extitura sit in re, habere aliquam formam quasi vage hanc, videlicet, aut aliam, quia connaturaliter forsan esse non potest sine S. Thomas. consortio alicuius formæ, vt putat *S. Thomas* de ente, & essentia cap. 5. atque eodem modo dici posset postulare natura humana facta vniuersalis aliquam numericā differentiam, vage hanc, vel illam, nempe Petreitatem, aut Pauleitatem, supposito, quod à Deo fuit creāda in re; sed eiusmodi postulatio, appetitus seu aptitudo vaga ad rem non pertinet, quando tractamus de aptitudine naturæ vniueralis absolutæ, abstractæ, & consideratæ extra omnem suppositionem; quo pacto solum petit, aut potest esse in multis, siue ista existant, aut extitura sint, aut possibilia tantum sint eiusmodi enim aptitudo non dicit actu existere inferiora, sed aptitudine, aut potentia.

SECTIO X.

Dissoluit obiecta contra tres partes nostræ superioris sententiæ circa positiuam Aptitudinem vniuersalis; vbi aliorum aptitudines referuntur; & inquantum opponuntur veritati refelluntur.

PRimò contra primam partem nostræ sententiæ, in qua statuimus vniuersalia esse, siue, quod idem est habere rela- 578
tiones transcendentales erga suorum inferiorum differētias, obijcis 1. ex *S. Thoma* S. Thoma. 1. part. quæst. 13. articul. 7. & *P. Suarez*, non potest dari relatio vera, & realis eiusdem ad se ipsum, ergo vniuersalia nō possunt habere veram, & realem relationem ad inferiora sua. antecedens probatur, quoniam de essentia relationis est esse ad minus duo, & vnum referri ad alterum. vnde vulgo dicitur *totum esse relationis esse ad aliud*. seu *ad aliud se habere*; sed vniuersalia sunt vnum, & idem cum inferioribus, ergo illorum ad hæc nulla potest esse relatio.

Respondeo distinguendo antecedens; non potest dari relatio eiusdem ad se ipsū, si nulla omnino intersit distinctio facta de nouo ab intellectu eiusdem ab se ipso; cōcedo antecedens, si noua aliqua facta ab intellectu saltem, intersit distinctio eiusdem ab se ipso; nego antecedens; & quoniam in proposito intellectus fecit, & inuenit distinctionem rationis ratiocinatæ inter vniuersalia formalia, & eorum differentias, siue singularitates inferiorum, à quibus abstracta illa fuerunt; ideirco ritè potuerunt esse, & habere relationes transcendentales erga ipsa inferiora, quæ respiciunt reali, idest vero, & non ficto respectu ratione differentiarum ipsorum inferiorum, quæ comparatæ cum vniuersalibus non sunt vnum & idem, sed duo valde distincta post operationem intellectus. ex quo patet ad reliquias argumenti. quod

magis declarandum erit, quando infra de prædicamento relationis tractemus: ad hoc verò vt *homo* v.g. quod est vniuersale ad Petrum, & Paulum, merito dici possit habere relationem erga Petrum, & reliqua indiuidua, quamtumuis in eisdem *homo* ipse includatur, sufficit distingui ab eorũ singularitatibus, in quibus non includitur; iuxta commune illud Iurisprudentium, *qui tãgit* aut respicit *partem indiuidui totum indiuiduum tetigisse*, aut respexisse, *censetur*. ex l.3.ff.de acquir & amitt.possessione. neque oppositum conuincit, vt contendit *Castelni* disput. 6. de Relation. in dubio 2.

579 Obijcis secundo *Porphyrium* cap.7. dicentem, *si animal tollatur, rationale, & irrationale continuo tolluntur; differentiæ verò genus non tollunt*, etiam si ipsæ tollerentur; ergo genus *animal*, quod est quoddam vniuersale. non respicit inferiora sua relatione transcendentali: siquidem ab eis non pendet. Respondeo velle *Porphyrium* sublatis nõ re ipsa omnibus differentijs, sed solum per intellectum, seu non intellectis, adhuc intelligi posse genus *animal*; quia omne genus, sicut & omne aliud vniuersale, est prius *in subsistendi*, quod aiunt, *consequentia* suis inferioribus, vnde licet bene valet *est rationale, ergo est animal*, non tamen è contra, *est animal, ergo est rationale*. id quod ibidem dicit *Porphyrius* illis verbis antecedentibus; *amplius genera quidem priora sunt ijs, quæ sub se posita, differentijs*, quod & prædixerat *Aristoteles*, in 6. Topic. capit.2.ibi, *differentia prior est specie, posterior autem genere*. neque aliud potuit sentire *Porphyrius*, qui genus in c. 4. de differentia, comparat materiæ: differentiam vero formæ. certum vero videtur perituram materiam, si formę omnes perirent. sed hoc vlterius alibi explicabitur & explicatum est supra num. 348. legatur *S.Thomas* 12. quæst.6.art.5.cap.vbi docet quod remota differentia non manet idem genus.

Aristotel.

S.Thomas

Secundo contra secundam partem nostræ sententiæ, in qua defendimus eiusmodi relationes vniuersalium erga inferiora dicendas esse reales, ideft veras, & non fictas, nec apparentes; argumentaris tertio authoritate *S.Thomæ* 1.par.quæst.28. a.1. ad 2. & art.4. ad 1. dicentis expresse

S.Thom.

relationem realem postulare extrema realiter distincta, & relationem, quæ secundum varias, considerationes datur & inuenitur ab intellectu, siue ratione nostra, in re aliqua in ordine ad se ipsam, appellandam esse relationem rationis, & non realem, & merito; quia relatio in communi est ordo vnius ad aliud, & relatio realis, est ordo realis vnius ad aliud distinctum realiter, vnde dixit *Ruiz* allegatus, quod non potest esse relatio realis illa, quæ prærequirit fieri inter extrema sua distinctionem rationis.

Respondeo *S. Thomam* stare pro me, ibi enim expresse concedit relationem eiusdem ad se ipsum exercitam secundum varias formalitates effectas per varias considerationes intellectus, siue rationis; & propterea vocat eiusmodi relationes, relationes rationis, ideft factas, aut quasi factas à ratione, qui est intellectus; & merito ita ipsas appellat, sic nos eas appellamus, licet addamus easdem esse veras formalitates, veras ralationes, veros respectus, quos reales dicimus, non quia credamus esse à parte rei, quo modo necesse est esse respectus simpliciter reales nuncupatos; sed quia veri sunt, & non chimærici, aut ficti, & fundati revera in naturis vniuersalium naturarum, vt magis declaro in solutione argumenti subsequentis, neque potest de re dissentire *Ruiz* sed neque *Suarez* allati supra num. 573. 580 *S.Thom.*

Argumentantur quarto quidam Recentiores. Ordo, & relatio vniuersalis ad inferiora est relatio superioritatis, siue superioris ad inferius, sed eiusmodi relatio est entitas metaphorica, & omnino ficta, ergo relatio vniuersalis ad inferiora sua, nõ est realis seu vera; minor videtur tradita à *S. Thoma* 1.p.q.28. art.1. corp.vbi vocat relationem rationis, & factam ab intellectu eam, qua homo, quod est inferius ad animal, respicit illud, & idem dicendum consequenter est de relatione, qua animal respicit hominem; ac deinde in Opusculo 42.c.4. de natura generis. & in metaph. libro 4. lect.4.docet id quod Logica considerat vt obiectum in prædicabilibus, esse ens rationis, siue ordinem eorum erga inferiora, de quibus dicuntur, vnde concludunt *Conimbricenses* in Præfat. Porph. q.6.a.1. relationem vniuersalis esse ens chimæricum, *S.Thom.*

&

& rationis, vt ibidē explicāt præsertim a. 2. *Luce est*. idque esse cōmune afferũ putāt.

Respondeo concessa maiori, negando minorē. etenim generaliter loquendo duplex est superioritas, alia est physica, aut quasi physica realis & vera, altera metaphorica, & conficta à nostro intellectu ad prioris similitudinē. prioris generis est superioritas vniuersalis formalis, quæ consistit in quadam maiori latitudine, amplitudine, & magis latè patentia, quam intrinsecè, & essentialiter habet natura semel vniuersalis effecta supra inferiora propria, à

581 quibus abstracta fuit, vtpotè quæ à puncto abstractionis, & effectionis suæ, remãsit denuo vna indifferens, & vniuersalis in essendo apta nata esse in multis, ipsis conueniens, ac de ipsis prædicabilis secundum ipsius naturæ conditionē, siue, vt loquitur S. Thomas de ente, & essentia c.4. *perse, & secundum suam absolutã considerationē*.

Posterioris generis est inter alias, superioritas, quam noster intellectus potest fingere, & adiungere naturę cuius vniuersali, considerando illam non iam respectibus veris, quibus re vera fertur ad inferiora, vestitam, sed alijs chimæricis, quibus Reginæ adinstar pręsit, ac de sede maiestatis respiciat inferiora, veluti seruos, & ancillas; quę ficta superioritas licet possit vniuersalibus affingi iuxta cōmune afferũ, sed satis impertinenter ad essentiam, aptitudinē, prædicabilitatem, amplitudinem, & maiorem quasi latitudinem eorum fingeretur, cum hæc omnia quodnis vniuersale habeat ex se, posita abstractione sui, veluti causa, aut conditione, & seclusa omni fictione, vt supra sæpe diximus, & in sequentibus repetemus.

Neque docet contrarium S. Thomas, de alijs non curo, etenim in ijs locis allegatis appellat vniuersalia *intentionis*, & *entia rationis*. siue relationes rationis, non quia sint aliquæ entitates metaphoricæ cōfictæ ab intellectu, sed quia, vt terminãt actus intellectus eas præscindētes, nō sunt à parte rei, sed sunt quædā formalitates subtiles. quasi factæ à ratione, siue ab intellectu de se, & ex se relatæ ad inferiora, & aptæ ipsis inesse, ac de ipsis per se prædicari: eiusmodi ergo formalitates, siue *intentiones obiectiua*, quas *secundas* vocant, dici posse entia rationis, & per se considerari a Logica docuimus clarissime, & plenissimè in Præfatione cap. 5. sect. 5. id quod totum approbatum nūc inuenio in *Aquario* Dominicano in aureo libello *de Contradictionibus, & formalitatibus S. Thomæ, Contradictione* 3. & P. *Suarez* in metaphys. dist. 5. sect. 2. num. 8. ex *S. Thoma* 1. contra gen. c. 42. nu. 7.

Tertio contra tertiam partem nostræ conclusionis, in qua ostensum est aptitudines vniuersalium consistere in relationibus transcendentalibus supra expositis, siue esse ipsasmet naturas vniuersales propensas ad sua inferiora, & aptas, vt cum eisdem componantur, & identificētur: obiecit sibi, & nobis S. *Thomas* in tractatu 7. de ente, & essentia cap. 4. quoddam vrgentissimum argumentum, quod videtur destruere plures nostras doctrinas; & quod timent, & quo se tutantur quidam Recentiores, qui cum *Patre Francisco Suarez* in metaph. tomo. 1. disp. 6. sect. 4. num. 10. & *Conimbricensibus* in Præfat. Porphyrij quæst. 3. art. 2. & alijs multis authumant aptitudinem vniuersalium esse solam quãdam non repugnantiam, & aptitudinem mere negatiuam, quam nos explicuimus supra in Sect. 8. argumentum vero sic proponendum fuit, nam ista opinio satis refutata manet ex dictis tota Sect. 9. præcedenti; licet credam pro me stare *Suarez* d. 6. sect. 6. n. 8. & 9.

582

Quidquid conuenit superiori essentialiter, conuenire debet etiam essentialiter inferiori; sed vniuersali naturæ v. g. naturæ humanæ, in qua exēplificat S. D. conuenit, vt nos fatemur essentialiter communicabilitas, & aptitudo vt sit in multis; & superioritas, & late patentia erga ipsa multa, ergo ea omnia conuenient essentialiter Petro, Paulo, & reliquis humanis indiuiduis, quæ sunt inferiora humanæ illius, tam superioris naturæ: id quod est ingens absurdum. Maior est cōmune axioma sumptũ ex *Aristotele* c. 4. præd. & receptũ ab *August.* in l. categ. c. 7. & à S. *Damasc.* in sua Dial. cap. 16. à S. *Thoma*, & à communi Doctorum. minor est nostra sententia, consequentia bene infertur.

Sed hoc argumentum, quod meritò vrgentissimum appellatur, soluendum est ab ipsis Aduersarijs, qui nobis etiã illud obijciunt; & à communi Theologorum sententia in alio loco, & materia, vti de facto soluunt præsentis difficultatis, quod huma-

manum est, prorsus immemores, in materia de Trinitate, vt demonstrabo inferius, postquam ad argumenti formā respōdero.

Respondeo ergo illud axioma communiter receptum, nempè *quidquid essentialiter conuenit Superiori, conuenit etiam essentialiter inferiori sub illo contento*; verum tenere in his prædicatis, quæ conueniunt, & dicuntur de superiori supponenti,
583 vel supposito suppositione personali, nōverò de prædicatis, quæ dicūtur de superiori supponēti, aut supposito suppositione simplici, aut quasi simplici, quę vt prædicētur, requirūt pręcisionem faciendam ab intellectu; & quia hæc prædicata esse cōicabilem, esse aptam, vt in pluribus insit, & similia dicuntur de natura vniuersali, quæ vniuersalis formaliter, & abstracta est, & quia vniuersalis est, & vt supponit, aut supponitur suppositione simplici, ideò non dicuntur de inferioribus, de quibus essentialiter dicitur ipsa natura, & prædicata personalia ipsius, quæ vt prædicentur per se non requirunt præcisionem intellectus, siue eam non attendunt.

Hanc solutionem tradiderunt ante me in præsenti quidem materia S. Thomas, & Caietanus tract. 7. de ente, & essentia ibi, vnde dicit Commentator 1. de Anima, *quod intellectus est, qui facit vniuersalitatem in rebus*. hoc etiam *Auicenna* in suæ metaphysicæ octauo dicit, *& quia natura humana secundum suam absolutam considerationem conuenit, quod prædicetur de Socrate, & ratio speciei non conuenit sibi secundum suam absolutam scilicet humanæ naturæ considerationem, sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam, secundum quoddam esse, quod habet in intellectu, ideò nomen speciei non prædicatur de Socrate, vt dicatur Socrates est species, quod de necessitate accideret, si ratio speciei conueniret homini secundum esse, quod habet in Socrate, vel secundum suam absolutam considerationem, scilicet inquantum est homo, quidquid enim conuenit homini inquantū est homo, prædicatur de Socrate*. sed non quidquid cōuenit homini abstracto, & quasi denuò facto oportuit cōuenire indiuiduis, quare licet dicatur benè *Socrates est homo*, non ritè dicitur *Socrates est species, et quod* subiungit ibi Caietanus, *homo prædicatur de Socrate secūdum suū esse quidditatiuum absolutè. Species autem prædicatur de homine non secundum eius esse quidditatiuum, sed secundum esse, quod in intellectu habet*.

S.Thomas.

Conturbetur nemo quando legit in vtroque *Thoma* esse, quod habent vniuersalia in intellectu dici non quidditatiuum, sed accidentale, non essentiale absolutè, sed quasi aduentitium, & extraneum de nouo veniens, & intentionale, quoniam vterque Doctor, vt leges item 1.p. q.85. art.2. ad 2. solum intendit vniuersalibus esse quid extrinsecum fieri, abstrahi, ac talia dici, seu denominari, sed iam factis, & abstractis essentiale quid, & intrinsecum esse, pluribus per se ipsa conuenire, atque de pluribus prædicari posse, & consequenter per suas essentias aptas esse multis inesse naturas vniuersales factas, & vniuersales denominatas, addit enim ibidem S.Doctor, *& tamen prædicari conuenit generi per se cum in eius definitione ponatur*. 584

S.Thomas.

Atque eiusmodi naturas vniuersales vocant alij communiter cum *Ferrara* 4. cōtra Gentil. cap.35. *Caietano* vbi supra, & non sine *S.Thoma* ibidem, & multo clarius in 7.metaph.lect.13. *vniuersalia materialia, obiectiua, ac denominata, siue denominatiue sumpta, & secundum suam absolutam considerationem, intentiones secundas obiectiuas*, nempè illa prædicata, & prædicabilia, quæ olim abstracta verè, & per se conueniunt rebus, seu inferioribus, respectiue illis, nimirum à quibus abstracta fuerunt, quo pacto sumptæ *natura humana* v.g. *conuenit* inquit in de ente, & essentia illo cap.4. S.Pater *quod prædicetur de Socrate*, licet *ratio speciei Socrati non conueniat*, non enim dicitur *Socrates est species*.

S.Thomas.

S.Thomas.

Etenim *ratio speciei* apud *S.Thomam* significat non rem, aut prædicatum obiectiuum purum dictum, ac denominatum *speciem*, quod sine dubio, vt dicebam supra, per semet ipsum est commune, & conuenit pluribus, sed rem, aut prædicatum simplex, siue rationem communem, vt ei cōpetit illa definitio, *est vnum aptum esse in pluribus numero distinctis, ac de ipsis prædicabilis vt tota ipsorū essentia*. idest, vt vno verbo dicam ratio, & essentia speciei est prædicatum non personale, quod debeat conuenire naturæ humanæ, & ijs hominibus, quæ sub ipsa continentur, sed prædicatum simplex soli naturæ abstractæ 585

con-

conueniens. quare ratio speciei quantumuis sit ipsa aptitudo intrinseca, & ipsamet forma, formalitas, & essentia naturæ vniuersalis humanæ, siquidem simplex prædicatum illi est, non debuit conuenire Socrati, cui sola prædicata personalia, siue naturæ secundum se cóueniunt, nisi ad summum, vt dictú iam est identicè, & realiter.

Solutionem eamdem appiieuerunt *Suarez* lib. 4. de Trinitate cap. 8. *Zumel* 1. par. q. 28. *Granado* de Trinit. tract. 3. disp. 4. sect. 3. n. 2. *Ruiz* de Trinit. disp. 14. sect. 4. n. 22. & alij huic simillimo argumento in materia subtiliori, *quod conuenit essentialiter superiori, conuenit etiam inferiori; sed essentia diuina conuenit essentialiter communicabilitas, & positiua aptitudo, relatio transcendentalis, & innata propensio ad plura, nempè ad tria, ergo eadem omnia prædicata conuenient tribus personis diuinis*, videlicet *Patri, Filio, & Spiritui sancto*; quæ sunt veluti inferiora essentiæ diuinæ. Vnde Doctissimus *Granado* simili solutione, & exemplo petito à materia de vniuersalibus præsenti respondit vbi supra huic Theologico argumento, eiusque difficultatem emollit, & amolitur.

Et sanè eadem solutio obuijs vlnis, & cum gratiarum actione amplectenda est à Recentioribus plerisque, quotiescúq. hoc illis argumentum opponatur: animal abstractum essentialiter est vnum in multis, vniuersale in essendo, & in prædicando. essentialiter est formalitas, ratione communis. essentialiter est ens metaphysicè completum. essentialiter est indifferens ad plura. essentialiter totum potentiale, & pars actualis habens relationem transcendentalem, & necessariam connexionem cum multis animantium differentijs, nempè cum *rationale, hinnibile*, & reliquis, quę prædicata conuenire non possunt, vt nemo non videt, inferioribus, præsertim physicis animalis, Petro, aut Bucephalo, nisi ad sũmum identicè, & realiter, quatenus animal, quod in abstractione sua habet illa omnia prædicata simplicia, sed sibi intrinseca, realiter identificatur cum illis suis, & alijs inferioribus.

586 Quamobrem, (& vt sit secunda solutio ad illud idem argumentum) si axioma illud tam ample intelligatur, vt illius sensus sit vt quidquid conueniat superiori, aliquo saltem modo conueniat inferiori, nempe vel eo modo, quo conueniat superiori, aut aliter quomodolibet, verificabitur semper, & vbique; nam prædicatum essentiale superioris quodcúque tam personale, quàm simplex, si semel illi intrinsecum, & essentiale fuit in quouis statu, realiter identificabitur cum inferiori suo, & ideò vera erit hæc propositio *Petrus realiter est animal*, & consequenter Petrus habet secum identificata omnia prædicata animalis quæcúque illa sint, aut fuerint, aut possint esse, quantumuis ea simplicia, aut personalia, si modo animali intrinseca sunt, vel fuerunt, vel possunt esse.

Altera pars Sectionis dissoluit argumenta reliqua, quæ contendunt Aptitudinem vniuersalium non esse quidpiam positiuum intrinsecum ipsis, & refellit, vel exponit opinionem Fonsecæ.

Obijciunt nobis sexto Recentiores, si aptitudines vniuersalium naturarum essent relationes transcendentales earundem ad sua inferiora, tot essent aptitudines, quot sunt inferiora, & eæ aptitudines plerumque non solum distinctæ forent inter se numero, aut quasi numero, sed quasi specie; hoc videtur falsum; ergo & illud ex quo infertur. Probant maiorem etenim tot ponendæ, & partiendæ fuerunt aptitudines in quocunque vniuersali, quot sunt eius transcendentales relationes ad inferiora, v. g. in homine, siue specie humana facta vniuersali, tot erunt fingendæ aptitudines, quot sunt, imò & quot possunt esse indiuidua humana, quæ quidem si re vera non sunt, sunt prope infinita; & simili modo dicendum de animali, quod est genus in ordine ad species animalium particularium omnium; & ratio communis est, quoniam relationes transcendentales distinguuntur, & numerantur pro numero, ac distinctione terminorum, quos illæ respiciunt, & à quibus ita specificantur, vt vna relatio non nisi vnum terminũ, 587
& hunc quidem certum, ac determinatum respiciat, & ab eo solo specificetur: ex quo vlterius fit, quod si ij termini sint distincti solo numero, vt contingit in inferioribus naturæ humanæ, & reliquarum specierũ, huiusmodi relationes erga eá inferiora esse

esse quasi solo numero differentes. Si verò termini specie, aut alia maiori distinctione differat, vti differunt inferiora generis *animal*, nempe homo, & equus, & inferiora *substantia*, vt equus, homo & Angelus, simili distinctione distingui oportere relationes, siue vniuersalium aptitudines.

Respondeo concedendo maiorem, & quidquid pro eiusdē probatione affertur; neque in eo reperitur aliqua falsitas, aut error, quin potius ea doctrina iam communiter, sin minus in hoc loco; in alijs locis, & materijs recipitur, ac defenditur. nempe dum sermo est de relatione, & respectibus materiæ primę erga suas formas; intellectus, & voluntatis ad suos varios actus; & quod mirabilius est, simplicissimæ essentiæ diuinæ erga diuina attributa, & perfectiones; in ordi ne ad quas formas, actus, & perfectiones Philosophi, & Theologi distinguere solent, dum volunt, subtiles quosdā respectus transcendētales in materia, in potētijs illis, & in essētia diuina, explicitè inter se differentes, modo quasi numero, modo quasi specie, nēpe pro distinctione terminorū respectorum. quocirca similiter distingue, si vis, aut quando velis, nam hoc negotiū de necessitate non fit, in quauis natura vniuersali vlteriores alias formalitates, & relationes partiales, explicitè diuersas inter se, secundum inferiorum minorem, maioremue distinctionem, vti facis in materia prima, cui similem esse scis, & vides quamlibet naturam vniuersalem.

S. Thomas. Septimo objiciat quis. accidentale est, vt supra n. 584. docuit *S. Thomas* vniuersali cuicunque abstrahi, & fieri vnam rationem, aut formalitatem communem, & aptam inesse, ac prædicari de pluribus, ergo esse communem, & aptam, seu naturam habere eam communionem, & aptitudineme non est quid intrinsecum, & essentiale eidem vniuersali naturæ; antecedens certum est. consequentia probatur Primo. nam quod semel fuit rel accidentale, numquam potuit eidem esse plusquam accidentale, nec transire potuit ad essentiale Secundo. quia si communio, &

588 aptitudo illa forent de essentia naturæ humanæ abstractæ v. g. illa communissima hominis definitio *homo est animal rationale*, curtą esset, ac diminuta, siquidem non explicat totam essentiam rei definitæ: quod est inauditum, omnes enim eam definitionem vocant optimam, & essentiæ rei definiti adæquatam. Tertio quoniam *S. Thomas* tract. de ente, & essentia c. 4. videtur opinari aptitudinem speciei, qua species apta est esse in multis numero distinctis, & prædicari de ipsis, esse quid eidem speciei valde accidentale, extraneum, & aduentitium, quando dixit ibidem *ratio speciei non conuenit naturæ humanæ secundum suam absolutam considerationem, sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam secundum quoddam esse, quod habet in intellectu.* *S. Thomas.*

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius priorem probationem dico ita esse; & abstrahi fuisse cuiuis naturæ accidentale, & perseuerare in abstractione similiter; sed aliud est quod potest habere natura semel accidentaliter abstracta; in qua semel præcisa a singularibus relucet amplitudo, communitas, & potentia, seu aptitudo vt fit in pluribus, quod prædicatum est essentiale naturæ abstractæ, & sic esse potest; quia numquam accidentale illi fuit; neque enim aliquo modo ei conueniebat ante abstractionem; sed denuo incepit illi conuenire, quando facta fuit denuo vniuersalis: sicut denuo inceperunt eidem conuenire illa noua prædicata quæ connumeraui supra §. *Respondeo ergo illud*. quemadmodum huic scabello accidentale fuit fieri ex ligno, sed scabello facto conueniunt de nouo plura prædicata intrinseca illi artefacto, & essentialia. ita contingit in propositis artefactis vniuersalium naturarum. vnde fit vlterius quod sæpè repetitum est, eiusmodi prædicata intrinseca quidem esse vniuersalibus, sed simplicia, & sibi propria, & non personalia esse, & sic non oportere, nec posse dici de inferioribus, de quibus vniuersalia dicuntur. Hæc disco à *S. Thoma* 1. par. quæst. 85. art. 2. ad 1. & vbi supra. *S. Thom.*

Ad secundum dicendum, illam hominis definitionem legitimam esse, ac sufficientem; quoniam traditur ad declarandam naturam humanam, aut hominem secundū prædicata absoluta, quæ habet extra animam, naturaliter, & sine vllo artificio, seu independenter ab opere intellectus; quod si tradi putaretur pro natura huma- 589

na

na indifferenter, & pro quocunque statu, & consideratione, non recusarem eam appellare diminutam, & aliquo alio addito indigentem. præterquamquod quis sciat an illa definitio hominis sit ipsius terminatio, & comprehensio perfecta, quantumuis homo sumatur, vt est à parte rei, siue vt est independenter ab intellectu, Deus scit, qui solus omnia cōprehēdit & quidem SS. aliquot Patres, & Philosophi definitioni addiderunt dicentes *homo est animal rationale mortale*. Vnus est *Porphyrius* cap. 4. de differentia alter *S. Ambrosius* de Noe, & Arca cap. 4. ibi. *homo enim definitur animal viuum, mortale, rationale*. & ante eos *Plato*, vt auctor est *Aristoteles* in 6. Topic. cap. 2. circa finem. sed quoniam à communi sensu non discedimus, exhibuimus illam aliam sufficientem solutionem argumento.

Aristotel.

Ad Tertium dico consequenter, ac libenter cum *S. Thoma*, cuius nostra hæc doctrina est, præsertim dum defendimus eius præcisiones, & formalitates obiectiuas, quibus tot, & tanti viri opponunt se hoc tempore, *prædicatum*, siue *rationem*, & *essentiam speciei* esse quidem de his prędicatis, quæ consequuntur vniuersalis naturæ conditionem, & præcisionem, siue *de accidentibus*, hoc est de prædicatis nō accidentalibus, sed aduenientibus, & denuo conuenientibus illi naturæ quasi denuo factæ ab arte. neque enim S Doctor aliud voluit significari neque potuit illo termino *de accidentibus*, siquidem ipse ibidem confitetur, & alibi, conuenire essentialiter vniuersali esse vnum aptum esse & prædicari de pluribus. *ipsa enim*, inquit in de ente & essentia cap. 4. *natura humana habet esse in intellectu abstractum ab*
590 *omnibus indiuidualibus, & habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam prout essentialiter est imago omnium, & inducent in cognitionem omnium, inquantum sunt homines, & ex hoc quod talem relationē habet ad omnia indiuidua intellectus adinuenit rationem speciei*. Vide quam expresse tradit S. Pater naturam humanam abstractam essentialiter esse relationem ad indiuidua, & infra subiungit, & *prædicari conuenit generi per se cum in eius definitione ponatur*. Non potuit ergo *S. Thomas* putasse esse quid accidentale, & extrinsecum vniuersalibus iam factis, siue his artefactis intentionalibus aptitudinem, ordinem, & relationem ad plura; sed eam esse ipsissimam illarū formalitatum essentiam; iuxta quod supra declaratum est; esse nostræ opinionis *S. Thomā* non dubito, quando *Pater Granado* est eiusdem supra nu. 585.

S.Thomas.

Ad finem *P D Fonseca* tom. 2. metaph. lib. 5. quæst. 4. cap. 28. sect. 4. §*Sed tamen*, ait aptitudinem vniuersalis animalis v.g. quod est genus, non esse, vti nos diximus, eius essentiam, qua respicit plura, & qua identificatur cum illis; sed modum quendam positiuum illi intrinsecum, qui præcedit, & est in animali antequam ad inferiora descendat, & ab eis contrahatur, & qui omnino destruitur ac definit esse animali iam contracto, sed sanè falli videtur *Fonseca*, primo, propter dicta à nobis in superioribus. sec undo, quia ponit in vniuersali formali, siue abstracto modum intrinsecum illi annexum, quem non potuit ponere Natura, neque intellectus abstrahens; non quidem natura, *quia natura nihil facit frustra, neque superfluum*. ille autem modus, qui ponitur in eum finem vt possit animal identificari cum suis speciebus, & inferioribus superfluit. siquidem ipsa natura animalis, sicut, & cuiusquam alterius vniuersalis, per semet ipsam, & sine isto modo apta est identificari, & actu identificatur cum suis inferioribus, ad ea quasi descendens ab sua sede, ex intellectu. rursus sed neque intellectus, quando assumpsit, & abstraxit animal illi affinxit illum positiuum modum, quia vel is modus est realis, vel fictus; si realis 591 est, non potuit poni in obiecto ab intellectu, qui iuxta probanda infra disp. 6. q. 2. sect. 2. non potest communicare obiecto aliquid reale præter denominationem extrinsecam cogniti. Si demum fictus est, iste modus, potuit quidem communicari ab intellectu vniuersali cuilibet naturæ; sed tamen necessarius non est, sed impedimento ad declarandam aptitudinē vniuersalium, & vt ipsa cū inferioribus identificentur, vti monstratum supra est n. 581.

Aristotel.

Quod si Doctor iste nomine huius sui modi, siue modalis aptitudinis existentis in vniuersali formali, intelligat naturæ vniuersalis effectę denuo nouum statum, & nouum quasi essendi modum, & artificiosam eius conditionem, nempe præcisio-

fionem ipsius passiuam ad modum formalitatis, rationisq. communis, quo modo non erat, aut vnquam fuit à parte rei, ita quod modus iste sit ipsamet formalitas artefacta, intentionali modo existens in anima, siue vt aiunt, obiectiuè in intellectu eam præscindente, & quæ dum contrahi, & identificari intelligitur cum inferioribus pereat, ac destruatur, idest vlterius non appareat præcisa, neque ad modum formalitatis; sed quodammodo confusa, & destructa, siue quasi reddita realitas singularis; vera dicet *Fonseca*, & falsitas in eo non est; nos idem sentimus, & idem vsque adhuc in superiorib⁹ explicuimus, & in sequentibus amplius illustrabimus; quãuis eiusmodi formalitates difficiles admodum factu, & intellectu aliqui reputent. Aliæ rationes quibus probant *Suarez, Conimbr.* supra allegati, & Recentiores suam aptitudinem negatiuam ex dictis & dicẽdis facile diluuntur. Solum hic addo quod supposito, quod facimus præcisiones, seu formalitates obiectiuas, de aptitudine vniuersalium aliter, quam dixi, dici non posse, opinor demonstrasse.

SECTIO XI.

Expendit quo pacto essentialis sit alia solemnis definitio tradita ab Aristotele pro Vniuersali: vbi de eiusdem varia prædicabilitate.

592 *Aristoteles* *S.Thomas.* PHilosophus *Aristoteles* in 1. lib. Perihe rc. 5. initio dicit, *dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est*; & consentit *S.Thomas* ibidem lect. 10 Vnde sumpta est à Dialecticis hæc clarior secunda definitio. *Vniuersale est vnum aptum prædicari de pluribus*. in qua definitione solum de nouo reperio dignum scitu, & explicatu, quid significet illud verbum *prædicari*, quod denotat vniuersale quoduis esse prædicabile, vel habere prædicabilitatem, quam ita libuit declarare.

Vniuersale, vt constat ex dictis, habet aptitudinem ad esse in multis, siue est quędam forma, formalitas, & essentia apta, & potens per semet ipsam esse, & identificari cum multis, cum quibus à parte rei identificando se multiplicatur, & crescit. vnde eiusmodi aptitudo, vt supra monstratum est, est de essentia vniuersalium, & ad ipsorum essentiæ lineam pertinet, non vero, vt eorum modus, passio, aut proprietas.

Habet præterea quoduis vniuersale prędicabilitatem suam, ratione cuius, seu propter quam ipsum vniuersale potest, & aptum est prædicari de suis illis inferioribus, in quibus ratione supradictæ aptitudininis, aptũ est esse; & ideo noster intellectus non solum illud potest prædicare de inferioribus; sed etiam sæpe prædicat dicens, *Petrus est homo; Ioannes est homo; equus est animal; leo est animal*; & huiusmodi aliter. Vnde duplex distinguitur prædicabilitas prima consistit in actuali affirmatione, seu enunciatione vniuersalis de inferioris quæ propterea melius dicetur prędicatio actualis; quam prædicabilitas. Secunda prædicabilitas ita simpliciter, & iure nuncupata, est potentia, & aptitudo, qua vniuersale potest prædicari; quare hæc prædicabilitas vtraq; videtur esse aliquid repertum ex parte vniuersalis cum respectu ad nostrum intellectum prædicantem illud, aut prædicare potentẽ; vti nos docuit ex Philosopho *S. Thomas* inferius alligandus. disquirimus ergo in præsenti an vtraq; aut aliqua ex his, prædicabilitas sit de essentia vniuersalium, vel solum proprietas eorum. *S.Thomas.* *Aristoteles.*

Dicendum ergo est primo, prædicabilitatem, siue prædicationem actualem non esse de essentia vniuersalium, sed illis vel de extrinsecam, & accidentariam; & probatur. etenim illud est accidentarium, & extrinsecum rei, quod ei iam aliunde integre constitutæ aduenit, & potest adesse rei, & abesse sine ipsius corruptione; sed actualis prædicatio aduenit vniuersalibus iam olim aliunde integrè constitutis; & potest adesse, & abesse sine eorum corruptione, ergo actualis prædicatio est vniuersalibus accidentaria, & extrinseca, & non de ipsorum essentia; maior est certissima; minor euidens: quoniam vniuersale quodcunque ante actualem prædicationem iàm integrum erat, & illæsum per ęternitatẽ durabit, licet nũquam actu prædicetur: consequentia bene infertur. Quocirca ista actualis prædicatio merito solet vulgo nominari denominatio extrinseca proueniẽs vniuersalibus iam factis, & constitutis in sua essentia, ab extrinseco, 593

nem-

nempe ab intellectu, siue ab actu intellectus illa actu de suis inferioribus prædicante: est enim denominatio extrinseca non solum nomen, quo dicitur vniuersale prædicari, sed potissimum actus intellectus, qui est vltima ratio formalis prædicandi, siue enunciandi: qui actus omnino extrinsecus est essentiæ vniuersalium, vt manifestum est; vel etiam ista denominatio extrinseca est cõcretum ex isto actu prædicante, & vniuersali prædicato, & amborum extrinseca coniunctio, quæ item vniuersalibus extrinseca est. *ideo ergo* ait S.Thomas 1. Periher. in lect. 10. *Aristoteles* nobis traditurus definitionem vniuersalis, *non dixit quod vniuersale est quod prædicatur de pluribus, sed quod aptum est natum prædicari de pluribus,* quoniam legitima *definitio*, quod ait vetus prouerbium, *non dicit actum* definitæ rei, *sed aptitudinem*, vel potentiam ad actum ipsum.

S.Thomas. Aristotel.

594 Deinde ante secundam assertionem ex dictis, atque dicendis distingno in vniuersali formali v. g. in *animali* varios respectus; & primo respectum ad animalis passiones, & operationes, quarum animal est, ac dicitur principium, & radix, & ratione cuius respectus forsan dicitur animal *natura secundum se*, vt nos docebit S. *Thomas* in sect. sequenti. Secundus respectus animalis est in ordine ad differentias inferiorum suorum, cum quibus indentificatur, & cum quibus componit; iuxta quod dictum est supra in Sectionibus antecedẽtibus, vbi appellabamus eiusmodi respectum, aptitudinem, qua vniuersale animal est aptum natum esse in multis, & quidem is respectus vterque licet inter se distinctus sit pro distinctione terminorum respectorum, vt probatum est ad finem Sectionis superioris, vterque tamen videtur esse de vniuersalis essentia.

S.Thomas.

Alius vero respectus est in animali, & quocunque alio vniuersali, erga intellectum, illud prædicare potentem de suis inferioribus; propterea dicitur *prædicabilitas*, quæ iuxta veriorem dicendi modum videtur componi, siue constare ex duobus, nempe, ex aliquo habito ex parte vniuersalis, quod passiue, vel obiectiue prædicari possit; & ex aliquo alio habito ex parte nostri intellectus, quod quasi actiue, seu formaliter possit illud prædicare; siue vt rectius loquar cum *S.Thoma* prædicabilitas significare videtur aliquod quod sit quidem obiectiuè in vniuersali, quod tamen per extrinsecum connotatũ, nempe per actum animæ, seu intellectus prædicare potentem compleatur. Vt plus quam sapienter ille animaduertit, tum alibi infra, tum cap. 4. de ente & essentia, ibi, *prædicatio* idest prædicabilitas, vt liquet ex contextu, *enim est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis, & diuidentis, habens tamen fundamentum in re, ipsam vnitatem: hoc est identitatem eorum, quorum vnum de altero dicitur, vel prædicatur.* Vnde colligo duo, primum est, prædicabilitatem esse idem atque cognoscibilitatem rei prędicandæ, aut cognoscendæ per cognitionem affirmantem, vel negantem: Secundum est, quod affirmo in asserto sequenti. his ergo præsuppositis.

S.Thomas.

Dicendum est secundo, prædicabilitatem passiuam repertam, & habitam obiectiue ex parte vniuersalis, esse ipsi intrinsecam, quinimo, & eius totam formam, formalitatem, & essentiam indistinctam omnino ab aptitudine hucusque declarata; quin necessarium sit vlterius præscindere in vniuersalis obiectiua natura aliquam formalitatem, respectũmue explicitum in ordine ad intellectum, quantumuis formalizantes vocare velint illum respectum explicitum, tenuem, & transcendentalem; ego enim potius crederem respectum vniuersalis erga intellectum, si quis est, esse quasi prædicamentalem. dictum hoc probo primo ex authoritate. Secundo ex ratione. Tertio ex solutione cuiusdam argumenti. 595

Probo ergo ab Authoritate *Aristotelis*, qui videtur definijsse supra vniuersale per prædicabilitatem, tamquam per quid essentiale, vt debuit, si tradidit definitionẽ simpliciter dictam, atque perfectam, vt nuncupari videtur ibi à S. *Thoma*: omnis enim definitio constat genere, & differentia, partibus, videlicet, essentialibus definiti; quocirca S. Doctor super illud caput 5. & textum *Aristotelis* dicentis, ac sic vniuersale definientis, *vniuersale dico, quod in pluribus prædicari natum est*. in in sua lect. 10. dicebat supra in hac sect. traditam fuisse ab *Aristotele* definitionẽ, non per actum prædicationis, quo modo foret

Aristotel.

Aristotel.

foret accidentalis, sed per aptitudinem, & potentialem prædicabilitatem; vt nimirum, definitio bona, & essentialis foret. *Aristotel.* deinde ibidé, *Arist.* inquit, *definit vniuersale* in ordine *sine per actum animæ intellectiua, qui est prædicari de multis, vel de vno solo.* atque in tract. de ente, & essentia c.4. tractando de genere ait, & *tamē prædicari conuenit generi per se, cū in eius definitione ponatur.*

Consonant apud *Conimbricenses* in Logica in Præfat. *Isagog. Porph.* q.1.a.4. & super c. de genere q.1.a.1. *S.Thoma.* *S.Thomas* de ente & essentia c.4. & ibi, *Caiet. Scotus* q.15. Prædicabilium contra *Ammoniū, Albertū, Auerroem,* & alios Recentiores infra refellendos, quos sequuntur & allegant ipsi *Conimbricenses* opinantes prædicabilitatem passioné vniuersalis esse, in allegato cap. de genere; vbi *Porphyrius* dicit Philosophos antiquiores se, ita definijsse, seu descripsisse genus, *genus esse dicentes quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur.* quam definitionem essentialem esse & consequenter prædicabilitatem esse vltimam vniuersalis differétiam bene probat *Porphyrius* ostendens, quo pacto genus per eam differat ab alijs prædicabilibus.

596 Relinquitur ergo prædicabilitatem vniuersalium (quam Neoterici appellant formalem, seu formalissimam rationem prædicandi, non essentialē vniuersalibus, sed eorum quasi passionem inseparabilem, & proprietatem intrinsecam adinstar respectus transcendentalis rerum prædicabiliū erga intellectum, & erga actus eius prædicaturos, seu prædicare potentes; & quam vocitant formalitatē, scibilitatē passiuam, aut obiectiuam, qui plus iusto formalizant) *S.Thom.* non agnouisse *S.Thomam,* primò, quia supra *Aristotel.* reiecit cū *Aristotel.* prędicabilitatē actualē ab essentia, ac definitione vniuersalis, & prædicabilitatē aptitudinalē vcessētialē admisit. secundo, quia ipse Angelicus Doctor *Aristotel.* item cū *Aristotele,* & cōmuniori interpretum sententia, 1. par. q.6.a.2. ad 1. & alibi sæpe, vt videre est infra a n. 936. negauit relationem fundari, aut esse in obiecto scibili erga scientiam, quia nimirum nullum obiectum pendet á scientia, nisi quan- *S.August.* tum ad nomen, vt adnotauit *S.Augustinus* tom.1. in sua Dialectica c.11. cuius verba referemus inferius numero 940. quocirca quodlibet vniuersale per suam integram, & totam materialem, & obiectiuam essentiam est prædicabilis, & eius prædicabilitas est ipsius essentia apta, & potens prædicari, siue sciri aut cognosci ab intellectu, aut actibus eius, ad quos tamen transcendentaliter non refertur, quantumuis ipsi ad ipsum transcendentaliter referantur.

Probatur secundo ratione hoc ipsum; 597 etenim essentia ipsa vniuersalis *animalis,* v.g. per semet ipsam prædicari potest, seu prædicabilis est de suis inferioribus ab intellectu, vt quid illis aptum inesse, atque conueniens; ergo prædicabilitas eius est ipsius essentia; antecedens patet, qua idipsum quod actu prædicatur, & conuenit, seu identificatur cum inferioribus ex modo nostro intelligendi, quando tu dicis, *Petrus est animal, Paulus est animal;* prædicabile erat ante actualem prædicationem, vt quid conueniens suis inferioribus, sed ipsummet vniuersale animal; & eius essentia tota prædicatur, vt quid conueniens, de suis illis inferioribus, quando tu illud prædicas modo dicto; ergo ipsum vniuersale *animal* per suam essentiam prędicabile iam erat, & consequenter habet pro essentia prædicabilitatem, & non pro passione tantum.

Ex quo vlterius infertur illam definitionem *Aristotelis,* qua dicitur *vniuersale vnum aptum prædicari de pluribus,* non *Aristotel.* minus essentialem esse, quam illam supra per singulas partes fuse expositam, *vniuersale est vnum aptum esse in pluribus;* quoniam vtraque explicat essentiam rei, licet prior explicet essentiam vniuersalis in ordine ad prædicationem eius de inferioribus, siue in ordine ad intellectum prædicantem, vt aiebat supra *S.Thomas,* ex *S.Thom. Aristo.* *Aristotelis* doctrina; posterior verò declaret ipsum vniuersale in ordine ad inferiora, quibus aptum est inesse. Vnde dixerunt allegati *Conimbricenses* definitioné hanc spectare ad Metaphysicam, illam autem, quæ concernit prædicationes ad Logicam; quorum dictum non displicet, siquidem *Aristoteles* etiam id intendisse *Aristotel.* videtur, quando hic in Logica tradidit definitionem Logicam, in Metaphysica verò definitionem metaphysicam.

Pars altera Sectionis satisfacit argumento quorundam, qui dicunt Praedicabilitatem esse proprietatem Vniuersalis, & non eius essentiam. vbi pauca de rerum scibilitate.

SEd contra stant communiter Recentiores, qui cum *Conimbricens.* allegatis supra, *Toleto* q. 2. de genere. *Ammonio*. *Alberto*, & *Auerroe*, *Castellui* disp. 2. de obiecto Dialect. d. 2. *Blanch.* d. 2. de vniuers. sect. 16. & alijs definitionem traditã per praedicabilitatem, esse accidentalem contuentur, & praedicabilitatem esse passionem vniuersalis, & non essentiam; & obijciunt, aut objcere possunt graue hoc argumentum. Praedicabilitas non actualis, sed radicalis; de qua sola procedit difficultas; distinguitur ratione ratiocinata ab essentia vniuersalis; ergo non
598 est de ipsius essentia; sed ad summum quid proprium eiusdem, necessario ad ipsam consequutum. consequentia erit manifesta, & verissimum consequens, si conuincatur antecedens esse verum, quod ita probare possunt. etenim quando aliquid habet varios terminos, quos respiciat, & in ordine ad quos considerari posit, communiter distingui solet in eo varij respectus explicite differentes; sed quodlibet vniuersale respicit intellectum, à quo praedicetur; ergo in ordine ad ipsum distingui poterit in vniuersali formalitas & respectus distinctus à quouis alio respectu, qué vniuersale habeat ad alios varios terminos. maior est nostra doctrina sup. n. 587.
9. *Respondeo concedendo*. de minori, & cósequentia videtur dubitari nó posse; quę tamen confirmantur, quia ob similé rationé distinguunt multi Doctores in obiecto quouis scibili scibilitates varias, secundum varios actus, à quibus potest sciri; & totidem amabilitates quot sunt actus amoris, quibus potest amari; & eodem modo distinguũt in quolibet ente passiones eius; nempe, quae continentur in illa dictione R E V B A V, de quo videri poterit *Aquarius* in libro *de Formalitatibus*, S. *Thoma* à cap. 2.

S. Thom.

Respondeo tamen distinguendo maiorem, distingui possunt, & solent varij respectus in aliquo, quod trascendentaliter respicit varios terminos, in ordine ad ipsos; & sic concedo maiorem: in ordine ad terminos, cum quibus connexionem, aut ordinem nullum habet; & sic nego maiorem; & quoniam in proposito, vniuersale sicut, & quodlibet aliud praedicabile, aut scibile, non connectitur, neque habet dependentiam cum intellectu, nec cum actibus eius; ideo non habet intellectus fundamentũ distinguendi in eo obiecto, varios respectus, qui specificari debuissent à suis respectis terminis. Quando autem contingit rem terminos aliquos respicere, à quibus pendet, & specificatur; ipsa petit, ac patitur dissecari in varios respectus in ordine ad eos terminos, propter eam dependentiam, vti dicebam supra Sect. praecedenti, & vberius dicam infra num. 889. & 940. ex quo patet ad argumenti confirmationem, sed ad authoritatem Doctorum, qui contrarium sentiunt, dico duo. 599

Primum est, à parte rei exerceri, & fieri actus tam cognoscitiuos, quam appetentes versantes circa res sine istiusmodi formalitatibus, quae propterea ad rem non pertinent, quippe quae vt optime docuit *S. Thomas* 1. par. quaest. 16. art. 3. ad 3. neque *sanguntur à potentijs*, neque ab eis discernuntur, aut distinguuntur in exercitio actuum, neque deseruiunt rerum cognitioni, & amori; siquidem quando res cognoscuntur, & amantur, illae non sunt. quare pomi v.g. color cernitur ab oculis; cognoscitur ab intellectu; & amatur à voluntate; quia visibilis; scibilis, & amabilis est per suam realem entitatem, ita varie ex parte dictam, & nominatam à varijs actibus illarum potentiarum; & in hoc cordatus nemo potuit dissidere; necessaria ergo non est alia vlterior partitio in obiectis scibilibus, & praedicabilibus, vt possint sciri, & praedicari, siue vt scibilia formaliter, & praedicabilia sint; si ad hoc satis esse conuincitur eorum entitas, & essentia cum respectu ac intellectum intrinseco, & transcendentali, si sic contentus eris. vel extrinseco & praedicamentali vt ego cum Doctoribus allegandis contendo.

S. Thom.

Secundum est *scibilitate*, & cósequenter praedicabilitatem, quae peculiaris scibilitas est, vt se habet obiectiue in vniuer-

uersalibus, dici posse denominationẽ extrinsecam vniuersalibus, sicut, & obiectis alijs, prouenientem ab intellectu, ea prædicare potente; idest, prædicabilitatem formalitatem transcendentalem nouam non esse, neque aliud intrinsecum vniuersalibus, præter ipsorum formas, & essentias de se quidem prædicabiles, sed non sine connotatione ad actus intellectus, à quibus item prædicabilia extrinsecè denominantur: habent enim hoc relatiua aliquot, vel etiam quasi prædicamentalia, vt quandoque denominentur tam à forma intrinseca propria, quam ab aliena, &
S. Thomas. extrinseca, vt nos docuit *S. Thomas* infra referendus in 1. par. quæst. 6. artic. 4. &
S. August. 1.2. quæst. 7. art. 2. ad primum, & S. *Augustinus* infra nu. 940.

600 Et quidem dictum hoc secundum displicere nõ debet grauissimis Doctoribus, qui *scibilitates*, & *amabilitates*, & huiusmodi, absolutè credunt esse denominationes extrinsecas, quibus denominantur res cognoscibiles, & amabiles, vt supra declaratũ est, & placet de facto Patri *Suarez* in met. d. 8. sect. 6. à n. 19. præsertim n. 34.
S. Thomas. & 36. *S. Thom.* & Scriptoribus ibi allegatis, dum agitur de veritate transcendẽtali, quæ parum distat à prædicabilitate. Patribus *Vasquez* 1. par. d. 77. cap. 4. *Molina* ibidem quæst. 16. d. 4. *Fonseca* 4. metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 2. *Hurtado* d. 17. metaphys. sect. 1. *Herice* tract. 4. d. 40. cap. 6. nu. 69. & *Montoya*, & alijs.

Sed quoniam non est instituti præsentis rem hanc pertinentem ad metaphysicas præcisiones, prolixius examinare, tantum vellem illud nostrum principium; quod videtur medium tenere inter istos graues Authores, & illos alios Recentiores vbique formalizantes etiam sine causa, aut necessitate, memoria firma retineri, nempe rem quampiam distinguibilem esse ab intellectu in tenues formalitates, quoties, & quando habuerit transcendentalem relationem in re ad aliquos terminos, secus verò non. P. *Arriaga* vt modo video d. 1. metaph. sect. 6. nu. 107. facit tertiam classem in hoc puncto, quatenus ex vna parte negat formalitatum præcisiones: ex alia tenuit obiecta trãscentaliter ferri ad actus,
Aristotel. S. August. S. Thomas. quibus possunt cognosci, amari, aut alio modo tangi; sed displicet, quia tradunt nu. 596. oppositum nostri tres Authores; & quia semper displicuerunt tot, & tantæ connexiones rerum.

Cõcludo ergo prędicabilitatem vniuersalis appellari posse relationem quasi prædicamentalem, quatenus postulat ad sui extrinsecam compositionem, duorum extremorum coexistentiam, aut collationem: primum, & principale extremum est ipsa materialis essentia vniuersalis de se apta dici, ac prædicari, sed non sine secundo extremo, quod est intellectus, siue actus eius illam prædicaturus, aut potens prædicare; & idem dicendum de *scibilitate*, *intelligibilitate*, *veritate*, *bonitate*, *amabilitate*, & *visibilitate* rerum, quæ dici solent communiter à Doctoribus, quos sequitur re vera, & allegat vbi supra *Suarez*, denominationes extrinsecæ, non quia credant esse mera nomina extrinseca rebus illis imposita, sed quia sint relationes, siue concreta extremorum, quæ non vniuntur, sed sunt quasi extrinseca composita ex rebus, & cognitionibus versantibus circa eas res, quibus, vt tales dicantur, & sint, 601
nil denuo aduenit præter id nomen extrinsecum, vt vberius explicamus inferius in quæst. de *Relatione*, quam item compellant denominationem extrinsecam.

Atque id ipsum significare voluisse reor *S. Thomam* prima parte quæst. 6. articul. 2; S. Thomas.
ad 1. & in primo distinct. 19. quæstion. 5. artic. 1. vbi relationem obiecti scibilis ad scientiam appellat relationem rationis, quia non raro concreta extrinseca, & præsertim denominationes extrinsecæ eis imposita, entia rationis nominantur, quatenus scilicet vni extremo denominato nil reale additur, nisi concomitantia alterius, & relatio, vel collatio facta ab intellectu, qui dicitur ratio, in ordine, ad rem alterã, vt videbimus infra. eiusmodi tandem prædicabilitatem radicalem secundum quod reperitur ex parte essentiæ vniuersalis, dixi supra esse totam eius essentiam integrè sũptam, non vlterius partibilem in formalitatem aliam respectiuam, vt volunt quidã docti Iuniores, & multo minus esse fictionem relatiuam voluntariam, & subinde inutilem, & non necessariam, vti aduerti supra num. 575. in simili; illamque esse positam in definitione vniuersalis, vt partem essentialem. solet autem nuncupari prædicabilitas sicut scibilitas, & veritas, passio vniuersalis non quia verè passio sit, sed

quia

quia nostro modo intelligendi prius intelligitur natura vniuersalis secundum se, & postmodum vt prædicabilis, & sic per quandam metaphoram, & similitudinem, quam propterea habet cum passionibus, quæ verè ad suam radicem consequuntur, possunt dici passiones prædicabilitas, veritas, & scibilitas, & quæ sunt eiusmodi.

SECTIO XII.

Monstrat definitionem vtramque traditam pro Vniuersali formali ab Aristotele, conuenire Naturæ, *quam vocant* secundum se; *vbi prius tres status Naturæ recensentur.*

602 AD facilem intelligentiam difficultatis præsentis, & subsequentis, præsciendum est cum communi Dialecticorum sententia desumpta ex *S. Damasceno* libro 3. *de fide orthodoxa* cap. 13. in principio, & ex *S. Thoma* tum alibi, tum de Potent. quæst. 5. articulo 9. ad 16. de Ente, & Essentia cap. 4. quamlibet naturam vniuersalem triplicem statum habere. primus dicitur *status naturæ contractæ*, quem habet natura in singularibus suis existentibus a parte rei, v.g. Natura humana eum statum habet in Petro, & in Paulo, quæ inibi nil aliud est, nisi animæ rationales eorum singularium, vnitæ corporibus. Secundus status appellatur *naturæ abstractæ*, quem habent *homo*, & *animal*, & reliquæ naturę ab intellectu factæ vniuersales. Tertius denique status dicitur *status naturæ secundum se*, idest consideratæ solum secundum prædicata absoluta, libera ab omni respectu; qui status communiter creditur à Recentioribus nō esse distinctus à præcedentibus, sed in eorum quolibet includi; quoniam is tantum consistit in consideratione naturæ secundum quod talia prædicata essentialia habet, quibus neque repugnat contrahi, fieri vniuersalis, vel singularis; sed quis non videat fallentiam; si enim eiusmodi status naturæ abstrahit ab alijs duobus, & in præcisione sua, & consideratione, adhuc in neutro horum est, tertius sine dubio status est? vti voluerunt illi sancti Patres, & nos monstrauerimus inferius.

Ego autem, vt perspicuè dicam quod sentio circa naturam secundum se, & statum eius, dico primo, naturam secundum se non dari à parte rei, vt eo nomine significatur; & probatur, quia nomen hoc *Natura* impositum est ad significandam rerum naturam, & essentiam nudam, ac depuratam à singularitatibus, quæ illam afficiunt, & contrahunt à parte rei: sed nulla essentia, aut natura datur à parte rei sine singularitatibus; ergo natura secundum se non datur à parte rei, vt eo nomine significatur. Maior propositio huius syllogismi constat ex traditione Maiorum, 603
qui communi consensu voluerunt nomine hoc *Natura* significari non rem singularem, sed rei singularis essentiam præcisam, ac liberam ab singularium differentijs; vnde dixit P. D. *Suarez* assequutus mentem *S. Thomæ* locis allegatis in metaph. disp. 6. sect. 3. num. 5. *si quis rectè consideret, vel hoc ipsum quod dicitur* (natura) *secundum se inaluitur operatio intellectus naturam præscindentis, ab indiuidualibus differentijs*. Minor est euidens; & consequentia est legitima. fatendum ergo est naturam secundum se, esse naturam, vt ait *in de ente, & essentia* cap. 4. *S. Thomas intellectam*, rationem vniuersalis habentem quodā modo, & ratione ratiocinata distinctam à suis indiuiduis, quæ sunt à parte rei.

Dico secundo, *Natura secundum se* est essentia siue natura vniuersalium considerata solum secundum sua prædicata essentialia, quasi absoluta, & libera ab omni relatione, & respectu; vel ad summum habens respectum ad passiones, & affectiones proprias, aut etiam operationes, quarū illa radix est, atque principium; ita quod qui solum conceperit naturam secundum se animalis v.g. non videat eo conceptu relationes, quas id habet erga inferiora, aut erga intellectum potentem illud prædicare de illis: sed tantum viderit prædicata illa explicata, quo tamen modo concepta animalis natura manet effecta vniuersalis, sed non cognita vt talis, quousque cognoscatur eius ordo ad inferiora, quibus apta est inesse, & de quibus potest prædicari: quia *natura* inquit supra *S. Thomas intellecta habet rationem vniuersalis secundum*.

eundum quod comparatur ad res, quæ sunt extra animam, hoc est à parte rei. dictum hoc non indiget maiori probatione quia patet ex terminorum bona apprehensione consentit *Smigletius* noster disput. 4. q. 4. §. secundo.

Dico Tertio, naturæ secundum se cõpetit vtraque definitio tradita supra pro vniuersali formali. videamus hoc an verum sit, & experiamur, prodeat prior definitio, quę sic erat, *vniuersale est vnum aptum esse in multis*, nonne natura secundum se, idest præcisa ab inferioribus, seu cognita sine illis est vna vnitate formaliter præcisionis? maxime, quamuis è cõtrario stent docti, & eruditi Patres *Conimbricenses*. in Præfatione Porphyrij quæstione 4. articulo 3. sectione 1. §. *in defendenda*. deinde ipsamet natura reddita vna, apta de se est esse in pluribus, & ad ea habet verã relationem trascendentalem, non quidem sibi affictam & confictam ab intellectu directe, vel reflexe in ipsa relationem supe-
604 rioritatis effigente, vt *Conimbricens.* sect. præcedenti allegati, & cum ipsis alij ex antiquis, & Modernis sine necessitate voluerunt; sed omnino connaturalem intrinsecã sibi, & essentialé, vt supra probatũ est. habet præterea ipsa natura secundum se, cõnotato intellectu prædicare potente, scibilitaté, seu intelligibilitatem per iudicium enunciatiuum, idest prædicabilitatem, per quam *est apta nata prædicari de pluribus*, quæ erat secunda vniuersalis definitio.

Vnde inferuntur duo; aut tria. primũ est, non tantum naturã istam distingui ratione ratiocinata ab inferiorum differentijs, sine quibus cognita est; ex quo dicta est *natura secundum se*; verumetiã simili modo posse distingui à natura vt vniuersali formalissime concepta. patet hoc, quia natura secundum se animalis v.g. distinguibilis est in duos partiales tenues respectus, quorum prior fit in ordine ad proprias operationes animalis; & secundus in ordine ad suas differentias, nempe rationale; hinnibile; & reliquas; ac dici cum veritate eos respectus transcendentales esse, & inter se differentes; & per primum constitui naturam secundum se; & per secundum vniuersalem; atque is respectus vterque plusquã ratione, & quasi realiter saltem ex parte distinguetur à natura vniuersali prædicabili, quatenus natura vt prædicabilis, prętet se ipsam, qua ratione est omnino idem cũ illo respectu vtroque, vtpotè quæ claudit ac dicit essentialiter tam naturam secundũ se, quam vniuersalem, importat intellectũ prædicare potentem, qui quatenus ad se attinet realiter distinguitur ab animalis natura vniuersali; & istud est secundum consectarium.

Tertium est, naturam secundum se, quãtum ad se attinet, habere seù esse aptitudinem proximam ad identificationem cũ suis inferioribus, & quandoque prædicabilitatem etiam proximam. primum patet, quia præcisa ab inferioribus communis est omnibus, & nullũ de se habet impedimentum, quominus cũ eis identificetur. Secun- 605
dum etiam manifestum fit ex eo, quod si, & quando intellectus quasi reflectendo viderit *animal* v.g. sine impedimento, & aptum inesse, & prædicari de suis inferioribus, continuo proxime poterit illud de his prædicare; & ab hac proxima, & expedita intellectus potentia denominatur vniuersale proxime pędicabile; vti alibi infra, quando tracto de actu comparatiuo, quo solet fieri vniuersale, euidentius apparebit. Conuenit ergo *naturæ secundum se* sin minus formalissime, identice tamen in sua abstractione, & quasi materialiter, ne dicam realiter, vtraque vniuersalis definitio, & habet meo quidem iudicio, quod ex dictis facile conuincitur, statum tertium ab illis SS. PP. sine limitatione assertum, distinctum ab statu contractionis, & abstractionis, si status abstractionis, formaliter intelligatur esse status vniuersalis naturæ, aut prædicabilis, vti volunt plerique recentiores. secus idem omnino erit status naturæ secundum se, atque status naturæ vniuersalis; si videlicet, natura vniuersalis solum consideretur abstracta, & in statu abstractionis, hoc est quin vlterius præscindatur in tenues illas relationes, quæ illam formaliter ponunt in statu vario, iuxta quod sufficienter declaratum est, & sic intelligendus erit *S. Thomas* in Opusc. 55. circa finem. S. Thomas.

SECTIO XIII.

Conuincit certum esse debere, atque receptum apud discipulos S. Thomæ, non conuenire neque remote Vniuersali fundamentali, siue rebus existentibus à parte rei Vnitatem, Aptitudinem, nec Prædicabilitatem superius declaratam, & soli Vniuersali formali conuenientem.

IN principio Sectionis præcedentis adnumeraui tres status naturę vniuersalis, & ibidē, & in superioribus declaraui quo pacto definitiones *Aristot.* eidem naturæ conuenirent in statu duplici, nimirum naturæ abstractæ, & secundum se; restat nūc vlterius examinare an, & quomodo natura in statu tertio contractionis, hoc est singularibus Petro, & Bucephalo, & reliquis indiuiduis, ac rebus existentibus à parte rei, quæ sunt vniuersalium fundamenta, conueniant illæ eædem definitiones, & quidquid in eisdem continetur: nempe vnitas, aptitudo, vt sint in multis, proxima, aut saltē remota, & prædicabilitas simili modo proxima, vel remota: vbi nonnihil superaddetur de aptitudine proxima, quam habent res singulares, siue vniuersale fundamentale, vt ab eis abstrahatur vniuersale formale.

606 Sit ergo prima Conclusio, *vniuersale fundamentale, hoc est indiuidua, & entitates singulares, quæ sunt à parte rei non habent vnitatem præcisionis*. ita tenet cōmunis sententia cum *S. Thoma* infra referendo; & *Suarez* disp. 6. met. sect. 4. vbi bene impugnat *Fonsecam* cōtra opinantē. Probatur commune assertum ratione. Etenim primo vnitas præcisionis non est, vbi cognitio præscindens non est; sed à parte rei, & ante operationem intellectus non est cognitio præscindens naturam à singularibus, ergo à parte rei in ipsis vnitas nulla præcisionis est. quare licet à parte rei tot sint reales, & singulares vnitates, quot sunt entitates; sed vnitas præcisionis antequam fiat, in re non est. ex quo fit secundo euidentius, nō esse à parte rei vnitatem obiectiuam in natura vniuersali, quam supra docuimus cōtra *Nominales* opponi collectioni indiuiduorum; nempè à parte rei nullibi esse formalitatem naturæ humanæ præcisæ à suis singularibus, neque alterius naturæ vniuersalis, si credendum est *Aristoteli* disputanti contra *Platonem*, quod posuerit naturas vniuersales in concauo Lunæ separatas à suis singularibus, ante intellectum.

S. Thomas. *Aristotel.*

Sit secunda conclusio, *vniuersale fundamentale, siue res singulares existētes à parte rei, ante operationē intellectus præscindentem non habent aptitudinem, vt sint in multis, neque prædicabilitatem de illis proxime aut remote; sed omnimodam earum carentiam, & repugnantiam*. hæc item est communior sententia, quam sequuntur *Suarez* disp. illa 6. met. sect. 4. *Rubius* q. 4. vniuer. *Conimb.* q. 3. vniu. a. 3. *Vallius* to. 1. p. 1. de vniuer. in cōmuni q. 3. c. 8. *Hieron. Pla.* disp. de vniuer. q. 6. §. quinta assertio. *Fonseca* to. 2. lib. 5. c. 28. q. 4. sect. 4. vbi dicit esse hanc Thomistarum opinionem, & meritò, quia eam docuit *S. Thom.* in tract. de ente, & essentia c. 4. vt ibidem monstrat *Caiet.* §. hinc ponitur quinta Conclusio. Consonant pauci, sed docti Recentiores, sed rationes conuincent quemplam. *S. Thom.*

Prima est, nihil est à parte rei in Petro, cui conueniat aptitudo remota, vt sit in pluribus, ergo in rebus à parte rei nulla est similis aptitudo. probo antecedens. nam quod est in Petro à parte rei est quædam anima, aut physica forma rationalis, quoddam corpus organizatum, quædam potentiæ spirituales, atque corporeæ, & aliæ quædā partes integrantes, ac Petrum adornantes; sed nihil horum est aptum, neque remotè, ad esse in pluribus, ergo nihil est à parte rei in Petro, cui conueniat aptitudo ista hæc remota, *quia*, inquit vbi sup. *S. Tho. non inuenitur in indiuiduis natura humana secundum vnitatem, vt sit vnum quid conueniens cuilibet, quod ratio vniuersalis exigit*. inuenitur quidem humana natura physica, nempe anima, & materia corporalis, in indiuiduis naturæ humanæ; sed eiusmodi natura est vna per similitudinem, non per proprietatem, idest sunt similes naturę physicè plures omninò singulares, & incōmunicabiles, vt nemo nō videt. 607 *S. Thomas.*

Secunda ratio est. in Petro à parte rei nō sunt duo aliquo modo distincta, quorum vni conueniat aptitudo remota, & cōmunicabilitas; alteri verò ineptitudo, & incōmunicabilitas; ergo in Petro nulla est aptitudo. dicis duo, primum est à parte rei non

esse in Petro ea duo ratione distincta, neque ex natura rei, neque formalitates duas. Secundum est adhuc conuenire Petro à parte rei remotam aptitudinem ratione naturæ, quam includit: ineptitudinem autem ratione singularitatis suæ.

Porro tibi contradicis, qui enim dixisti bene, contra *Scotum*, & eius sectatores, à parte rei in Petro non esse illa duo aliquo modo distincta: quo iure dicis postmodum Scotuziendo, aut Platonizando esse illa eadem duo in re distincta, nempe Petri metaphysicam naturam, & ipsius singularitatem, dictam *Petreitatem*, quibus conueniant illa tua prædicata opposita, ac distincta à parte rei, nempe aptum quidpiam inesse Petro remote; ineptum quoque quidpiam aliud esse in eodem, ante operationem intellectus.

608 Sed finaliter te magis declarando respõdes cum iunioribus, qui nolenti tibi, volenti instillant, propinantq. subtilis *Scoti* opinionem; à parte rei reperiri in Petro naturam ipsius metaphysicam *specificatiue conceptam*, cui comperat vnitas, & aptitudo remota. & itẽ singularitatem, cui cõueniat ineptitudo. sed falleris omnino, quoniam falsum omnino est dari à parte rei naturam *specificatiuè conceptam*, aut naturam *specificatiuè* ante conceptum, & vt eo nomine communiter significatur; quia natura specificatiuè considerata, vt patet ex tuis terminis, ratione ratiocinata distinguitur à suis singularitatibus, Siquidem, vt tutè fateris, vt sic non affert in recto siue in suo expresso, ac directo obiectiuo conceptu, singularitates suas; sed solum indirecte, & in obliquo. vnde ipsa specificatiuè libera est ab omni singularitate, & est ordo, & relatio adducens
S. Thomas. nos siue, vt ait S. *Thomas* supra, *inducens nos in cognitionem* singularium, quæ dicis importari in obliquo, putando a parte rei esse duo, vnum rectum, alterum obliquum; quod vtrumque dum asseris, tu ipse de nouo fingis, atque distinguis; & post operationem tui boni intellectus manet natura distincta à singularitatibus, & cum aptitudine proxima, vt sit in ipsis, non cum remota, quæ nusquam fuit. quocirca à parte rei nulla est in rebus aptitudo, vt sint in pluribus, si ea proxima non est; proximam verò non concedis, quia *Platonis* discipulus non es.

Quapropter licet hæ propositiones, & similes sint veræ, & affirmari possint, *Petrus à parte rei est aptus vt videatur ratione coloris; & ineptus ratione substantiæ inuisibilis. Petrus est spiritus secundum animam; & corpus secundum materiam*. quoniam ea prædicata in re sunt distincta, & habenti non repugnant, neque subiecto; tamen illæ propositiones vsurpandæ non sunt nempè *Petrus est aptus vt sit in multis ratione naturæ humanæ, & ineptus ratione singularitatis. Petrus est prædicabilis de multis ratione naturæ, & imprædicabilis ratione singularitatis*; non solum quia ea prædicata in Petro distincta non sunt, vt ijs nominibus afferuntur, sed quia licet distincta forent per intellectum, aut ex natura rei, ita quod aliud esset in re natura, aliud singularitas, illud prę dicatũ nẽpe *est aptus adesse in pluribus*, Petro repugnaret; siquidẽ ipse ratione nullius
pote esse cõmunis pluribus, quãuis dici cũ 609
veritate posset ipsũ identicè habere naturã cõmunem, & aptam esse in pluribus, si tamen abstrahatur; & propter eandem rationem nos debemus abstinere, quando sumus Theologi ab illis loquutionibus *Pater diuinus est communis Filio, & Spiritui sancto ratione naturæ, aut est aptus esse in illis ratione naturæ; vt videlicet cum ipsis identificetur sicut identificatur natura*; quia non tantum falsæ sunt ante præcisionem intellectus, & a parte rei, sed etiam post præcisionem non ita bene sonant, nisi in sano sensu explicentur.

De illa vero propositione solemni apud Theologos quosdam. *Odium Dei habet priuationem rectitudinis amoris Dei*, doctiores alij iudicent; mihi quidem ea non minus falsa visa est, quam hæc *Petrus habet aptitudinẽ ad plura*: & ratio est, quã dixi, quia tam hoc, quam illud indiuiduũ est omnino ineptum habere prædictas formas, quantumuis addatur odium Dei *secundum rationem genericam, Petrus secundum naturam*; siquidem ahduc prædicatum subiecto repugnat. quocirca regula generalis seruãda in eiusmodi loquutionibus potest esse, *inspiciendum semper an prædicatum, quamuis aliunde identicè reperiatur in subiecto, ipsi subiecto habenti illud, repugnet ex modo enunciãdi illud, & prædicandi*. aliter ergo istæ propositiones enuncientur, nempe sic.

Pater

Pater habet naturam communem tribus. Odium Dei includit rationem actus quodammodo habentem privationem differentiæ actus amoris Dei. Petrus habet naturam habentem aptitudinem ad plura. quomodo enunciatæ vera prædicant, sed non sine intellectus præeunte præcisione, quã-
Aristotel. S.Thom. uis *S.Thomas* cum *Aristotele* 5. metaphys. lect. 10. lit. D. ita scribat. *Talpa autem dicitur privari visu, non quia ipsa secundum se sit nata habere visum, sed quia genus eius scilicet animal natum est habere visum.*

610 Tertia ratio penetrata est peremptoria, quæ sic est, Petrus, siue natura quæuis singularizata à parte rei reduplicatiuè vt singularis, nullam habet aptitudinem ad idẽtificandum se cum pluribus; ergo in singularibus à parte rei, non est ad id aptitudo remota. antecedens libenter admittunt Recentiores, quibus cum belligeramus, & receptissimum est, vt liquet, ex terminis, quod latè probat *P. Suarez* in met. disp. 6. sect. 4. ego probo consequentiam ex certo principio desumpto ex *Aristotele* 1.
Aristotel. S.Thomas. Poster. c. 4. tex. 11. & 5. metaph. tex. 28. & *S.Thoma* 3. p. q. 16. art. 10. optime declarato à *P. Vasquez* in 3. p. disp. 68. capit. 2. præsertim num. 10. etenim inquit Philosophus *idem est per se prædicari de aliquo, ac secundum quod ipsum de illo dici.* Vnde summo regulam logicæ Realis, & formo sic, *quotiescunque conuenit necessario atque per se prædicatum subiecto, conuenit eidem secundũ quod ipsum est, seu reduplicatiuè, & quidquid necessarie prædicat de subiecto, de eodẽ prædicare potest reduplicatiuè*, quia perinde est v.g dicere *homo est animal, linea inest punctum*, ac dicere, *homo inquantum talis est animal. & linea inquãtum tali inest pũctum*, & huiusmodi aliter

Ad punctum ergo redeundo probo Petrum actu existentem, vel solum possibiliter à parte rei, & ante operationem intellectus esse entitatem reduplicatiuè singularem, & consequenter in eo nihil esse aptum, neque remote vt sit in pluribus. etenim hæc propositio à parte rei est necessaria, ac de perse, seu de prędicato per se conuenienti, *Petrus est singularis*, quæ illi æquipollet, *Petrus quatenus talis est singularis, Petro competit reduplicatiuè singularitas*. Et ita dicendum fuit de entitatibus, ac rebus reliquis singularibus existentibus à parte rei; neque enim putandum est res singulares existere à parte rei specificatiuè solum singulares, seu specificatiuè quasi communes, & reduplicatiuè singulares. vnde tandem concluditur res quaslibet singulares ante operationem intellectus, & à parte rei esse singulares, & vt tales esse, seu, esse reduplicatiuè singulares; omnes enim existunt singularizatæ, & prout singularizatæ. ex quo vlterius sit nullam aptitudinem inesse rebus à parte rei ad esse in pluribus, neque prædicabilitatem de illis, quantumuis ex remotæ compellentur; & consequenter, 611
definitiones illas ambas supra traditas pro vniuersali formali, ipsi soli conuenire, ac nullo modo competere vniuersali fundamentali, siue rebus existentibus à parte rei; *non enim* aiebat *S. Thomas* supe- S.Thom.
rius plusquam sapienter, *inuenitur in indiuiduis, seu rebus singularibus natura secundum vnitatem, vt sit vnum quid conueniens cuilibet, quod ratio vniuersalis exigit. non inuenitur*, ait hoc est nullo modo, neque proximè, neque remote iuxta vim *non* particulæ negantis.

Sit Tertia Conclusio. *Vniuersale fundamentale siue res existentes à parte rei habent aptitudinem proximam, seu potentiam per modum non repugnantiæ, vt ab eis præscindatur, & abstrahatur ab intellectu vniuersale formale.* assertio hæc debet esse communis, & ad sui euidentiam solum indiget declaratione; itaque tantum volumus quod Petrus, & Paulus, & alia quæuis indiuidua cuiuspiam generis, aut speciei, quæ existunt à parte rei, & habent aliquã vnitatem, & conuenientiã, & vniformè ac similem modum essendi, & operandi, similes item aliquot potentias, & operationes, possunt & solent prębere ansam, & occasionem intellectui, vt is ab illis præscindat, siue in eisdem cognoscat solam illorum conuenientiam puram, putam, pro tunc nihil singularitatum cognoscendo, & sic vniuersale fabricetur, quod est illa quasi præcisa conuenientia, & plus quam similitudo, quia vna sola obiectiua formalitas est, apta deinceps esse, ac prædicari de pluribus illis, quorum conuenientia non physica iam, sed metaphysica est. quia ergo prædicta indiuidua, & singularia eo ipso quod

in aliquo physico prædicato, aut in aliquibus similia sunt; continuo sine vllo impedimento proxima fundamenta sunt vniuersali construendo, idcirco meritò dicuntur habere aptitudinē proximam ad eiusmodi vniuersalium structuram.

612 Dixi autem eiusmodi aptititudinem, & potentiam expeditam, & proximam, quam inuenit intellectus in rebus singularibus ad vniuersalis fabricam, non esse positiuam, & quasi appetentem, sed solum per modum non repugnantiæ, non tantum, quia vti dixi supra num.610. contra *P. Arriaga*, cum *Aristotele S. Augustino*, & *S. Thoma*, eæ non petunt, nec appetūt cognosci, aut posse cognosci; Verum etiā quia cum singularia omnia contenta sint, ac bene habita cum suis prædicatis omnibus realiter secum identificatis, quasi ęgrè ferunt eam quasi scissionem fieri in se, atq; de se aliquid quasi extrahi; quocirca sat erit si vniuersale abse præscindi quasi permittant, & non repugnent; quoniam alij de nihilo immutata perseuerant, nam istiusmodi sectio intentionalis tantum est, & ex modo cognoscendi. sed & hæc loquutio nostra, sicut & præcisio vniuersalium nimis metaphorica est.

Aristotel. S. August. S. Thom.

SECTIO XIV.

Referuntur, & refelluntur Doctores, qui existimarunt inesse vniuersali fundamentali, siue singularibus Aptitudinem remotam ad esse in pluribus; & itē Prædicabilitatem remotam; & Veritas magis stabilitur solutione argumentorum.

IOannes Duns Scotus Doctor subtilis nuncupatus, & author grauissimus, & pro insigni pietate erga Conceptionē immaculatam Genitricis Dei Mariæ plus quā famosus, apex & sublime caput scholę Frāciscanorum, cohęrenter ad suam illam distinctionem mediam, defendit in 2. dist.3. q.1.& in 7.met.q.18. naturas seu entitates singulares, quod nos dicimus Vniuersale fundamentale, aut physicū, habere à parte rei aptitudinē remotā ad esse in pluribus. *Scotum* imitantur sui omnes discipuli, Magister meus in Logica, & pleriq; Recētiores qui pro se allegant, & meritò Magnum *Albertum* tract. 2. in Prædicabil. cap. 3. & 4. & ita exponūt cōponuntq; opinionē suā.

Natura inquiunt, humana v.g. (id quod de alijs naturis dictum volunt) specificatiuè sumpta à parte rei per positiuam, aut saltem negatiuam aptitudinem respicit indiuidua humana Petrum, & Paulum, & reliqua, siue eorum indiuiduales differentias (quas item, si Deo placet, ponent specificatiuè distinctas à natura) cum quibus identificatur, quibuscum identificata crescit, & numero multiplicata est: quia tamen præfata natura à parte rei contracta est per prędictas sibi vnitas indiuiduas differentias, asserunt eius aptitudinem impeditam esse, & sic remotam, vt identificari possit cum pluribus, quam vno, in quolibet indiuiduo, & quasi expectare intellectum depuraturū eam naturā ab impedimentis, & sic proximam redditurum.

Promouent ij doctores explicationem opinationis suæ exemplo materiæ primæ 613 quæ dum informatur à forma ignis, eiusq; dispositionibus conuestitur, dicitur habere aptitudinē impeditam, & remotā ad recipiendam formam contrariam aquæ, quæ aptitudo proxima efficitur seclusis à materia, forma ignis, & dispositionibus ignis, & introductis in eam dispositionibus aquæ. hæc videtur esse mens Authorum, qui stant exaduerso: quorum sane doctrina, vt fatear quod sentio, digna piane est, quæ tradatur ab Scotistis pro elucidanda doctrina sui Præceptoris, qui existimauit à parte rei naturas vniuersales distingui quodammodo à singularitatibus suis; & ante opus intellectus in re existere distinctos ab inuicē metaphysicos gradus; vel etiam ab assertoribus distinctionis virtualis plus quam fundamentalis, nō vero à nostris authoribus, qui alias insistentes S. *Thomæ* vestigijs, nullam distinctionem agnouerunt à parte rei inter vniuersales naturas, & earum differentias. Sed priusquam *Scoti* imitatorum argumētas non quidem contemnenda proponam, oportet meminisse, & iterum legere doctrinam traditam supra in ista quæst. 2. sect. 3. §. *Postulat.* circa vsum terminorum quorumdam, qui significāt res prout sunt, aut non sunt à parte rei, quibus terminis, timeo vehementer, ne aliqui abusi iam fuerint in materia præsenti.

Argumentū ergo primum est desūptum ex

ex authoritate *S. Thomæ* qui par. 1. q. 13.
S. Thomas. art. 9. corpore docere videtur naturam quamlibet vniuersalem, etiam quando existit in singularibus à parte rei habere communicabilitatem, siuè aptitudinem ad esse in multis, quæ non potest non esse remota, siquidem à parte rei impedita à singularibus est. Verba eius sunt hæc. *Omnis forma in supposito singulari existens, per quod indiuiduatur, cōmunis est multis, vel secundum rem, vel secundum rationem saltem; sicut natura humana communis est multis secundum rem, & rationem.*

Sed Respondetur loqui *S. Thomam* de
614 natura vniuersali effecta, vt indicant contextus, & illa termini *forma, natura humana*. quæ non solent significare res singulares, & vt sunt à parte rei, sed vt sunt præcisæ ab intellectu, quo pacto *natura humana cōmunis est multis secūdum rem*, idest inuenitur, vt ait *Caiet.* in Commentario, realiter communicata in multis, & item est *communis multis secundum rationem*, quia potest intelligi vna formaliter, vt existens in pluribus indiuiduis, quasi componens metaphysice cum ipsis, vel cum eisdem identificata, etiam si tantum
S. Thomas. ea possibilia forent, ita se declarat S. Doctor statim subiungens. *natura autem solis non est cōmunis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum*, quoniā cum sit vnicus sol non inuenitur realiter actu communicata per multos soles, sed quia *potest natura solis intelligi vt in pluribus* possibilibus, nihil impedit quominus intellectus naturam solis in communi apprehendat, vt speciem vnam aptam inesse pluribus existentibus in re iam productis, vel saltem producibilibus. Vnde nihil contra nostram sententiam, quam ibidem S. Pater valde corroborat dicens. *sed singulare ex hoc ipso, quod est singulare, est diuisum ab omnibus alijs*; idest nullo modo alijs communicabilis. *Vnde omne nomen impositum ad significandum aliquod singulare, est incommunicabile & re, & ratione, non enim potest in apprehensione cadere pluralitas huius indiuidui*. Hæc, & alia S. Doctor satis ad rem; & volunt Recentiores in re indiuiduum quodlibet in duo partitum esse; & vni concedere cōmunicabilitatem remotam;
S. Thomas. & alteri incōmunicabilitatem; quod negat *S. Thomas* cadere posse in apprehensionē.

Quod si isti nostri Magistri contenti essent cum eo, quod illis ibidem Angelicus Doctor concedit, nempe à parte rei indiuidua dici posse habere communicabilitatem prædicatorum, non propriam, sed per similitudinem, quatenus habent similes formas, similes qualitates, similem fortitudinem, propter quam dici potest *Achilles* metaphorice quilibet *inquā*, S. Thomas. *tum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet fortitudinem similem*, inficias non iremus, sed consentire, dici quenquam posse, vel remotè, fortem, aut hominem propter eandem illam *Achillis* fortitudinem, vel naturam, quasi eæ sint à parte rei specificatiuè disiunctæ, ab Achilleitate, aptæ inesse cuidam huic homini saltem remotè, non possumus, nec debemus. 615

Secundum argumentum est, natura quæuis abstracta, & vniuersalis effecta habet proximam aptitudinem ad esse in multis, ergo à parte rei, & ante abstractionem habebat aptitudinem remotam. probatur consequentia. quia ideo post abstractionem est proxime apta natura, quia liberata est ab impedimentis singularitatum, per virtutem abstractiuam intellectus; ergo quandiu eadem natura retinet ea impedimenta, est apta remotè.

Respondetur concesso vtroque priori antecedenti, negando consequentiam vtramque, & ratio responsionis huiusmodi est; quoniam necessarium non est semper vt res, quæ in aliqua circumstantia habet potentiam, siuè aptitudinem proximam, aut expeditam ad aliquem actum, quod antea eandem potentiam ad eundem actum habuerit remotam, ratione alicuius impedimenti; nisi quando tale impedimentum rem non confundat, secum illam omnino conuoluendo; sed eam relinquat cum sua, eademque natura antiqua, vt contingit, quando impedimentum realiter distinguitur à re per ipsum impedita; quod si res, quæ habet in tali circumstantia potentiam proximam, quando, scilicet, per intellectum sublatum est impedimentum; antea ita cum eo impedimento in re commisceatur, vt per totalem idētitatem cum ipso, & in ipso confundatur, dicenda non est habere in re, dum ita cōfusa, & identificata est, aptitudinē remotā ad illud ipsū, ad quod post operationē intelle-

tellectus, habuerit proximam, nisi ea aptitudo talis naturæ sit, vt conueniat rei, & simul rei impedimento; vt oportet, siquidem à parte rei res, & impedimentum est vna omnino entitas, & ideo incapax duplicis prædicati oppositi.

616 Quapropter licet natura humana v. g. vniuersalis effecta, seclusis per intellectũ differentijs, quæ illi sunt impedimento in re ob identitatẽ cũ ipsis, habeat aptitudinem proximam, vt sit in multis: sed verò Petrus, seu Petri entitas, aut physica eius natura non habet aptitudinem, neque remotam, vt sit in multis, quoniam à parte rei natura physica Petri, & eius indiuidua physica differentia, est vna omnino indiuisibilis entitas omnino incommunicabilis, & ipsummet communicationis impedimentum, & sic omnino inepta proximè, & remotè ad esse in pluribus, vtpotè quæ sic est naturaliter singularis, & ideo singularis reduplicatiuè.

Doctrinæ huius fundamentum, quod est omnimoda realis identificatio naturæ vniuersalis cum eius differentia, declaro magis, etenim quando res siue potentia conuoluta est, & identificata cũ impedimento, neque de ea loqui possumus quasi liberam, vel, vt aiunt aduersarij, *specificatiuè* illam putando, aut considerando sine impedimento in recto; si nobis loquendum sit de re, vt est à parte rei, & terminis illam significãtibus vt est à parte rei: sed de ipsa re vestita & identificata cũ impedimento, seu vt rectius loquamur, de ipsomet impedimento; quia res singularis impedimentum est, & non aliud à parte rei; neque enim aliud est à parte rei res, aliud impedimentum eius. vnde fit quod sicut receptum est apud omnes, materiam primam Petri vnitam cum anima eius, Hoc est, id naturale compositum ineptum omnino esse proximè, & remotè, vt recipiat connaturaliter alias formas substantiales; ita dici debere de qualibet entitate singulari, ineptã esse, vt sit in multis, vt re vera est, siquidem incommunicabilitatis ratio formalis, & vltima ipsa est, & subinde cõmunicationis cuiuspiam impedimentum.

617 Tertium argumentum est. potentia, quã res habet ad aliquem actum, non tollitur aduentu talis actus, neque ex coniunctione talis actus cum potentia, ergo potentia, quam habet natura abstracta, & facta vniuersalis ad actum identificationis cum differentijs, non tollitur ex ipsa, quando actu identificatur cum differentijs: antecedens sit manifestum ab exemplo. quoniã potentia, quam habet intellectus ad producendum actum quempiam, non tollitur ab eo, quando de facto eum actum producit, siue adhuc in eo intellectu perseuerat, non solum quia eum actum actu producit, siue conseruat; sed etiam, quia ipsum destructum, quatenus de se est, potest iterum producere, si Deus illi non deneget concursum; ergo si natura facta vniuersalis habuit potentiam ad identificationem cum multis; eandem potentiam saltem remotè retinebit facta singularis: ad eum modum, quo materia prima, quod est aliud exemplum nobis cõmuniter oppositum, dum retinet formam ignis, dicitur habere aptitudinem, seu potentiam remotam ad recipiendam formam aquæ.

Et sane dicat aliquis, nos, qui in declaratione vniuersalium aptitudinis, toties supra exemplificauimus in materia prima, deberemus exempla repetita ab eadem materia retinere, & doctrinam vniuersalium semper cum illa de materia elucidare & consequenter à parte rei in natura Petri à parte rei existente, & in se quasi recipiente Petreitatem, vt formam, vt assolet recipere materia formam suam; agnoscere, & cõcedere saltem aptitudinem remotam, vt illa possit esse in indiuiduis pluribus; & hoc ipsum confirmatur ex eo, quod generaliter loquendo, proximum, & remotũ sunt relatiua, & vnum infert alterum, neque alterum esse vnquam potest, quin socium iam fuerit aut futurum sit, si nequeãt esse ambo simul. vnde semper aptitudo, & potentia proxima dicitur cum respectu ad remotam, quæ fuit: & è contrario remota dicitur per respectum ad proximam, quæ erit vel potest esse. quis ergo vnquam agnouit potentiam vllam proximam sine remota, præsertim si in vtraque potentia, relatio consistit, vti nos non rarò indicauimus superius.

Respondetur ad hoc tertium, ex dictis ad argumentum secundum: potentiam rei ad aliquem actum omnino tolli à re, quando actus identificatur cum potentia; non vero quando actus differt realiter ab ea, & discrimen est. quia quando actus identificatur cum potentia, ex vtroque fit vna eadem-

eademque res, & non manet amplius duplex, aut quasi duplex res; vna, quæ dicatur potentia, alia, quæ dicatur actus ipsius; id quod probat exemplum illud de
618 intellectu, in quo ante actum, & in ipso, & post ipsum, perseuerat potentia, quia nimirum nunquam identificatur cum suo actu, sed semper illum respicit vt quid ab ipso distinctum realiter; & propterea nunquam fuit immutata eius potentialitas: secus multo est in natura abstracta, quæ dum est formalitas metaphysica, est potentia proxima, dum verò talis esse desinit, est realitas omnino singularis sine potentia vt sit in pluribus, licet eam identice quasi cöeruet; vt dicetur inferius, & alibi superius dictum est.

Ad aliud illud exemplum solemne de materia prima respondemus, quod licet sæpe soliti simus in exemplum eam afferre, vt vniuersalia declararemus; tamen semper, & vbique & sine discretione vti simili exemplo non debemus: quia dicitur
S.Thom. quoque veteri prouerbio desumpto ex S. *Damasceno* apud *S. Thomam* 3. p. q. 2. art.6. ad 1. *exemplum non tenet in omnibus*, exemplum enim simile tantum est, & non idem cum re, cuius exemplum est: & ideo circumfertur dictum fuisse quasi per locum ab *Scoto*, exemplum non debet currere quatuor pedibus. affertur enim vt ait
Aristotel. *Aristoteles* 1. Prior. cap.39. ad rem declarandam, non vt talis, quale illud est, esse credatur.

Doctrina solutionis huius conformis est Doctrinæ Patris *Suarez* in disp.6.metaph. sect.4.in 2.& 3.& *P.Fonseca* in eius illustrationem addit in lib.5.c.28.q.4.sect.5. materiam primam Petri habere aptitudinē remota ad recipiendam formā cuiusdā leonis, quia vna numero materia potest recipere successiue varias formas, mutatis solum dispositionibus; naturam verò Petri non sic, quia cum sit vna numero inseparabilis à Petro à parte rei, transire non potest ad ioannem; & consequenter non habet ad eum transitum potentiam, iuxta vulgare prouerbium. *Impossibilis est Potentia, quæ non potest reduci ad actum*, quis ergo audeat dicere naturā singularissimam Petri, & cum ipso omnino identificatam a parte rei, vel etiam si cum *Scoto*, & *Fonseca* concesserit distinctione n inter Petreitatem, & naturam hanc singularem, adhuc naturam posse esse remotè in infinitis indiuiduis, cum ex eo mirabilis omnino sit singularissima, & sine exemplo natura Diuina, quod vna sola singularis possit esse, & sit in tribus. satis, superque erit concessisse vniuersali naturæ aptitudinem erga plura, & vna natura creata singularis contenta sit cum vno supposito singulari.

Ad illud, quod additur in fine argumenti de relatione, dicendum, in præsenti, 619
quando vocamus aptitudinem vniuersalis *proximam*, vti nos quidem eo termino, vt relatiuo ad aliud extremum quasi in communi, & vage, quod sit, ac dicatur habere potentiam remotam, vt videlicet, declaremus naturam vniuersalem non habere illa, vel similia impedimenta, quibus solent res aliæ ad suos actus præpediri: sed omnino eam ad actum suum expeditam esse; non autem eo termino vtimur vt relatiuo respectu sui ipsius, in alio statu habentis impedimentum, quia is status nō est, vt supra probatum est; & hoc sat est respondere, licet ponamus relationem esse extremum vtrumque.

Nolumus hic tractare an relatio aliqua coalescere possit ex vno extremo repetito; seu duplici statu, aut circumstantia accidētali, vel temporis, vel loci, aut alterius affecto, & constituto, de quo videndi sumus supra num. 199. sed subiungimus ad reliquias argumenti, mirum non esse nasci, aut quasi nasci denuo, aut sic semper fuisse ab initio, & ante sæcula, potentiam aliquam proximam, & expeditam ad actus suos, quin præcesserit remota ipsa, aut præpedita. Exempla suppetunt plura, primum est diuinum: etenim diuinus intellectus; & diuina voluntas semper fuerunt, sunt, & erunt proximæ potentiæ, quin vnquam remotæ fuerint: secundum est humanum, quod est anima rationalis, quæ in puncto creationis suę fuit proxima, & expedita potentia ad producendum suas affectiones, & potentias nempe subsistentiam, intellectum, & voluntatem: potuit ergo natura vniuersalis dum primo facta fuit, talis nasci denuo cum aptitudine proxima, quin aliquando, aut alicubi habuerit remotam.

Quartum argumentum est. *ab actu ad potentiam bene valet consequentia*, sed à 620
parte rei natura est in multis, ergo à parte rei

rei potest esse in multis. Puto quod docti Recentiores nostræ factionis putant satisfieri huic argumento à P. *Fonseca* lib. 5. metaph. cap. 28. q. 4. sect. 5. qui concessis maiori, & minori, consequens distinguit, ac verum putat, si concludat, quod vna natura per similitudinem vna, nō per proprietatem, à parte rei possit esse in multis, siquidem certissimum credit ipse esse, quod à parte rei plures naturæ singulares similes sint in pluribus: falsum autem sentit esse consequens, si concludat vnam naturam specificatiuè conceptam quodammodo distinctam à singularitatibus, esse posse in pluribus: sic enim vna numero natura esse posset in pluribus, quod esset maius mysterium Trinitatis mysterio. præterquamquod argumentum, si quid probat, conuincit naturæ à parte rei inesse aptitudinem plus quam proximam. Hæc credo dicta à me fuisse secundum mentē Doctoris huius eximij Lusitani, sed in hac parte Scoturientis; idcirco solutio mihi arridere nōdebuit.

Aliter ergo respondeo concessa maiori, declarando minorem, si eius suppositum negandum nō fuit, quoniam abutitur termino *natura. sed à parte rei*, inquit minor, *natura est in multis*, idest à parte rei natura humana physica, hoc est humanitas, quæ constat anima, & corpore sine subsistentia, est in multis, vna dicta per similitudinem, cum re vera sit multarum similium naturarum congeries; & sic concedo minorem; quia verum est humanitates plures esse à parte rei in pluribus suppositis, qui fuit sensus primus minoris; *sed à parte rei natura est in multis*, idest, natura vna, vt ponitur ab *Scoto* à parte rei distincta, vel etiā vna dicta per similitudinem, & re vera multiplex; & sic nego minorem. quam item *Scotus*, & *Fonseca*, negarunt ex parte; licet enim concedant à parte rei plures naturas esse in pluribus singularibus (non solum suppositis, vt ego dicebam) ab eorum differentijs ex natura rei distinctis; tamen eiusmodi naturas non dicunt esse vnam numero in pluribus, sed plures in pluribus, idest, vnicuique singulari suam.

621 Intelligentia huius doctrinæ pendet ex sensu, in quo vera est ista propositio, & similes, *natura humana est in Petro*; quæ dupliciter potest considerari, primo modo, ita quod termini eius omnes significent rem, vt est à parte rei, & tunc perinde valet, atque hæc, *natura humana physica, quæ est anima vnita cum corpore, est in Petro, vt in supposito, siue subsistit in Petro, aut per eius subsistentiam*, & sic intellecta verissima propositio est; & in eodem sensu, tot sunt naturæ humanæ, quot sunt particulares homines; sed nulla earum potest, aut habet aptitudinem, vt transeat de vno supposito in aliud, vt nemo non videt. Secundo modo potest sumi illa propositio, ita quod illi termini, qui sunt ex parte subiecti, significent naturam humanam præcisam, & vniuersalem, & quo modo non est à parte rei; & sic propositio est vera in sensu reali, & æquipollet huic, *natura humana communis pluribus de se identificatur cum Petro à parte rei*. Et in hoc sensu sola vna formalitas naturæ humanæ verè dicitur vna apta esse in pluribus; sed quoniam, eo ipso, quod ex intellectu quasi descendat ad plura, & cum eis identificetur, fit vna singularis entitas, & iam quasi desinit esse natura, relinquendo intētionale, & præcisum, seù metaphysicum esse; non benè infertur illa argumenti conclusio, *ergo à parte rei natura potest esse in multis*, quoniam à parte rei iam non est vna natura, vnaue formalitas, sed plures naturæ physicæ in pluribus singularibus suppositis, nisi dicatur istæ plures naturæ, vna per similitudinem, idest vna similium naturarum congeries.

Ergo in eo dissidemus nos ab *Scoto*, & *Fonseca*, quod ij opinantur à parte rei esse quasi plures naturas metaphysicas in pluribus singularibus; nos autem non sic; sed defendimus plures naturas physicas esse in totidem singularibus suppositis; illi ponunt distinctionem mediam dictā ex natura rei inter naturas illas plures numero, & singularitates suas; nos vero ponimus distinctionem realem inter nostras naturas, & supposita; illi nobiscum in hoc asserto consentiunt, sed in suo sensu adhuc abundant; nos autem persistimus in communi vtrinque disputantium placito; sed non consentimus in suo, quoniam prælegimus veram sententiam S. *Thomæ*. 622

Quintum argumentum, & reliqua afferuntur in Sectione sequenti ne filum continuum Sectionis vnius solito longioris, fastidium pareret studentibus, aut confusionem; præsertim in abstrusa, & metaphysica materia; in qua tanto violentius im-

immoror, quanto ea longior est à logico instituto; sed concedendum fuit hoc vsui, vel abusui Dialecticorum; qui tamen aliunde, & merito putant suæ scientiæ materiam esse scibilia omnia, sed tamen non sub omni respectu, sed vt prædicabilia, & aliter; vt alibi à nobis in Præfatione dictum est.

SECTIO XV.

Dissoluit reliqua argumenta, quæ probare intendunt inesse rebus à parte rei Aptitudinem remotam, vt sint in pluribus; vbi proximam Vniuersalis Aptitudinem in ipsis esse identicè, & non aliã, aut alio modo conceditur.

QVintum ergo in ordine argumentum est. aptitudo proxima est intrinsecum quid, & essentiale naturæ vniuersali; ergo illam habent saltem remotè singularia: patet consequentia, quoniam intellectus quantumuis vniuersalia fabricari dicatur, obiectis suis nihil potest addere præter denominationem extrinsecam cogniti, siue qua dicantur ab eo cognita, facta, & abstracta.

623 Respondetur concesso antecedenti; neque enim putandum est aptitudinem vniuersalis esse aliquam negatiuam potẽtiam, seu non repugnantiam meram, vti volunt communiter Iuniores cum **Suarez**, & **Conimbr.** supra allegatis; & multo minus esse fictionem aliquam adnexam vniuersali naturæ abstractæ, vt volunt alij; sed dicendum aptitudinem vniuersalis esse ipsam eius formalitatem formaliter, de se, & ex se aptam, & identificabilem cum suis differentijs; illam, nimirum supra quam isti Doctores affingunt sua illa figmenta, vt effugiant vim huius argumẽti, & similium, cuius consequens distinguo, ergo illam aptitudinem rationi superiori intrinsecã, habent eius inferiora identicè, & realiter; concedo consequentiam; habent formaliter, vel remotè; nego consequentiam. habent quippè inferiora hominis v.g. realiter secum identificatam speciem, siue naturam humanam cum sua aptitudine proxima eidem intrinseca, & essentiali; sed illam non habent quasi formaliter inclusam in se ipsis, & quasi formalitatem specificatiuè à se discretam; sed omninò singularizatam, & omninò redditam singularem, ita quod facilius intelligi possit, & cum veritate affirmari vniuersalis proximam aptitudinem inesse identicè singularibus, quam aptitudinem remotam; quoniam illa a parte rei est idẽ, quod Petrus; hæc verò insinuat distinctionem inter naturam, cui insideat, vt in sede, & fundamento; & Petreitatem; quam discretionem esse à parte rei est impossibile. memini dixisse me aliquid simile superius n.586.

Sextum argumentum est. essentia cuiuscumque rei, vel eius natura vbique comitatur rem, cuius essentia, vel natura est; sed essentia vniuersalis est aptitudo, vt sit in pluribus; ergo eadem aptitudo est in singularibus, in quibus est essentia vniuersalis. Concedo totum. Sed colligis. ergo Petrus, & quoduis aliud singulare, sin minus ratione singularitatis, at ratione naturæ, quam contrahit, habet à parte rei aptitudinem, vt sit in pluribus: distinguo consequens, (si non vis negem suppositum, quo supponis non verè à parte rei aliud esse naturam singularẽ, aliud singularitatẽ eius, vt indicant illi tui termini) ergo Petrus habet eandem aptitudinem, quæ quidem est ipsa essentia vniuersalis, identicè, & realiter, & sic concedo consequentiam; habet aliter quasi per modum metaphysicę compositionis existentis à parte rei exercitæ inter hominem, & Petreitatem; & sic nego consequentiam.

Septimum argumentum est, à parte rei & ante omnem præcisionem intellectus est in Petro vnitas formalis fundata, non in Petreitate, sed in eius natura; & similiter inest vnitas numerica, vel materialis, è contrario fundata in Petreitate, & non in Petri natura: ergo à parte rei datur in Petro aliquid, idest natura, cui inesse possit aptitudo remota, & aliquid, idest singularitas, cui insit proximè ineptitudo, vt sit in pluribus; & confirmatur, quia in Petro est similitudo, & dissimilitudo, cum Paulo, similitudo exercita per naturam vtrique communem, dissimilitudo verò per amborum differentias; & id totum contingere videmus à parte rei. 624

Respondeo tamen negando totum enthymema primùm; quoniam licet verum sit Petrum à parte rei esse vnum formaliter,

ter, seu in specie, & numero, tamen id vtrumque est per suam indiuisibilem physicam, ac realem entitatem fundamentaliter loquendo, formaliter autem per vnam, vel duas negationes reales, quas declarabam olim n.523.S.Metaphysici.& idem nunc repeto. entitas Petri est vna numero, quia habet in se negationem, qua, & propter quam non est plures homines, sed vnus. & eadem entitas est vna in specie quia habet in se negationem, qua, & propter quam non est plures physicæ species; sicut, & dici potest habere eandem Petri entitatem vnam negationem, qua non est Paulus, & per quā differt numero à Paulo, & alteram, qua non est Bucephalus, & per quam differt à Bucephalo in specie: id quod potest contingere à parte rei, sine recursu ad præcisionem intellectus, licet ad maiorem abundantiam in eiusmodi, & alijs nodis melius declarandis, soleamus recurrere ad illas præcisiones, sed
625 semper, aut sæpè sine necessitate.

Ad id, quod additur in confirmatione argumenti de similitudine; dico similiter Petrum à parte rei esse similem Paulo, eique dissimilem: similem quidem similitudine realiter exercita per varias formas, & qualitates physicas in vtroque repertas, veluti sunt animæ rationales in essendo, & operando similes, similes vultus, figuræ, & colores, & siquę sunt eiusmodi; dissimilem, quoque dissimilitudine non tantum exercita per physicas distinctas numero entitates omnes amborum, tam substantiales, quàm accidentales, quod ad argumentum superest; verumetiam per varia longè accidentia, varias intellectiones, & volitiones, variasque sententias, & placita. dici enim solet, *quot capita, tot sententiæ, & super gustus non est disputatio*. præter quamquod vide in quantis indiuidua differant à parte rei, de quibus dictum est, & decantatum.

Forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis, ... (& alter.
Patria sunt septem, quæ nō habet vnus,

Quocirca frustraneus, & impossibilis est recursus ad specificatiuam distinctionem naturæ, & singularitatis ipsius existentem à parte rei, vt declarentur vnitates formalis, & numerica: distinctio, similitudo, ac dissimilitudo singularium, quæ omnino carent illa compositione graduum metaphysicorum ante operationem intellectûs. vnde non est locus vbi sit aptitudo remota, non est vbi requiescere possit pes eius.

Octauum, & vltimum, & longè difficilius quoniam diuinum, argumentum hoc est, quod sic Theologis obijcitur. à parte rei, & ante omnem præcisionem intellectus natura diuina Patris æterni est communicabilis multis, & apta esse in illis, quinimo realiter communicatur, & actu est in tribus, non obstante omnimoda identitate illius cum Patre, & Paternitate omnino incommunicabili per identificationem, (quidquid sit per circuminsessionem, vt loquunturTheologi) ergo simili modo dicendum inesse à parte rei in natura Petri aptitudinem remotam, vt sit in pluribus, & item remotam cōmunicabilitatem, & prædicabilitatem. nec licebit nobis deinceps negare suppositū; neque amplius negare à parte rei reperiri posse in Petro quasi duo, quibus opposita prædicata aptitudinis, & ineptitudinis conueniant; siquidē in Patre indiuiduo singularissimo diuino, quo nil singularius excogitari potest, videmus quasi duo, & de duobus loquimur, & vni credimus firmiter inesse cōmunicabilitatē ad se identificandum cum pluribus, in altero non item, sed omnino oppositum; & quod mirabilius est, hoc totum videtur euenire à parte rei; siquidem à parte rei 626
generatur filius Dei, & illi realiter communicatur natura eadem; & filiatio realiter producitur; non item natura; & tamen aliunde certum de fide sit communicatam naturam sola ratione differre à filiatione: quare vel admittenda erit distinctio aliqua specificatiua, aut virtualis in singularibus vniuersalium inter eorum naturas, & singularitates, vel negandum illa diuina exerceri à parte rei, aut esse in re, vt illis diuinis terminis significantur; quod an fieri fideliter possit, videamus.

Sed respondetur negando suppositum antecedentis, videlicet, quod ante præcisionem intellectus, & à parte rei dentur distinctæ natura Patris, & Paternitas, & vt his nominibus significantur: cum enim ea nomina significēt præfatas diuinas perfectiones, veluti distinctas, vt manifestè patet ex tanta distinctione in suis illis prædicatis, quæ ibi referuntur; & eiusmodi distinctio non fit ante præcisionem intellectus, vt efficacissime conuincit P.Dida-

cus

eus Ruiz de Trinitate disput. 11. sect. 3. 4. 5. & 6. oportet intelligi quod illa nomina significent illas perfectiones, vt iam distinctas per intellectum. quo modo distinctis, veræ sunt hæ propositiones *natura Patris est communicabilis multis. Pater, seu Paternitas non est communicabilis multis*. ad quæ prædicata quamtumuis contradictoria verificanda sat est distinctio rationis præcedens ex parte subiectorum,
627 quod me docuit S. Thomas tum alibi sæ-
S.Thomas. pe, tum 1. par. quæst. 39. art. 1. ibi, *ad secundum dicendum quod inquantum essentia, & persona in diuinis differunt secundum intelligentiæ rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de vno, quod negetur de altero*. quocirca illa propositio, quod est antecedens argumenti, *natura Patris à parte rei, & ante intellectus præcisionem est apta esse in multis*, quatenus innuit, & supponit naturam Patris diuini à parte rei esse distinctam à Paternitate, est falsa omnino; sicut solent esse propositiones de subiecto non existente. vnde neganda est consequentia; & ex his liquet quid dicendum sit ad reliquias argumenti. quæ verò quis desideret ad doctrinæ huius plenius complementum, Tdeologica sunt, ac possunt videri in PP. *Ruiz* superius allegato disput. 15. sect. 8. *Suarez* lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 18. & 19. *Vasquez* 1. par. disput. 120. capit. vltimo. *Gillo* lib. 2. de substantia Dei, tract. 1. capit. 11. *Granado* de Trinitate tract. 3, disput. 5; sect. 5. & alijs communiter.

Illud autem hic à me præteriri non potuit, nempe, quod licet loquendo de rebus, nominibus eas significantibus, vt sunt à parte rei, quo modo sunt *entitas, realitas*, & huiusmodi, vera sit hæc propositio, *entitas Petri, seu entitas natura Petri est omnino inepta ad esse in pluribus, & omnino incommunicabilis*, propter immensam, vt sic dicam, limitationem, & restrictionem naturæ singularis creatæ ad vnum, Verumtamen opposito modo contingit in Diuinis, propter immensam perfectionem diuinæ naturæ, quæ quantumuis vna numero sit, est communis tribus; vnde veræ sunt istæ propositiones à parte rei, *Entitas essentia diuinæ est communicabilis, & communicata. entitas Patris similiter est communicabilis, & communicata. entitas essentiæ generatur, entitas filij generatur. entitas essentia communicatur, entitas filij cõmunicatur. est vna, & plures, vel trina. propria, & communis, respectiua, & absoluta, est producta, & improducta*. quæ licet à parte rei vera sint, & realiter quasi exerceantur in Deo, nihilominus intellectus noster habet fundamentum, (sine recursu,
ad virtualem distinctionem, quam nemo 628
ponat, si *Scotista* non sit,) vt præscindendo credat naturam diuinam à Patre communicari filio, & non generari: & è contra Filiationem generari, nec solum Filio communicari; & priora illa prædicata reliquarū propositionum dicit conuenire filio ratione filiationis suæ, quæ vnica, propria, & respectiua est. posteriora verò ratione entitatis essentiæ, quæ plures Personæ; cõmunis, & absoluta est; vt vberius declarabunt allegati Theologi Doctores.

Sed vrgebis ad finem. hæc est vera propositio, & loquutio bona. à parte rei, *entitas Patris diuini est communicabilis, & apta esse in multis*, quamuis postmodum necesse sit recurrat intellectus, & aduertat similem aptitudinem conuenire Patri ratione naturæ, non ratione Paternitatis; ergo similiter vera erit hæc loquutio. *Petrus seu entitas Petri est communicabilis, & apta esse in multis*, licet recurrendum sit ad intellectum, vt assignet propter quid, negatur consequentia, & disparitas est grandis differentia, quæ intercedit inter istas duas entitates singulares: singularis est diuina, & in eo plane admiranda, & singularissima, quod simul de se à parte rei sit communis, & plurium, seu plures: entitas verò creata est quidem singularis, sed dum singularis nec plurium, nec plures, aut plus quam vna, & ideo secunda illa propositio est falsa; & sic fine fūdamento veritatis fiet ad intellectum recursus.

per iudicia ipsa: de quo tractamus vberius à num. 1135.

631 Ex præmissis colligo primo abstractionem terminari solum ad vnum obiectum simplex, comparationem verò ad duo, vel plura; & consequenter (integrè acceptam non esse simpliciter necessariam, sed ex parte superfluam ad vniuersale faciendum; quod debet esse simplex, & vna natura, & obiectum simplex; aptissimam autem esse ad illuminãdum nostrum intellectum, & ad determinandum ipsum, vt prorumpat in iudicia, & prædicationes vlteriores, quando ipsa comparatio prædicatio non est, vti esse posse existimauit

S.Thom. S. *Thomas* dicens in illa quæst. 85. 1. par. art. 1. *ad primum ergo dicendum, quod abstrahere contingit dupliciter, vno modo per modum compositionis, & diuisionis, sicut cum intelligimus* (seù prædicando iudicamus) *aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo. alio modo per modum simplicitatis, sicut cum intelligimus vnum nihil considerando de alio.*

Colligo secundo, non tantum debere esse, & assignari in officina Logicæ diuersa documenta, & regulas, quæ nos doceant elicere modo artificioso, & regulato abstractiones, & comparationes, vt ostendi supra num. 102. & infra à n. 763. sed etiam & regulas alias docentes nos fabricari vniuersalia, modo per abstractiones, modo per comparationes secundum arbitrium ea fabricari volentium. quas regulas debuerunt significare Recentiores, si de facto non significarunt nomine *considerationum Logicalium* dicentes, aut supponẽtes in Logica reperiri cõsiderationes Logicas circa vniuersalia, à quibus *vniuersalia* consuerunt *Logica* nominari; de quibus considerationibus fuse, & dilucide dicemus infra in quæst. 8. sect. 2. in præsenti sufficiat indicare duas regulas, quæ sunt duæ Logicæ realis considerationes versantes erga vniuersalia.

Prima docet practicè facere per abstractionem vniuersale quoddam, nempè genus, ita dictans generaliter, *visis primo, & consideratis rebus, quæ sunt à parte rei, & earum conuenientia, & differentia, abstrahatur in genere Fabricam sola ratio conuenientiæ eam præscindẽdo per virtutem intellectus à pluribus differentibus specie, quorum sit pars essentiæ per modum per se stantis*: & quidem hoc Logico documento instructi Tyrones, postquam per varios actus præcedentes exequuti fuerint, & explorauerint, 632
quæ id iubet explorari, facile fabricabunt genus omne per meram abstractionem, sic placet, solum cognoscendo in rebus specie distinctis conuenientiam, nihil pro tunc considerando de alio, seu per eam abstractiuam cognitionem non cognoscẽdo aliud; atque istud documentum est logica regula, & Consideratio logica, à qua vniuersale abstractum iam, seu factum per abstractionem, dicitur tanquam à forma extrinseca Logicum, & merito: & ita proportione sua sunt reliquæ Logicæ considerationes versantes circa vniuersalia reliqua; quas infra proponemus; & quas intellexisse non potuerunt, qui Logicam Realem omnino necessariam ad capienda vniuersalia, non nouerunt.

Deinde licet non ita facile sit declarare, quæ sit & qualis logicalis Consideratio, aut regula circa vniuersale faciendum per comparationem, & eius factũ vsum, nempe quæ doceat nos artificiose vniuersalia per comparationem afficere, & ea sic facta prædicare: & desiderarem egomet hoc discere, & audire à tantis Doctoribus, qui toties in generali nobis inculcant vniuersale factum per comparationem esse Logicum, quin præterea assignent titulum, rationem, regulam, aut considerationem habitam ex parte Logicæ, per quã ita cõpellandum sit.

Verumtamen persistẽdo in doctrina supra tradita n. 629. omnino conformi doctrinæ S. *Thomæ* pluribus in locis, sed spe- S.Thom.
ciatim c. 4. de ente, & essentia 1. p. q. 28. a. 1. corp. & q. 58. a. 4. corpore. & communi Doctorum, nempe comparationem esse conceptum mentis ad modum apprehensionis complexæ, vel etiam iudicij cognoscentis, & repræsentantis duo, aut plura, sed alterũ, (vt accedamus propius ad materiam præsentem) eorum vt quid superius altero, aptum ei inesse, ac de ipso prædicari; qualis foret actus cognoscens animal, vt superius, & aptum inesse homini, & Bucephalo, ac leoni, ac de ipsis prædicabile: vel etiam in ipso animali animaduertens esse relationem superioritatis erga inferiora sua non fictam, & 633
animali affictam ab actu comparente.

(vti sine necessitate posuerunt plerique Antiquiores, quos referunt, & imitantur *Conimbricenses* in Præfat. Porp. quęst. 6. art. 1. §. *secunda conclusio* & a. 3. §. *nec est*) sed relationem, & superioritatem veram animali intrinsecam, imo ipsam eius essentiam de se late patentem, & superiorem ad plura, & propterea nobis inferiora sua referentem, & indicantem, siue *in eorum cognitionem inducentem*, vt loquitur S. *Thomas* cap. 4. de ente & essentia, vt assolét relatiua reliqua; ita quod comparatio passiua fit vniuersale relatam ad inferius, vt animal comparatum ad Petrum, vel ad quoduis aliud inferius. pono, & formo tandem regulam generalem pro faciundo genere per comparationem, vt inde facile sumatur exemplum pro eformandis regulis pro efficiendo prædicabilia reliqua.

S. Thomas.

Visa & considerata prius rerum diuersarum in specie similitudine, & conuenientia, & item dissimilitudine earundem veram genus fiet aptum illis rebus inesse, & prædicabile de ipsis, per actum intellectus præscindentem prædictam rationem conuenientiæ, ipsamque considerantem quasi relatam ad res, vnde præscinditur, vt eis superiorem communem, & conuenientem, ita tamen, & talis natura debet ea ratio communis esse, vt inferiorum suorum sit pars essentialis, & per modum per se stantis. Et quidem hanc esse logicalem considerationem circa vniuersalia, ac regulá docentem fabricari genera per comparationem, ex eo est manifestum, quod iubeat ea fieri non aliter ac ipsa sunt in se, & solent fieri ductu luminis naturæ, aut media sola Logica naturali; & quo pacto facienda esse docet communis sententia. quod si adhuc non placet Recentioribus, ostendant ipsi aliam Logicæ considerationem, aut regulam commodiorem: nec timeant concedere versari aliquam Logicæ pertem circa res, quoniam ita euenire necesse est. Si faciendum est aliquod vniuersale, & dicen-

634 dum logicum, per comparationem.

Ex quo fit vlterius manifestum vniuersale siue factum per abstractionem, siue per comparationem logicum esse, ac logicum dici debere; siquidem eo vtroque modo fit & consideratur à Logica per diuersas ipsius regulas; & insuper idem vniuersale quouis modo factum dici, & esse metaphysicum, quia metaphysica ipsum considerat per varios eius actus, modo illud definiendo, modo aliquas eius proprietates cognoscendo. etenim vt supra in Præfatione à num. 41. & 69. & infra à numer. 762. dicitur. *Logica considerat res, & rationes communes omnes secundum conditionem fabricandi, aut prædicandi: Metaphysica verò secundum conditionem essendi.* & iuxta hanc verissimam doctrinam, cui multum fauet Pater *Suarez* in metaph. disp. 6. sect. 8. num. 4. intelligendi sunt, si non sunt corrigendi graues doctores, inter quos sunt *Mureia*, *Oña*, *Sedeño*, *Lorinus*, *Blanchus* disput. 2. sect. 9. *Castellui* disput. 2. dub. 9. & plerique Recentiores, qui ob inconsiderantiam Logicæ realis, sine qua nihil potest omnino comprehendi in materia vniuersalium, non vere dixerunt *vniuersale Logicum* esse factum per comparationem, *Metaphysicum* vero, factum pera bstractionem cum vtrumque sit Logicum, & vtrumque metaphysicum alia, & alia consideratione, vt supra declaratum est.

Altera pars Sectionis cöcludit Vniuersale fieri proxime tale per abstractionem; proxime vero prædicabile per comparationem.

Dicendum est Primo. *Vniuersale fieri proxime tale, atque completè per actum abstractiuum, siue per abstractionem*, & probatur. quoniam per illud redditur, & fit vniuersale completum, & proximum, per quod fit vnum aptum esse in pluribus, & sine impedimento; sed ita fit vniuersale per solam abstractionem; ergo per ipsam fit vniuersale proxime tale, atq; completè. maior, quæ est definitio vniuersalis est vera: probatur minor. quia vniuersale semel abstractum est vnum vnitate formali præcisa, & obiectiua, vt manifestum est. deinde liberum est ab omni singularitate, quæ sola solet illi impedimento esse, ne cõmunicetur pluribus. Ter- 635 tio demũ omne vniuersale abstractum habet relationẽ veram transcendentalẽ, quæ est ipsa essentia absoluta vniuersalis naturæ, de se propensa ad essendum in pluribus, & erga ipsa relata transcendentaliter; vt

vt supra in Sect.9. efficaciter probatum est: cum ergo eiusmodi relatio sit vniuersalis, siue ratio formalis vltima Vniuersale constituens in ratione talis, & relatio ipsa eluceat, & sit in vniuersali post meram abstractionem; sit necessario dicendum Vniuersale, siue Logicum, siue metaphysicum, integre haberi per abstractionem.

S.Thomas. Consentiunt *S. Thomas* tum alibi tum 1.par.quæst.85.art.1.ad 1. ibi *similiter dico quod ea, quæ pertinent ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis, puta lapidis, aut hominis, aut equi, possunt considerari sine principijs indiuidualibus, quæ non sunt de ratione speciei; & hoc est abstrahere vniuersale à particulari*. *P. Suarez* in metaph. disp.6.sect.6.num.8.& 9. & apud ipsum in numero 2. & 3. præter
636 *S. Thomam*, *Flandria*, *Sotus*, & *Durandus*, *Toletus* item in quæst. 2. de vniuersalibus conclusione 2. *Petrus Hurtado* disp. 5.metaph. sect.8. *P. Arriaga* disp. á num. 48. & alij antiqui, & moderni. & consentire tenentur quotquot supra à numero 574. nobiscum existimarunt vniuersalium relationem erga inferiora fictioné non esse effingendam per cōparationem: sed ipsam ipsorum abstractam essentiam.

Bene scio interesse aliunde inter hos Authores grande dissidium, etenim quamuis omnes conueniant in eo, quod vniuersale completè fiat per actum abstractiuū; veruntamen *Sotus*, & *Flandria*, & alij credunt eiusmodi actum proficisci ab *intellectu agenti*, cæteri verò ibidem allegati non; sed ab intellectu *possibili*. supponunt quippe omnes ex libris de anima, in anima esse veluti duo eius instrumenta ad intelligendum necessaria, intellectus duos, si non est vnus cum duplici munere. primus dicitur *agens* ita nuncupatus ab officio, quia videlicet fabricatur, & agit species; quas vocant intelligibiles, seruientes intellectui. secundus qui dicitur *possibilis*, seu *passibilis*, quia eas species recipit, & patitur ad eliciendos actus intelligentes quælibet obiecta. sed quidquid sit de hac lite, de qua videri poterit *Suarez* in ea disputatione 6. sectione 6. à numero 1. ego conciliarem ipsos afferendo vniuersale fieri radicaliter, efficienter, & quasi remote per speciem intelligibilem, siue per actum intellectus agentis; proximè verò, & formaliter per actum intellectus possibilis; quoniam hic solus actus est, qui formaliter cognoscendo præscindit; ille autem solum virtualiter, & inquantum coefficit cum intellectu possibili actum formaliter vniuersale abstrahentem.

Dicendum secundo est *Vniuersale fieri proximè prædicabile per comparationem solam*. dictum hoc potest dupliciter intelligi. primo vt eius sensus sit, Vniuersale primo fieri proxime prædicabile per comparationem directam, primo quasi producentem ipsum iuxta normam, & modum, quo nos instruebat illa Logicæ regula docens vniuersale fabricari per comparationem supra in §. *visa*. Secundo itaut sensus sit vniuersale aliunde iam per abstractionem factum, iuxta regulam positam in §. *prima docet*. reddi proximè prædicabile per comparationem reflexam, reflectentem supra ipsum vniuersale, & in eo agnoscentem relationem ad propria inferiora, sine ipsum relatum, & inferiora correlata, quibus aptum est inesse, & de quibus congruè potest prædicari, assertum ergo in quolibet eorum sensu est verum, & ante probationem ipsius, sic eius veritas explicatur.

Etenim prædicabilitas quantumuis in- 637.
trinseca ex parte, vniuersali sit, ac de ipsius essentia; verumtamen adæquate sumpta non est tota de vniuersalis essentia, siquidem vniuersale adæquatè prædicabile dicitur, tum propter sui aptitudinem, tum propter intellectum illud prædicare potentem; vt supra in Sectione 11. per totam, ostensum est, vnde sit vt ad actualem prædicationem duæ potentiæ expeditæ, & proximæ, siuè duæ causæ partiales liberæ ab omni impedimento, requirantur: altera est vniuersale iam abstractum, siue eius aptitudo, & potentia; altera intellectus proximè potens tale vniuersale prædicare de suis inferioribus, est autem vniuersale proximum, & sine impedimento singularium per abstractioné, vt iam probatum est; intellectus item est proximè aptus ad ferendam sententiam, seù prædicationem, per apprehensionem præuiam complexam, siue per iudicium comparatiuum, per quod

illi notificantur inferiora, de quibus id vniuersale, & superius possit enunciare; modo is actus comparans dicatur esse ratio formalis, modo solum conditio prærequisita ad prædicationem, modo vtroque modo, vt ego opinor infra à num. 1171.

Quocirca vniuersale absolutè dici non potest proximè prædicabile, donec connotet intellectum præuia comparatione illustratum, licet enim ipsum ex parte sua proximè prædicabile videatur, quasi partialiter; tamen adæquate non dicitur; quoniam in illud redundat impedimentum, quod est in intellectu, ante comparationem, nempè ignorantia, quæ non sinit scire intellectum inferiora, de quibus vniuersale prædicandum fuerit: quemadmodum licet stupa quædam siccitatem habeat, & propterea de se proximè combustibilis sit, si tamen remota sit ab igne comburente non dicitur absolutè proximè combustibilis, non defectu sui, sed defectu appropinquationis ignis: similiter dicunt quidam Doctores bonitatem quamlibet adæquate proximè amabilem non esse, nisi compleatur non solum per voluntatem amare potentem, sed per voluntatem, cui affulgeat lux intellectualis, siuè cognitio illi proponens bonitatis pulchritudinem. *quia nihil volitum, quin præcognitum*, vti tradunt supra numer. 155. *Aristoteles* & *S. Thomas*. *Aristotel. S.Thom.*

638 Ratio ergo pro Conclusione sic est, quoniam per illum actum fit vniuersale proximè prædicabile, per quem auferuntur omnia impedimenta, & ponuntur requisita omnia ad actualem prædicationem, sed id omne fit per comparationem; ergo per eam solam fit vniuersale proximè prædicabile. Maior est certa. probo minorem. quia comparatio in primis tollit, ac remouet à natura vniuersali impedimenta singularitatum, illam obiter præscindendo ab ipsis, si iam præcisa non fuerat per abstractionem antecedentem, & consequenter reddit illam aptam esse in pluribus: deinde tollit, ac remouet ab intellectu nostro ignorantiam illorum plurium, informando nos, & dando nobis notitiam de inferioribus, quibus natura vniuersalis conueniat. vnde quando apprehendimus, aut iudicamus mediante comparatione Petro, v. g. animal conuenire, quia vidimus in ipso relationem ad Petrum, continuo securè prædicamus, ac dicimus *Petrus est animal.* relinquitur ergo euidenter per cōparationē fieri vniuersale proximè prędicabile.

Ita nobiscum concludere, ac sentire debent omnes Doctores in primis illi, qui supra n. 631. dixerunt vniuersale fieri proximè tale, atque pefectum per solam abstractionem; nimirum *S. Thomas, Suarez, Flādria, Sotus, Durādus, Toletus, Hurtado, Arriaga*, & alij cōpiures. deinde *Louanienses DD.* in 2. par. c. de Gener. *N. fus* in 6 met. & alij, qui cō muniter opinatur Vniuersale fieri per cōparationē. Tertio tandē alij Recentiores, qui vt concilarent placita istorum An horum distinguunt Vniuersale in *Logicū*, & *Metaphysicū* & hoc afferunt cū illis primis fieri per abstractionem, Logicū vero cum secūdis per comparationem. Ita procedunt Doctissimi *PP. Blanchus, Sedeñus Lorinus, Osia, Murcia*, & communiter Lectores, quos allego n. 634. & 639. videatur *P. Arriaga* disp. 6. Logicæ num. 50. vbi intentum nostrum bene confirmat. Solum ego notarem me propter meas logicas Cōsiderationes verius vt reor, explicuisse vniuersale Logicum, & Metaphysicum, atque propter vniuersalium veras aptitudines, & relationes iudicasse opus non esse in hoc puncto recursus ad comparationem, vt similes relationes fingeret, sed solum vt nobis prædicaturis notitiam daret de illorū subiectis inferioribus. vti supra satis præclare dictum est. *S. Thom.*

SECTIO XVII.

Illustrat magis doctrinā supra traditam circa Fabricam Vniuersalis solutione argumentorum, quæ pro parte grauium Doctorū nobis opponuntur; & concludit Vniuersale fieri per quemuis actū intellectus possibilis, naturam depurantem à differentijs.

Tria præstitimus sectione superiori. Primum fuit declarare actus abstractiuos, & comparatiuos, quos credimus, & supposuimus pertinere ad intellectum possibilem. Secundum, exponere quo titulo vniuersale Logicum, (quod item apellauimus supra in Sect. 1. vniuersale quoad 639

abstra-

abstractionem sui artificiosam, & quoad prædicationem consideratum) nuncupetur, & nuncupandum deinceps. Tertium fuit demonstrare Vniuersale tale fieri proxime, & complete per solam abstractionem; proxime verò prædicabile, per solam comparationem. Contra primum nihil, quod faciat ad rem præsentem, aut quod facessat difficultatem, opponitur. Contra secundum sentire videntur communiter Recentiores, & in suis manuscriptis allegant **Murciam. Onãm, Sedeñum, Lorinum, Blanch, & Castelui**, & alios asserentes vniuersale abstractum titulo abstractionis dici Metaphysicum, ipsumque titulo cõparationis dici debere Logicum, quorum ratio est, quia scientia Metaphysica tractat sola per se de rebus, aut rationibus communibus abstractis; Logica verò earum prædicationes considerat, quas concernit proximius comparatio; vt & nos supra fatebamur.

Bona sane ratio, sed rei difficultatem non penetrat, nec aperit, quod fecit inconsiderantia regularum Logicæ docentis fabricari vniuersale per id vtrumque genus actuum; quocirca summatim repetendo, quæ dixi Sect. præcedenti §. *ex quo*, dico Vniuersale factum quoquo modo, & actu, dici metaphysicum, non titulo abstractionis, seu quia factum sit per abstractionem; sed quatenus definitur, & explicantur eius essentia, & proprietates ab actibus metaphysicis, & quia ab eisdem considerantur secundum conditiones essendi: etenim, vt certum credimus Metaphysicę totius obiectum adæquatum sunt res omnes, tam singulares, quam vniuersales, atque communes consideratæ secundum earum essentiam, & affectiones intrinsecas, & materialiter se habere ad Metaphysicam, quod res contingat esse abstractas; non curat ipsa de abstractione, sed de essentia abstractæ rei; Logica est, de abstractione est sollicita, quatenus regulas habet, quorum aliæ docent facere vniuersalia per abstractiones; aliæ per comparationes; aliæ vniuersalibus iã factis vti, eaque varijs propositionibus accommodare.

640 Quære supra inferebamus *vniuersale* vtroque modo fabricatum, & dici *Metaphysicum*, & dici *Logicum*, sicut, & eo modo, quo est obiectum scientiæ vtriusque: Metaphysicæ quidem inquantum eius essentia scitur, ac definitur, Logicæ verò, quatenus fieri potest, ac artificiose prædicari. siquidem verum est, quod dicebam supra num. 70. §. *deinde* ex *Aristotele, Augustino, & Thoma* in 4. metaph. lect. 4. *manifestum est quod Dialectica materiã est ens, & ea quæ sunt entis, de quibus etiam Philosophus, seu Metaphysicus considerat*, alia nimirum, & alia consideratione, vt ibidem, & alibi sæpe perspicuè declaratum est.

Aristotel.
S. August.
S. Thom.

Fateor dici communiter Metaphysicam considerare res abstractas, siue rationes communes, non quia non consideret omne ens, siue omnem collectionem entium, etiam particularium, siquidem vt ait *Suarez* disput. 6. sect. 8. nu. 13. ex *Aristotele*, si darentur vniuersalia Platonica, quæ sine dubio particularia re vera forent, essent Metaphysicæ opportunius obiectum; & rursus Deus, & Angeli ad eius obiectum pertinent, & tamen sunt res particulares quædam; sed quia ob temporis humani nostri, & vitæ angustias, non vacat, neque libet tractare seorsim de rebus singularibus, quorum scientia est difficilis admodum, præ infinitudine singularium, quę vt aiebat supra *Aristotel.* nu. 160. *nequeunt scientia* nostra *contineri*. ideo confugimus ad rationes cõmunes eorum, contenti cum quadam notitia confusa, & generali.

Aristotel.

Aristotel.

Contra tertij asserti priorem partem stant graues, & antiqui Doctores, qui 641
putarunt vniuersale complete non perfici per solam abstractionem, & sic factum inchoatum esse, donec accedat comparatio, vel ab initio per comparationem, fiat; quia inquiunt vniuersalitas, quæ est ratio vltimo constituens vniuersale, est relatio illi affixa per solam comparationem, illud cum inferioribus suis conferentem; vnde communiter inter illos dici solet vniuersalitas ens rationis, relatio rationis, intentio generis, speciei, & similium: atque ideo huius opinionis sunt Magister meus in M S. cũ à se allegatis *Louaniensibus* 2. p. cap. de Genere & Niso 6. Met. *Conimbricenses* in Præfat. *Porph.* quæst. 6. artic. 3. & ibi *Caietanus*, *Soncinas*, & *Fonseca*, *Suarez* item inclinat disput. 6. sect. 6. n. 5. pro qua citantur inquit, *Scotus* 7. metaph. quæst. 11 *Anton. Andr.* quæst. 17. & *Antonius Trombeta*. quæst 2.

metaph. art. 1. ac eidem opinioni fauere (S.*Thomam* vbique dicentem relationes rationis tantum esse in apprehensione rationis, seù intellectus conferentis. vt videre est par. 1. quæst. 2. art. 1. corp. & ad 4. quæst. 7. de potentia art. 1. & clarius super 4. metaph. lect. 4. & 1. de interpret. lect. 10 & de ente & essentia, cap. 4. quorum opinionem approbat P. *Vasquez* 1. p. D. 114. cap. 3. n. 5. & expresse sequuntur *Castellui* disp. 2. dub. 9. *Blanch* disput. 2. sect. 9. eorum

S.Thomas.

Fundamentum vnicum est, etenim omne vniuersale est relatiuum, ergo complete non intelligitur sine relatione ad inferius. patet consequentia, quia relatiua omnia sunt simul saltem cognitione, idest nequit vnum definite cognosci sine correlatiuo: ponenda ergo necessario est in natura abstracta, quæ vt sic est quid absolutum, & materiale, seu fundamentum vniuersalis, relatio ficta, & rationis, qua veluti forma, & complemento vltimo cōstituatur, & compleatur. Sed respondetur concesso antecedenti vtroq; negando vltimā solam cōsequentiā; etenim aliud est Vniuersale complete fieri, & completū esse; aliud longe diuersum complete, & vt tale cognosci: fit quidem per abstractionem complete vniuersale, & in eo sic facto est relatio transcendentalis ipsi intrinseca erga inferiora; sed non dum cognita quousque accedat comparatio, siue actus perfectior, qui Vniuersale vt tale comprehendat. vt dilucidatur inferius.

642 Quocirca ad hoc, vt vniuersale relatiuum sit superflue, & sine necessitate recurritur ad fictam relationem, siue ad comparationem fingentem; quamuis negandum non sit propter tantos Doctores, posse ab intellectu nostro affingi naturæ vniuersali relationem superioritatis erga inferiora; & similē fictionem adnecti inferioribus erga superius. Sed id totum voluntariè, & sine necessitate fiet, cum satis, superque sit innata aptitudo Aristotelica, & vera relatio transcendētalis, quæ inest cuilibet Vniuersali abstracto erga suas differentias, quibuscum bene se habet, naturaliter connectitur, & metaphysicè componit, vt demonstraui superius à Sect. 9. & similem relationem habent inferiorum differentiæ erga superius suū, quod si plus velint illi huius figmenti Assertores, tāquam simpliciter necessariū ad essentias Vniuersalium, & ipsorum prædicabilitates; omnino deferendi sunt propter Veritatem magis amicam. nec decet recurrere ad istas inutiles appendices relatiuas fictas propter difficultates, quibus obnoxia videtur illa assertio nostra, & similes, *Animal est genus intrinsecè ex se, & in se, & in sua formalitate naturali*, quibus solide supra satisfecimus à numero 578.

Sed tamen objiciat quis primo, probando impossibile esse vniuersale esse, aut fieri per abstractionem meram; quoniam vniuersale fit, vt nos confitemur, per abstractionem, sed cognoscentem naturam communem præcisà à singularibus, hoc nō potest contingere sine eo, quod cognoscantur singularia; ergo semper fit vniuersale per comparationem. maior est certa. probas ingeniosè minorem etenim quævis natura vniuersalis, seclusa quauis ficta relatione, est ordo, & relatio vera transcendentalis ad sua inferiora; sed nequit cognosci ordo, & relatio rei vnius ad aliud quin simul cognoscatur res, & illud aliud; vt patet inductione ab exemplis; siquidem, vt nos exemplificabamus in summulis à numero 223. ideo non possumus cognoscere Patrem sine Filio, neque Regem sine subditis, neque Vicarium quin simul cognoscamus Proprietarium, quia Pater habet relationem ad Filium, Rex ad subditos, & Vicarius ad illum, cuius vicem gerit: ergo nequit fieri Vniuersale, quod est essentialiter relatio ad plura per actum cognoscentem ipsum solum; sed per actum se extendentem ad plura; idest per comparationem.

Respondetur concessa maiori, negando minorem. ad cuius probationē negatur similiter minor, vel sic distinguitur; 643
sed nō potest cognosci ordo essentialis rei vnius ad aliam, quin vtraque simul cognoscatur, quando cognitio est perfectè penetrans essentiam rei, aut res est relatio prædicamentalis, & sic concedo minorem: quando cognitio est imperfecta penetratiua, & aliunde res absoluta simpliciter loquendo est, & solum relatiua transcendentaliter, & sic nego minorem. & quoniam in præsenti simplex apprehensio est cognitio imperfecta, & aliunde vni-

vni-

vniuersalis natura est res absoluta, licet relatio transcendentalis quoque sit, idcirco cognoscere potuit naturam sine cognitione respectus ad singularia, vt formaliter respectus est.

Ad exempla respondeo exemplis; etenim qui casu in via videret quendam hominem, qui re vera Pater esset: vel Regem sine comitatu incedentem, vt assolent priuatæ personæ, non continuo veniret in cognitionem filij, & Vassallorum, sed solum materialiter diceretur Patrem, ac Regem vidisse, & agnouisse: quia ea cognitio sua fuit curta, imperfecta, & commixta ignorantia filiorum, & subditorum illius Patris, & Regis, quos videt præsentes, & tamen qui sint ignorat. præterea, qui credit Deum esse sapientem, & amat sapientiam diuinam, non ita attingit, aut amat Trinitatem, vt censeatur per illam fidem credidisse mysterium Trinitatis, aut per amorem illum amasse bonitatem illius; quantumuis sapientia diuina sit ordo, & relatio transcendentalis ad Trinitatem. potuit ergo abstractiua cognitio, vtpote quæ non cognoscit quidquid est in vniuersali, & omnem eius respectum ob sui imperfectionem, terminari solum ad ipsam, vt vt est quid absolutum, quin ad inferiora extendatur, & sic illud efficere.

Sed vrges. cognitio abstrahens vniuersale, & illud efficiens, quantumuis dicatur imperfecte penetratiua, debet ad minus cognoscere *vnum aptum esse in pluribus*; ergo necessario attingit vnũ & plura; ergo est cognitio plurium, & consequenter comparatio. Respondeo distinguendo antecedens, ea cognitio cognoscit vnũ aptum esse in pluribus materialiter, vt vulgo dici solet, concedo antecedens, cognoscit vnum aptum esse in pluribus formaliter, idest cognoscendo vniuersale, & ordinem ipsius ad plura, nego antecedens, simili modo cognoscit fides, vel alius actus, Dei vnam essentiam, qui tamen propterea non cognoscit tres personas diuinas, quamuis essentia diuina sit vna apta esse in illis.

644 Præterquamquod licet istud argumentum plane conuinceret, semper fieri debere vniuersale per cognitionem cognoscentem simul vniuersale, & inferiora eius, idest per comparationem; nihilominus comparatio non faceret vniuersale secundum quod cognosceret inferiora, sed secundum quod præscinderet naturam vniuersalem ab ipsis, hoc est per formalitatem correspondentem vniuersali naturæ, eamque solitarie repræsentantem; siquidem, vt supra declaratum est, comparatio simul præscindit, atque componit superius cum inferiori, simul facit vniuersale, & simul proxime prædicabile.

Obijciat secundo. Vniuersale fit ab intellectu postquam cognorat ipse, & oculus viderat plura inferiora inter se conuenire, & item differre; ergo vniuersale fit per cognitionem cognoscentem ea plura, siue per comparationem. probatur consequentia; quia impossibile videtur præscindi conuenientiam plurium, vel etiam essentiam vnius, quin cognoscantur ea plura, aut saltem id vnum, quando vniuersale præscinderetur à solo vno. *Aristot. 2. Met. c. 2.*

Respondeo concesso antecedenti; distinguendo consequens; vniuersale fit per cognitionem comparatiuam remote, siue præcedentem, & plura inter se conferentem, vt eorum similitudo, vel dissimilitudo videatur, tanquam per præuiam dispositionem necessario prærequisitam, quando præsertim proprio marte fit vniuersale, concedo consequentiam; fit per eam cognitionem tanquam per causam proximam præscindentem naturam vniuersalem, nego consequentiam. etenim, vt supra dictum est in Sect. 2. & 16. ante fabricam, & præcisionem vniuersalis ante ire solet, & præcedere cognitio comparatiua, seu collatiua plurium similium ac dissimilium, sed per eam non facit vniuersale intellectus, sed ad id faciendum disponitur, visa enim ea similitudine, & dissimilitudine rerum, continuo præscindit hoc, vel illud vniuersale. ex quo patet ad confirmationem, quia facile, nedum possibile est, visa per actus antecedentes plurium similitudine, considerare conuenientiam solam in omnibus, vel 645 in vno solo, nihil per eam cõsiderationem curando de pluribus, nec vel de vno solo; sic consideramus speciem humanam v. g. sine principijs indiuidualibus; & in pomo colorem, nihil curando de pomo colorato, vti docebat nos *S. Thomas* 1. par. qu. illa 85. art. 1. ad primum. *S. Thomas*

Obijciat Tertio, quæcumque natura vniuersalis aut est genus, species, differentia, proprium, vel accidens; sed non potest sic esse determinatum aliquod vniuersale ex his, si non fit per comparationem, ergo per eam solam fit omne vniuersale, non per abstractionem meram. probas minorem; quoniam albedo v. g. in communi abstracta solum, non comparata, non est vniuersale determinatū, nam respectu albedinū particularium aliquādo forsan erit genus, aliquando species; respectu cigni erit proprium, & respectu columbarum accidens, ergo vsque dum accedat comparatio, quæ albedini sic abstractæ assignet determinata inferiora, albedo determinatè non erit aliquod ex quinque prædicabilibus.

Respondeo concessa maiori, negando minorem; ad cuius probationem dico albedinem in communi abstractam, etiam si casu abstracta sit, vel ab aliquo Rustico, alio edocente, cognita sine præuia cognitione, aut subsequenti inferiorum illius; S.Thom. de se esse, vt docuit *S. Thomas*, Opusc. 55. determinate genus, speciem, proprium, & accidens secundum diuersos respectus ipsi essentiales, erga varia illa inferiora, enumerata in argumento; & propterea quatuor definitionibus distinctis posse definiri: quare impertinens est comparatio tum ad faciendum vniuersale, tum ad illud determinatum faciendum, vtpotè quæ nullam necessariam relationem ponit in vniuersali, sed nec quidquam aliud, quod sit inferiorum index, quamuis vtilis sit, vt in nobis ponat, & ingeneret notitiam inferiorum, de quibus illud possimus, ac debeamus prædicare. vnde colligas vniuersale, quod aiunt in actu primo, integre fieri per abstractionem, in actu vero quasi secundo idest actualiter, & proxime prædicabile, per comparationē; quæ fuit nostra assertio secunda.

646 Contra obijcitur vltimo, vniuersale fit non tantum completè, sed etiam proxime prædicabile per solam abstractionem, ergo impertinens est comparatio, qua fiat proxime, prædicabile. antecedens probatur, quia nulla potentia dicitur non proxima, siue remota ex defectu, & absentia alicuius prærequisiti, vt conditionis, si cætera omnia, quæ pertinent ad rationem formalem causæ, seù potentiæ, præsto sint; sed comparatio est solum quædam conditio necessaria ad hoc, vt vniuersale abstractum prædicetur, & præsente abstractione sola, prēsto sunt omnia, quæ spectant ad rationem formalem vniuersalis. ergo vniuersale per solam abstractionem dicendum est esse proxime prædicabile.

Respondeo negando antecedens. etenim licet vniuersale abstractum nullum habeat intrinsecum impedimentum, extrinsecum habet, quod est ignorantia, siue carentia notitiæ inferiorum, qua intellectus impeditur, quominus possit illud de illis prædicare, ob quod impedimentum extrinsece dicitur vniuersale remote prædicabile, quod si adhuc contendas intellectū proxime potentem esse ad vniuersale prædicandum, posita sola abstractione, quia solum illi deest conditio, quæ est comparatio, omnino falleris; quis enim dicat, aut dicere poterit *Petrus est animal*, sine notitia Petri, cum sola notitia animalis, nisi qui audeat dicere nos posse amare proxime bonum, quod nescimus; & vinculis ligatos habere expeditam, & proximam potentiam ad currendum? sane qui talia dixerit vinculis foit constringendus, & deinde fuste percutiendus donec aut celeriter currens abscedat, vel fateatur se turpiter errasse, non distinguendo inter potentiam sanam, & integram, & inter expeditam, proximam, & promptā, & inde patet ad reliquum argumenti.

Ad finem colligo ex dictis vniuersale 647 quoduis fieri posse, & solere per quemuis actum, qui depuret, præscindat, distinguat, aut abstrahat ipsum à suis differentijs, vel ipsum solitarie repræsentet, aut quouis alio modo cognoscat. Vnde vniuersale, facis dum apprehendis simpliciter *animal*, & quando complexe apprehendis *Petrum animal*, vel *animal*, & *rationale*, & quando iudicas dicendo, *Petrus est animal*, aut negando sic, *Petrus non est animal*, & item quando discurrendo cōcludis, ergo *Petrus est animal*. & generaliter quotiescumque seorsim, specificatiue, pręcisiuè, vel alio quocumque nominato, vel innominato modo cognoscis animal, modo illud præscindas à multis inferioribus, modo ab vno, modo etiam à nullo, quod tu scias; quod solet euenire illi, qui edoctus ab alio apprehendit animal,

mal, quin sciat ad quod inferius id pertineat, aut cuius sit; quoniam animal quoquo modo præcisum, est vnum aptum esse in pluribus.

SECTIO XVIII.

Vniuersale continet inferiora sua non actu, sed potentia; de illis dicitur, etiam dum illa definiuntur, vt totum potentiale, & simul vt pars actualis; & argumenta soluuntur.

Aristotel. QVoniam dixit *Aristoteles* in 1. Physicorum textu 4. *vniuersale esse quoddam totum multa comprehendens*, oportuit explicari quo modo vniuersale ea multa comprehendat, atque contineat, quod vt præstemus, aduerto dupliciter dici rem vnam continere alia multa. primo *actu*, secundo *potentia*, siue *potestate*, ea res dicitur actu multa continere quæ ijs multis actu constat, atque componitur; vnde Petrus ideo dicitur actu continere animam, corpus, & vnionem; quia eis actu componitur, & constat; & vt ait Porphyrius, allegandus infra, *homo* actu continet *animal rationale, & mortale*, & in eis superat *animal*, *animal enim nihil horum est*. illa verò res dicitur continere multa solum in potentia, cuius virtus, & potentia ad ea multa se extendit quodammodo vel vt ea efficiat, vt est Deus, & aliæ causæ vniuersales creatæ; vel etiam vt ea recipiat, vt est materia prima, & alia similia subiecta, quæ possunt in se plures formas recipere, aut quasi recipere; vel etiam quia respectu multorum est vna res superior, & ea sic sub se habet, vti Rex habet vassallos suos sub suo imperio.

648 Ergo his expositis ad propositam difficultatem dico primo, *nullum vniuersale continet actu inferiora sua*. cuius ratio est, quoniam nullum vniuersale actu componitur inferioribus suis, neque illis constat, neque potest, siquidem nequit componi rebus omnino repugnantibus, & oppositis; quo pacto enim animal componetur ex homine, equo, agno, atque leone, rationali, & irrationali? quæ est ratio Porphyrij allegandi inferius, non ergo est aliquod vniuersale, quod actu contineat inferiora sua. hoc ipsum ostensum à nobis est supra in Sect. 6. contra PP. *Hurtado*, *Arriaga*, & multos alios Antiquos, & Modernos, qui posuerunt vniuersale esse aggregatum singularium, & quoddam quasi compositum ex illis illa actu continens, quasi modo tumultuario, atque confuso.

Dico secundo *vniuersale quoduis continet inferiora sua in potentia*. ratio est in promptu. quia vniuersale est ratio superior, & ex natura sua habet superioritatẽ, & illam amplam latè patentiam ad plura; ea respicit vt inferiora, & eorum differentias, quas recipit in gremio, vt cum ipsis componat; quæ propterea habet quasi sub dominio, & imperio; & ideo, nimirũ, vt eiusmodi potestatem vniuersalis erga sua nobis significantius exponerent Antiquiores supra num. 641. effinxisse reor in ipso quandam superioritatem, & correspondentem subijcibilitatem in inferioribus, non quod eas fictiones omnino necessarias iudicarent. continet ergo vniuersale inferiora sua in potentia.

Quæ omnia complexus est Porphyrius in cap. de differentia loquutus de quodam vniuersali, nempe de specie, ibi, *differentia est, qua abundat species à genere, homo enim plus habet, quam animal, rationale, & mortale: animal enim nihil horum est* aut habet, *nam vnde species haberet differentias, neque verò omnes oppositas habet quoniam idem simul habebit opposita, sed quemadmodum censent potestate quidem habet omnes eorum, quæ sub se sunt differentias*. ecce vtrumque nostrum assertum, 649
quod item docuit S. *Thomas* 1. par. q. 85. art. 3. ad 2. & in 3. dist. 30. art. 2. corp. & S.Thom.
1. Metaph. lect. 2. vbi ait cum *Aristotele*, vniuersalius continere plura in potentia, Aristotel.
& pauciora in actu, quam minus vniuersale. legatur item S. Doctor 22. quæst. 58. art. 6. corpore, & de ente & essentia c. 3. & notetur inquantum opponantur hi tres Doctores doctrinæ Nominalium de vniuersalibus.

Vnde colligitur vniuersale esse quidem partem actualem, & totum potentiale respectu suorum inferiorum, ac de ipsis, vt tale est, prædicari; quin etiam in ipsorum definitionem, vel descriptionem solere intrare similiter vt totum, & vt partem simul. quandoque essentialiter, quandoque accidentaliter illis conuenientem: quia

quia vera est hæc oratio *Petrus est animal.* vbi *animal* est pars Petri: & ex alia parte simul est totum potentiale secundum quod est ratio superior ad plura, conueniens pluribus: & item est pars definitionis illius *Petrus est animal rationale*. vbi simili modo *animal* non tantum est pars definitionis, sed etiam definiti: & insuper late dominatur supra reliquas animantium species, quas continet sub sua potestate, & potentia, vti declaratum est, & clare traditum à *S. Thoma* cum *Philosopho* 5. Metaph. lect. 21. & 7. lect. 13. liter. B

Aristoteles *S. Thomas.*

Sed cautè aduerte prædictam omnem doctrinã apprimè adaptari inprimis vniuersali in communi, vt cernis in his propositionibus, *genus est vniuersale. genus est vniuersale aptum esse in pluribus specie distinctis &c.* in quibus vniuersale in communi est pars actualis generis, & intrat in eiusdem definitionem essentialem, & aliunde retinet potestatem erga reliquà quatuor prædicabilia, vt nemo non videt. deinde eandem doctrinam conuenire suo quoque modo vniuersalibus omnibus in particulari, nempè quinque prædicabilibus & quæ sub ijs prædicabilia, seu vniuersalia particularia censentur. vt apparet in his quinque propositionibus *Petrus est animal. Petrus est homo. Petrus est rationalis. Petrus est risibilis. Petrus est albus.* & in alijs similibus.

650 In quibus propositionibus nota tria, primum, Prædicata, quæ sunt quinq; vniuersalia, esse simul tota potentialia, quatenus de alijs quoq; inferioribus diuersis à Petro, ad quæ item se extendunt, possunt prædicari; & rursus esse partes actuales etiam speciem *homo*, quia licet ea dici soleat tota essentia Petri, & reliquorum inferiorum, tamen quodammodo etiam est Petri pars; siquidem Petrus homine, & Petreitate componitur; Secundo nota tria priora vniuersalia, nẽpe Genus, Speciem, & Differentiã cõuenire inferioribus vnũquodq; suis essentialiter; reliqua duo nempè proprium, & accidens eisdem competere accidentaliter, siue tanquam aliquid extra essentiam. vnde fit notabile tertium, nimirũ tria, idest Genus, Speciẽ, & Differentiã pertinere ad definitionem essentialem inferiorum; alia verò duo ad definitionem non essentialẽ, sed descriptiuã seu accidentalẽ. vt planum fit contemplanti.

Sed opponas primo, hæc non est vera propositio, Petrus est pars actualis, aut totum potentiale, ergo non bene dicitur de ipso Genus, aut aliud vniuersale, vt pars eius actualis, nec vt totum potentiale. Respondetur nõ ibi sumi particulam *vt* cum tanta reduplicatione, vt faciat supponere genus *animal* v.g. simpliciter; sed specificatiuè, ita quod supponat personaliter, in quo sensu frequenter sumitur in ea propositione, & similibus, *Petrus est animal*, hoc est, *animal*, quod est pars, & totũ postquã abstractum est, & posita abstractione, vt conditione. quod si adhuc reduplicas, erit propositio falsa in sensu formali, vera autem in sensu reali, & identico; nã vere Petrus est realiter idem cum parte illa actuali, & toto illo potentiali, vti dictum iam supra est num. 586. & 613.

Opponest Secundo. regula Logicæ realis prohibet prædicari partẽ de toto, nam male dicitur *Petrus est anima*; ergo vniuersale inepte dicetur vt pars actualis etiam specificatiuè sumptum. Respondetur male dici partem physicam, & integralem de suo toto, vt regula, & exempla conuincunt; sed est alia regula, quę docet bene dici partem metaphysicam, de toto; & ideo optimè prædicatur vniuersale quodcumque, quod est pars metaphysica de quolibet suo inferiori, seu de quolibet suo toto. vt tradit *S. Thomas* 1. par. quæst. 77. art. 1. ad 1. & alibi frequenter. adde non ritè dici partem in abstracto de suo toto, sed in concreto; vnde non dicitur Petrus est materia, aut caput, sed est materiatus, aut caput habens, seu capitatus. 651

S. Thomas.

SECTIO XIX.

Quæ restant de Vniuersali in Communi, quæstiones breui exponit, & remittit alio alias tractandas congruentius, postquam enumerauerit vniuersalium aliquot Proprietates.

IN præsenti primo quæritur, vtrũ vniuersale sit ens reale, vel rationis, ens positiuũ, ens spirituale, vel corporeum, vel an ab ijs omnibus differentijs abstrahat? quæstionis patet responsio ex dictis. etenim cũ vniuersale quodcunq; nihil aliud fit quam essen-

essentia suorum inferiorum; tale illud erit qualia fuerint inferiora, vnde vniuersale, communissimum, nempe quod abstractũ est ab omnibus vniuersalibus realibus, fictis, positiuis, negatiuis, spiritualibus, corporeis, & ab his abstrahentibus, in suo abstractissimo conceptu solum dicet ratiōnē vnam aptam esse in ijs pluribus, & prædicabilem de ipsis, ac determinatè non erit ens reale, neque rationis, nec positiuum, neque negatiuum, nec aliquid, aut nihil? neque huiusmodi aliter. nempe nullam continebit actu specialis entis, ac determinati differentiam, sed omnes in potentia, quoniam sic oportet esse, vt erga omnes sit indifferens, & omnibus possit tanquã eorum essentiale prædicatum conuenire, vt fusius ostendo infra in q. 8. sect. 4. vbi respondebo argumento quorumdam aientium nihil esse commune enti, & non enti. videtur doctrina hæc ex parte saltem conformis *Aristoteli* diuidenti substantias in primas, & secundas in Prædic. c. 1. de substantia S. *Augustino* de Categorijs. c. 8. & S. *Thoma* dicenti in Opusc. 56. tale esse vniuersale, qualia sunt eius singularia, & substantiale esse, quod abstrahitur à substantijs. quando autem *Aristoteles* dicit in 7. metaph. & alibi *vniuersalia substantias non esse*, tantum voluit non esse formas separatas, seu substantias singulares à singularibus discretas, vt posuit *Plato*, quē ibi impugnat, vt optime interpretatur S. *Thom.* in 7. met lect. 10 lit. B. & Opu. 55.

Aristotel. *S. August.* *S. Thomas* *Aristotel.* *S. Thomas.*

Secundo quæritur, quis queat facere vniuersale, & in quo genere causæ, & quo-
652 modo fiat: & respondetur vniuersale fieri ab intellectu nostro, qui limitatus cum sit, aliunde tamen est sagax, & arte vtitur, vt paulatim penetret, atque per partes, quæ haustu vno, vel vno intuitu non capit; atque infra nu. 1089. probatur id fieri posse à Deo, nedum ab Angelis, & Beatis, sine vlla imperfectione ipso facto incurrenda quo vero genere causæ à nobis, & quo modo fiat dictum est supra nu. 525.

Tertio quæritur, vtrum vniuersale sit, quidquam simplex, vel concretum, & quid sit vniuersale quidditatiue seu concretiue, vel denominatiue acceptum? vt respondeam præclarius quæstioni suppono prius, dupliciter accipi posse, & solere vniuersale: vno modo, quod aiunt, *quidditatiue*, seu concretiuē, alio modo *denominatiue*, & quidē quidditatiue acceptũ est quoddam concretum, & ens per accidens, compositum ex natura vniuersali abstracta, & cognitione abstrahente, aut comparante; quo modo sumptum vniuersale sine dubio non est res vna simplex, sed duplex, & ideo vniuersale sic acceptum, vulgo nominantur à Magistris quasi compositum ex quasi materia, & quasi forma, & materiam vocant naturam vniuersalem, formam vero cognitionem præscindentem.

Vniuersale autē sumptũ *denominatiue*, est sola natura vniuersalis, quæ abstracta est, quæ denominatur vniuersalis, obiectũ videlicet, abstractionis, quod re vera est vnum aptum esse in pluribus, & ideo merito nominatur communiter vniuersale vt *quod*, siue *in essendo*, & *prædicando*, ad differentiam abstractionis, seu comparationis, quæ dicitur vniuersale vt *quo*, & *in repræsentando*, quia cognitio præscindēs tantum est medium, & instrumentum, mediante quo vniuersale illud *quod* fit; quin propterea eiusmodi cognitio vpotē singularis vnquam fit, aut possit esse vna apta esse in multis; quantumuis sit mediũ, & causa vt obiectum eius fiat vnum aptũ esse in multis, & prædicabile de ipsis. vniuersale ergo denominatiuum ait S. *Thomas* in Opusc. 56. *significat essentiā simplicem, quæ de se non est multa*. neque confusa congeries. 653

S. Thomas

Quarto quæritur quid, aut quod vniuersale definitum sit à nobis, quando supra cũ *Aristotele* dicebamus, *vniuersale est vnũ aptum esse in multis, & de ipsis prædicabile*, & cui ea duplex definitio conueniat? Respondeo definitum ibi fuisse vniuersale *denominatiue*, & eidē soli definitiones illas ambas conuenire, quoniã id vniuersale est quid vniuersale in essendo, & prædicādo, & quod vere est vnum obiectiue commune, & de se cōmunicabile, superius ad plura, eis aptum inesse, ac de ipsis potens prædicari, ita quod vniuersalitas, seu ratio formalis, qua vniuersale tale est, ac prædicabile, sit ipsamet vniuersalis essentia, quæ est sua aptitudo, & prædicabilitas, de se relata transcendentaliter ad inferiora, forma enim vniuersalis etiam vt prędicabilis, nullo modo est aliqua ficta relatio frustra illi adnexa ab intellectu reflexo, vel directo, quā cōminiscuntur cōmuniter Dialectici, & quam vocant secundā intentionē.

Aristotel.

Est

654 Est quippe id vniuersale à nobis definitum ratio communissima abstracta ab omnibus vniuersalibus in communi, & in particulari, idest à quinque, quæ sunt veluti capita cæterorum, & à reliquis innumeris sub eis quinque contentis, quatenus ea omnia conueniunt in eo, quod vnumquodque sit suo modo, sed in hoc simili, & vniformi, *quid vnum aptum esse in pluribus*, quæ conuenientia abstracta per nouam aliam abstractionem est vniuersale hoc altissimum, & communissimum, & cæteris omnibus quibuscumque vniuersalibus minus communibus conuenit; vt experiris quando dicis, *genus est vniuersale. animal est vniuersale*, & ita de cæteris prædicabilibus; quoniam omnibus reperies illud conuenire veluti omnium partem essentiæ, & ad modum perse stantis. & quidem vniuersale denominatiuum, quod appellant S. Thomas *rem subiectam, & obiectam*, & alij *rem substratam*, alij *primam intentionem obiectiuam*, expresse fatetur S. Pater in Opusc. 56. prædicari de inferioribus, eisque conuenire.

S. Thomas.

Postremo loco numerantur proprietates vniuersalium, quarũ prima est *prædicabilitas*, qua possunt prædicari, secũda est *intelligibilitas*, cognoscibilitas, aut scibilitas quæ rebus omnibus sunt item cõmunes, & quibus omnia possunt sciri, atque cognosci, & consequenter hic solet adnotari obiecta omnia intellectus, siue ea sint vniuersalia, siue particularia esse priora saltẽ secundum nostram considerationem omni cognitione versante circa ipsa; ipsa enim sunt quasi terminus, & scopus, quem respiciunt cognitiones, quanuis vniuersalia, quia quodammodo fiunt à cognitionibus ea præscindentibus, dicantur quoque posteriora ipsis, quatenus nimirum effecta earum sunt: sed verò quo pacto *prædicabilitas*, & scibilitas, & in quo sensu proprietates sint dicendæ; cum absolute loquendo pertineant ad rerum, siue vniuersalium essentiam, dicebam fusius supra à num. 595.

655 Tertia proprietas est *immaterialitas*, qua sunt veluti incorporea in abstractione, & esse intentionali suo, idest vt sunt in intellectu, quatenus ibi obiecta, subiecta non sunt corruptionibus, aut alijs mutationibus corporum proprijs sublunarium nec peregrinis alijs impressionibus. Quarta dicitur *incorruptio*, & quasi immortalitas, quia numquam vniuersalia formalia per se loquendo, vtpotè quæ contrario carent obnoxia sunt morti, aut corruptioni. Vnde resultat quinta proprietas, quæ est *perpetuitas*, & quasi æternitas, qua semper durant aut possunt durare; namque etiam pereuntibus indiuiduis, & singularibus possunt abstrahi vniuersalia ab eis vt possibilibus, aut olim abstracta ente illorum interitum retineri, & sic obiectiue in æternum permanere. Sexta est *vbiquitas*, quia vbique potest abstrahi vniuersale quodcũque, neque enim eius abstractio pendet à determinato loco. sed tamen putandum non est vniuersale esse vbique per aliquod vbi immensum, sicut est Deus, quoniam is esset error intollerabilis. Septima proprietas est *vnitas præcisionis*, quę iam supra declarata est. legatur circa dicta S. Thomas de verit. quæst. 1. art. 5. ad 13. & 14. & 1. par. quæst. 8. art. 4. ad 1. & ibi *Aristoteles* & quæst. 16. art. 7. ad 2. & 1. Metaph. lect. 1. S. Thomas. Aristotel.

Demum inter proprietates vniuersalis adnumerantur alia duo. primum est, vniuersale debere significari vna voce simplici, & vniuoca, vt sunt voces *homo, animal, viuens, corpus, substantia*, & huiusmodi; & debere prædicari vniuersale vnũquodque de suis inferioribus affirmatiuè, vt prædicas, quando dicis, Petrus est animal, Petrus est rationalis, Petrus est homo, Petrus est risibilis, Petrus sedet, & merito hoc aduertitur, quia vti cauet regula Logica *omnis bona prædicatio*, qualiter semper est, vbi est aliquod ex quinque vniuersalibus, *fundatur in identitate prædicati cum subiecto saltem rationis habitis*, quam tradit S. Thomas de ente & essentia c. 4. & n. 136. & alibi à nobis exponitur. supersunt aliæ quæstiones quinque vniuersalibus seu prædicabilibus, de quibus iam dicemus, communes; sed earum expeditionem reijcimus in quæstionem 8. commentariũ capitis 7. Porphyrij de communitatibus eorundem prædicabilium; quoniam præmissa tractatione horum, illę facilius percipientur. 656 S. Thom.

QVAE-

QVÆSTIO III.

De Particulari Vniuersalis correlatiuo; vbi breui quid sit, & quotuplex.

PArticulare est *vnum quod subijcitur vniuersali, & aptum cum quo vniuersale identificatur, ac de quo idem prædicetur*, vt est *Petrus*, qui subest homini, & quocum identificatur homo, ac de quo prædicatur; & vt *homo*, qui subijcitur animali omnino similiter, vt vides, quando dicis, *Petrus est homo, & homo est animal*.

Duplex ergo est particulare. primũ est *physicum*, quod sub nulla ratione, aut cõsideratione, potest esse vniuersale, vt Petrus, & entitates reliquæ, quæ sunt à parte rei: quas supra n.499. nominabamus vniuersale fundamentale, atque de hoc particulari loquutus est *Aristoteles* 1. Periher. cap. 5. in principio *sic, cum autem rerum aliæ sint vniuersales, aliæ singulares: vniuersale dico, quod de pluribus aptum est prædicari, quale est homo: singulare autem* aut particulare *id, quod illam legem subire nequit, quale est Callias*; idcirco nos definitionem particularis oppositam definitioni vniuersalis tradidimus & merito, quoniam singulare, siue particulare est vnum quidem, sed aptum vt subsit, non vt dominetur in plura, in quibus vt sit, est omnino ineptum; & ad summum, vt ait *S.Thomas* super allegatum caput lect. 10. poterit dici de vno solo, vt *hic homo est Plato*.

Aristotel.

S.Thomas.

657 Aliud particulare est, ac dicitur *metaphysicum*, idest quod non datur à parte rei eo nomine, quo significatur, & quod sub vna cõsideratione est inferius, atque subijcitur alteri, sub alia vero superius est, ac dominatur. quod alijs terminis dicitur *subijcibile*, & *prædicabile* sub varia consideratione; vt *homo*, qui vt subest *animali* est particulare inferius ipsi, seu vt vocant, *speciei subijcibilis* ad animal genus; vt autem idem *homo* respicit Petrum, & Paulum, & reliquos particulares homines, est prędicabile, & superius, & vt dicunt, *species prædicabilis*. vnde colliges quandoque vniuersalia abstrahi ab entitatibus, quæ sunt à parte rei, vti à proprijs inferioribus, vt pulchre nos docuit *S.Thomas* allegatus supra in sect.6. 9. *hoc est*. abstrahens ipse à Sorte, & Platone quinque prædicabilia. quandoque etiam vniuersalia altiora abstrahuntur ab alijs vniuersalibus inferioribus, secundum quod sunt quædam particularia vniuersalia, in aliquo conuenientia: omnia autem in eo conueniunt, vt sit vnumquodque vnum aptum esse in multis, id quod, & amplius nihil, dicit in suo abstractissimo, & sublimi conceptu vniuersale in communi.

S.Thomas

Deinde colligitur ex dictis hic, & in superioribus, particulare esse quoddam certum singulare, vel quasi singulare, & si fuerit singulare rigorosum, & physicum habere à parte rei vnitatem numericam, qua non est plura numero, & vnitatem formalem, qua non est plura in specie physica; si verò fuerit particulare, aut singulare minus rigorosè sumptum, hoc est metaphysicum, habere vnitatem item formalem, & præcisionis. vtrumque autem aptum, & proximum fundamentum præbet intellectui, vt præscindat vniuersale formale, iuxta dicta supra in Sect.13. sed neutrum habere potest aptitudinem vel remotam vt fit in pluribus, idest *Petrus* quantumuis identice contineat hominem, non est communis pluribus; neque *homo* quantumuis contineat animal, cum quo identificatus est, aptus est, vt fit in equo, aut leone, vt probatum est in illa Sect.13. à num 606.

Quod si particulare aliquod ex his duobus pro libito tuo partiaris, & explices, 658
vt in eo metaphysicam compositionem consideres, verbi gratia, si in Petro distinguas hominem, & petreitatem, vti duo à te distincta, & metaphysicè ibi componentia, continuo inuenies Petrum ratione Petreitatis præcisæ, esse singularem, & incommunicabilem, & inferiorem ad hominem; & in eadem Petreitate cognosces ordinem transcendentalem ad hominem, vt ad sui compartem, siue consortem; & vice versa in homine erga Petreitatem, & reliquas numerales differentias, vtpotè iam facto communi, & vniuersali, ratione tuæ præcisionis, iuxta supradicta in Sect 9. & id ipsum cõperies in rationali, & rugibili, & alijs bestiarum differentijs in ordine animal, quoties in homi-

homine illud distinxeris à rationali. aliaque hic possent desiderari circa naturam particularis, habebis inferius, vbi de indiuiduo speciei correlatiuo tractemus ad calcem quæst. 5. in sect. 4.

QVAESTIO IV.

De Genere primo Vniuersali, seu Prædicabili, commentaria in caput secundum Malebi, cognomento, Porphyrij, & in varios textus Philosophi Aristotelis. Sed prius de illius persona; Dedicatoria ad Chrysaorium; & priorum duorum capitum doctrina.

POstquã *Porphyrius* natione Phœnix, vel Iudæus, doctrina Platonicus magis, quam Aristotelicus, vt sua scripta declarant, in cap. 1. siue in præfatione prædicabilium ad *Chrysaorium* Romanum discipulum suum, tria Præfatus fuerat, nẽpe, primo, se acturum de quinque prædicabilibus, quibus constant prædicamẽta *Aristotelis*, & quæ necessaria sunt ad rerum essentias, & proprietates sciendum; vt sic redderet discipulum attentum. Secundo, tractaturum de rebus captu facilioribus, omissis difficilibus quæstionibus, quæ solent incipientes absterrere ab studendo, vt ipsum redderet docilẽ, ac edoceri volentem. Tertio, tractatum suum fore valde vtilem, vt auditorem suum reddere beneuolum.

659 In præsenti capite de *genere* præstitit alia tria. nam primo enumerauit varia significata, vel acceptiones *generis*, quæ in *Porphyrio*, *Ambrosio Calepino*; verbo *genus*, hic apud *Conimbricenses*, & in *Aristotele* allegando videri poterunt, & *S. Thoma* 5. metaph. l. 22.

Aristotel. *S. Thomas.*

Deinde posuit duas definitiones *Generis* sumpti in acceptione pertinenti ad institutum præsens, prima est *genus est id, sub quo collocatur species*. secunda, *genus est quod de pluribus differentibus specie prædicatur in eo quod quid*. vbi verbum *prædicatur* potentialiter ponitur, vt perinde valeat quod *prædicari potens*, aut *prædicabile*. desumpsit hæc ferme omnia *Porphyrius* ex *Aristotele* 5. metaph. cap. 28. vel textu 33. & 1. Topic. cap. 4. vel 6. & simili modo genus definiunt S. *Augustinus* tom. 1. c. 7. de Categorijs pagina mihi 64. & *S. Thomas* to. 17. Opusc. 42. Opusc. 48. cap. 2. vbi ambo isti sancti Doctores nobis reliquerunt summam logicæ disciplinæ, videlicet vnusquisque Philosophi Logicam non tam interpretando, quam in compendiosam summam colligendo. tertio demũ *Porphyrius* suam secundam definitionem exemplificando illustrat ostendendo simul quo pacto per eam *genus* differat ab alijs omnibus, quæ prædicantur. nos breues erimus in illustranda tota hac metaphysica generis doctrina.

Aristoteles *S. August.* *S. Thomas.*

SECTIO I.

Definit essentialiter Genus in communi, ac diuidit; & indicat quo modo eius inferiora differant specie infima, vel subalterna, in metaphysica consideratione semper; in logica vero, aliquando specie; aliquando solo quasi numero.

GEnus ergo est vniuersale quoddam; idest *vnum aptum inesse pluribus differentibus specie, & prædicabile de ipsis tamquam eorum pars essentia in eo quod quid, & per modum per se stantis*. vt *animal*, quod semel abstractum est vnum vnitate formali præcisa, positiua; aptum per aptitudinem, quæ est sua essentia apta inesse homini, leoni, & reliquis inferioribus illius, & prædicari de ipsis, quorum est pars essentialis actualis per modum per se stantis, idest significata nomine substãtiuo grammaticorum, quod est *animal*, vt interpretatur *S. Thomas* in Opuscul. 48. cap. 2. de genere.

In hac essentiali definitione ponitur loco generis illud *vnum aptum inesse pluribus*, quod vno verbo dicitur *vniuersale*; per id enim conuenit Genus cum reliquis quatuor Vniuersalibus; reliquæ definitionis particulæ (illa excepta, & *prædicabile de ipsis*, quam volumus eandem esse cum præcedenti, ac similiter tenere locum generis) positæ sunt loco differentiæ, per quas differt definitũ Genus à cæteris Vniuer- 660

uersalibus, & rebus alijs quibuscumque; differt nimirum, inquit *Porphyrius*, Genus ab Indiuiduo, quia hoc ad summum de vno solo prædicatur, illud verò de pluribus; ab specie, quia hæc de pluribus solo numero differentibus, à Differentia, Proprio, & Accidente item differt Genus, quia prædicatur *in eo quod quid*, illa vero *in quale quid*, vt clarius ex dicendis apparebit.

Sed iterum ad doctrinæ, ac definitionis
Aristotel. maiorem lucem, aduerto conformiter, vt credo ad *Aristotelem* lib. 1. Topic. cap. 4. & lib. 7. capit. 2. & 4. capit. 4. & ad Porphyrium hic, illa verba definitionis *in eo quod quid*, omnino æquipollere his *in quid in quæstione quid est, in interrogatione quid id est, aut quid est res?* & omnia habere sensum eundem; illa vero prædicantur sic, siue ijs modis, de suis proprijs subiectis, quæ respondit homo sapiens esse de horum subiectorum essentia interrogatus, quid illa sint, aut quæ eorum es-
S.Thom. sentialia prædicata. Vnde interrogatus S. *Thomas* quid sit *Plato*, respondebit *est animal, est homo, est rationalis*. hæc ergo, & similia prædicantur *in quid*, sed quoniam inter ea, alia significantur substantiuè, seu nominibus substantiuis, alia adiectiuis, duplex distinguo *prædicari in quid*, aliud dicitur prædicari *in quid per modum per se stantis*, idest significatum substantiuè, vt *animal, homo, corpus*, & huiusmodi. aliud dicitur prædicari *in quid per modum alteri adiacentis, siue in quale quid*, vt *rationale, corporeum*, & prædicata alia, quæ essentialiter quidem prædicantur, sed adiectiuè significantur. atque prædicata prioris generis vocasit Veteres
661 quod adnotarunt *Conimbricenses* cap. 1. de genere q. 1. a. 1. §. sed merito. *substantialia*, alterius vero generis *accidentalia*; nō quia accidentia sint rebus de quibus prædicantur, sed quia de eis prædicantur ad modū, quo solent prædicari accidentia; vt vides in his prædicationibus *Petrus est rationalis. Petrus est albus*, quarum vtrumque prædicatum adiectiuè significatur.

Secundo aduertit definitio, *specie*, Inferiora Generis debere distingui, nomine autem *specie* veniunt significata non tantū ea, quæ sub eodem genere essentialiter differunt; sed etiam ea, quæ pertinent ad omnia rerum genera, & prædicamenta, etiam ipsa suprema capita, & genera, quæ vocant *generalissima*; quoniam ea omnia respectu Generis in communi species subalternæ iure censentur; siquidem pleraque sub se habent alia genera & omnia subalternātur vniuersaliori huic, eique *Aristotel.*
subduntur, quare iure optimo dixit *Aristoteles* in 5. Metaph. cap. 1. *ea differunt specie, quæ sub eodem genere diuersas habent definitiones essentiales*. quod si ea in alias species diuidantur intra idem prædicamentum, dicentur differre specie subalterna, aut genere; vti differunt viuens sensibile, & viuens vegetatiuum, quorum vnumquodque habet sub se species, in quas diuiditur; nam viuens sensibile, aliud est Homo, aliud Equus; & similiter viuens vegetabile aliud est Quercus, aliud Oliua, si autem similiter diuidantur, sed vnumquodque in suo distincto prædicamento differre dicentur à fortiori specie, & plus quam specie, & genere, idest prædicamento: si demum *ea, quæ differunt specie*, nequeant diuidi in alias species, vel quia sint indiuidua, vel immediata superiora indiuiduorum, vt sunt Socrates, & Brunellus, Homo, & Equus, dicentur differre specie infima; differre vero res specie quoquo modo ex dictis, vel modis pluribus, aut omnibus sufficit, vt sint inferiora Generis; & quælibet earum distinctio significatur in definitione ab illa voce *specie differentibus*.

Tertio aduerto colligendo partim ex di- 662
ctis hic, partim ex alibi dictis, atque dicendis, genera omnia particularia, quæ sunt inferiora, de quibus abstractum est genus in communi, & quibus aptum est esse, metaphysice considerata semper differre inter se specie, modo aliquo ex declaratis; quia scilicet, vt supra aiebat *Aristoteles*, omnia habere videbuntur *dif- Aristotel.*
ferentes definitiones essentiales, quæ sunt totidem metaphysicæ differentes considerationes, ita nuncupatæ, quia Metaphysica res considerat secundum proprium illarum esse, earum essentias, & proprietates intrinsecas perscrutando. quocirca *animal*, & *planta* inter se specie differūt, & similiter *corpus*, & *spiritus*, & *substantia, qualitas, quantitas*, & huiusmodi collata inuicem: etenim quamuis ea genera sint, & consequenter vniuersalia, abstracta *à materia signata*, idest *à principijs indiui-*

S.Thom. *diuiduantibus*, siuè singularitatibus, vt loquitur S. *Thomas* 1. p. q. 85. a. 1. ad 2. tamen abstracta non *sunt à materia cōmuni* rebus ipsis abstractis connaturali; & ideo *animal* v.g. licet non sit *hoc animal*, est tamē quasi quædā materia certæ, ac determinatæ naturæ cōmunis, cuius naturæ nō est Planta, neque Spiritus, aut Angelus. legatur idē S.D. in Opus. 48. c. 2. super hac materia, quæ sane sat est ad hoc, vt per eā genera particularia, quibus competit definitio supra tradita, inter se tanquam per differentiam specificam, & plus quam specificam, specie subalterna intra, vel extra idem prædicamentum differant.

Quarto aduerto eadem omnia particularia genera, quæ quidem sunt plurima variæ materiæ, & naturę, vt oportet esse ea, quæ spectant ad tam diuersas lineas essendi, nempe ad classes decem prædicamentorum, solere dici communiter *logicè*, siue *logica consideratione* solo numero, aut quasi numero, & non specie logica inter se differre: & sic Genus in communi definitum, logicè genus non esse de re, sed de nomine solum, & re vera esse speciem infimam prædicabilem de pluribus solo numero diuersis, vt est *homo*, & *equus*, & alia quæuis infima species: atque proportione sua id ipsum dici, aut dici debere de quolibet alio prædicabili ex quatuor reliquis.

663 Verumtamē *logicas considerationes* istas, quas hic ingenue admittunt, versantes circa vniuersalia (quæ quidem nec sunt voces, nec conceptus, sed res) plene non declarant, sed eloquuntur Recentiores; solum dixere cum Patribus *Suarez* in metaphysica disp. 6. sect. 8. nu. 7. & *Hurtado* disp. 7. logica sect. 4. *attendi à logica modum prædicandi, non essendi*; & cum modus prędicandi sit idem in omnibus generibus, tam infimis, quam subalternis, tam huius, quam alterius naturæ, fieri quod genera omnia quantumuis in physica, aut quasi physica natura alias maxime distent inter se, sint eiusdem logicę speciei, & solo numero diuersa: vnde concludunt Genus in communi esse speciem infimam. nos autem in hoc modo dicendi consentimus, sed infra à num. 762. cum declaremus logicas Considerationes circa vniuersalia, quæ sunt quædam regulæ docentes nos ea fabricari, & eisdem fabricatis vti in varijs prædicationibus, superaddemus ipsa quoque genera logica consideratione, specie item logica aliquando differe.

Postremo diuido Genus in communi in tot membra, in quot diuisum supra fuit vniuersale in communi à num. 499. à §. *duplex*, nam primo genus aliud est *fundamentale*, *formale* aliud, aliud *logicum*, *aliud metaphysicum*, aliud *quidditatiue*, aliud *denominatiue* sumptum. deinde aliud genus est *positiuum*, vt animal, aliud *negatiuum*, aut priuatiuum, vt cæcitas; si vera est opinio Patris *Suarez* qui putauit potentias videndi hominis, & bestiæ specie distingui, in lib. 4. de anima cap. 1. num. 8. aliud *ens reale*, aliud *rationis*, aliud *abstrahens ab vtroque*, & item aliud *abstrahens ab ente, & non enti*, iuxta dicta superius num 651. vbi obiter adnotabamus posse dari aliquid commune vel enti, & non enti, & probamus infra à n. 779.

Rursus aliud dicitur genus *Completum*, aliud *incompletum*, illud est, quod abstractum est ab entibus completis; vt animal abstractum à Petro, & Brunello, & reliquis indiuiduis, & speciebus, quæ entia integra, & completa censentur. incompletum genus est, quod abstrahitur ab entibus incompletis, vt anima in communi, quæ ab animabus particularibus, quæ sunt entia incompleta, vtpotè compositorum compartes, abstracta est: aliud denique genus dicitur *infimum*, aliud *subalternum*; infimum genus est, quod sub se non habet nisi species infimas, vt animal, quod sub se non habet genera alia, vt falso putauit *Porphyrius* ponens sub ipso duo genera, nempe animal immortale, qualiter putauit esse Deos, & animal mortale, qualiter sumus nos homines; sed tantum sub se habet Hominem, & Equum, & alias Bestias. genus autem subalternum est intermedium genus quodlibet, quod sub se haber alia inferiora genera, & quia ipsa sub se habeat, ita nuncupatur. 664

Vtrumque vero genus tam infimum, quam subalternum dicitur quoque *species subalterna*, idest subalternata, quia scilicet aliunde subijcitur generi alij superiori; sed non inconuenit idem dici nomine duplici, neque esse simul speciem subiectam, & genus superius respectu diuersorum, vt contingit esse Hispalensem Prætorem, qui simul est superior, & inferior; Rege nimirum

rum inferior est, & superior populo: Genus aliud *generalissimum*, & supremum dictum est caput praedicamenti, quandiu consideratur cum supremo dominio erga reliqua, & nullam supra se habens; nam si consideratur subesse generi, vel vniuersali in communi, & species subalterna, siue subiecta alteri, & genus quoque subalternum nominabitur, vt apparet in serie praedicamentali sumpta, magna ex parte
665 ex *Porphyrio* cap. de Specie.

Vniuersale.	*Genus superius, & generalius.*
Genus.	*Genus subalternum, & species subalterna,*
Substantia.	*Genus supremum Praedicamenti & subalternum, & species subalterna.*
Corpus.	*Genus subalternum, & species subalterna.*
Viuens.	*Genus subalternum, & species subalterna.*
Animal.	*Genus infimum, & species subalterna.*
Homo.	*Species infima dicta vltima, athoma & specialissima.*
Plato.	*Indiuiduum, vel singulare, basis, & fundamentum Praedicamenti substantiae.*

Et quidem in proposita serie de praedicamento substantiae, manifeste apparent inferiora aliquot generis specie differre; quocirca concludens dico illam definitionem, qua dicitur vniuersale Genus *esse vnum aptum inesse pluribus differentibus specie in quid, & per modum per se stantis*, essentialem esse, & traditam per verum genus, & veram differentiam, vti docuerunt *Conimbr.* q. 1. de genere a. 2. §. haec. *Toletus* in caput de genere q. 2. §. *sed haec*, & communiter magistri recentiores, illam item definitionem, qua à *Porphyrio* definitur *genus esse quod est praedicabile de pluribus differentibus specie in quid*, essentialem quoque esse: quoniam praedicabilitas vniuersalis cuiuscumque, est ipsa eius essentia, & aptitudo apta de se praedicari, & solū de nomine diuersa ab aptitudine, ex connotatione intellectus illud praedicare potentis, vt fusè, ac praeclare ostendi supra à n. 592.

Definitionem eandem vt essentialem tradunt *Scotus* q. 15. Praedic, *S. Thomas* de ente & essentia c. 4. & ibidem *Caietanus*, super caput de genere, quamuis in eo diffidere videor ab his doctoribus, quod ipsi putent definire genus in concreto, idest animal habens intentionem generis illi affictam per modum relationis fictè ad plura specie diuersa; ego vero definio genus quasi in abstracto, quod credo esse formalitatem vnam abstractam incomplexam per se aptam, & relatam ad plura per relationem transcendentalem, quam poteris nominare *secundā intentionē obiectiuam*, veram tamen, non fictam, *vniuersalitatē, genereitatem, intentionem generis, rationem formalem eius*, quae formaliter est aptitudo & relatio transcendentalis vera, supra saepe declarata, & vltima, & essentialis generis differentia.

S. Thom.

Quare si interroges quid conuenit, & praedicatur in hac propositione, & praedicatione generis, *Petrus est animal*, subiecto Petro, & cur dicam sibi conuenire Petro, & praedicari de eodem materiam illius generis *animal*, idest naturam eius. 666
ratio autem cur conuenit, seu aptum est ei inesse, & de eo praedicari, ac de reliquis non est aliqua relatio ficta nuncupata logica *intentio secunda*, animali affixa, vt id quasi praedicamentaliter respiciat sua determinata inferiora; quia ea est superflua ad id muneris; sed est animali intrinseca aptitudo, & relatio propensa ad inferiora sua; & ideo vtraque definitio supra tradita cōuenit materiali generis *animalis* v. g. non quidem ratione suae naturę formaliter loquendo; quia vt sic, est quasi natura secundum se, & nulla inferiora respicit, sed ad summum respicit operationes sentiendi quarum est radix: vnde *animal* sic consideratum dici potuit *ratio substrata*, siue supra quam cadit ratio formalis generis, & *prima intentio obiectiua* adhuc non intellecta habere esse intentionale logicum, quod est vnitas, aptitudo, & transcendentalis relatio. sed hi tres conceptus vnum sunt omnino indistinctum, aut saltem tenuissimo modo distincti à materiali generis, & ratione huius vnitatis abstractae, aptitudinis, relationis ad plura distincta, dicitur *animal* vniuersale, & genus; & ipsi conueniunt illae ambae definitiones essentialiter, vt magis elucidabitur solutione argumentorum.

SECTIO II.

Respondet argumentis quorundam, qui putarunt Genus in communi non posse essentialiter definiri: & magis declarat essentialem, & vltimam differentiam constitutiuam generis, genereitatem, & intentionem secundam obiectiuã generis, *vulgo nuncupatã*.

667 Habent, vt reor, res singulæ ereatæ, certas, ac determinatas essentias genere, ac differentia compositas; vt *Homo*, qui definitur esse animal rationale, cuius prior illa pars *animal* est genus, & *rationale*, differentia, & vtraque simul est tota Hominis certa essentia; & vt *animal* abstractum ab indiuiduali, seu signata materia, quod definitur per *viuens sensibile*, tanquam per genus, & differentiam, quibus animalis essentia constat, atque componitur; & ita sunt entia reliqua, atque idcirco nos supra docuimus Genus in communi, quod est quoddam peculiare ens, superiori alio, & excelsiori genere sibi essentiali, & differentia item essentiali constare, & per id vtrumque essentialiter posse, & legitime definiri genus enim; quod positum supra fuit in definitione Generis huius, est Vniuersale in communi, quod est pars essentialis huic, & reliquis quatuor vniuersalibus; differentia vero est respectus, quo hoc idem genus respicit plura distincta specie, quorum est pars essentiæ *in eo quod quid*, & de quibus vt talis prædicatur; per quam differentiam vltimo constituitur in ratione generis, & ab alijs omnibus distinguitur.

Vnde eiusmodi respectus, qui supra sæpe à nobis dicitur relatio transcendentalis, merito nuncupatur à Dialecticis antiquis, & modernis *genereitas, intentio secunda* S. Thomas. *generis obiectiua*, vt legitur in *S. Thoma* pluribus in locis, speciatim de ente, & essentia c. 4. & in 4. metaph. lect. 4. vbi itẽ appellatur *ens rationis, & proprium obiectum logicæ*; nõ quia, vt ego opinor, & aduerto sup. n. 75. & 581. putarit *S. Thomas* generis differentiam constitutiuã, & essentialem esse ens fictum, vt videntur sentire *Conimbricenses* cum multis Doctoribus in q. 6. vniuers. a. 3. præsertim cum illis, qui fingi crediderunt eiusmodi relationem ab intellectu reflectẽte supra genus, aut aliud vniuersale abstractũ, qui allegantur ab eisdem Patribus ibi, & à nobis refutantur à n. 573. sed quia bono iure dici potuit ens rationis, nõ solũ formalitas generis abstracta, ac denuo quasi facta vna, & cõmunis; verum etiam relatio eius ad inferiora, quę ab intellectu facta quoq; videtur, quasi indirecte; eo enim ipso quod intellectus abstractio præscindit *animal* v. g. vel aliã naturã, fit in ipsa, & elucet relatio ad suas; vt bene declarauit *Toletus* q. 3. de vniuers. relatio autẽ, quę fit indirecte, & sine fictione intellectus, nũquã potuit esse chimerica, sed vera, dicta tamẽ quoq; *rationis*, quia sola ratione nostra, & cõsideratione, & nõ realiter differre solet à suis inferioribus.

Nihilominus graues Doctores sibi persuaserunt genus in cõmuni nõ posse essen. 668
tialiter definiri, & prędictas nostras definitiones essentiales non esse; vel quia nõ cõstent vero genere, quia genus non est sub aliquo assignato genere excelsiori se, vel quia careant essentiali differentia. & quidẽ *S. Seuerinus Boetius* inclytus martyr. & Illustris Philosophus *super hoc caput de genere, Mag. Albertus* tract. 1. Prædic. *Ammonius*, & alij referuntur putasse non posse genus per aliud genus essentialiter definiri, quorum primum argumentum est.

Quoniam Genus in cõmuni non potest definiri per genus in communi, neque per aliquod genus particulare; ergo definitio nequit constare genere. Probatur antecedens quoad priorem partẽ; quia si Genus, de quo tractamus definiretur per genus in cõmuni, definiretur idem per idem, si quidem de definiendo genere in cõmuni tractamus: at dicitur vulgari Prouerbio *illa est mala definitio, in qua definitur idẽ per idem*; & propterea vitiosa est illa prædicatio licet sit vera, *Petrus est Petrus*. posterior etiam pars suadetur dupliciter; primo quia nullum particulare genus, sicut nec aliquid commune vniuocum, vt obijcit *Ammonius* apud *Toletum* cap. de genere q. 2. potuit esse superius, & supra decem suprema genera, & capita generalissima rerum, nempe supra Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & reliqua; secus sequetur contradictio, quod nimirum ista sint suprema, & nõ supre-

suprema; siquidem erunt sub illo genere particulari, quod à nobis ponitur in definitione generis in communi, quod est supra omnia genera. secundo persuadetur, quia si aliquod peculiare genus posset poni in definitione generis in cõmuni, id ipsũ continuo inueniretur esse simul superius, & inferius respectu generis definiti, imo & respectu sui ipsius: hoc vero est cõtradictio non absimilis præcedenti; ergo definiri non potest essentialiter genus in communi.

669 Respondetur definiri posse Genus in cõmuni per genus quoddã particulare, quale est Vniuersale in communi; vnde ad antecedentis probationẽ dicitur neque definiri idem per idem in prędicta nostra definitione generis, neque esse inconueniens quod Vniuersale in cõmuni, quod positũ est in eius definitione, sit essentialiter superius ipso genere in cõmuni, & supra decem suprema genera rerum, vt apparet in serie prædicamentali supra scripta; hæc enim suprema dicuntur, & sunt respectu inferiorum suorum, non verò respectu generis, aut Vniuersalis in communi; & sic sine vlla contradictione sunt suprema genera rerum, & non suprema, idest inferiora ...pectu Vniuersalis in communi, hoc est ... vario respectu, & consideratione; quẽ...modũ Rex est quoq; superior nobis, in...ior verò Deo, quoniã excelso excelsior ...alius. expresſit hanc doctrinam *S. Tho*... de potentia q. 6. a. 1. ad 1. rursus, quo...to, neque implicet esse aliquid respectu ...rius superius, & inferius, quin propte... sequatur se ipso esse simul superius, & inferius, ostendam inferius in q. 8. sect. 4. §. *opponis* 2. vbi tracto quo pacto Princeps collatus cum suo magistro possit esse eius superior, & inferior, & minor in donis, & maior in Imperio.

Secundum argumentum est, definitio supra tradita non cõpetit suo definito, ergo nulla est, nedũ essentialis. antecedens probatur, quia Genus in cõmuni nequit prædicari de pluribus distinctis in specie, neque talibus aptũ est inesse; sed solũ potest prędicari de pluribus distinctis solo numero, nẽpe de Animali, Planta, Viuẽti, substantia, quantitate; & alijs generibus particularibus, quæ omnia inter se, numero solũ aut quasi numero cõmuniter differre dicũtur. argumento huic solent vulgo respondere magistri, ita esse, quod probat argumẽtum, ac definitionẽ supra positã tradi pro genere in communi non re vera, & in actu exercito, sed de solo titulo, nomine, & in actu signato; ea enim re ipsa & in actu exercito solum competit generibus particularibus, ita quod illa definitio perinde valeat, atque hæc, *quidquid genus est, siue omne genus est vnum aptum inesse, & prædicari de pluribus differentibus specie, &c.* vt est Animal, Planta, & similia genera particularia, nõ Genus in communi, quod solum est de nomine *Genus*, & re vera *species*: quemadmodum dici solet à Summulistis terminus *syncategorematicus*, a. m. de nomine nõ significatiuus separatim; sed re ipsa significatiuus, siquidem eo termino significantur omnes voces syncategorematicæ.

Respondeo metaphysicè loquendo, ac definiendo, idest, res in suo esse physico, aut quasi physico considerando, vti vsque adhuc fecimus, definitionem traditã fuisse pro genere in cõmuni, & ipsi vere competere, & omnibus sub ipso contentis generibus; hæc enim, vt supra Sect. præcedenti monstratum est, specie, nec solum specie infima, sed sæpe genere, & prædicamento discernuntur, vt videre est ibidem §. *secundo*. quando autem, & quo modo vera sit opinio Doctorum, qui aliter responderũt argumẽto, dicturus sum infra in q. 8. sect. 2. quando declarem logicas considerationes circa vniuersalia, vbi dicam Genus in cõmuni, logice loquendo, quandoque re vera tale esse, & adhuc respicere inferiora specie logica, diuersa; & quandoque esse infimam speciem, & sic respicere inferiora solo quasi numero diuersa: admonerem tamen istos magistros, vt meminissent cõsequentiæ, nam si forte eorum quis admittit genus in cõmuni abstractum ab omnibus generibus, non debuit negare ipsi veram definitionem, ne sibi continuo contrarius existat, sicut qui concedit hominẽ, & continuo negat ipsum posse definiri. 670

Tertium argumentum est, definitio Generis in cõmuni debet conuenire nõ solũ Generi in cõmuni, sed etiã Animali, & reliquis; sed his conuenire non potest; ergo definitio non est. minor suadetur, quia si Animali conueniret, Animal haberet essẽtias duas, sicut; & definitiones essentiales duas; ex quo vlterius sequeretur esse res plu-

plures, ens per accidens, aut quandã chimæram. Respondeo concessa maiori, negando minorem; cuius probatio conuincit animalis abstracti non esse adæquatum illam definitionem, qua dicitur *viuens sensibile*, siue principium sentiendi, sed addendum vlterius viuens sensibile vnum aptum esse in pluribus &c. si hæc in prima definitione non inuoluuntur, supponuntur, aut alio modo afferuntur; quia si aliqua eo modo non subintelligantur, diminutè & curtè videbuntur omnes nostræ humanæ definitiones, & scientiæ, etiam hæc, quę tanquam perfecta comprehensio habetur *Homo est animal rationale*, si ibi non subintelligatur quod sit creatura corruptioni obnoxia, & alia, quæ nos nescimus; atque in proposito definitio tradita à *Porphyrio* in secundo loco pro Genere, quæ dicitur de multis, debuit compleri ex supplemento prioris, qua dicitur Genus esse, *sub quo collocatur species*.

671 Alio modo responderi potuit argumento, nempe concedendo Genus, & quoduis aliud vniuersale, siue naturam quamuis vniuersalem, & abstractam considerari posse dupliciter, primo inquantum est prima intentio obiectiua, & vt loquitur *S.Thomas* de ente cap. 4. *secundum suam considerationem*, vt est natura secundum se, & prædicatum personale, aut est obiectum Metaphysicæ cognoscentis ipsum ac definientis; quo pacto consideratur *animal* v.g. dum definitur esse viuens sensibile, vel vt tale solum apprehenditur. secundo modo consideratur Animal, vel quoduis vniuersale, inquantum est secunda intentio obiectiua artificiose quasi fabricata, secundum quod habet aliquem respectum ad alia, de quibus potest prædicari; nempe vt est obiectũ Logicæ, quæ nõ attendit obiecti essentiam, sed modum, quo id fiat, & prædicandum sit; quod non habet obiectũ nisi per considerationem intellectus, & post: & ideo id omne dicitur *ens rationis proprium obiectum logicæ*, & illis verbis declaratur, *vnum aptum esse in pluribus*, *& prædicabile de ipsis*, quod est prædicarum simplex, quia animali abstracto conuenit, & non inferioribus animalis.

S.Thom.

Res autem vna sub duplici ratione considerata, bene potest habere duas definitiones partiales, & inadæquatas quodammodo; quatenus rem eandem definiant, licet vnaquæque adæquate rei suam considerationem, siue respectum declaret; & id in Genere quouis contingit, quod semel abstractum habet considerationes duas; siquidem est quid absolutum; & rursus quid relatiuum; sed quia relatio eius erga inferiora sua, est suamet essentia, sua vnitas, & sua aptitudo, idcirco est simplicissimum ens, & nullo modo per accidens, aut chimæra. & iuxta dicta explicandi sunt *Aristoteles*, & *S.Thomas* dicentes supra numero 428. *vnius rei vnam solam definitionem esse*. præsertim, quia *animal* secundum se est vna quasi res; & alia vt prædicabile, & genus vti nu. 605. dictum est.

Aristotel. S.Thomas. sup. nu. 77.

Secundo sunt alij nempe *Ammonius*, *Albertus*, *Auerroe*, & communiter Recentiores, quos imitantur, & allegant *Conimbricenses* capit. de genere quæstion. 1. articul. 2. & *Toletus* in capit. de genere quæst. 2. qui opinantur illam definitionem, qua dicitur Genus *prædicabile de suis inferioribus*, esse accidentalem, si per illam intenderimus definire Genus, quatenus est quid commune vnum aptum esse in pluribus, sed absolutum, & adhuc non relatum ad plura; licet essentialis eadem definitio visa sit Patribus *Conimbricensibus*, si per eam definiatur Genus vt relatiuum, idest vt prædicabile, vt putarunt ipsi in q. 1. a. 5. in Præfat. Porph. cum *S.Thom.* & *Aristotel.* semper quoduis vniuersale definiri, ac definitũ iri; impossibile enim videtur intelligi vniuersale sine suo particulari; quod est firmum fundamentum horum Doctorum & nostrum. 672

Aristotel. S.Thomas.

S.Thomas. Aristotel.

In eo vero dissidemus ab istis Patribus, & Recentioribus, quod ipsi putent prædicabilitatem esse passionem vniuersalis; vnde dum genus definiunt, definiunt ens per accidens, siue genus reduplicatiuè vt prædicabile, sicut qui definit album dicens *album disgregat visum*, vbi ex parte subiecti affertur concretum ex habente subiecto, & albedine habita, distincta maxime ab eo subiecto: nos autem dicimus, quod probauimus afficaciter supra in q. 2. sect. 11. prædicabilitatẽ esse ipsam vniuersalis essẽtiam; & ideo oportet respõdere Recentiorum argumento, quod ita proponitur. vt se habet prædicabile ad Vniuersale in communi, ita se habet prædicabile de diffe-

differentibus specie ad Genus; sed prædicabile in communi, est passio Vniuersalis in communi, vt nemo negat, ergo prædicabile de differentibus specie, erit quoque passio Generis.

Sed occurrendum concessa maiori, negando minoré propter ea, quæ dicta à nobis sunt supra in q. 2. sect. 11. conformiter ad *Aristotelem, Porphyrium, & S. Thomam*, vbi ostendimus efficaciter prædicabilitaté potentialem, seu radicalem esse ipsammet aptitudinem, & essentiam vniuersalis naturæ cuiuscunque, comparatam ad intellectum illam prædicare potentem; neque oportere distingui in eadé natura vlterioré aliam formalitatem ad modū proprietatis, & passionis respectiuā totaliter in ordine ad intellectū prædicaturū; tum quia eiusmodi distinctio formalitatis relatoriæ necessaria non est ad hoc, vt natura denominetur prædicabilis, & talis sit; tum quia nō est fundamentū ad eiusmodi præcisionem, siquidé obiectū prædicabile ab intellectu nō pendet, neq; habet erga ipsū transcendentalé relationé. dicit enim *Arist.* cap. *ad aliquid*, & alibi sæpe; quem imitatur omnis Antiquitas, quod non est relatio *scibili ad scientiam*, licet detur *in scientia ad scibile*, vt ibi loco citato declaratum est. addebamus tamen ibi prædicabilitatem solere concipi ad modum passionis, non quia vere passio sit; sed quia nostro modo intelligendi prius intelligatur natura vniuersalis secundū se, & per primā intentionem; & post modū in ordine ad aliud, siue vt prædicabilis de alijs, & vt est relatiua, & secunda intentio.

Aristotel. S. Thomas 673

Aristotel. S. August. S. Thomas. sup. n. 596.

SECTIO III.

Ostendit Generis inferiora immediata esse species, quæ sub eo continentur, non vt prædicabiles sunt, sed vt subijcibiles: & respondet ad aliorum fundamenta.

Tituli assertum continet partes duas, prior est, *immediata inferiora generis cuiuscunque esse species suas, in quas diuiditur, & quibus aptum est inesse*, & probatur, quia ea sunt immediata inferiora generis, à quibus immediate abstractū est, & quibus nihilo tertio mediante aptum est inesse, vniri, & identificari, & de quibus immediate prædicaturi sed ea omnia habet genus respectu specierum; ergo eæ sunt illius immediata inferiora; minor fit euidens contemplanti has prædicationes generis, *Homo est animal, equus est animal*, quia videbit animal abstractum fuisse ab ijs speciebus, & alijs, immediaté identificatum cum homine, & equo, ac de ipsis immediatissimé prędicatum. & legenti *S. Thomam* 2. 2. quæst. 58. a. 6. corpore. *S. Thomas.*

674 Secunda pars tituli asserit *species* eiusmodi *respici à genere, vt subijcibiles, non vt prædicabiles*. ad cuius euidentiam suppono dupliciter considerari speciem v. g. *hominem*, primo, inquantum est ratio superior, & prædicabilis de suis inferioribus Petro, & Paulo, & reliquis. Secundo, quatenus est quoddam inferius, & particulare metaphysicum contentum sub genere Animalis, eique subiectum tanquam aliquid, de quo prædicatur id genus: & illo priori modo considerata species dicitur *prædicabilis*, posteriori autem modo dicitur *subijcibilis*, sunt ergo inferiora generis species secundum quod sunt subijcibiles, non vt prædicabiles.

Probatur authoritate *Aristotelis*, Porphyrij *S. Thomæ*, *Scoti*, & communiter sectatorum, qui definiunt quodcumque vniuersale inquantum relatiuum, cuius propterea correlatiuum est particulare, vt videre est apud *Conimbricenses* in Præfatione Porphyrij, artic. 5. & specialius hoc ipsum docuit *S. Thomas* quæstion. 6. de potentia artic. 1. ad 1. & est communis Recentiorum sensus; cuius ratio peremptoria est. etenim Genus respicit species suas vt inferiora sibi immediata; ergo vt subijcibiles. antecedens patet ex dictis, consequentia clara est ex terminis synonymis, nam perinde est species esse inferiores, ac subiectas, & subijcibiles ad Genus. sed confirmatur adhuc: quia Genus respicit species vt correlatiuę sunt ipsius Generis, sed species non sunt correlatiuæ Generis inquantum prædicabiles sed inquantum subijcibiles, vt manifestum est; genus ergo respicit species vt subijcibiles, & non vt prædicabiles.

Aristoteles. S. Thom.

S. Thomas.

Imo verò Genus dum quamlibet speciem respicit, non curat quod ea aliunde

sit, vel non sit superior, aut prædicabilis, sed solum attendit an, & quod sibi subijciatur; ad eum modum, quo Pater respicit filium vt suum effectum, & correlatiuum, non curans mediante Paternitatis respectu, an filius suus aliunde habeat alium, vel alios filios. vel item quemadmodum Rex respicit Duces, & Marchiones, & alios Regni Proceres vt sibi subiectos, nil attendens ad ipsorum aliquale imperium erga proprios vassallos, quin potius ita istos Magnates respicit, atque si ipsi vassallos non haberent. simili ergo modo Genus ita respicit species sibi subiectas, vt æque bene illas respiceret, etiamsi aliunde eæ species prædicabiles non essent de aliquibus alijs proprijs inferioribus; vt apparet ad oculum in ratione
675 *intellectiui* abstracti ab Angelis, siue in ratione *Angeli* in communi, quarum vtraque est genus, respicitque species Angelicas omnino subijcibiles; nempè Michaelem, Gabrielem, & reliquos Angelos, quorum quilibet solus est vna species integra, omnino subiecta ad prædicta genera, & nullo modo prædicabilis; quoniam in opinione *Aristotelis*, & *S. Thomæ*, quos refert, & sequitur *Granado* 1. par. tom. 3. disp. 4. de Angelis. hi non sunt neque possunt esse solo numero differentes; vnde respectu eorum nulla est species, ratione communis specifica, & ideo dici possunt species Physicæ, non Logicæ, nec Metaphysicæ.

Arist. S. Thomas.

Sed contra priorem asserti partem obijcitur primo. inferiora immediata generis sunt illa, à quibus immediate abstrahitur ipsum genus; sed ab indiuiduis abstrahi solet genus, ergo indiuidua sunt inferiora immediata, & non solæ species. maior est certa apud nos supra; minorem docuit *S. Thomas* supra num. 543. vbi nos docebat abstrahere genus, & alia vniuersalia quatuor à Sorte, & Platone quæ sunt indiuidua humanæ speciei: sed distinguo maiorem; illa sunt immediata generis inferiora, à quibus præsciuditur, siue abstrahitur genus, ex parte rei abstractæ; & sic concedo maiorem; ex parte abstrahentis; & sic nego maiorem. vnde licet *S. Thomas* abstraxerit genus *animal* à Sorte, & Platone sine recursu ad species, hoc est quin prius abstraxerit species; nihilominus tamen ipsum *animal* non separatur immediate, vt nimirum genus est ab indiuiduorum

S. Thomas.

differentijs, sed ab specificis, nempè à rationali, hinnibili, & huiusmodi cæteris bestiarum differentis; vt magis declaratur in Sect. sequenti. vnde colligitur ad residuum argumenti responsio.

Secundo obijcitur contra secundam partem asserti, genus v. g. *animal* respicit immediate hominem, & equum, & species reliquas; sed eæ omnes sunt prædicabiles, ergo vt tales eas respicit, & non tantum vt subijcibiles. confirmatur, quia species, vt sunt inferiora generis, debent esse specie distinctæ; sed vt sunt subijcibiles distinctæ sunt solo numero; ergo vt prædicabiles sunt illius inferiora. minor liquet, quia omnes species cuiuscunque materiæ sint, subijciuntur eodem modo, & omnino vniformi suo generi, quin in modo subiectionis cernatur quidpiam, quod eas discernat plus quam numero.

Respondeo concessis maiori & minori, 676 negando consequentiam, quia vt supra dicebamus, quid accidentarium est generi, & præter eius intentionem, quod species sint superiores, & prædicabiles de alijs suis inferioribus, & solum per se intendit, & respicit eas, vel earum differentias vt sibi subiectas, & cum quibus metaphysicè componat, & identificetur; quare species inquantum prædicabiles disparate se habent cum genere, idest nec illo sunt inferiores, neque superiores, sicut quidam Marchio quatenus exercet suum aliquale imperium proprio iure, & nomine erga vassallos, & quatenus est ipsorum Dominus, neque est Rege inferior, neque superior. Ad confirmationem dicendum metaphysice loquendo, aut quasi physicè omnes species subijcibiles differre specie vt in Sectione 1. dictum est, & id sufficit, & solum requiritur; quantumuis eodem modo, & vniformi generi suo subijciantur, vt obijcitur. quomodo autem Longice etiam solo numero differant dicã inferius in quæstione 8. Sect. 2.

SECTIO IV.

Declarat quo pacto Genus respiciat mediate indiuidua completa, tanquam eorum genus; & item immediate indiuidua completa, tanquam eorum species; & respondet Aduersantiū argumētis.

VT vtraque veritas in titulo propofito propugnetur facilius, & intimius penetretur aduerto primo, tunc rem vel rationem aliquam fuperiorem immediatè refpicere rem, aut res alias fibi inferiores, quando illas refpicit, aut recipit, aut informat fe ipfa, & nullo tertio mediante, & viciffim tunc res inferiores immediate refpicere fuum fuperius, quando ei fubduntur, idque refpiciunt per femet ipfas, & fine vllo intermedio, quo pacto Prætor Hifpalenfis immediatè refpicit ciues Hifpalenfes, vt inferiores, quando per femet ipfum ipfos gubernat, ac regit, & vice verfa Ciues Gubernatorem fuum immediate refpiciunt, vt fuperiorem, cuius immediata mandata excipiunt. Rex autem Philippus IV. eofdem ciues Hifpalenfes mediate folum refpicit, & mediate ab ipfis refpicitur, quatenus intercedit in medio Gubernator *Affiftens* nuncupatus.

677 Aduerto Secundo rem eandem poffe, & folere plura etiam inter fe non fubordinata, vti fubordinantur illi Ciues immediate refpicere; & in fe recipere vti materia prima refpicit, & recipit immediate in fe formas fubftantiales hominis, & equi & reliquas, & item propriam fubfiftentiā, proprium vbi, & alias proprietates, quæ cum prædictis formis nullam habent cognationem, neque fubordinationem.

Aduerto Tertio, fecundum meliorem fententiam Metaphyficorum, qui poffunt videri apud Doctores Patres *Fonfecam* in 5. metaphyf. cap. 6. quæft. 5. fect. 1. & 3. & *Suarez* difput. 5. fect. 2. num. 8. indiuiduum effe quamcunque rem fingularem cuiufcunque fpeciei, vel generis; idque quafi conflari, & componi metaphyfice loquendo ex natura fpecifica, & modo quodam pofitiuo, fiue formalitate fingularizante eam naturam fpecificam; quæ formalitas vulgo, vocatur *Hecceitas*, melius, *fingularitas*, feu *differentia indiuidualis*, aut *principium indiuiduandi*. indiuiduum verbi gratia humanæ fpeciei, eft quidam homo, aut Petrus, qui componitur, fi attendas ad metaphyficam compofitionem, ex duplici quafi parte metaphyfica, aut triplici; altera eft natura humana, feu *animal rationale*, altera eft *Petreitas*, quæ noftro modo intelligendi determinat, & immediatè quafi adhærefcendo modificat illud prædicatum vtrumque; nempe *animal rationale*, fe obiter identificando cum vtroque, & vtrumque fingularizando; & ideo ego partior *Petreitatem* in duas quafi particulas modales, & vnam dico correfpondere Animali, & cum eo facere indiuidui partem, vel indiuiduum incompletum; Hoc eft dimidium indiuidui; & alteram correfpondere Rationali, & cum eodem fimiliter facere alteram indiuidui compartem; & particulam Petreitatis vtramque conftituere cum Animali, & rationali, indiuiduum integrum atque completum.

Aduerto Quarto ex fufius dicendis numero 1192. aliquot prædicata dici, & effe refpectu fubiectorum fuorum immediata, vt aiunt quoad fe, licet eadem refpectu eorundem dicantur aliquando mediata quo ad nos præ noftra ignorantia, & in intelligendo res, vt funt in fe, difficultate; illa quippè dicuntur prædicata immediata fubiectis quoad fe, quæ cum eis fubiectis immediate vniuntur, atque eadem dicuntur mediata quoad nos quando nos propter noftrum tardum modum intelligendi ea cognofcimus fubiectis ineffe, & vniri, aliquo medio tertio prius cognito, quod nos manuducit in cognitionē rei, vt eft in fe, id eft in cognitionem connexionis immediatæ prędicati cū fubiecto, vt dicebamus n. 230 678

Rem hanc totā declarant exempla duo; primum afferunt cōmuniter Theologi difputantes cum S. *Thoma* 1. p. q. 2. art. 1. an hæc propofitio *Deus exiftit, vel Deus eft exiftens*, fit de prædicato primo, & immediato, & refpondent affirmatiuè nempe effe de prædicato immediato & primo quoad fe: quia exiftentia diuina immediate vnita eft Deo, & cū eo identificata; effe verò de prędicato mediato, & quafi fecundo, aut tertio, quoad nos; quia propter noftrā rufticitatē nō ilico cognofcimus dū peregrinamur à Domino, Deum vt eft in fe, *S. Thomas sup. n. 230.*

se, & existentiam ipsius, nisi præuijs & mediantibus cognitionibus creaturarum; quoniam hæc est Apostolica sententia; *inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* in primo ad Romanos.

Exemplum alterū est ad mentē *S. Thomæ* super lib. 1. Posteriorum lect. 36. vbi docuit esse discursiuum esse primum, & immediatum prædicatum hominis, quamuis à nobis hominibus probari soleat inesse homini media, & præuia definitione ipsius in hunc modum ratiocinando, homo est animal rationale, ergo homo est discursiuus. quoniam eiusmodi mediatio, non est in rebus, vt manifestum est, sed in nostro intellectu, quæ tandem, & paulatim cognoscit rem ignotam per sibi notiorem.

679 His ita suppositis assero primo, genus quodcūq; immediate respicere sua indiuidua incompleta, atque cum eis immediate connecti, & identificari, & consequēter de eisdem posse prędicari vt eorum primum, & immediatum prędicatum quoad se. v.g. animal immediate respicit Petrum, & Paulum, Bucephalū, & Brunellum, & reliqua animantiū indiuidua, à quibus immediate potest abstrahi; siquidē cū eisdē immediate coniunctum est, & identificatū; licet eiusmodi immediata coniūctio à nobis sępius mediante specie dignoscatur.

Res hæc, & assertio illustratur ex applicatione illorū quatuor, quæ enumerari, & aduerti. siquidem *animal* genus v.g. primo immediate, & nullo mediāte respicit hæcceitates partiales, atq; cū ipsis cōponit indiuidua incompleta, quæ dicuntur à *S. Thoma* in Opusc. 55. *hoc animal, illud animal, & propria subiecta*, siue inferiora animalis, & consequēter Animal est immediatū quo ad se prædicatū respectu huiusmodi indiuiduorū. vnde immediate sunt istæ propositiones, *animal vnitur Petreitati. Petreitas realiter est animal, Petrus est animal. hoc animal est animal*: neq; huic immediationi obstat quod aliunde idem animal immediate recipiat, & informatur à rationali, Hinnibili, & alijs specificis animantiū differētijs, vt adnotabam *S. aduerto secūdo*.

Assero Secundo. genus *animal*, & idem est de reliquis, prout respicit immediate indiuidua incompleta, nempe hoc animal; illud animal, & alia huiusmodi, atq; de ipsis prędicatur, nō est genus nisi de solo nomine, & in actu signato, sed species infima quasi incompleta, ita opinati sunt ante me *Caietanus* c. de specie, *Rubius* c. 3. de specie q. 5. assert. 2. *Masius* sect. 2. q. 3. *Iustinian.* lib. 2. institut. c. 5. arg. 3. & docti Recentiores cum meo Magistro.

Ratio vero est, nam quidquid aptum est 680 inesse pluribus differentibus solo numero, vt tota eorum essentia, & de ipsis ita prædicatur, est species; sed animal, & quoduis aliud genus ita est aptū, & ita prædicatur; ergo est vera species infima. maior est definitio speciei infra exponenda; minor liquet ex eo, quod hoc animal, & illud animal signatis indiuiduis incompletis cuiuscunque speciei, solo numero differunt, aut quasi numero, vt nemo diffitetur. Vnde infertur similiter esse species infimas reliquos gradus metaphysicos positos in recta linea prædicamenti, ab infimo genere, vsque ad supremū, cōparatos cum suis indiuiduis incompletis, vt sunt in prædicamēto substātiæ *animal, viuens, corpus, substantia*: nā hæc substantia, & illa, loquendo de singularibus incomplete sūptis, solo numero differunt, & eorū est tota essentia *substantia*, & ita de reliquis gradibus dicendum est in quocunq; prædicamento.

Assero Tertio. genus mediate quoque respicit, vt genus est, indiuidua completa, ac de illis immediate prædicatur, videlicet ratione differentiarum specificarum, quæ mediant inter ipsum, & differentias partiales numerales immediate annexas ijs differentijs. hoc est commune assertum & vulgo receptum à Recentioribus. quod vt persuadeatur, non indiget nisi declaratione. etenim animal v.g. vt est genus, idest vt respicit plura specie distincta, respicit directè & immediate species viuentium, nempe hominem, equum, & reliquas; & has quidem respicere dicitur, quatenus respicit earum differentias specificas, nimirum rationale, hinnibile, & huiusmodi, quibuscum immediate componit, vnitur, & identificatur nihilo intercedente. Vnde istæ prædicationes sunt immediatæ, ac de prædicato primo, & propriè generico *homo est animal. equus est animal.* & similes.

Quoniam vero ex eo, quod animal immediate identificetur cum rationali, v. g. fit vt nostro modo intelligēdi mediate idētificetur cū hęcceitate, siue Petreitate correspondente

681 respōdēti nō sibi, sed rationali; ideo dicitur cōmuniter genus, vt genus respicere mediate solum indiuidua; & merito; siquidē in eo sensu, & consideratione, non est illorum prædicatum primū, neque immediatum, nam qua ratione prædicatum primū, & immediatum est species, & non genus, est vti declaratum est. præsertim cum dixerit S. *Thomas* in hoc Opusc. 55. *idem posse esse genus, & speciē sub vario respectu*; & quidē respici à genere mediate vel partiales hæcceitates indiuiduorum, siue partialia indiuidua sat est ad hoc, vt dicatur absolute respicere indiuidua mediate, iuxta perantiquum prouerbium Iurisprudētium. *qui tangit partem indiuidui totum indiuiduum tetigisse censetur*.

S. Thomas.

Assero Quarto. genus animal v.g. in actu exercito genus est respectu indiuiduorum diuersarū specierū, quātumuis ea mediate respiciat; vnde hæ sunt prædicationes generis. *Petrus est animal, hic leo est animal. Bucephalus est animal*, ita videtur sentire *Aristoteles* cap. de substantia, dicens genus prædicari de specie & de indiuiduo; atq; dū definit genus in ordine ad plura specie distincta, & putat specie distingui, quę habent diuersas definitiones; vti sine dubio habēt hic homo, & ille leo. concordat *Porphyrius* c. de specie, & de indiuiduo; & cōmuniter Interpretes. cuius ratio indicata iā est, quia dū prædicatur genus de istis indiuiduis, prædicatur de pluribus distinctis in specie, quibus vt pars essentię *in quid* ad modū per se stātis aptū est inesse. nec officit indiuidua esse mediata eius inferiora propter speciē intermediā inter ipsa, & genus; quia propterea nō desinūt esse inter se specie distīcta, & illi subiecta; vti subdūtur Regi Philippo Ciues Hispalēses. vnde sicut hi absolute dicūtur, & sūt inferiores, & subditi Regis; ita & illa, absolute inferiora generis, licet mediata censeantur.

Aristotel.

Assero Quinto. genus *animal* item est genus respectu indiuiduorum completorum eiusdem speciei, v.g. respectu Petri, Pauli, & cæterorum hominum complete sumptorum, etiam quando ab eis solis abstractum fuisset. probatur, quia respectu eorum, de quibus prædicabitur *in quid* ad modum per se stantis, vt pars essentiæ, nequit esse species, nec differentia neque Proprium, aut accidens; ergo est genus. Præsertim cum ipsum animal dicat respectum ad reliquas quoque species animantium, & earum indiuidua completa quāuis ab eis abstractum non fuerit vt monstratum est supra in quæst. 2. sect. 9. 16. 17. & patet, quia animal semel abstractum est ordo transcendentalis ad suas compartes omnes, idest ad omnes differentias. sed notat *Aristoteles* 4. Topic. loco 29. non esse genus, nisi sub se sint species plures. *nam omne genus propriè de speciebus prædicatur*.

Aristotel.

682 Sed contra assertum primum opponitur. hæcceitas siue singularitas indiuidui est vnica, & indiuisibilis in vnoquoque; ergo nequit esse quasi duplex pars vna correspondens generi, alia differentiæ: probatur consequentia; quia non videtur esse fundamentum ad eiusmodi diuisiones hæcceitatis in particulas tot, quot sunt gradus in ente quoquam. Respondeo esse realiter vnicam, & realiter indiuiduam, seu indiuisibilem, sed ab intellectu solere præscindi in particulas tot, quot gradus distinguit in indiuiduo; id quod facit sufficienti fundamento; quia quælibet hæcceitas in se est fœcunda, & virtute multiplex, siquidem terminare potest entitatem fœcundam, & in multos gradus distinguibilem quoque ab intellectu; quocirca in homine quodam, sicut reperiuntur, & distinguuntur ratione animal, viuens corpus, substantia, rationale, spirituale, totidem correspondentes hæcceitates partiales partiuntur.

Contra assertum secundum objicitur, quod substantia in communi est genus supremum, & generalissimum, vt est cōmunis vox Dialecticorū. ergo nequit esse infima species, nec respectu indiuiduorū incōpletorū, nā si vera est doctrina illius asserti, hæ sunt prædicationes speciei infimæ *hæc substātia est substātia*, & illa, & illa, & ita reliquæ. Patet consequentia primo; quia res suprema, & generalissima nequit simul esse infima, & specialissima. secundo quia omnis species debet esse sub assignato, & proprio genere. secus nō posset essētialiter definiri definitione nimirū composita genere & differentia.

Respondeo concesso antecedēti, negau. cōsequentiā; ad cuius probationē dico substantiam in cōmuni sub vario respectu esse posse simul genus supremum, & infimam speciē; genus supremū est considera-tum

vnum inferius ex his, quod genus conti-tum in ordine ad species suas, in quas diuiditur, & supra quas omnes est, & quorũ specificas differentias ex alto respicit, vt totum potentiale, & vt pars actualis composítura cum ipsis. species vero est considerata cum respectu ad indiuidua incompleta, idest ad hæcceitates sibi correspondentes, vt supra declaratum est: neque inconueniens est huiusmodi speciem sub genere assignato non esse in genere entis,
S.Thomas. 683 quia dicit S.*Thomas* 3. d.6.q.1.a.1.q.2 ad 3. *quod pars non habet proprie genus, nec speciem*; sat est quod indiuiduum completum perfecte definiatur per genus, & differentiam; & species completa, neque requiritur præsentem hanc speciem, quæ censetur in ratione speciei incompleta, habere supra se verum genus, & differentiã. siquidem his necessario caret substantia in communi, vtpotè quod est materialiter semper genus supremũ substantifici entis.

Secundo contra ipsum assertum opponitur, species importat totam inferiorum suorum essentiam, non ita important substantia, aut Animal vt sunt species incompletorum indiuiduorum, ergo non sunt species respectu eorum. rursus ratio generis, vel speciei pensatur, & dignoscitur ex collectione omnium inferiorum; ergo substantia, vel Animal semper sunt genera, semper enim respiciunt plura completa, specieque differentia, licet inter ea sint alia incompleta, sicut & multa eiusdem speciei, quæ tamen non denominant illa, species.

Respondeo negando minorem quia *animal* importat essentiã integram *huius animalis*, idest non Petri integri, sed animalis Petri. ad confirmationem fateor, seu distinguo sic, ratio generis, vel speciei dignoscenda est ex collectione inferiorum, quæ illa respiciunt respectu vniformi, & sic concedo antecedens; quæ respiciunt respectu difformi, & vario, & sic nego antecedens. & quia animal v. g. respicit hominem, & Petrum, equum, & Bucephalum, plures homines, & plures equos vniformi respectu terminato nimirum ad Rationale, & hinnibile, modo hæ sint in speciebus, modo in indiuiduis, ideo semper attento eo vniformi respectu dicitur genus; quatenus vero idem Animal respectu alio differenti respicit hæcceitates sibi correspondentes, dicitur quoque quodãmodo species, vti declaratum est, & ex his patet ad reliquias argumenti. 684

Ad extremum pro reliquis, quæ obiectari possint, diluendis aduerto, necesse non esse quod omnia inferiora generis distinguantur inter se specie, quod dico propter indiuidua humana v. g. quæ sunt generis *animal* inferiora; sed quia mediata solum sunt, possunt esse eiusdem speciei propter ea, quæ adnotabam supra ad finẽ §. assero quinto. sed quoniam hæc metaphysica maxime videbuntur, prætermittenda fuerunt.

SECTIO V.

Interpretatur asserta varia Aristotelis circa Genus ad maiorem notitiam ipsius; & remittit alio tractationem de Locis, qui fundantur in ipso.

Multa scitu digna dixit Philosophus de genere, quæ conducunt maxime ad ipsius integram notitiam; primo videtur illud diuisisse in genera subalternatim posita, & in non subalternatim posita, vt colligo ex cap. 4. ante prædicam. & in 1.Topic.cap. 13. vbi genera subalternatim posita vocat tam ea, quæ ita collocata sunt in serie prædicamenti, vt apparet supra in Sect. 1. vt vnum sit sub altero, quomodo sunt *animal. viuens. corpus. substantia.* quam ea, quæ licet ita sunt inter se disparata, vt neutrum sit sub altero, tamen omnia sunt sub alio tertio superiori, vt sunt *animal. planta. spiritus substantialis.* quorum nullum subditur alteri, sed omnia sunt sub substantia, & similium generum docuerunt *Aristoteles*, S. *Augustinus*, & *S.Thomas* solere esse aliquando, non semper, eandem differentiam, vti dicemus inferius in quæst 6. sect. 2. §. tertio, Genera vero non subalternatim posita sunt opposito modo, nempe illa, quorum nullum est sub altero; & quæ sub nullo alio tertio collocantur; veluti sunt substantia, quantitas, qualitas, & reliqua capita prædicamentorum, & quæ sub ipsis posita sunt, collata, videlicet cum alijs diuersi prædicamenti, vt sunt *animal*, & *disciplina*, vel *scientia*. & huiusmodi generum duorum, aut plurium nequit esse vna, & eadem pro-

Aristot. Arist. S.August. S.Thom.

proprie differentia, vt declaratur inferius sect. illa 2.

685 Secundo idem Philosophus in 10. metaph. c. 1. & 7. ait *per genus dici solere plura vnum, & idem*, quasi secundum materiam, & substantiam, quamuis ea plura specie diuersa sint, vnde dicere solemus hominem, & equum esse eosdem genere, & vtrumque esse vnum genere, idest in animali conuenire, & per id non differre; & ibidem in capit. 7. subiungit, *genus esse materiam eius, cuius genus dicitur*, quia videlicet sicut non proprie dicitur physicum compositum constitui, & distingui ab alio ratione materiæ, quæ solet esse communis; vna, eadem vel similis in pluribus, ita quoque inepte dicitur, seu minus proprie rem vnam ab altera differre per genus præsertim eæ, quæ sunt eiusdem generis, vel sub eodem genere, vt oportet esse res, quæ vere & propriè specie discrepant, *quoniam* inquit *ea specie differre dicuntur quæ cum in eodem genere sint, contrarietates habens*, idest contrarias differentias, vt sunt rationale, & irrationale, quibus constituuntur, & specie differunt homo, leo & bestiæ reliquæ, quæ tamen omnes sunt sub eodem genere animalis. Aristotel.

Aristotel. Tertio in eodem lib. 10. metaph. cap. 9. asseruit ea, *quæ genere diuersa sunt, plus distare inter se, quam, quæ specie*, quod est verissimum, siquidem plus differunt inuicē, nempe differunt per differentias propriè, & insuper quodammodo per genera, vti differunt *animal*, & *quantitas triangularis*, & similia, & lib. 5. cap. 25. docuit illa differre genere, quorum primum subiectū diuersum est, & consequenter illa, quorū nullum est sub altero, & quæ sub nullo tertio superiori sunt; quomodo differunt substantia, & quantitas, quoniam primū subiectum substantiæ, de quo ipsa prædicatur cum reliquis gradibus subalternatim positis in recta linea, est Petrus, vel hic leo. primum vero quantitatis subiectum, non est Petrus aut alia prima substantia; sed hæc aut illa quātitas. quasi dixerit breuius Philosophus illa differre genere, quæ differunt prædicamento, Categoria seu

Aristotel. *prædicatione*, vt ipse loquitur in eodem lib. 10. cap. 1. ibi *namque differunt aut genere, aut specie differt, genere quidem, quorum non est communis materia, neque mutua generatio, vtpote quorum alia prædicationis figura est; specie vero, quorum idem genus, &c.* & aliunde habent *diuersas definitiones essentiales*. quod addebat supra nu. 661.

Quarto *Aristoteles* in 3. Metaph. & sæpe alibi, refutat Platonem, & sectatores ipsius, qui putarunt genera illa sua cohabitantia in concauo lunæ, esse rerum omnium principia, siue elementa, quibus cōstituuntur, de quo tractat *S. Thomas* in eodem lib. 3. lect. 8. & p. 1. q. 85. a. 3. ad 4. vbi addit quodammodo dici posse genera, & species rerum suarum principia, & elementa, nempe attenta earum compositione metaphysica, quam sæpe expliciumus, sed ad præsens institutum accommodatius infra quæst. 5. sect. 3. §. secundo. Physica vero rerum principia sunt ea, quæ tradidimus ex ipso *Aristotele* ad 1. Physicorum, nempe forma, materia & carentia formæ in ea materia. Vide ergo *S. Thomam* 1. p. q. 85. a. 3. ad 4. vbi iterum cū *Arist.* allegato in 7. met. contra Platonē docet, nullum vniuersale esse principiū physicum essentiæ rerum naturalium, ibi. *non autem est necesse quod omne, quod est principium essendi, vt Plato existimauit: cum quandoque cognoscamus causam per effectum, & substantiam per accidentia; vnde vniuersale sic acceptum secundum sententiam Aristotelis, non est principium essendi, neque substantia* (idest nec forma) vt patet in 7. metaph. si autem consideremus ipsam naturam generis, & speciei, prout *est in singularibus, sic quodammodo habet rationem principij formalis respectu singularium*. nempe attendendo ad ipsorum metaphysicam cōpositionem, vt supra adnotabam, siquidem quodlibet singulare coalescit genere suo, ac differentia vti ex suis principijs intrinsecè ipsum constituentibus, & vt elementis primis. vide *S. Thom.* 22. q. 58. art. 6. cap. 686

Aristotel. S. Thomas. Aristotel. S. Thomas. Aristotel. S. Thom.

Et iuxta id videtur loquutus quoque Porphyrius cap. 3. de specie dicens, *prima decem genera posita esse prima decem principia* eorum, de quibus prædicantur, & quibus conueniunt, & quibus cum metaphysice componunt; neque sibi contradicit dicēs ad finem capitis *totum enim quiddam est genus, indiuiduum autem*, seu singulare *pars*, quo tantum vult genus esse totum potentiale ad plura se extendens; Indiuiduum verò esse vnam partem, sine

vnum

net sub potentia, vt patet ex verbis, quæ immediatè subiungit. *species vero & totum est, & pars*, nempè totum vt vniuersalis & prædicabilis; pars autem vt est subijcibile quoddā, & inferius generis sui; & ideo rursus dici solet genus diuidi in species, vt in partes suas, seu membra diuidentia; vt cum dicis animal aliud homo, aliud equus. vnde quoque dicta sunt *genera* ab *Aristotele* in Prædicam. cap. 3. de simul, *priora speciebus*. neque enim *conuertuntur secundum eius, quod est esse consequentiam, vt cum quidem aquatile sit, animal est. cum vere sit animal, non necesse est, vt aquatile sit*. dicuntur ergo genera priora speciebus prioritate in subsistendo, siue à quibus non valet subsistēdi consequentia, vt exemplificat Philosophus.

Aristotel. Quinto *Aristoteles* lib. 1. de Plantis cap. 1. ante medium, *genera*, inquit, *speciebus suis nomina dant, & definitiones: species verò suis indiuiduis nomina: debetque genus ex vna, & communi causa, quæ sit in multis esse, non ex multis*. Idcirco sensibilia omnia tam habentia cognitionem, quam ea carentia, vt credit ibidem Philosophus esse conchylia, dicuntur ab *animali* eorum genere, animalia; & rursus animal est principium definitionum ipsorum, siquidem omnis definitio constat genere ac differentia. deinde species, vt *homo* v.g. denominat indiuidua omnia homines, quod item cernis in *Hispano* in communi, quod est genus, & in *Castellano*, quod est species, etenim illud dat nomina Castellæ, Lusitaniæ, & reliquis regnis gentis Iberæ, & ponitur in principio definitionum eorundem. hoc vero dat nomina Incolis, & ortis in solo regno Castellæ, Meditullio Hispaniarum: & quoniam hæc doctrina vera est, ideo nonnulli refugiunt denominari à genere suo, neque enim decet ominem cordatum, & sapientem dici animal, nisi forsan rusticanum quempiam, in quo plus de bruto, quod de rationis participio elucere videatur, quamuis non incongruè, nec minus honorificè gentes omnes Iberas, siue incolas Hesperiæ, Hispanos cōpellabere, sumpta scilicet à genere, nomenclatura, nam in aliquibus in prudentum æstimatione non minus perfectum videbitur genus, quam species. & quādo, que quod est *proprium generis dicitur de specie infima*, vti aduertit *P. Andr. Lucas* tractando de nomine *Societas Iesu* in vita S. Ignatij lib. 4. cap. 10. & S. *Thomas* 1. 2. quæst. 18. art. 10. *S. Thomas.*

688 Postremo tractandum hic erat de modo inueniendi, & fabricandi genus; de vsu ipsius, & locis argumentorum, quæ fundantur in ipso; & proferendæ, deducendæq ex *Aristotelis* doctrina regulæ logicales, quæ docent nos facile inuenire, fabricari genera in quacunque materia, eaque ritè de suis inferioribus prædicare, modo solitaria, modo componentia definitionem; Sed quoniam oppotuniùs de his omnibus agendum est inferius in quæstione de locis, illuc remittimus tractationem vberiorem, licet nonnihil circa hæc iam varijs in locis, dixerimus, speciatim à num. 42. 428. & 631. & sæpe alibi, sed vbique pertransennam. circa inuentionem vero generis legatur *Aristoteles* 1. Topic. cap. 14. & qui plura, & pulchra volet de genere videat indices *Aristotelis*, & *S. Thomæ*, v. genus. *Aristotel. S. Thomas.*

QVAESTIO V.

De Specie secundo Prædicabili, ac de Indiuiduo eius correlatiuo, interpres, & commentaria super caput tertium Porphyrij.

IN Capitulo præsenti quatuor inter alia minoris notæ, præstat *Porphyrius*: & primo ponit acceptiones speciei dicens, species primo sumitur pro forma alicuius rei, à qua res dicitur formosa, aut speciosa. Secundo sumitur pro re, quæ sub assignato genere ponitur, quam duplici definitione declarat. prior est. *species est id quod subijcitur generi & de qua genus prædicatur in eo quod quid*, posterior definitio est, *species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid*. ita quoque definiunt in suis Logicis speciem S. *Augustinus* cap. 7. *Categor.* & S. *Thomas* cap. 3. Opusc. 48. & quidem definitiones ambas quodammodo essentiales esse, constat ex dictis supra nu. 660. *S. August. S. Thomas.*

689 Secundo *Porphyrius* proposuit nobis ante oculos conspiciendam seriem prædicamentalem substātiæ, vt melius declaret

ret definitiones suas, & doctrinas circa prædicabilia, & eorum inferiora, quibus tota componitur, vt vides supra num. 665. Tertio loco tradit quædam Logicæ realis regulas nos docentes vti rite prædicatis, inde ex prædicamentis assumendis ad sciẽtificas prædicationes conficiendas, de quibus nos infra. Quarto demum definit indiuiduum speciei correlatiuum subiungens *indiuiduum est, cuius collectio proprietatũ nunquã eadẽ in alio erit*, & aliter sic, *indiuiduũ est, quod de vno solo prædicatur*, vt ibi Petrus est Petrus, hic homo est Petrus, hoc viuẽs est Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius; nã tot modis fit prædicatio indiuidui; & vera quidẽ est, sed omnino identica dicitur, & parum ad quidquã deinde sciendũ proficua. residuum Capitis continet genus generalissimũ esse, quod supra se nullũ aliud habet genus, & quod sub se habet genera omnia, quæ dicuntur species eius, & genera subalterna; & item specialissimum genus, quod sub se habet species specialissimas, idest infimas sub quibus immediate sunt indiuidua numero infinita. vnde fit quod species hæc, & omnes superiores, & item supremũ genus recte prædicẽtur de indiuiduo, & inibi vt in fundamento omnes hi gradus, alioqui vniuersales, identificati reperiantur. quæ omnis doctrina cõformis est *Aristot.* c. de substantia 1. Perih. c. 5. 4. & Topic c. 1. & 2. & alibi sæpe; & illustratur sequenti hoc nostro commentario.

SECTIO I.

Decernit quid sit Species, & quotuplex; ac per eam, quæ Prædicabilis dicitur, constitui hoc Prædicabile secundum.

690 EX doctrina *Porphyrij* in isto c. de specie colligo primo speciẽ aliã esse subijcilẽ, aliã prædicabilẽ: *subijcibilis species est particulare metaphysicum aptũ subesse generi suo in eo quod quid vt parti essentiæ suæ*, vt *homo*, quod subest animali, & *animal*, quod subest viuẽti, & *viuẽs* quod subest corpori, & *corpus* quod subest substantiæ. de quibus subiectis ea superiora signata genera, vt partes essentiarũ suarum possunt prædicari: essentialis est ea definitio iuxta dicta supra quæst. 3. de particulari, & hic videtur tradita ab isto Philosopho pro speciebus subalternis, quatenus superioribus alijs subduntur: quãuis aliũde & ipsæ superiores quoque sint, omnes enim eiusmodi species subalternę, quæ sũt intermediæ inter indiuiduũ, & genus supremum, vt apparet in arbore prædicamentali, reperiuntur habere, quod item docet *Porphyrius*, duas habitudines, siue relationes, vnã ad sibi superiora genera, ratione cuius sunt, ac dicuntur species subijcibiles, & subalternæ aliã ad inferiora sua, ratione cuius genera plerunq; dicuntur, & sunt; vel etiam species prædicabiles infimæ licet, & specialissimæ; nã & has quoque cõtingit subalternas species esse non minus quam genera intermedia secundum priorem illã habitudinem, secundũ quam suo infimo generi subduntur.

Species vero *prædicabilis* (quomodo sola est species infima, athoma, & specialissima siue vltima nuncupata; quia inter ipsam & inter supremum genus, veluti inter duos terminos intercluduntur reliqua omnia genera prædicamenti, *est vniuersale aptum esse in pluribus, ac prædicari de ipsis solo numero differentibus in eo quod quid ad modum per se stantis, vt eorũ tota essentia*. Vt homo, equus, leo, & huiusmodi, homo enim v.g. aptus est inesse in omnibus hominibus, ac de ipsis vt tota eorum specifica essentia prædicatur, significata nomine illo substantiuo *homo*, iuxta dicta supra num. 650. hæc autem definitio essentialis est, siquidem traditur per genus & differentiam. loco generis positum ibi est quod sit species *vniuersale*, cum quo conuenit cum reliquis prædicabilibus. reliqua posita sunt loco differẽtiæ, nam per ea differt species ab eisdem: à genere quidem, quia hoc non est tota inferiorum essentia, sed pars; sicut item est pars differentia: á qua iterum differt species, quia illa prædicatur *in quale quid*, ac demum à proprio, & accidenti; quæ duo non sunt de essentia inferiorum suorum.

Colligo secundo, *speciem subijcibilem* aliam esse infimam, aliam subalternam: 691 species subijcibilis infima est illa, quæ ita subijcitur suo infimo generi, vt ipsa nullo modo, nulla consideratione possit esse genus, vt *homo*, quę subijcitur animali generi infimo (idest sub quo non sunt

sunt alia genera, sed solæ species infimæ) & quamuis consideretur vt prædicabilis, nequit esse genus; quia non habet inferiora plusquam numero distincta: & hæc est species, de qua potissimum in præsenti tractamus, & quam supra definiebamus in §. *species verò prædicabilis.* Species subijcibilis subalterna est illa, quæ quidem subijcitur generi alij superiori, sed taliter vt ipsa sit sub alia consideratione genus: quoniam habet inferiora specie distincta, de quibus vt pars eorum essentiæ prædicatur, & ita sunt omnia genera intermedia ab Animali inclusiuè vsque ad substantiam; & propterea dicuntur species subijcibiles, & subalterna genera, quia nimirum subduntur alijs generibus superioribus, vel saltem Generi generalissimo atque supremo substantiæ: id quod etiam adnotauit *S. Augustinus* cap. 7. Categoriarum suarum.

S. August.

Pro doctrinæ huius pleniori intelligentia interrogat quidam tria, aut quatuor. primo an, & quomodo, seu quanta distinctione differant inter se species subijcibiles infima, & subalterna? Secundo, quo pacto diffideant species subijcibilis, & prædicabilis? Tertio quæ nam earum constituat hoc prędicabile secundum, subijcibilis ne an prædicabilis? Quarto demum quid sibi velint illi ordinarij termini, quibus dici in præsenti materia sæpe solet, vniuersalia quædam differre *physice*, aut *quasi physice*, non *Logice*, siue quoad materiam substratam, subiectam, vel potius obiectam, & primam intentionem obiectiuam, vel vt vno verbo dicam cõsiderata secundum se, suamue essentiam, & vt sunt obiectum Metaphysicæ: non verò vt sunt obiectum Logicæ, & vt secundæ intentiones obiectiuæ nominantur?

692 Respondeo ad primum, speciem subijcibilem infimam, & subalternam superiorem eiusdem, nimirum, prædicamenti, physicè, aut quasi physicè distingui inter se essentialiter, & quasi includens, & inclusum, vt patet *in Homine*, quæ est infima species, & multum differt secundum naturam suam ab *animali*, quod est species superior subalterna; quia *homo* præter animal includit Rationale, per quod sine dubio essentialiter distinguitur ab animali. sed quoniam de ista distinctione quasi naturali, & physica, materialiter curat Logica, respondendum quoque fuit species infimas, & subalternas omnes superiores, non solum vnius, sed cuiusuis prædicamenti collatas inuicem in Logicæ consideratione solo quasi numero diffidere. Probatur, quia Logica abstrahit à materia, idest non attendit cuius naturæ sint sua prædicabilia, aut subijcibilia, siue subiecta; sed modum, quo ea prædicantur, & subijciũtur in propositionibus: sed modus quo subijciuntur omnes species subijcibiles, vnaquæq; superiori suo, est vnius rationis, & vniformis; ergo eæ non differunt Logicè plusquam numero, aut quasi numero. minor est euidens, siquidem *homo* subijcitur *animali* non secus, atque *color qualitati*, aut *animal viuenti*; & ita species reliquæ quæ omnes subijciuntur generibus suis, vt partibus suarum essentiarum, de quibus illa prædicantur *in quid ad modum per se stantis*.

Respondeo ad secũdum, speciẽ subijcibilẽ, & prædicabilem; siue rationes speciei subijcibilis & prædicabilis repertas in re eadẽ; nam sic procedit interrogatio, & difficultas; materialiter quidẽ esse eandẽ rem, & non duas; sed tamen subtili consideratione cum fundamento in ipsa re, partiri posse respectus transcendentales duos, nẽpe vnum subiectum, & subijcibilem ad superius; & alterum prædicabilem, & superiorem ad inferiora; & illum dicemus constituere speciem subijcibilem; hunc vero prædicabilem: & has differre inter se secundũ distinctionẽ illorum respectuum, idest, essentialiter; semper enim contingit eiusmodi constitutiuos respectus esse non solum physice, sed etiam Logice plus quam numero differentes propter terminorum respectorum differentias, & logicalium considerationum.

Probatur hæc veritas exemplificando, 693 *homo* v.g. simul est species subijcibilis, & prædicabilis, subiectum simul, & prædicatum, vt vides ibi. *Homo est animal*, *Petrus est homo*. est subijcibilis secundum quod subijcitur Animali ratione differentiæ *rationale*, quam homo includit; & qua contrahit in se, diuiditque *animal*, ac separat ab *irrationale*. est vero *homo* idem prædicabilis secũdum aptitudinem, & respectum, quem habet natura humana erga Petreitatem, & reliquas numerales differentias; & quoniam respectus ille

homi-

hominis ad *animal*, quod est *rationale*, differt essentialiter ab eiusdem hominis ad petreitatē respectu, qui est tota hominis natura, videtur etiam dicendum speciem subijcibilem, & prædicabilem, siue rationes speciei vtriusque repertas in eadem re distingui ratione, sed essentialiter, non solum quasi physicè, vt patet; siquidem, homo totus plus dicit, quam Rationale; sed etiam Logicę, siquidem diuersa valde, est Logicæ consideratio circa prædicatū, ab ea, quæ est circa subiectum, vt infra suo loco vberius declaratur.

Respondeo ad tertium, hoc prædicabile, siue vniuersale secundum, constitui per speciem infimam, seù specialissimam, athomam, & vltimam vulgò dictam, prædicabilem de indiuiduis solo numero differentibus, & eisdem aptam immediate inesse. Probant hoc, & approbant *Porphyrius* & Dialectici dum vocāt speciem prædicabile secundum, & vniuersale; & rationes duæ; prima est à paritate desumpta; etenim reliqua quatuor prædicabilia constituunt classes suas, vt prædicabilia; quid ni ergo species, constituet suam, vt prædicabilis? Secunda; quia sic oportet esse ad finem intentum, nempe vt eam de suis subiectis prædicemus, & sic demum proficiamus, ac scientiam de illis nobis comparemus perfectam; qualiter sine dubio acquiritur per prædicationem speciei, sicut & supra, & infra item acquiritur, & acquiretur per subiectionem speciei ipsius ad Genus, differentiam, Propium & accidens. constituit ergo prædicabile hoc *species*, vt *prædicabilis* non verò *vt subijcibilis*.

SECTIO II.

Diluit nonnulla obiecta contra Doctrinam traditam de Specie; vbi quid sit rerum possibilitas obiter indicatur.

694 Contra definitionem speciei arguis primo, anima in communi, & materia prima in cōmuni sunt rationes aptæ inesse pluribus differentibus numero, vt tota eorum essentia ad modum per se stantis, & sic prædicabiles de illis pluribus; & tamen species non sunt; quia sunt res incompletæ; ergo definitio supra tradita bona non est, siquidem conuenit alijs à definito. Respondeo prædictas rationes communes, & illis similes esse species incompletas, licet communiter, & meritò reijciantur à numero & classe specierum, quæ debent esse entia completa, vtpote ponibilia in recta linea arboris prædicamentalis. quocirca in definitione speciei subintelligendum sermonem esse de specie, quæ sit ens completum, quoniam sic placitū est Dialecticis, & S. *Thoma* supra num. 683. vnde ad formam argumenti concede maiorem, & minorem distingue secundum superiorem doctrinam, & quæ de natura entis completi dicemus ex nostra sententia à num. 982. S. *Thom.*

Arguis secundo sol, luna, mundus, fœnix, Angelus sūt species; & tamen non dicuntur nisi de vno quælibet; ergo species non bene dicitur esse, quæ prædicari potest de pluribus. Respondeo prædictas rationes esse species, quia licet non dentur de facto numero multiplicatæ, possunt dari, *ad quæ intelligendum*, inquit *S. Thomas* in 1. dist. 19. quæst. 4. art. 2. c. & 7. metaph. lib. 13. & in Opusc. 56. post medium, *quod Auicenna* 5. *metaph. suæ dicit quod tribus modis dicitur vniuersale. vno modo dicitur vniuersale secundum quod prædicatur de multis in actu, ita quod in multis reperitur, vt homo, alio modo dicitur vniuersale, quod possibile est prædicari de multis, non tamen prædicatur in actu, neque est in multis, neque aliquo modo extra animam*, siue intellectum, *vt domus octangula, quæ solum est in mēte artificis. tertio modo dicitur vniuersale quod non est in pluribus, sed in vno indiuiduo est, tamen sibi non repugnat esse in pluribus, vt Sol, & Luna, & similia.* quod si, vt velle videtur S. Doctor, impossibiles sint plures Angeli numero solū differentes, Angelus in communi erit tantum genus, & in eius opinione non erit species infima prædicabilis angelica, sed vnusquisq; Angelus erit sua species subijcibilis, physica, & logica; nam vt colligo ex ipso *S. Thoma* 1. par. quæst. 13. a. 9. cor. omne vniuersale aut prædicabile requirit multitudinem inferiorum. licet contradicat *Caietanus* de ente & essent. cap. 4. de Specie. S. *Thom.* S. *Thomas.*

Sed vrges soles, lunæ, mundi, & reliqua 695

liqua possibilia omnino sunt nihil extra Deum, & eorum possibiles entitates est sola diuina potentia, quæ illa potest concedere, sed diuina potentia non potest esse inferius, de quo prædicentur sol, luna, aut mundus; neque enim dici fas est Deus, siue Diuina potentia est sol, est luna, aut mundus. ergo nulla potest esse species, quæ actu non habeat inferiora plura, de quibus possit prædicari. occasione huius instantiæ dicam hic breui, quod sentio de rerum possibilitate, & declarabo quid sit creatura possibilis, contra quemdam amicum doctum Theologum, qui minus verè sibi persuasit illam nihil esse præter Deum creare potentem, non bene distinguendo de eo, quod actu est, & de eo quod potest esse, licet actu nihil sit.

Dico ergo primo. nunc hodie à parte rei sol alius possibilis similis præsentissimo huic, nihil est actu, quod est luce euidētius, quia nihil potest aliquid esse antequam fiat; datur tamen actu diuina potentia, à qua sol ille, possibilis dicitur inadequatè, non adæquate; Etenim sol ipse, de quo possumus. loqui. antequam sit. de se possibilis est, & potest esse, ac fieri, ita quod si fiat nulla sequatur cōtradictio,
S. Thomas. *dicitur* enim, ait pulchre *S. Thomas* 1. p. quæst. 25. art. 3. C. rem hanc declarando, *aliquid possibile, vel impossibile absolutè, ex habitudine terminorum. possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subiecto, vt sortem sedere. impossibile verò absolutè, quia prædicatum repugnat subiecto, vt hominem esse asinum.* & paucis interiectis concludit, *quæcunque igitur contradictionem non implicant sub possibilibus continentur.* atqui possibilia sunt, ac dicuntur adæquate à duobus, nempe à Diuina potentia, & ab ipsorum essentijs fieri non repugnantibus.

Quare, si petas quid est sol possibilis? dico esse id ipsum, quod esset, si iam esset; sicut sol præsens est id ipsum, quod erat possibilis, antequam esset, quando erat tantum possibilis, aut futurus. quod vt intelligas, superaddam notabilia duo, primum est, eam esse eminentiam intellectus humani, vt quasi præueniendo possit loqui de rebus per quasdam ampliatio-
696 nes, attribuendo prædicata rebus ipsis cōgrua, quamuis pro eo tempore res non sint; vnde vere dicimus *Adamus olim fuit, iam est præteritus; fuit Ilium; & antiqua Roma fuit; Antichristus est possibilis; & Antichristus est futurus. Deus potest creare plura, quam fecit.* Secundo aduerto Adamum, Ilium, Romam veterem, Antichristum, creabilia plura, de quibus ibi facta est mentio, nullatenus esse Deum siue Diuinam potentiam; sed aliqua extra Deum, patet euidenter, quia illa sunt obiecta quædam materialia, quorum aliqua credimus fide diuina, alia vero fide humana; fides autem nostra, dum circa ea versatur credendo, non credit diuinam potentiam, sed illa alia ab ipsa credit, ac credendo repræsentat, nempe illa, quæ significantur illis terminis, licet eorum nulla modo existant, vel quia præterierint, vel quia nondum sint. Consonat *Aristoteles* dicens 8. Phys. 16. & 12. metaph. 16. *actum, & potentiam esse in eodem genere*; vel esse idem; idest, rem possibilem, & ipsam existentem, vt explicāt *Conimbricenses*.

Et sane salua honorificentia, quæ debetur doctissimis viris, qui oppositum probabile putant, fortasse inconsideranter; credo aut esse certum ex fide, aut saltem, eidem valde conforme, res possibiles esse quid distinctum à Deo, nempe id ipsum, quod sunt dum existunt, de quibus nos loquimur attribuendo illis prædicatum *possibile*; quo itidē denotatur actu nihil esse. id quod colligo tum ex dictis & similibus propositionibus reuelatis à Deo, tum præsertim ex verbis illis Christi Domini apud Matthæum 9. à num. 27. vbi rem hanc veram esse, vel cæci viderunt, ibi. *& transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo cæci clamantes, & dicentes, Miserere nostri fili David; & dicit eis Iesus creditis, quia hoc possum facere vobis? dicunt ei, vtique Domine. tunc tetigit oculos eorum dicens secundum fidem vestram fiat vobis.* & quoniam alibi scriptum est Marci 9. *Omnia possibilia sunt credenti,* cōtinuo *aperti sunt oculi eorum.* Vnde elicio cæcos credidisse illud, quod significabat illis Christus Dominus pronomine illo *hoc*, nempe vesiuas potentias tunc tantum possibiles, quas anxie petebant supplices, & quas fieri posse à tanto Domino firmiter
crediderunt. 697

Quod si adhuc cōtendat quis istas propositi-

positiones, *beatitudo est possibilis, dies iudicij est possibilis, Antichristus est possibilis*, & alias similes, quæ vel sunt certæ secundum fidem, vel ex fide certis, euidenter inferuntur; esse loquutiones improprias; quia illarum subiecta actu nihil sunt, & nihil aliud sunt præter diuinam potentiam, cogetur fateri simili improprietate cōspergi has quoq; loquutiones. *Viri sancti beatitudinem consequentur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, & quotquot vsurpauit Christus Dominus in Euangelio, & Spiritus sanctus in sacra Scriptura. *Daniel, 13.42. Matth. 19. Luca 18. Marci 9.10 13. Ioan. 17. n. 5.* & alibi. vbi sermo est, aut de rebus possibilibus, præteritis, aut futuris, quæ in præsenti actu nihil sunt, & tamē illis dat Deus prædicata creata, aut creabilia, aut creanda, & subinde diuersa ab sua potentia. ex quo vlterius fit in nullo intellectu, nec in diuino posse esse scientiam præter eorum, quæ sunt. siquidem in huius Recentioris falso modo dicēdi, id, quod tantū possibile est, nequit esse subiectū, aut prędicatū alicuius veræ propositionis, aut propriæ, neq; verū actū scientiæ terminare, *quia quod non est, non scitur.* quocirca si Deo placet, iste tollet à Deo scientiā non solū possibiliū, futurorū sub cōditione, sed etiā futurorū absolutè, & solū cōcedet ipsi scientiā suę omnipotētiæ, atq; decretorū, quibus potest creare omnia, vel quibus aliqua creare, iam ab æterno decreuerit. nō considerās *quoniam Deus nō aliquid nesciēs fecit, quod de quolibet homine artifice dici nō potest. Porro si sciēs fecit omnia, ea vtiq; fecerat, qua nouerat*. vt pulchre prosequitur *S. Augustinus* tom. 5. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 10.

Aristotel. 6. Poster. cap. 2.

S. August.

Cōcludēs ergo dico secūdo, proprijssimas esse, ac euidentes propositiones, & multas certas secundū fidē, etiā si loquantur de subiecto, vel prædicato possibilibus, dūmodo ea sibi cōgruant & inter se vniātur, quia noster intellectus non adstringitur rebus existētibus in tēpore hoc, sed potest sine vlla fictione loqui de possibilibus, pręteritis, de futuris æque, ac de præsentibus; Vnde hæ propositiones, quæ ad præsens institutū pertinēt sunt proprijssimę, & pertinēt ad prædicationē speciei, *sol ille possibilis est sol, seu sons luminis. Alter mūdus est mundus.* quinimo & illę, quantumuis nulla domus octāgula esset in orbe. *Domus illa Regis cuiusdam, quam vt possibilem cognoscit quidam artifex, est Domus octangula, & similiter illa quam ego item possibilem agnosco, est Domus octangula.*

698 Quare neganda fuit maior argumēti, seu instātiæ; quoniā licet sol, luna, & aliæ creaturæ possibiles actu nihil sint, & ex illarū parte nihil videatur esse, nisi Deus creare potēs, ipsę tamē habēt entitatē nō actualē, seu existentē actualiter, sed tantū possibilē, aut possibiliter; vnde benè concordāt inter se istæ loquutiones, *sol possibilis nihil est actu*, (& sic eius esse actuale sciri non potest, nā falsa est hæc oratio, sol ille alter existit.) *nihil est actu ad eū solem pertinens nisi diuina potentia. Sol tamen ille potēs actu esse, est luminosus, est bonus, est creatura,* loquendo de sole præconcepto antequam fit, quasi præ comprehendēdo ipsius naturam, antequam fit, & sic de eo prædicando intrinseca sua, vti solet facere Deus & Angelus, & potest facere quotusquisq; sapiēs, rerū, quæ non sunt, præsentitor. vnde merito dixit supra *S. Thomas* cum communi Doctorum, solem, & lunam, & similia abstracta, & vniuersalia effecta, talia esse, non solum respectu inferiorum, quæ sunt sed eorum etiam, quæ possunt esse, & adhuc solum possibilia sunt.

S. Thomas.

Lege eundē S. Doctorē 1. p. q. 12. a 8. & 14. a. 6. c. sed prę sertim q. 25. a. 3. c. & q. 46 a. 1. ad 1. & Interpretes, & Scholasticos in locis vbi tractārūt de causa possibiliū; & quo modo à Deo ipso, & à Beatis possibilia in Deo videantur, & quot. speciatim videatur *Vasquez* 1. p. d. 49. 50. & 51. c. 2. & ibi *Augustinus*, qui cognitiones duas distinguit in Angelis, aliā, qua vident Deū, vt est prīcipium creaturarū; & hanc vocat *matutinam*; aliam, qua vident creaturas etiam futuras, & possibiles secundū ipsatū proprias rationes, quam dicit *vespertinam*. & disp. 104. super q. 25. a. 2. c. 3. à n. 9. & c. 4. vbi declarat enim. *S. Thoma* res possibiles non esse Omnipotentiam Dei, se tales vt ex se, & in se non implicent fieri, licet actu nihil sint; vt supra dixi vobis; neque fauet S. Doctor Aduersario, sed nobis, dum dixit 1. Perih. lect. 3. l. c. *rem præteritam. & futuram esse modo secundum quid*, idest secundū intellectum, vel obiectiue, in cognitione aliqua, res similes cognoscente. deinde fauet nobis *Aristoteles* sæpe alibi, sed speciatim 5. metaph. cap. 15. dicens *scientiam refer.*

S. Thomas.

S. August.

S. Thomas.

referri ad scibile, factiuum ad factibile, vbi fine dubio cognoscit esse aliquid illud, quod est terminus earum relationum. Siquidem relatiua sunt duo, consentit ibidem *S. Thomas*. S.Thom.

699 Tertio argumentaris contra primum illud responsum. species prędicabiles infima *homo* v.g. & subalterna *animal* differũt inter se essentialiter, nõ tantũ quasi physice, sed etiã logice, vt patet; quoniã illa prædicatur de pluribus solo numero distinctis vt tota eorũ essentia, hæc vero prædicatur de pluribus specie distinctis vt pars essentiæ ipsorũ; ergo similiter essẽtialiter differẽt species subijcibiles infima, & subalterna. cõfirmas etiam ex eo capite, quod species subijcibilis infima subest generi suo, vt tota essentia indiuiduorũ suorũ: species vero subalterna subest suo generi, sicut est, nẽpe vt pars essentiæ inferiorũ suorũ; ergo sicut illæ priores species prædicabiles, essentialiter differunt physice, & logice; similiter different, & istæ subijcibiles.

Sed respondetur concesso antecedenti, quod verum esse bene probant, quæ ibi afferuntur, negando consequentiam; & disparitas est clara: etenim species subijcibiles infima, & subalterna, quatenus prædicabiles essentialiter differũt inter se propter illam varietatem modi prædicandi assignatam in argumento. Sed tamen species omnes subijcibiles, vt tales eodem modo respiciunt sua superiora, nempe vt partes suæ ipsarum essentiæ; quod autem aliunde ex alio respectu, & capitulo species subijcibilis infima actu, & in se contineat prædicata essentialia plura, & integram essentiam indiuiduorum suorum; & species subalterna partem essentiæ suorum, idest, prædicata pauciora contineat, est quid materiale, & præter intentionem logicæ considerationis versantis circa species subijcibiles: quæ solum per se considerat modum subijciendi, quem esse eundem siue vniformem ostendi Sect. superiori, §. *Respondeo ad primum*.

Arguis Quarto contra responsum secundum, in quo statutum fuit speciem subijcibilem semper, & vbique differre essentialiter à prædicabili, sic obijciendo. ea, quæ sunt vna res, non possunt esse duæ essentialiter distinctæ; sed species subijcibiles sunt vna res, ergo non sunt duæ; & multo minus distinctæ essentialiter. Respondeo distinguendo maiorem, ea quæ sunt vna res omnimode, hoc est, realiter, & formaliter, non possunt esse duæ formaliter, neque realiter, concedo maiorem, ea, quæ sunt vna res realiter, non possunt esse duæ formaliter. nego maiorẽ.

Declaro distinctionẽ, *homo* realiter, aut quasi realiter sumptus, realiter est vna res, 700
sed quia fœcunda res est, à nostro intellectu partitur quasi in duas res, nempe in *animal*, & *rationale*, quæ sunt duæ formalitates, & quasi duæ res essentialiter distinctæ post intellectum, & per ipsum. ita in proposito species *homo* v.g. licet sit vnumquidpiam, consideratus tamen, vt subest *animali* per ordinem transcendentalem, quẽ habet erga illud, dicitur, & est species subijcibilis; consideratus vero, vt est supra indiuidua inferiora, per ordinẽ ad ipsa, est species prędicabilis; qui ordines sunt duo non realiter, sed formaliter inter se differẽtes, sed sufficientes diuersificare quoq; essentialiter speciem subijcibilem à prædicabili, siue rationem illius à ratione huius; vt perspicuè declarabam supra nu. 692. §. *Respondeo ad secundum*.

Contra responsum tertium arguit *Vallius*, qui in sua magna Logica, vbi *de specie* quæst.1.c.3. sibi persuasit ab specie subijcibili constitui hoc prædicabile secũdum, nobis imprimis opponendo *Aristotelem* aientem 1.Top.cap.c.4. *speciem esse commune subiectum*. Species ergo semper est subiectum inquantum species est, & sic semper subijcibilis. deinde rationem: hanc; quoniam species dicitur, & talis est à *specificando*, & determinãdo, sed specificat, ac determinat solũ genus, cui subijcitur; ergo species cõstituitur in esse talis per relationẽ subiectionis ad genus. & hanc ob causam *Porphyrius* loquens de specie subalterna dixit ordinem, siue relationem eius ad inferiora conuenire illi, nõ quatenus species, sed quatenus genus est; & ideo animal v.g. non dici speciem propter habitudinem ad inferiora sua, sed tantũ genus, ergo species talis nũcupatur, & est, quia subijcibilis est; & quatenus talis constituit hoc vniuersale secundum, & non vt prædicabilis. Aristotel.

Respondeo vera dixisse *Aristotelẽ*, sed loquutũ fuisse de specie, vt subijcibili, quę vt nomen præsefert, semper vt talis, est subiectum, & ideo dixit in 4.Topic. cap.2. paulo post initium, *nam omne superius genus* Aristotel.

nec prædicari oportet de specie in eo quod quid est, sed vero non refugit idem Philosophus appellare speciem quoq; prædicabilem, vt legis in eodem c. 1. & 2. ibi, *de pluribus enim semper genus, quam species prædicatur. & de quibus prædicatur species & genus oportet prædicari*. & locis allegatis supra num. 689.

701 Ad rationem dic concedẽdo speciem dictam ab specificando, sed nõ propterea ea debuit stare pro subijcibili semper, aut hic. lapis quoque dictus est, vt ait S. *Thomas* 1. p. q. 13. a. 8. c. à *lædendo pedem*, & tamen nõ opus est quod lapis omnis pedem læserit, vt id nomen habeat. ita potuit speciei nomen trahi ad significandam speciem prędicabilem, dato quod in sua primæua institutione, pro sola subijcibili iuuentum fuerit propter rationẽ argumẽti; nisi quis quoque putet speciẽ item prædicabilem specificare indiuidua sua, quibus cũ cõponit cõposita metaphysica, quemadmodũ rite dicitur non solum formas specificare materiã primã, sed & vicissim formas specificari à materia propter extremorum eorum connexionem mutuam. Et quidẽ tota hæc doctrina est conformis *Porphyrio*, qui in hoc capite de specie, non solum definiuit speciem subijcibilem, sed etiam prædicabilẽ, quam simpliciter vocauit speciem, & cuius vsus, & vtilitas à nobis cõmendatur supra Sect. præcedenti, §. *respondeo ad* 3. vnde de prædicabili hic debuit tractari; de subijcibili vero dictum est, quando agebamus de genere, cuius ea est correlatiua, & subiectum.

Aliter tamen dicendum videtur de specie subalterna, quia id nomen signate, ac de industria positum est generibus, non inquantum genera sunt, sed inquantum superiorum generum species subiectę sunt, id quod innuit nomẽ *subalterna*, quod necessario additum fuit speciei, vt nunquam nos appellemus genera species nude, sed species cum addito, idest, subalternas, aut subalternatas; quia iam vsus obtinuit, vt in acceptione communiori *species* stet in scholis *pro prædicabili*, nisi aliud addatur, sicut *Apostolus* stat *pro Paulo*. quocirca bene dixit *Porphyrius* cõuenire generi rationem speciei, non per ordinem ad inferiora, sed per ordinem subiectionis ad superiora genera; quoniã loquebatur de specie subalterna; & ideo negãdæ fuerunt cõsequentiæ. ac tenendũ speciẽ vt prędicabilem, cõstituere hoc vniuersale, aut prædicabile secundũ; siquidem & ipsũ est vnum & principale ex prædicabilibus quinque, nempe quatenus est *vnum aptum esse in pluribus numero solũ differentibus, quorum est tota essentia in eo quod quid ad modum per se stantis*, non vero quatenus est quid, quod ponitur sub genere, & de quo genus in eo quod quid est prædicatur; præsertim cum hic sermo noster fuerit de specie infima potissimum, non ita, de subalterna. 702

SECTIO III.

Exponit Effata aliquot Philosophi circa Speciem; ac docet ipsam, vel ipsius prædicationem nihilo distare à Definitione, seu Definitionis prædicatione; & remittit alio logicales considerationes, & regulas de inuentione, Fabrica, & vsu speciei; vbi quo pacto ipsa sit quoque genus.

Ad pleniorem notitiã speciei aduerterem primo, prędicationẽ speciei esse perfectissimã scientiã, ac perinde valere, ac prædicationẽ definitionis, vt apparet ibi, *Petrus est homo*, quę ęquipollet illi, *Petrus est animal rationale*. quod credo esse conforme *Aristot.* & cõmuni Dialecticorum propter duo. primo, quia species vulgo dicitur esse tota essentia indiuiduorũ, de quibus prædicatur; at tota essentia est genus, & differẽtia, quibus cõstat omnis bona definitio. Secũdo quoniã puto ab *Aristotele* confũdi speciẽ cũ definitione, quã appellat *terminũ*, quia rei definitæ essentiã vndequaq; circũcludit, vt exponit sępe *S. Thom.* speciatim in 5. met. lect. 19. l. B. & 1. Perih. lect. 4. & alibi. legatur itẽ *Arist.* in 1. Top. cap. 4. & 7. sub titulo de *termino, proprio, genere, & accidente*.

Quare species, idem est quod rei definitio, aut terminus; & idem *homo*, quod *animal rationale*, sicut sunt idem definitũ, ac definitio. quod me docuit in primis *S. Augustinus* de Categorijs c. 7. ibi, *genus ergo & differentia speciem significantur*. deinde *Porphyrius* c. 4. de differentia, & *S. Thomas* dicens 1. p. q. 29. a. 1. ad 3. *quid definitio complectitur principia speciei*, idest genus & differentiam, quæ sunt elementa, &

703 & partes quibus constat species. & in 1. dist.25. q.1.art.1. vbi ex *Aristotele* allegato ibi 4.metaph. tex.28.dicit *definitum ac definitionem esse idem*; atque nec ratione distingui verè opinatur *Cardin. Sarnanus* in suo Directorio Theologico.

Neque huic veritati obstant duo, quæ afferri in contrarium possent; primum est, vniuersale quoduis enunciari debere voce vnica simplici, & incomplexa; quoniam licet hoc ad melius esse, non simpliciter, aut necessario requisitum est, dum tamen voces plures, quæ vniuersale significaturæ sint, rem simplicem significent; & sanè nō rarò Dialectici, & alij Doctores ob inopiam vocabulorum simplicium, significāt genera & species voce complexa, vt legis in *Aristotele* sæpe, speciatim 4.Top.c.1.& in *Porphyrio* hic, & in verbis *S. Thomæ* relatis Sect. præcedenti, vbi cum *Auicenna* vsurpat pro specie quadam domorum, vocem complexam, *est angula domus*.

Neque obstat secundum, nimirum quod vulgo dici soleat definitum ratione differre à definitione; cum ergo species non rarò soleat esse definitum, quinimo dicat *S. Thomas* Opusc.3.cap.26. & 5.metaph. lect.4.fine lit.F. & lect.8. fine lit. V. speciem solam propriè definiri, & consectarie dixerit prius *Aristoteles* in 4. Topic. cap.2. fine, *videtur enim genus, & differentia sequi quamdiu fuerit species*, quoniam *conuersim prædicatur* definitio, & definitum, vt ait ipse Philosophus 5.Top. c.7.in pricipio; necessario videbitur alicui dicendum, quod species ratione debeat differre à definitione, quam distinctionem præ se ferre videntur illæ voces differētes, *homo est animal rationale*. Vbi homo significat quasi totum; *animal* vero *rationale*, partes totius, easque multo clarius, at item dicitur communiter partes totius ratione saltem à toto suo distingui.

Dico tamen persistendo in incepto, speciem, ac definitionem idem omnino esse obiectiue, nempe *hominem, & animal rationale*, sicut idem omnino est definitum, ac definitio; dici vero posse ea duo differ-
704 re primo per extrinsecam denominationem, idest grammaticaliter, & vocibus tenus, siue nominibus, quia *homo* v.g. dicitur species, ac definitum, *animal, autem rationale* dicitur definitio; & *homo est* vna vox, & *animal rationale* sunt duæ. secundo differre quoque dici potuerunt ratione, item per extrinsecam denominationem à ratione, quæ est actus intellectus definiens sic, *homo est animal rationale*, qui necessario vt sit perfecta sciētia, ac mentalis definitio (vt me docuit *S. Thomas* 1. par. quæst.85. art.3.ad 3.) debuit clarius penetrare prædicatum, quam subiectum, idest clarior cognitio esse, vt repræsentat hominem ex parte prædicati, quam vt ipsum repræsentat ex parte subiecti, ne sit propositio identica, & ad scientiam inutilis, aut parum vtilis, quin tamen propter eam clariorem cognitionem eluceat, aut fiat aliqua distinctio in obiecto; quod credo demonstrasse me ad finem 1. libri Physicorum, quando contra quosdam Neotericos ostendi cum *Aristotele nihil aliud esse præter partes totum*, præter nomina extrinseca, varia, & infra num. 1011. vbi dicam definitum, ac definitionem omnino conuerti iuxta *Aristotelem*, & communem Dialecticorum. legatur interim *S. Thomas* in 1. dist. 25. q.1. a. 1. ad 2. & ibi *Aristoteles*.

Secundo aduerto ad varia quasi axiomata Philosophi circa speciem. dicit enim 4. Top.c.1. *species participant genera, genera autem species non*, idest species vltra differentiam constat quoq; genere suo; vt *homo*, qui constat *animali*, quod est suū genus, & differentia *rationali*. at vero genus altius, & liberius est, & species suas actu non continet, licet contineat sub potentia. vnde dictum est genus, vt bene aduertit ex *Arist. S. Thomas* in 5. Metaph. lect 4.in fine lit. F. & in 11. lect.1. fine, magis elementum, quam species, tum quia est magis simplex conceptus, tum præsertim, quia plurium Metaphysicorum compositorum est compars, & pluribus communicatur, quā species. *de pluribus enim*, inquit Philosophus 4.Top. c.1. *semper genus, quam species prædicatur*, vt planū fit cōsideranti *animal* genus, & *hominē* speciē.

Rursus species *homo*, & similes dicitur 705
ab *Aristotele* & *S. Thoma* in 3.met.lect.8. lit.I. *vltima*; & à *Porphyrio* cap. de specie *specialissima*, & *infima*, quia vltimo immediate, & propinque insunt indiuiduis. Sed vero longe alio distincto sensu appellantur quoque *vltimæ species substantiæ Socrates, & Coriscus*, & reliqui singulares homines, nimirum, quia vlterius non diui-

diuiduntur in alias species, sed in his sistit vltimo infima, & vltima species, quæ vltimo diuisit genus *animal*, ab eodem *Aristotele* lib. 10 de partibus animalium c. 4. circa principium. Iureconsulti extare inquiũt eadem in Specie, quæ extant eadem numero.

S. Thomas. Tertio dixit *S. Thomas* vbi supra in 5. metaph. lect. 4. lit. F. ex mente Philosophi, *Sed definitiones propriè dantur de speciebus*, quoniam cum omnis bona definitio constet genere, ac differentia, vt tradit *Aristotel.* *Aristoteles* in 7. metaph. cap. 14. & sæpe alibi, quod vtrumque perfectissime, vt elementa principia intrinseca, & cõpartes cõstituentes sui essentiam, complectitur species; & idcirco proprius definiri potest; & vt circumfertur dixisse *Aristotelem species facilius, quam genus definitur*: quoniam hoc si proprie definiendum erit, non vt genus est, sed vt species subalterna cõsiderandum fuerit, vt supra se habeat aliud superius genus, & definitio eius tradi possit per proprium genus, ac differentiam. *S. Thomas.* quod item annotauit *S. Thomas* in eadem lect. 4. proxime allegata; & ratio quoque videtur esse ea, quam insinuat *Aristoteles* *Aristotel.* in 2. Poster. cap. 15. initio docens minus vniuersalia facilius definiri vbi *facilius* inquit, *est singulare definire, quam vniuersale, quapropter oportet à singularibus ad vniuersalia transire, æquiuocationes etenim magis latent in vniuersalibus, quam indifferentibus*, cum ergo *species* accedat proprius ad singularia, quam genus facilius illa definietur. Quo pacto autem verũ sit, proprium, quod est quartum prædicabile conuenire per se primo speciei, & deinde per se quoque, sed secundo in- *S. Thom.* diuiduis, dixit *S. Thomas* Opusc. 49. cap. 7. & nos infra num. 749. *§. circa literam*.

706 Quarto *Aristoteles* in 7. metaphysicæ, vt refertur a *S. Thoma* in illo Opusc. & c. 7. *S. Thomas. Aristotel.* & 1. par. quæst. 78. art. 4. ad 1. dicit *quod species rerum sunt sicut numeri*, idest reperiri non posse duas, vel plures species, aut res specie differentes, quæ sint in perfectione æquales: quemadmodum enim numeri se excedũt semper in aliqua saltem vnitate, vt apparet in Binario, Ternario, Quaternario, & subsequentibus, ita se excedunt species in perfectione, & ideo dicitur *sub genere latere æquiuocationes*, idest, species cum prędicto excessu. an verò hæc Philosophi doctrina vera omnino sit, examinatur alibi à Philosophis, & Theologis, dum hi supponunt tres diuinas personas quasi specie differentes esse, & tamen omnino æquales esse. nos hic ab his quæstionibus à logico instituto alienis abstinemus. Videat qui volet *P. Arriaga* disp. 1. de anima sect. 8. & ibi *Themistas, Vasquez, & Suarez*.

Quinto tria hic dicenda supererant. primum est de inuentione, & fabrica speciei. Secundum, de ipsius vsu in prædicationibus. Tertium, quo pacto sit ipsa genus; & an hæ prædicationes *homo est species*. *leo est species*. & similes pertineant ad genus; sed quia de primo, & tertio alibi abũde diximus & dicemus, speciatim infra à num. 765. & 774. ac de secundo, n. 1013. hic supersedemus.

SECTIO IV.

Declarat breui totam doctrinam de Indiuiduo; vbi quid sit, & quotuplex, & quo modo speciei sit correlatiuum.

Indiuiduum in communi largissime, & communissime sumptum, vt colligo ex *S. Thoma* 1. par. quæst. 29. art. 4. corp. *S. Thomas* iuncto cum eo quod docet 10. metaphys. lect. 1 in fine, definiri, *quod est in se indistinctum, ab alijs vero distinctum*, idest, indiuiduum est res, quæ diuidi nequit in alias res eiusdem nominis, aut rationis, & quæ non est alia res. vt *Petrus*, qui nec diuiditur in Petros plures, neque est Paulus, aut Franciscus. ita quoque largissimo licet modo dici potuit indiuiduum, quæcumque res, vel etiam vniuersalis, quatenus quidpiam modo dicto indiuisum est in se, & ab alio quolibet diuisum, siue diuersum; & quidem *S. Thomas* in lect. 10. exemplificat in specie infima, quam vocat indiuiduam, quia in alias species diuidi non potest.

Duplex imprimis distinguitur indiuiduum, aliud dicitur *primo intentionaliter*, alterum *secundo intentionaliter*. illud est quæcunque res considerata secundum suã naturam, & prædicata tam physica, quam metaphysica, vt nimirum est obiectum metaphysicæ. indiuiduum vero secundo

 inten-

707 intentionaliter est res quælibet considerata secundum quod habet aliquod prædicatum quasi simplex illi communicatum ab intellectu, siue quod rei illi non conuenit nisi post operationem intellectus, vt *Homo* quatenus prædicabilis, aut *Petrus* quatenus subijcibilis, & vt subest speciei aut generi; nempe indiuiduum hoc modo secundo, est quæcunque res secundũ quod est Logicæ obiectum consideratũ in ipsa vel rationem subiectionis, vel prædicationis, aut vsum alterum logicum, nempe illud quod dicitur *subiectum, prædicatum, genus, species*, & huiusmodi.

Deinde indiuiduum *primo intentionaliter* est triplex. primum est *physicum*, quod item dicitur singulare *signatum*, ac *determinatum & hoc*, à S. *Thoma* 1. parte q. 30. art. 4. corp. & ab *Aristotele ultima species substantiæ*, quia in vlteriores non diuiduntur lib. 10. de Partibus animalium, cap. 4. & à Porphyrio cum communi describitur cap. de specie circa finem, esse illud *cuius proprietatum collectio nunquam eadem in alio erit, vt Socrates, hoc album, hic veniens, illa Petri manus*, nam partes etiam præcipue substantiales, audet vocare indiuidua S. *Thomas* 3. p. quæst. 16. art. 12. ad 2. sunt ergo indiuidua physica omnia illa singularia, præsertim, vt loquitur S. Doctor 1. p. q. 29. a. 1. c. quæ sunt de prædicamento, *aut genere substantiæ*; quorum vnumquodque habet proprietates suas, quæ eædem numero alij nunquam conueniunt, eædem autem specie raro, eæ vero illo duplici carmine continentur.

S. Thomas.
Aristotel.
S. Thom.

Forma. Figura. Locus. Tempus cum Nomine sanguis.
Patria. sunt septem, quæ vix habet vnus, & alter.

Idest qualitatum complexio; tempeties, siue mistura cum oris colore; facies, & cõpositio membrorũ; locus natiuitatis, ac tempus, nomen, & genus, vnde quis trahit originem, & Patria non solent esse omnino similia, vt in plurimum, neque omnino eadem possunt esse in pluribus, vel etiam in duobus. Vnde merito dixit *Aristoteles* 2. Poster. c. 8. *multæ enim differentiæ insunt eisdem speciei*, hoc est indiuiduis physicis; *sed non secundum substantiam, neque per se*. sed hæc indiuidui descriptio curta est; quia non conuenit nisi indiuiduis substantiæ.

Aristotel.

Rursus hoc physicum indiuiduum conantur definire *Aristoteles*, & S. *Thomas* 1. Periher. cap. 5. initio, & hic iterum Porphyrius dicentes, illud esse *quidquid de vno solo particulari prædicatur, & de quo prædicatur species, & quod sub specie specialissima, vt pars, siue vt inferius ipsius continetur*; vt apparet ibi. Plato est Plato. Plato est homo. dico hoc esse indiuiduum primo intentionaliter, licet positum in propositione sit, quoniam nihil est secunda intentio obiectiua, quoadusque per cognitionem plerumque reflexam cognoscatur vt subiectum, vt prædicatũ, vt genus, vt species, & huiusmodi aliter, nempe hæc nomina significant primas intentiones *Petrus, hic homo, ille albus est veniens, homo, animal, Persona, singulare, indiuiduum*, & reliqua quæ imposita sunt ad significandas naturas rerum. illa autem significant secundas intentiones *subiectum. prædicatum. genus. species*. & huiusmodi, vt pulchre animaduertit S. *Thomas* 1. p. q. 30. a. 4. corpore, & nos ex ipso, & cum ipso supra numero 249. & infra nu. 1063. 708

Aristotel.
S. Thom.
S. Thomas.

Sed vero quoniam difficile admodum est comprehensiue scire singularia, & indiuidua physica, nos adhuc non scimus definitionem aliam supra dictis descriptionibus commodiorem, præsertim dum ob rei difficultatem vetuerit *Aristoteles* 7. Metaphys. capit. 15. indiuiduum definire, quod si ipse quoque dixerit cap. 2. Anteprædicament. & capitul. 1. de substantia, indiuiduum nullum dici de subiecto aliquo, ac de nullo posse prædicari, vere dictum puta de prædicatione propria, & formali; qualis est prædicatio superioris de inferiorio; non enim exclusit *Aristoteles*, quasi impossibilem hanc prædicationem *Petrus est Petrus*, licet eam credam esse parum vtilem, possibilem tamen, & pro libito nostro factibilem esse quis ambigat? siquidem *ab actu ad potentiam valet ritè consequentia*.

Aristotel.

Secundo, indiuiduũ primo intentionaliter aliud est, ac dicitur metaphysicum, nimirum *quod constat ex natura sua specifica, aut quasi specifica, & singularitate, siue hæcceitate*, vt *Petrus*, qui constat natura humana, & Petreitate, vt dilucide declarabamus supra numero 658. & 678.

Ter-

709 Tertium indiuiduum dicitur *vagum*, quod est collectio singularium disiunctiue sumpta, qualiter intelligitur audita illa voce, *aliquis homo*, quæ significat omnes homines disiunctiue sumptos; & ideo diximus supra num. 303. illam propositionem *aliquis homo currit*, æquipollere his suis resoluentibus, & exponentibus, hic homo currit, vel hic homo currit, & sic reliqui singulares omnes. & iuxta hunc sensum de indiuiduo vago procedunt aliqui Recentiores, qui cum *Tolsto* in q. vltima vniuers. opinati sunt significatum illius termini non esse rationem communem, sed collectionem illam indiuiduorum hominum, importatam disiunctiue. & pro tuendo hoc modo dicendi adnotanda fuerunt duo diligenter. primum est à nomine indiuidui vagi *aliquis homo*, non significari rationem communem, qualiter significari solet nominibus *homo*, *vel persona*, sed multitudinem illam quasi communem confuse tamen, & indeterminate hoc est disiunctiue. secundum est. in eo differre indiuiduum vagum à determinato, quod hoc sit quid designatum, & facilius cognitu, illud non item.

Quare dum audimus dicere *aliquis homo currit*, licet certo sciamus cursum determinate ab aliquo fieri, & cursum, & eius causam de se esse res certas, & determinatas, quia res de se vagæ non sunt, neque indeterminatæ; dicitur tamen ille *aliquis homo* vagus, & confusus per denominationem extrinsecam à nostra imperfecta cognitione, quæ confuse cognoscit currentem, nesciens determinare quis ille sit; & ideo suam imperfectionem palam fecit illis verbis confuse, & vage rem significantibus, *aliquis homo currit*. tota ea doctrina vera esset, si nō negaret significari item solere ab eodem termino rationem communem declarandam inferius.

710 Indiuiduum secundo intentionaliter est, item triplex. primum est indiuiduum in cōmuni abstractum ab omnibus indiuiduis singularibus, quod vt sic est *vna ratio cōmunis pluribus distinctis numero, & specie, ac prædicabilis de eisdem vt tota ipsorum essentia admodum perse stantis, & in eo quod quid*, vt vides in his prædicationibus, & similibus Petrus est indiuiduum, Bucephalus est indiuiduum, & quidam color indiuiduum est.

Sed vero hæc ratio communis licet reductiue pertinere possit ad speciem, non est tamen proprie species; quia non componit metaphysice cum inferiorum suorū differentijs, vt solent componere prædicata, & quæ proprie prædicabilia sunt; sed transcendit illorum vltimas differentias; quatenus indiuiduum in communi, quod dicit in suo conceptu naturam specificam indiuiduorum in communi, & item eorum differentiam indiuidualem item in communi, includitur in Petro totum, natura communis in natura Petri, & differentia communis in Petreitate, eiusmodi autem inclusionē, & transcendentiā obstare quominus ratio aliqua sit prædicabile propie, dicemus inferius a n. 977. quare non credo *Caiet.* dicēti 1. p. q. 30. a. 4. indiuiduum esse sextum, aliudque distinctum prædicabile. & sane rationem communē hanc indiuidui debēr admittere quotquot admittunt rationem communem Personę, *quæ definitur rationalis natura indiuidua substantia*, qui sunt plurimi, quos refert: & sequitur *P. Vasquez* 1. p. d. 130. c. 1. & 2.

Secundum est particulare, *& singulare, quod subest speciei, & est ipsius correlatiuum*. vt ibi, *Petrus est homo*, vbi *Petrus* vt est, ac dicitur subiectum, ac respicit hominem, & ab eo respicitur dicitur indiuiduum secundo intentionaliter, idest cognitum per cognitionem vt habens subiectionem ad speciem, & ita quod ipsa de eodem queat prædicari, & non iam, vt est animal rationale, aut quid pertinens ad eius physicam, vel metaphysicam primariam essentiam, & constitutionem; secundum quam vocabamus Petrum eundem indiuiduum primo intentionaliter, supra §. *deinde*.

Tertium est indiuiduum vagum item in communi, idest ratio quædam cōmunis, quæ significari potuit ab illo termino *aliquis homo*, vti docuit nos *S. Thomas* 1. p. q. 30. a. 4. corp. de potētia q. 9. a. 2. ad 1. & *P. Rubius* c. de specie, quod ita verū putauit *Hurtado* d. 9. Logica sect. 9. vt eam rationem, vniuocam, & speciem dixerit, eo enim ipso, quod quilibet homo sit aliquis homo, (& idem dicendum de re alia quapiam singulari, & indiuidua) potuit ab intellectu abstrahi ratio alicuius hominis in cōmuni apta inesse hominibus singularibus vage sumptis, & prædicabilis de ipsis, vt si dicas 711 S. Thomas.

Petrus eſt aliquis homo, intelligẽdo ex parte prædicati non idem, quod ex parte ſubiecti, ſed aliquid minus, ideſt, rationem communem prædicabilem, vt totam eſſentiam; ſed tranſcendentem, & ſolum reductiue ſpeciem; vti de ratione altera indiuidui dictum iam eſt.

Quando autem terminus *aliquis homo* ſignificet eiuſmodi rationem communem, quandoue collectionem indiuiduorũ ſubdiſiunctione, collige ex circumſtantijs, & aduerte eundem terminum, vt ſignificat rationem communem, re ipſa, & in actu exercito vagum non eſſe, pluſquam de nomine, & in actu ſignato; quia ratio cõmunis per ipſum ſignificata determinata res eſt, & ſolo de nomine dicta indiuiduũ vagum.

Poſtremo indiuiduum in cõmuni, quod proprie indiuiduum eſt, aliud eſt metaphyſicum, aliud logicum. metaphyſicum indiuiduũ eſt, quod alio nomine dicitur indiuiduum quoad eſſentiam, & ſupra declaratũ eſt §. *ſecundo*; & nuncupatũ primo intentionaliter, & obiectum Metaphyſicæ. vnde indiuiduum titulo duplici dicitur metaphyſicum, primo, quatenus intelligitur cõpoſitum gradibus ratione diſtinctis facientibus in ipſo compoſitionẽ metaphyſicam ſupra explicatam. ſecundo quatenus eſt obiectum actus metaphyſicæ ſcientiæ ipſum definientis, vel aliquid eſſentiale in ipſo contemplantis.

712 Logicũ verò indiuiduũ eſt id ipſũ, quod ſupra §. *duplex*, dictũ eſt ſecũdo intẽtionaliter, & indiuiduũ, quoad ſubiecti rationẽ, & §. *rurſus* amplius explicatũ, & quidẽ in præſenti, quando tractamus de indiuiduo ſpeciei infimæ correlatiuo, potiſſima intẽtio noſtra fuit declarare indiuiduũ, quod ſimpliciter tale eſt, nempe ſingulare, vt *Petrus*. hic leo. ille color. iſte calor. & ſingularia huiuſmodi, quæ hic à *Porph.* & alibi ſæpe ab *Ariſtotel.* & *Platone* propter numeroſam multitudinem dicuntur eſſe infinita, & ſcitu impoſſibilia; & idcirco neceſſarium duxerunt inuentare vniuerſalia, vt indiuiduorũ generalis aliqua notitia à nobis hominibus in vita hac breuiſſima haberi potuiſſet, vt iam animaduerti ſupra contra *Nominales* n. 538. §. *ſane*. ad alia tranſeamus, nam ex dictis ſufficienter argumẽta, quæ poſſunt obijci, dirimentur, legat qui plura volet *Damaſ.* in c. 8 Logicæ ſuæ, & indicem *S. Thomæ* V. *indiuiduum*.

Ariſtotel.

S. Thomas

QVAESTIO VI.

De Differentia tertio prædicabili, interpres ſuper caput quartum Porphyrij; vbi prius de varijs differentiæ diuiſionibus.

Caput iſtud Porphyrij quaſi diuiſum eſt in duas partes principales; in prima poſuit ille quinque diuiſiones differentiæ. in ſecũda totidẽ definitiones ipſius. ergo in primis diuiſit differentiã in cõmuni *in cõmunem propriã & proprijſſimam. communis eſt accidens quoddã ſeparabile, per quod vna res differt vtcumque ab alia*, vt quies, qua differt homo quietus ab inquieto, & *magnitudo*, ſiue maior ætas, aut temporis decurſus, quibus differt Socrates à Platone, vel etiam *à ſe ipſo puero exiſtente & viro facto*, & ita quoque eſt quælibet alia *alteritas* accidentaria, quæ multis cõmunis eſſe poteſt, & ſolet. Propria differentia eſt *accidens inſeparabile, qua differt vnum ab altero.* vt *cæcitas, naſi curuitas, & cicatrix*, per quas differunt homines eas habentes ab eas non habentibus. Proprijſſima demum differentia, quæ appellatur communiter ſpecifica, & eſſentialis eſt illa, *qua mediante res vna differt eſſentialiter, & ſpecie ab altera*, vt rationale, hinnibile, ſenſibile, volatile radicale, & huiuſmodi innumerabiles aliæ, quę conſtituunt varias beſtiarum ſpecies, diuiduntque in ipſas animal genus.

Deinde differentia, vt notat quoque 713
S. Thomas 3. p. q. 2. a. 3. ad 1. alia eſt, *quæ facit alterum ſiue alteratum*; quomodo ſunt omnes communes, & proprię, & conſequenter omnes differentiæ accidentales, & extra eſſentiã rei, cuius ſunt differentiæ; alia eſt, *quæ facit aliud*, videlicet in eſſentia, vt eſt differentia proprijſſima omnis, & ſola. inſuper hic addi poteſt quod eſt duplex differentia, quæ facit aliud, nimirum alia phyſica; alia metaphyſica; phyſica eſt illa, quæ cõponendo cõpoſitum phyſicum illud differre facit à quolibet alio, vt ſunt animæ rationales, equinæ, & formæ ignis, & ſimiles. metaphyſica verò eſt, quæ ſimiliter cõponendo cõpoſitum metaphyſicum ipſum differre facit ab alio quolibet; quales ſunt rationale, rugibile, & huiuſmodi, quæ ponuntur ad latus in prædicamento.

S. Thomas.

Ter-

Tertio diuidit differentiam *inseparabilem* qualis est cõmunis, quæ separari potest, & solet a subiecto, cui inest, vt *quies*, & *somnus*, separantur à Petro, & *inseparabilem*, quæ separari non potest a suo subiecto; qualiter sunt differentiæ propriæ, vt *cæcitas*, *visibile*, & similes; & proprijssima, vt *rationale*, *sensibile*, & huiusmodi.

Quarto subdiuisit differentiam inseparabilem; aliæ enim, inquit, sunt *inseparabiles per se*, vt *rationale*, & quotquot ita pertinent ad rei essentiam, vt ea sine illis esse, aut intelligi integra non possit, aliæ sunt *inseparabiles per accidens*, quomodo sunt *cæcitas*, *cicatrix*, *oculi*, & aliæ potentiæ, siue passiones rei connaturales quidẽ, sed quæ absolute abesse, aut intelligi possunt abesse sine corruptione essentiæ rei. Huc videntur spectare illæ solemus differentiæ Animalis, quas item congessit S. August. *S. Augustinus* afferendus, nempe *gressutil*, siue *gressibile*, *bipes*, *volatile*, *aptum ad nauigandum*, & similes.

Quinto diuisit *Porphyrius* differentiam in *constitutiuam*, & *diuisiuam*. Constitutiua est illa, per quam genus constituitur in sua essentia, vel etiam species aliqua in sua, vt *sensibile*, quæ constituit Animal, & *rationale*, quæ Hominem. vnde vides eiusmodi differentias deseruire definitionibus conficiundis; nam Animal definitur *viuēs sensibile*, & homo *animal rationale*. Diuisiua vero differentia est, quæ diuidit genus suum in species eius, vt *rationale*, & *irrationale*, quarum illa distinguit animal contrahendo ipsũ, à quolibet irrationali, & ita proportione sua sunt, & faciũt reliquę.

714 Hic nota duo. primum est, easdem differentias simul esse diuisiuas generis, & constitutiuas obiter specierum, siquidem *rationale* diuidit *animal*, & simul cum ipso speciem constituit. secundum est, plures ex enumeratis differentijs solo intrese nomine dissidere, & sic easdẽ multis illis nominib⁹ posse nominari. vt cernis in *rationale*, quæ est differentia *proprijssima*, *essentialis*, & *specifica*, *faciens aliud*, *inseparabilis*, & *inseparabile per se*, *constitutiua*, & *diuisiua*: & ideo apta definitionibus, ac diuisionibus; & similiter *esse cæcum*, *bipes*, *vel ad nauigandum aptum* sunt proprię animalis differentię *facientes alterum*, *inseparabiles*, & *inseparabiles per accidēs*, siue extra rerũ essentias, & suo modo *constitutiua*, ac *diuisiua*, & aptæ rerũ descriptionibus, ac diuisionibus accidentatarijs ad minus.

Sexto diuidunt Dialectici differentiã in *infimam*, & *subalternam*; Infima (quã ignorasse *Porphyrium* putat *S Thomas*) est, quæ constituit speciem infimã, vt *rationale*, quę constituit *hominem*, Subalterna differentia est, quæ constituit speciem subalternã, seu S. Thomas. genus, vt *sensibile*, quæ constituit *animal*. differentiam *infimam* vocauit *Aristotel.* in 7. Metaph. c. 3. seu textu 43. *vltimam*, quia nimirum componit speciem infimã, vltimo diuisam, & vlterius indiuiduam, plusquam Aristoteles in indiuidua; siquidem sub homine nõ sunt aliæ species, & ideo differentiã *subalternã* à contrario sensu *non vltimam* vocant.

Septimo diuidunt differentiam in *specificam*, *numeralem*, & *materialem*, illa prior est, qua differunt essentialiter, & specie inter se duo, vt *rationale*, & *rugibile numeralis*, quę dici solet indiuidualis, indiuiduale principium, siue hæcceitas, est quæ cõstituit, & limitat naturam specificam, & cũ ea facit indiuiduũ, & vnum numero, vt Petreitas. *differentia materialis*, vulgò mediare dicitur, inter specificam, & numeralẽ, & esse illa, qua differre solẽt duo intra eãdem speciem plusquam numero, & minus quam specie, vt sunt illæ, quibus inter se differant mas, & fœmina, calor intensus vt duo & intensus vt tria, aut quatuor; quamuis *S Thomas*, vt opinor ex mente Philosophi, sæpius, si non semper, intelligit nomine differentię materialis numeralẽ, vt videre est p. 1. q 47. a. 2. corpore & 10. metaph. lect. 10. in fine lit. C. & quidem S. Thom. *Aristoteles* 10. metaph. c. 8. fine. marem, & fœminã substantialiter, ait numero solo differre.

Octauo, & vltimo diuidũt Dialectici nouiores differẽtiam in *extrahentem*, & Aristotel. *limitantem*. Limitatem vocant, quæ limitat, & quasi coarctat genus, quod contrahit, & 715 generis ipsius virtutem de se latius patentem, ad pauciores operationes deprimẽdo, constringit, talis dicitur communiter esse differentia contrahens animal de se potens producere quinque sensus in animalculo *talpa* cæco, cuius differentia non permittit quod Animal à se cõtractum producat visum. differentia vero extrahens dicitur illa, quæ quasi euehit genus, quod cõtrahit ad altiores & nobiliores operationes, vti *rationale* extrahit *animal*.

¶ Rursus in secunda parte capitis definit

mul-

multifariã *Porph.* differentiã in cõmuni. primo sic.differẽtia est, *qua species abũdat à genere*; ideſt qua ſpecies excedit genus: *homo* enim plus habet, quam *animal*; ſiquidem præter id habet *rationale*. Secundo ait *differentia est, quæ de pluribus differentibus ſpecie prædicatur*. Tertio, *differentia est, quæ facit differre, & diuidit ab inuicem ea; quæ ſub eodem genere exiſtant*. Quarto, *differentia est, qua differũt inter ſe ſingula*. Quinto, *differentia est, quæ ſub genere poſita conducit ad eſſe, & ad quod quid erat eſſe, & eſt pars rei*, & hanc vocauit differentiæ definitionem exactiorem.

Circa litteram Capitis huius dico non incongruè vocari à *Porphyrio* differentias eas omnes, quæ ab ipſo definiuntur, quia *Ariſtotel.* ex *Ariſtotele* in 3. metaph. textu 16. habemus quod nomen *differentia* ſignificat quodammodo omne id, quod quomodolibet facit differre vnum ab alio; quamuis in præſenti ſermo eſt tantum de differentia proprijſſima, quæ pertinet directè ad hoc tertium prædicabile; & per quam differunt eſſentialiter inter ſe tamea, quæ ſunt ſub eodem genere, & prædicamento; quam quæ ſub diuerſo. reliquæ enim adnumeratæ differentiæ potius ſpectant ad quartum, & quintum Prędicabile. tractarunt de differentia Magiſtri noſtri, nempe *Ariſtoteles* 1. Topic. *Ariſtotel.* cap. 13. & 14. ac in 10. metaph. ſumma 2. cap. 1. & ſequentibus. & iterum 7. To- *S. Auguſt.* pic. cap. 3. *S. Auguſtinus* tom. 1. de Cate- *Thom.* gorijs cap. 7. & 9. *S. Thomas* Opuſc. 48. 16 c. 4. ex quibus ſeligemus meliora. tractat quippe S. *Thomas* ibidem de inuentione differentiæ; ſicut, & *Ariſtoteles* in illo cap. 14. nos tractauimus ſupra à n. 428.

SECTIO I.

Definit eſſentialiter Differentiam in communi, prout constituit hoc tertium prædicabile; & item infimam, & ſubalternam; earumque propria inferiora determinat; & eas non habere ſub ſe proprie ſpecies ſuas, tanquam inferiora ſubiecta.

O*Mnis differentia proprijſſima, ſpecifica, & eſſentialis in communi eſt vniuerſale aptum eſſe in pluribus & prædicari de ipſis vt pars eſſentia in quale quid*; ideſt importata per modum alteri adiacentis, ſignificata, videlicet nomine adiectiuo vt, *rationale*, quod aptũ eſt ineſſe Petro, & Paulo, ac de illis prædicari, vt pars eſſentię ipſorum, & ſic *in quid*, ſed *in quale*; & vt *ſenſibile*, quod ſimili modo aptum eſt ineſſe homini, & equo vt pars quidem eſsẽtiæ eorum, ſed *in quale*, ſeu ad modum alteri adiacentis, quatenus ſignificatur termino adiectiuo, vt aduertit *S. Thomas* allegatus ſupra n. 659. *S. Thom.* *S. genus ergo.* eſſentialem eſſe hanc definitionem liquidum ſatis eſt ex dictis in definitionibus generis, & ſpeciei.

Duplex imprimis eſt differentia *proprijſſima*, alia eſt *infima*, quæ definitur eſſe *vniuerſale aptum eſſe in pluribus ſolo numero differẽtibus in quale quid vt pars eſſentiæ ipſorum, ac de illis ita prædicabilis*. vt *rationale*, quod tantum dicitur de Petro, & Paulo, & reliquis indiuiduis humanæ ſpeciei, quæ ſolo numero, & materialiter differunt. alia differentia eſt *ſubalterna*, quæ eſt *vniuerſale aptum eſſe in pluribus ſpecie differentibus, ac de illis prædicari vt pars eſſentiæ in quale quid*, vt *ſenſibile*, quod prædicatur de Homine, Equo, & Leone, & reliquis animantium ſpeciebus.

Ex iſta doctrina colligo primo, inferiora infimæ differentiæ, ita nuncupatæ, quia contrahit vltimam, & inferiorem ſpeciem immediatam fundamento, ſiue indiuiduis; eſſe tantum illa, quæ vere ſũt illius inferiora, & illi ſubijcibilia, & quæ illa, vt ſibi ſubiecta quaſi de alto reſpicit tranſcendentali ſuperioritatis reſpectu, & quæ continet quaſi ſub imperio ſuo, & 717 potentia, ſiue quorum differentias poteſtate, & amplitudine continet. etenim quodui vniuerſale quatenus tale, vt monſtratum fuit ſupra in quæſt. 2. ſect. 18. *habet ſub poteſtate*, vt hic loquitur *Porphyrius, omnes, quæ ſub ſe ſunt differentias*, inferiora autem hoc imperio, & modo habita ab vniuerſali *differentia*, ſunt ſola ſingularia, & indiuidua, & ipſorum numerales differentiæ, ita quod inferiora differentiæ *rationale*, v. g. ſint tantum Petrus, Ioannes, Franciſcus, & reliqui ſingulares homines determinate, & item vage accepti, vt apparet ibi *Petrus eſt rationalis, aliquis homo eſt rationalis*. quo-

niam

niã *Petrus* vere subijcitur, *rationali*; sin minus ratione speciei, quam includit attamen ratione Petreitatis, & similiter *aliquis homo* etiamsi significet, aut importet rationem communem declaratam supra

S. Thomas. num. 711. Siquidem, vt inquit S. *Thomas* ibidem allegatus 1. par. quæst. 30. art. 4. c. *indiuiduum vagum (vt aliquis homo) significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus*. idest non significat humanam naturam nude, vti significatur ab hoc nomine *homo*, se quasi mixtam singularitate vaga, & indeterminate item abstracta, quæ quia quasi naturam eam contrahit quodammodo determinat. ex quo obiter colliges cur dixerimus supra num. 294. & 297 terminum communem determinari à signo *aliquis*. species vero *homo* (id quod de qualibet alia dicendum) non subditur propriè *rationali*, neque proprie est inferius illius, quia *par in parem non habet imperium*. id, quod docuerunt ante me Antiqui plures, & moderni, quorum aliqui sunt *Hurtado* hic disp. 6. quæst. 2. *Arriaga* disp. 6. sect. 1. num. 21 *Oña*, *Didacus à Iesu*, *Ioan. Sanchez*. *Cursus Comp.* & alij cõtra *Caietanum*, *Toletum*, & *Sotum* in oppositum inclinantes.

Ratio quæ me conuincit, est; etenim ea tãtum sunt inferiora differentiæ infimæ *rationale*, v.g. quæ respicit ea differentia transcendentali superioritatis respectu, & vt propria sibique inferiora; sed huiusmo-

718 di respectu solum respicit indiuidua, & non speciem; ergo sola indiuidua sunt inferiora infimæ differentiæ. Maior certa videtur ex terminis; & patet ex eo, quod de ratione vniuersalis vt sic, est modo supra exposito respicere, inferiora: minor habet duas partes iterum probandas. primã asserit *rationale* non respicere speciẽ *homo* vt sibi inferiorem; & patet euidenter; nihil enim in specie reperitur, quod vt inferius respiciatur à differentia, neque qui sit terminus inferior relationis superioris differentiæ; tum quia dixit

Aristotel. *Aristoteles* in 7. metaph. cap. 14. tex. 43. *differentias vltimas, seu infimas non esse in plus, quam species*, idest, non extendi ad plura, quam species, videlicet vt vniuersales; & consequenter videtur sensisse vniuersales differentias non esse respectu specierum, quæ cum suis differentijs sunt pares, & æquales, & nullo modo vicissim superiores.

S. Thomas. Audi ad hæc S. *Thomam* in 1. Poster. lect. 15. ita scribentem. *Sed videtur quod non requiratur ad definitionem, quod quælibet particula sit in plus* (idest superior, & magis late patens) *quam definitum, dicit enim Philosophus in 7. metaph. quod quando peruenitur ad vltimas differentias erunt æquales differentia speciebus: non ergo oportet quod differentia sit in plus, quã species. Videtur igitur quod differentia vltima non excedat speciem* huic dubio nihil contra nos video respondere S. *Thomã*. non ergo est differentia vniuersale, sicut neque superius quid proprie loquendo respectu suę speciei.

Tum etiam id ipsum suadetur ratione; quoniam in primis *rationale* non respicit vt sibi inferius rationale, idest se ipsum; quia eiusdem ad se ipsum non est respectus, qui minus, quam inter duo esse nõ potest: deinde longe certius est *rationale* non respicere *animal* vt suum inferius, quin potius illud respicit vt superius; siquidem ipsius inferius quoddam est, vtpote contentum sub potentia, & imperio *animalis* simul cum reliquis specificis differentijs, à quibus abstractum fuit *animal*; nihil ergo est in tota specie *homo*, quod sit inferius differentiæ *rationale*; etenim, 719
vt manifestatum est, ex duabus quasi partibus, quæ inibi in ea specie reperiuntur altera est eadem, vel, æqualis, altera est superior; ergo differentia infima non respicit speciem vt in inferius; & consequenter nõ erit vniuersale respectu illius, atque eadem ratio idem conuincit dicendum de differẽtia subalterna respectu generis, quod intrinsece constituit, idest respectu speciei subalternæ, vti de *sensibile*, comparatione *animalis*, quia hoc est *viuens sensibile*, quorum neutrum exceditur à *sensibile*.

Relinquitur ergo veram quoque esse partem secundam minoris, quæ asserebat rationale, & quamlibet differentiam infimam sola propria indiuidua respicere vt sibi inferiora; sola enim indiuidua sunt, quæ habent aliquid subiectum, & subijcibile differentijs, quod vt inferius respiciant differentiæ, & ob quod ipsa indiuidua inferiora iure nominentur. habet v.g. *Petrus* in se vltra *rationale*, & *animal*, Petrei-

Petreitatem, quæ cum illis gradibus *rationali*, & *animali* metaphysicè componit, iuxta dicta à num. 677. & propter quam totus Petrus dicitur subesse differentiæ, ipsiusque inferius; & ita subsunt reliqua omnia indiuidua suis vnumquodque superioribus, & vniuersalibus,

Quod si bene tute prædicas, vt & egomet fateor, dum dicis *homo est rationalis*, non propterea conuincis eam esse prædicationem differentiæ, vt prædicabilis, aut vniuersalis propriè; neque enim omnis bona prædicatio continuo pertinet directè, & propriè ad aliquod ex quinque prædicabilibus, sat fuerit si reductiuè; nam item sunt hæ bonæ prædicationes. *homo est animal rationale. Petrus est indiuiduum, aut aliquis homo. animal est ens vnum, & verum; Franciscus non est equus, sed homo*, & huiusmodi innumeræ; quas tamen nemo dixerit pertinere ad vniuersalia plusquam impropriè, & reductiuè: ita dici debuit in proposito, nempè hanc prædicationem, & similes *homo est rationalis*, reductiuè pertinere ad differentiam tertium prædicabile seu vniuersale, licet *Aristotel.* dicat *Aristoteles* in 4. Topic. cap. 2. *differentiam dici de totidem*, aut *de pluribus quam speciem*.

Concedo tamen differentiam saltem impropriè respicere speciem suam, vt inferiorem ex nostro modo enunciandi, & prædicandi; quo modo quasi magis latè patet, quam species, quatenus differentiam directè prædicamus de specie, & non contra. ita directè prædicamus de ipsa specie, & bene, *Homo est rationalis*; non ita bene, *rationale est homo*; quãuis vtraque propositio vera sit, ac de materia naturali, vt probatum est supra à num. 339. & ideo *P. Hurtado* speciem, ac differentiam

720 putat conuerti, & merito; quia secunda illa propositio, & similes semper sunt necessariæ in sensu reali, & identico; licet *Aristotel. S. Thomas.* illas compellarint *Aristoteles*, & *S. Thomas* 3. metaph. lect. 8. lit. K. non de *per se*, sed de *per accidens*, quod ab ipsis assertum credo, quia prædicatum non includitur in subiecto; non quia putarint prædicatum idem non esse in re cum subiecto; vt colligo ex contextu, & aduerto supra vbi me modo allegabam, num. 340.

Colligo secundo inferiora differentiæ subalternæ v.g. *sensibile*, esse solas species *homo*, *equus*, & reliquas, in quas quasi diuiditur, & ipsarum indiuidua omnia; nõ autem speciem subalternam, quam constituit nempe *animal*, propter eandem omnino rationem, vt adnotabam supra §. *et etiam*, quæ tamen repetenda fuit propter Discentes. Etenim nihil est in animali ratione cuius animal ipsum subijcibile sit, & inferius differentiæ *sensibile*; in animali enim solum reperitur *viuens*, & ipsum *sensibile*; & *sensibile* nequit esse inferius sui ipsius, & multo minus *viuens*? quod est superius ad *sensibile*, quamuis contingat non raro à nobis subijci speciem subalternam suæ differentiæ, dum dicimus *animal est sensibile. viuens est animatum*. Sunt ergo inferiora *sensibile*, differentiæ *homo*, & *equus*, *Petrus* & *Bucephalus*, & huiusmodi; quæ omnia vere & propriè, & antequamq; nostram prædicationem illi subduntur, *homo* quidem ratione *rationalis*, & *equus* ratione *hinnibilis*; & sic modo suo indiuidua sub his, & alijs bestiarũ speciebus contenta; quæ tamen indiuidua remota, & mediata inferiora sunt differẽtiæ eiusdem subalternæ; & aliquando remotissima. vt planum sit contemplanti.

SECTIO II.

Diluit argumenta contra Doctrinam traditam de Differentia; & obiter indicat ipsam in communi sumptam, & esse genus, & speciem; & illustrat aliquot axiomata Philosophi de Differentia.

PRimo obijcitur, differentia in communi, re vera est genus, & species, 721
ergo non bene supra definita est; antecedens sit clarum consideranti has prædicationes, *rationale est differẽtia; hinnibile est differentia: sensibile quoque*, & sic reliquæ; in quibus prædicationibus prædicatur differentia in communi, vt pars essentiæ de multis distinctis in specie physica, aut quasi physica, vel etiam, vt tota essẽtia de multis numero logico differentibus. Respondeo totum hoc antecedens verum esse, quod declarandum est magis inferius in quæst. 8. sect. 2. sed negatur consequẽtia; quoniam supra de industria non definiuimus differentiam in communi, sed con-

congeriem differentiam omnium, vt apparet in Sectionis primæ principio. quare definitio illa tradita est pro differentijs particularibus omnibus tam infimis, quam subalternis, quasi definitum fuerit vniuersale differentiæ vt à *Nominalibus* ponitur.

Secundo obijcitur. differentia in communi præcisa, & facta vniuersalis est differentia; ergo non potest esse species, & multo minus genus; præsertim quia, vt vulgo dicitur, & edocetur à Patribus *Suarez* in metaph. disp. 6. sect. 8. num. 7. & *Hurtado* disput. 7. logica sect. 4. non tantum differentiæ infimæ inter se, sed quod magis est, cum subalternis comparatæ, nō differunt ab ipsis plusquam numero, ita vt verum sit differentias omnes cuiuscumque prædicamenti, esse eiusdem rationis, & speciei, quoniam omnes gaudent eodē modo prędicandi, qui solus potest facere prædicabilia diuersa. sed nō tracto hic de subalternis vt eæ tales sunt, qua ratione inferiora non habent, iuxta dicta in simili n. 690 sed vt de alijs prædicantur.

Respondetur differentiā in cōmuni esse differentiā de solo titulo, & nomine; siue vt aiunt in actu signato, non re ipsa, seu in actu exercito: quare illi non quadrat definitio differentiæ, sed inferioribus ipsius, nempe differentijs particularibus omnibus, quæ quidem omnes in logica consideratione solo quasi numero, & quandoque specie differre censentur; licet in Physica consideratione, aut metaphysica, specie quoque, aut genere discrepent; & idcirco appellabamus differentiam in cōmuni genus, & speciem sub consideratione varia, quam infra explicabimus vberius, quando in Recentiū obsequiū, declaremus penficulatius considerationes logicas circa vniuersalia, & prædicamenta; quas ipsi nomine tenus agnouisse, siue tractasse videntur, in studentiū præiudiciū nō leue.

722 Nunc vero ad maiorem notitiam differentię aduerto primo, non raró à *Porphyrio* hic in hoc c. 4. & à *S. Thoma* in 3. met. lect. 8. lit. K. & alibi ex mente *Aristotelis*, appellari *differentiam formam*; siue æquiparari formæ, & merito, etenim quemadmodū forma physica v.g. anima rationalis constituit, & distinguit, specificat, & adornat cōpositum physicū humanū, informando materiam; ita facit differentia quæuis componendo cum genere suo, veluti cum materia, metaphysicū cōpositū, & quemadmodum vnius compositi vna est forma; ita & eiusdem vnica est differentia; vt colligit *S. Thomas* ad 2. Poster. lect. 13. lit. F. ex *Aristotele* in 8. Metaph. & ipse *Aristoteles* in 7. Metaph. c. 14. dixit *differentiam vltimam* potissimum, & infimam, esse *substantiam* rei, cuius est, & *speciem*; & alibi sæpe vocat ipsam *rationem* rei, siue essentiam; quia nimirum licet differētia, absolute loquendo, non sit tota essentia rei, siquidem omnis res constat genere, aut quasi genere ac differentia, tamen ex eo quod differentia sit principale constitutiuum, & distinctiuum rerum, non immerito earum essentia, & substantia, & ratio vltimo constituens nuncupatur, & species; quia ab ipsa rei species sumitur, & penes ipsam solum pensatur, & discriminatur. cōcluditque *Arist.* caput illud 14. dicens *manifestū esse quod definitio verum constet differentijs*. nimirum vltra genus. quare autem dicatur ab *Arist.* sumi differentiam à forma videbis infra Sect. 3.

Aduerto Secundo. sæpe ab *Arist.* vocari differētias *contrarietatem*, siue *contrarias*, vt legis in 7. met. c. 7. & 8. vnde ibidē, & in 10. met. c. 7. ait *differre specie dicuntur ea, quæ cum sint sub eodem genere, contrarietatē habēt*. putat quippe Philosophus differentias, quæ diuidunt genus idē, & cum ipso cōponunt diuersas species, contrarias esse, idest, inter se incōposibiles, & repugnantes, vt re vera sunt *rationale*, & *irrationale*, siue *hinnibile*, *rugibile*, & huiusmodi, contentæ sub genere *animalis*, quā doctrinam statuit hic *Aristoteles* cōsequēter ad ea, quæ docuit in 10. metaph. c. 6. definiendo *contraria esse, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt*. Consonat ibidem cum Philosopho sacer Interpres.

Sed tamen negandū nō fuit quālibet differentiā discriminare posse rē, cuius differentia est, non tantū à rebus, quæ cum ipsa sunt sub eodē genere, sed à quibusq; alijs alterius cuiusuis generis, & prędicamenti; vt adnotaui sup. n. 716. in cōmentario capitis huius §. circa literā; & apparet manifeste in rationali meo, quod & me distinguit ab equo, leone; & alijs animātibus, & prętereа me quoq; differre facit à calore, quātitate, & relatione, Angelo, & alijs quibuscumque, quæ homines non sunt. quod 723

non

non tollit esse verum commune assertum diceas *prædicamente, siue quæ sunt diuersi prædicamenti, se totis differre*. quatenus, vid licet, ego à calore differo non tantum *rationali*, sed etiam *animali*, nempe mediante tota, & omni mea parte substantiali; sed melius & signatius distinguor per rationale ab omnibus alijs; & præsertim ab illis, quæ mecum sunt sub eodem genere; quoniam inter hæc magis elucet contrarietas ratione differentiarum exercita, & ad *Aristotele* postulata.

Aristotel. Tertio aduertit *Aristoteles* in suis præ. dic.tract. 1.c.4 *diuersorum generū. & non subalternatim positorū diuersas esse naturas, & quasi specie differentias*. quod est verū, licet enim differētiæ inter se specie cōpleta non differant, differūt tamen specie incompleta, & solent esse valde differentis naturæ; præsertim quæ diuidunt genera, aut constituunt species subalternas, vel infimas pertinentes ad diuersa prædicamenta;

Aristotel. quæ ab *Aristotele* hic vocantur genera non subalternatim posita, idest, quæ ita se habent, vt neutrum sit sub altero, neque vtrumque sub alio tertio. vti declarauimus supra quæst.4.sect.5.§.*Multa*. vt sunt *animal, & scientia, viuens, & quantitas, substantia, & qualitas*, & huiusmodi, quæ non possunt habere aliquam communem differentiam.

Sed contra objicis. *corporeum* est diffe-
724 rentia, & commune quid est multis generibus ex prædictis, siquidem animal est corporeum, & quantitas item corporea est. sed occurritur, *id corporeum* differentiam non esse, neque non transcendens quid, vt oporteret esse, vt exerceret munus differentiæ, & poneretur ad latus vtriusque prædicamenti, nempe in substātiæ prædicamento ad latus animalis, & in Quantitatis, ad latus ipsius; corporeū enim, quod ponitur in prædicamento, licet ad latus, est substantiale, vel accidentale, nō transcendens; neque abstrahens à substantia, & accidenti, vt est id, quod nobis opponitur; sed vnum quodammodo, & metaphysice componens cum genere, cum quo speciem constituit.

Subalternorum vero generum (prosequitur ibidem *Aristoteles*) *nihil prohibet*

Aristotel. *easdem esse differentias*; & ideo duo genera, quæ sunt sub genere substantiæ, vt sunt *animal, & planta*, quæ habent *corporeum* pro communi differentia. & item *homo*, & *animal*, quorum vnum est sub altero, non solum habent pro communi differentia *corporeum*, sed alias, quas congerit S. *Augustinus* in suis Categorijs cap. 7. declarā- S. August.
do mentem Philosophi, & ex sunt, quæcumque rite prædicantur de genere; siquidem iuxta vetus prouerbiū logicum, quod in eo capite statuere contendit *Aristoteles*, Aristotel.
Quidquid conuenit, & prædicatur de superiori, conuenit, & prædicari potest de inferiori, vnde si dicas, *animal est bipes, mortale, risus capax, sensibile*, ex omnes differentiæ congruent homini, siue homo sit genus, siue infima species. sed tamen aduerte non omnia genera subalternatim posi a primo modo, idest quorum vtrumque suba'ternum, & sub altero tertio est, debere continuo habere aliquas, vel aliquam communem differentiam; vt patet in corpore, & spiritu, quibus nulla est cōmunis differentia, licet sub genere substantiæ constitutis, & in generibus immediatè positis infra decem genera rerum; neque enim est generalis regula Philosophi secūdum hanc partem posteriorem.

Quarto docere videtur *Aristoteles* hic 725
in logica cap. 1. de substantia, & in 3. Meta Aristotel.
ph. cap. 2. non prædicari posse de differentia speciem, neque genus, nec congrue dici *rationale est homo, rationale est animal*, quas prædicationes vocare videtur Aristotel.
ibi *Aristoteles* impossibiles, & materiæ remotæ; & facit Interpres S. *Thomas* in sua S. Thom.
lect. 8 lit. K. dicit *non esse per se, sed forte per accidens*; atque signate probat priorē illam propositionem, in qua species prædicatur de differentia, esse impossibilem; hac duplici ratione, primo, quia ratio inferior nequit prædicari de superiori, sed species est ratio inferior differentia, testante Porphyrio, *quod differentia in plus est, quam species*; ergo hæc nequit prædicari de illa; non ergo bene dicitur *rationale est homo*. secundo, quia differentia non potest esse subiectum speciei, cum potius sit ipsa forma ipsius speciei. ac demum probat neque genus dici de differentia, siquidem illud non est prędicatū huius, neque ad ipsius definitionem spectat. vnde concludit illas duas propositiones ad summum esse prædicationes per accidens, & nullo modo per se; siue materiæ naturalis.

Ego

Ego vero opinor prædicari posse ad cõuertẽtia, *differentiã, genus, & speciẽ* in sensu identico, & reali; & in eo verissimas esse eiusmodi propositiones, *rationale est animal, animal est rationale, rationale, est homo; homo est rationalis, animal est rationale, aut homo, homo est animal,* dici tamen, & merito ab *Aristotele* impossibiles illas omnes, quarum prædicata non sunt de definitione subiecti, seu in eo non clauduntur, acceptas in sensu formalis in clusionis, aut formalissimo, vt efficaciter probauimus supra à nu. 339. vbi iterum explicuimus Philosophum & *S. Thomam*, qui accidentales appellant propositiones indirectas, idest non connaturales, etiamsi in sensu reali putent esse per se, & omnino naturales. legantur quæ ibi dicta fuerunt, & quæ dicuntur infra in quæst. sequenti Sect. 3. circa finem. S. Thomas.

Ad finem aduerto circa modum loquẽdi, differentias infimas vulgo dici *specificas*, quia componunt species infimas. subalternas vera solere dici *genericas*, quia componunt genera, vt vides in *rationale*, quæ constituit hominem, & in *sensibile*, quæ constituit animal. remitto vero ad *quæst. de locis* regulas docentes inuenire, efficere & prædicare differentias.

SECTIO III.

Declarat amplius quatuor; Primò quid sit Differentiam, & Genus, & reliqua Prædicabilia desumi à toto composito physico. Secundo cur genus dicatur sumi à materia; & differentiam à forma. Tertiò quo modo prædicabilia dicant quodãdam totum dum prædicantur. Quartò demum, quæ eorum conuertantur, seu prædicentur inuicem.

726 AD euidentiam primæ difficultatis potissimum, & facilem intelligentiam reliquarum, præmitto primo, physicum compositũ diciũ, & esse, quod constat forma materia, & vnione physicis, atque supposito, siue subsistentia Petrus v. g. est physicum compositum, cuius forma est anima, cuius materia est corpus, quæ duo vnione substantiali connectũtur; complectur præterea subsistentia, quæ est modus afficiens Petri tres illas partes, & ipsum faciens, ac denominans substantiale compositum, & suppositum; & quoniam est compositum rationalis naturæ, facit illum *personam*, quæ definitur communiter, *rationalis naturæ indiuidua substantia*; ex *Seuerino Boetio*, & *S. Thoma*. 1. p. q. 29. a. 1. in argumẽto 1. qui etiam *in corpore*, superaddit, *inter cæteras substantias* (irrationales, quæ à suis subsistentijs dicũtur supposita) *quoddam speciale nomen habent singularia rationalis naturæ, & hoc nomen est persona*. S. Thom.

Præmitto secundo, duplex esse principium operationũ in quauis causa, & physico composito; alterum dicitur principiũ *quod*, illud nimirum, cui tanquam domino domus attribuuntur bonæ, vel malæ operationes cæterorum, vel eorum, quæ sũt quasi sub dominio eiusmodi principij, quod ego cum Philosophis vocaui *subsistentiam*, vel *suppositum*, & ideo dicit vetus prouerbium desumptum ex *Aristotele* 1. Metaph. cap. 1. *actiones sunt suppositorum*, idest ipsis solent attribui. vnde *P. Granado* de Incarnatione tract. 10. disput. 2. communẽ SS. PP. & *Scholasticorum* sentẽtiam tenentem *humanitatem assumptam à supposito diuino non posse peccare*, defendit, ac probat ea efficaci ratione; quia, nimirum, si aliquod peccatum cõmitteretur ab humanitate, id ipsum cõmitteretur à verbo, siquidem actiones omnes bonæ, vel malæ suppositorum sunt, siue tribuuntur ipsis, & in ipsa refunduntur; quam rationem indicarat antea *S. Thomas* in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. in argumentis sed contra, in tertio. Aristotel. S. Thomas.

Aliud dicitur principium operationum, vel operandi vt *quo*, nempe illud quod immediate eas operationes attingit, atque producit: principium vtrumque expositũ cernis in Petro, quod est suppositum humanæ naturæ; cui vt supposito, & tanquã principio *quod*, tribuuntur omnes operationes, quæ ab ipso quoquo modo, idest libere, vel etiam naturaliter, & necessario proficiscuntur; quamuis earundem operationum principium immediatum, & efficiens *quo* sit anima illius, & potentiæ interiores, & exteriores, vti dicebamus olim ad 1. & 2. Physicorum. 727

Præmitto tertio, hos, & similes esse ve-

veros modos loquendi. *Petrus est homo. Homo est corpus, Paulus est intellectiuus. Ioannes est videns, & Antonius albus.* Vere enim Petrus est homo, sin minus ratione Petreitatis, & aliorum accidentium; ratione tamen animæ, & corporis; & homo corporeus est formaliter, saltē ratione materiæ organizatæ, & vnionis; & Paulus potest intelligere, sin minus ratione corporis & voluntatis, ratione intellectiuæ potestatis. & Ioannes videt ratione oculorum & Antonius albus est propter albedinem. neque enim necessarium est ad veritatem propositionis, quod prædicatum semper exhauriat subiectum, sit terminus eius, vel definitio; sat est si exprimat, seu expressè afferat perfectionem aliquam subiecti; & quæ vere sit in ipso; licet forsan, & plerumque quasi implicite afferat subiecti totum reliquum; quando præsertim prædicatio est prædicabilis alicuius ex quinque, vt ex Angelico Doctore iam dicemus. quocirca cum eadem veritate affirmantur hæ propositiones. *à Petro abstrahitur homo, ab homine corpus. à Paulo ratio intellectiui. à Ioanne ratio videntis, & ab Antonio albedo.* collatis, videlicet, his indiuiduis cum alijs quibus cum in illis perfectionibus conueniunt, & consequenter ab indiuiduis physicis vniuersalia quæuis desumi ritè dicuntur.

728 S. Thom. Præmitto quarto ex *S. Thoma* de ente, & essentia cap. 3. & Opusc. 48. cap. 4. *animal* v.g. sumi posse dupliciter. primo, vt significat expresse, & solitarie principium sentiendi, quasi id seorsim daretur, ac separatum ab alia quauis ratione, & virtute operandi; & hoc modo *animal* esset pars integralis quæ cum alia totum cōponeret, de quo prædicari non posset, iuxta dicta num. 651. secundo modo sumitur *animal* inquantum significat clare, & expressè principium sentiendi, & quasi vagè implicite, & indeterminate omnes animaliū species, ac differentias, quibus cum de facto contingit coniunctum esse; neque enim datur solitarium animal; sed id vel est homo, vel equus, aut leo, aut aliud; quæ omnia terminus ille quasi confuse repræsentat; vnde audita voce *animal currit*, determinatè deuenimus in cognitionem *animalis alicuius currentis*, sed determinare nescimus quod animal sit, licet sciamus aliquod esse, nempe vel hominem, equum, vel aliud quodpiam, siquidem *animal currit* ita resoluitur, *habens animalitatem currit.* & hoc pacto *animal* explicite affert *principium sentiendi*; implicite vero *principia intelligendi, hinniendi*, & reliqua specierum reliquarum.

His quatuor præmissis ad tituli prioré difficultatem Respondet hæc regula generalis, quæ sic est, *ab omni illo, quod in compositis physicis, & singularibus, siue in vniuersali fundamentali præbet fundamentum habendo conuenientiam, & similitudinem inter se, aptam, vt ab ipsis abstrahatur genus, vel differentia* (vel etiā species, proprium, & accidens, aut alia ratio quæuis communis) *genus, & differentia, & alia vniuersalia quæuis desumuntur, siue abstrahantur.* quare quia totus Petrus v.g. quod est compositum physicum conuenit cum illo toto leone, quod similiter est aliud compositum, siue totum physicum, in eo quod vterque sentit, aut sentire potest, genus *animal* rite dicitur desumi, & abstrahi ab his, & alijs similibus compositis, seu totis physicis; & simili modo abstrahuntur, ac desumuntur ab ipsis differentia *rationale.* species *homo. risibile* proprium. *album* accidens.

Sed tamen: & sit secunda regula generalis; *inspiciatur ratio communis generica*, exempli causa, (nam idem dico de qualibet ratione communi (*& si in ea eluceat expresse virtus, & principium operationū communium, quæ a parte rei precedunt physice, & immediate à totis compositis physicis ratione omnium partium, ad eas concurrentium, dicatur eiusmodi genus, aut ratio desumi, & abstrahi à toto compositio ratione omnium partium; si vere in tali ratione communi abstracta eluceat virtus, & principium operationum, quæ physice proueniunt in fundamenta à sola forma compositi physici; dicatur ratio ea communis desumpta à toto cōposito ratione & occasione formæ.* Valeant pro rationibus, hæc huius doctrinæ declaratoria exempla. 729

In hoc genere *animal* v.g. elucet metaphysica virtus, & principium sensus, & motus, vt *quod*, & vt *quo*, & consequenter abstractum, ac desumptum fuisse dicēdum est à toto Petro, & à toto illo equo, & reliquis compositis physicis singularium animalium, non quidem ratione, & occasio-

tatione omnium partium physicarum, quę in illis sunt, sed ratione earum, quæ sunt physicum principium *quod*, & vt *quo* operationum sensitiuarũ: quales videntur esse in Petro, & in illo equo animæ, & in probabili quorumdam opinione, vniones substantiales, & subsistentiæ partiales eis animabus, & vnionibus correspondentes: non habent locum in efficentia, materię primę, neque earum partiales subsistentiæ, neque enim ex sentiunt, aut ex se, siue per se mouentur, nisi per quandam largam attributionem, & denominationem, quæ in illas quoque deriuatur, quatenus sunt partes integrales totius physici compositi v.g. Petri, qui totius dicitur sentire vt *quod*, atque idem proportione sua dicito de differentia *rationale*, quæ est principiũ metaphysicum discursus vt *quod*, & vt *quo*, quæ propterea licet meritò a toto physico composito abstracta, & desumpta dicatur, verũtamẽ titulus, & occasio, ob quã abstracta est, est anima sola rationalis subsistens, quæ sola est forma physica compositi humani immediate discursiua. consonat his *S. Thomas* 1.p.q.77.a.1.ad 6. S. Thomas.

Deinde radix vel principium subsistẽdi in cõmuni, quod est genus substantiæ, & caput prædicamenti, sine dubio sumitur à toto cõposito physico substantiali ratione

730 omniũ partiũ eius; siquidẽ à parte rei materia, vnio, & forma Petri producũt sibi proprias subsistentias, & in simili productione coueniunt cũ materijs, vnionibus, & formis animantiũ cæterorũ, ac deniq; ratio formalis corporis vt sic, à Petro desumitur, & abstrahitur à toto ipso, sed nõ ratione omniũ Petri partiũ, sed ratione materię, & vnionis, & suppositi partialis corporei.

Concludo ergo omnia supradicta breui cõpendio. genus semper sumitur, & abstrahitur à toto composito physico, siue à totis cõpositis physicis specie distinctis, sed vniuoce conuenientibus; sed tamen aliqua genera desumũtur à toto ratione omniũ partiũ totius; alia vero nõ, sed ratione alicuius, vel aliquarũ partium totius; vt dictum est in regulis generalibus, & explicatum exẽplis; iuxta quæ facile quiuis intelliget, quo pacto verum sit differentiam, & prædicabilia reliqua à totis suis fundamẽtis physicis, & inferioribus desumi; atq; discernet quãdo desumpta dicenda sunt ratione omniũ partiũ, vel nõ, sed aliquarũ tantum, prout, scilicet, inferiora physica substantialia, vel accidentalia dederint de se conuenientiam in prædicato, in vniuersale quodam, desumendo, & abstrahendo.

Ergo ad secundum tituli quæsitum Respõdeo titulo duplici, vt ego reor, dici solere genus desumi à materia, ac differentiã à forma physici cõpositi, sibi inferioris. primo quoniã, vt bene aduertit *Porph.* c. hoc de differẽtia, quemadmodũ cõpositũ quoduis naturale, vel etiã artificiale, vt statua, in qua exemplificat ipse, constat ex materia multis cõmuni, & in ipsis simili, & ex peculiari, & propria forma; ita quoque metaphysicũ cõpositum homo, vel equus, aut Petrus, constat genere veluti materia, & prædicato cõmuni, ac item differentia, veluti forma constituente, ac distinguente.

Quocirca quãdo in aliquo graui authore legeritis dici *genus materiã*, & *differentiam formam*, intelligetis id ita dictũ fuisse propter quandã proportionem, & similitudinẽ, quam genus habet cum materia, & differentia cũ forma: assimilatur enim genus maxime materiæ, quatenus illud transcendentali ordine, potentia, & appetitu respicit, & quasi recipit in gremio suas omnes differentias, quibus cum cõposita metaphysica cõponit; ad eum fere modũ, quo respicit, ac recipit materia formas suas, vt cum ipsis physica cõposita cõponat; & similiter philosophandũ de differentia cõponente cũ genere, quemadmodũ forma cõponit cum materia. vnde quodãmodo dici potuit genus desumi à materia; & differentia à forma; quatenus post abstractionẽ afferunt similitudinẽ ad illa, ac retinẽt, ac redolent, videantur circa hæc *Suarez* in met. d. 6. sect. 9. n. 4. & ibi *Arist.* & *S. Thom.* 731

Sed titulus secundus est solidior, & videtur magis conformis *Arist.* & *S. Thom.* Arist. et S. Thomas pluribus in locis: dicitur enim genus desumi à materia, & differentia à forma ex eo, quod licet ambo ea vniuersalia desumantur à toto cõposito physico; vti supra declaratũ est; tamen id sit cũ quadã notanda differẽtia: etenim genus desumitur a cõpositorũ, siue indiuiduorũ materia, idest à cõuenientia illorũ materiali, & similitudine quarundam operationum, quarũ collectio profecta ab vno, non differt plusquam materialiter, idest numerice à collectione profecta ab alio, & ideo non desumitur neque attenditur rerum differentia ab eiusmodi

operationibus cõmunibus, neq; principiũ earum rem, cuius est principium, ab alijs discriminat: hoc enim discriminare pertinet ad differentiam, quæ ideo desumi dicitur à rerum formis, idest ab ipsis rebus secundum quod exercent operationes maxime inter se distantes, per quas res aliæ nõ obscure indicãt se ab alijs discriminari.

S.Thomas. Vnde S.Thomas 1.p. q.85. a.3. ad 5.& a.5.ad 3.& de ente & essentia cap.3.& ibi *Caietanus.* & in 5. metaph.lect.8.lit.P. fine, & ibi Commentator *Auerroes*, putat genus sumi à materiali rerum, idest ab eo, quod in rebus est simile, & in ipsis non est ratio differendi; differentiã vero à forma, idest ab eo, quod in rebus est dissimile, & in ipsis ratio differentiæ, *sicut rationale* inquit super 11.metaph.lect.1. lit.M. *à natura intellectiua; animal a natura sensitiua;* & ideo non raro *Aristoteles* appellat Genus, materiam, Differentiam vero formam, quos imitatur communis sententia Doctorum; vt legis supra Sect.2.

Aristotel.

732 S.Thom. Ad tertium tituli dubium dicendum iuxta mentem *S.Thoma* de ente, & essentia cap.3.& Opusc. 48 c.4.à quolibet prædicato directo, præsertim spectanti ad prędicabilia quinq; afferri quodãmodo quidquid est in subiecto, nempe aliquã perfectioné explicite, reliqua implicite vt apparebit cõsiderãti has prædicationes, & illas explicãti per suas æquipollentes, *Petrus est homo*, idest, Petrus est habens humanitaté. *Petrus est animal*, idest, habens animalitatem. *Petrus est rationalis*, vel habens rationem. *Petrus est risibilis*, siue habens potentiam ridendi. *Petrus est albus*, idest, habens albedinem, in quibus omnibus vides importari duo, aut quasi duo ex parte prædicatorum, alterũ quasi confuse, & implicité, quod denotatur illo nomine *habẽs* alterum determinate; & explicite, quod denotatur illis alijs nominibus, quibus significantur formę habitæ; illud verò habẽs & forma quæuis habita, quasi exhauriunt totam essentiam, subiecti; quæ quodammodo tota scitur, per quamuis prædicationem; sed explicatius per eam, quæ explicite plura illius prædicata cognoscit; vt bene quoque animaduertit *S. Augustinus* de Categorijs, cap.9.

S.August.

Postremo vt respondeã clarius ad quartum tituli dubium præsupponitur posse, & solere de eodẽ subiecto prædicari quinque prædicabilia, & consequenter decem quoq; prædicamenta, vti dicã inferius, vt apparet in allatis prædicationibus, & ita vt de quocumq; prædices speciẽ, possis prędicare, & genus, & differentiã, & propriũ naturaliter, & contingenter accidens. etenim quia Petrus est homo, continuo, & necessario est animal, est rationalis, & risibilis, & solet esse albus.

Ad quartũ ergo dico quatuor priora prędicabilia conuerti, seu dici posse ad cõuertentia prædicatione naturali, siue necessaria, atque per se, nã inprimis hæ directæ propositiones necessario sunt verę, *homo est animal, homo est rationalis, homo est risibilis.* rursus hæ quoq; prædicationes, licet indirectæ, in sensu idẽtico sunt necessariæ, & veræ, *animal est homo, rationale est homo, risibile est homo, animal est rationale, rationale est animal, rationale est risibile, risibile est rationale.* & huiusmodi. & priorẽ huius doctrinæ partẽ tenent *Arist.* & Peripatetici omnes. secũdã efficaciter cõfirmauimus supra à n.339. neque putamus nobis cõtradixisse *Arist.* qui dixerit in 3.metaph. similes prædicationes *esse impossibiles*, neq; ibidẽ *S.Thomam* in lect.8.lit.K. dicentem forte *esse per accidens*, & *nullo modo per se*, neq; *Caiet.* de ente, & essẽtia c 3.pag. mihi 237.col.1. existimanté cum eisdẽ magistris nostris, & Auicenna *genus dici nõ posse de differentia*, sic. *rationale est animal* neque *Porph.* c.7. de Cõmunitatibus id ipsum aiẽtem; isti enim omnes Doctores non attenderunt ad sensum realem, & identicum, sed ad formalem, siue formalis inclusionis, à quo quemcumque deuiantem, vocant impossibilem, per accidens, seu non naturalẽ: sed rogati de sensu identico respõderent, vt nos, vt de facto respõdebat supra *S.Thomas* loco allegato Summularũ tractans illam diuinam prædicationem, *essentia diuina est Paternitas*, 1.p.q.39.a 6.ad 2.iuxta cõmentariũ doctissimi *Caietani*. ita cõcordantis S.Doct. oppositum aientem q 8. de potent.a.2.ad.6.

733 Aristotel. Aristotel. S.Thomas S.Thomas.

SECTIO IV.

Infert ex doctrina Sectionis præcedentis nullã esse Differentiã Limitantẽ: sed omnes esse Extrahentes genus suum, & Respõdet obiectis.

Supra in principio quæstionis huius de differentia, eam diuidebant Recentiores 734

res in Extrahentes,& Limitantes,& extrahentes differentias dicebant esse illas, quæ genera,quę contrahunt,extrahũt, & veluti euehũt ad perfectiores operationes,vt *rationale*,inquiunt, quæ cõtrahens *animal*, euehit ipsũ ad perfectiores operationes ijs, quas solũ ipsũ possit operari;sednõita quod animal própterea maneat,aut fiat principiũ operationũ rationis ,sed quia cum *animali* ita coniungitur *rationale* , vt eius operãdi vim, & virtutem nullateaus impediat, aut coarctet , sed quasi eleuet operando iuxta illud nobilissimas ratiocinij operationes. differentias autem limitantes vocant eas, quæ limitare, & coarctare videntur virtutẽ generis, quod contrahunt, quasi impedientes vim, & virtutem eius , quomodo aiunt esse differentias celebres *talpæ ostrearum* ,
735 & similium imperfectorũ viuentium. vnde vlterius inferunt ijdem magistri differẽtias omnes extrahentes, esse quidem suo genere perfectiores : limitantes vero esse illo imperfectiores , licet habeant contra se *D. Antonium Rubium* opinantẽ hic in q 8. genera absolutè perfectiora esse quibuscũque differentijs.

Ego verò, vt clare dicam quod sentio in hac parte,duo certa præsuppono ; primum est in quæstione præsenti debere esse sermonem de genere , quod differentia contrahit ; quando disquiritur , quod eorum videatur esse maius.v.g.quando quærimus vtrum *rationale* sit *animali* perfectius,vel vtrum sit differentia illud extrahens, an limitans ? loqui debemus dè hoc *animalis* genere, quod de facto contrahitur à differentia hac *rationale* , non de alio alterius ordinis , aut superioris, vel inferioris perfectionis.

736 Secundum est , genera illa esse diuersa specie inter se,vel diuersa generę;quę sunt principia, & radices diuersarum operationum in specie, aut genere . quocirca Animal , quod est radix quinque sensuum v.g. est valde distinctum ab alio, quod esset radix duorum, vel trium tantum ; quod autem genus,& quando fit radix pauciorum, vel plurium nobiliorum,aut ignobiliorum sensuum ,& operationum, certo nos colligimus ex fundamento physico,vel singularibus , quæ operationibus suis conuenientibus , aut disconuenientibus , præbent nobis fundamentum , vt abstrahamus , ac desumamus genera, & rationes alias communes ; quæ iam abstracta non possunt esse metaphysicæ radices plurium , aut aliarum operationum , quam fuerunt , & sunt radices physicæ singularia , à quibus eæ rationes,& genera abstrahuntur;& propterea rationes abstractæ nequent perfectiores esse suis indiuiduis.: vnde si abstraheres , animal à duobus animantibus, quæ haberent physicas formas productiuas , & radices duorum sensuum tantum , tale animal abstractum nequiret esse principiũ metaphysicum nisi illorum sensuum duorũ in communi.

His ita suppositis , dico *differentias omnes esse extrahentes genus suum, & nullam limitantem esse* , loquendo de sensu, & in sensu eodem , de quo loquuntur Recentiores ; & consequenter in ipsorum opinione dicendum omnes differentias esse generibus suis perfectiores; siquidem apud ipsos perinde est , differentias esse extrahentes , atque perfectiores (sed in hoc consectario ego modo non me intromitto. videatur *S. Thomas* 1.par.quæst.50. art.4.ad 1.& quæst.75. art.7.ad 2. vbi putat *dicendum quod differentia est nobilior genere*,quod probat *Arriaga* hic d.7.sect. 1. nu.23.)ratio dicti nostri est in promptu , quoniam nulla differentia est , quæ genus suum ita limitet , vt ab eo auferat virtutem aliquam , aut quæ impediat aliquam operationem illius : sed potius hoc habet omnis differentia, vt posita iuxta genus suum, idque contrahens , quasi ipsius virtutem augeat, & euehat modum operandi, vti dicunt Moderni euehi à Rationali Animal: omnis ergo differentia extrahens est , & nulla limitans , antecedens patet inductione . 737 *S. Thomas.*

738 Etenim, vt incipiam à solemni differentia, quæ vulgo adduci solet à Recentioribus pro euidenti, vt putant, exemplo pro adstruenda differentia sua limitãte, nempe à differentia specifica bestiolæ cæcæ *talpæ* ea ipsa genus quoque suum imperfectum, quod cõtingit sibi contrahendum, euehit, & extrahit ad nouas operationes , quamuis non ita hominibus bene notas , & in particulari; nimirũ ad illas , quarũ animalculi huius specifica differentia radix est, atque principiũ;neq; enim eiusmodi differentia sterilis omnino censenda est, sed effectrix aliquarũ operationũ , quarũ neque Animal, nec Rationale, neque alia differẽ-

tia, aut causa radix sit; quod in bona Philosophia est principiũ euidẽtissimũ, siquidẽ, vt supra aiebat Porph. *per differentiã species abundat à genere* & est plus quam ipsum, non tantum, videlicet, in essendo, sed etiam in causando, & sic quoque in distinguendo.

Neque enim putandum est animal *talpæ*, aut *ostrearum* esse eiusdem omnino rationis atque Animal hominis, aut equi; sed longe imperfectius, vtpote quod ex natura sua dicit ordinem transcendentalẽ ad pauciores sensus, & potentias; quam sunt hę, ad quas dicit ordinẽ Animal, quod est in homine; vnde si tantum abstrahis à Talpis, & Ostreis, & Sanguisugis cum solo
739 fundamento, quod prębent ea animalcula, rationem Animalis in communi; sine dubio id animal abstractum distinguitur specie, aut genere ab Animali, quod abstrahas ab homine, & equo, attento quoque fundamento, & conuenientia, quam animalia ista perfectiora præbuerunt. Quoniam prius illud animal adsummum est radix duorum, vel trium sensuum, à quibus specificatur; hoc vero posterius est radix plurium; quod est mihi plusquam certum indicium vt credam ea duo animalia plus multo differre interse, quã solo quasi numero; & simili modo dicendum de ratione communi hominis abstracta ab his hominibus, qui modo sunt, comparata cum illa alia ratione hominis, quam abstraheres ab alijs hominibus possibilibus distinctis in specie ab his; & qui propterea haberent longe diuersas alias virtutes, & potentias, quibus carent omnino homines præsentes.

Confirmatur hęc ratio; quia forma physica Talpæ nõ est radix quinque sensuum; ergo nequit habere secum identificatũ, nec contractum genus Animal, quod radix sit quinque sensuũ; ne simul ea forma sit, & non sit radix eorum sensuum. neque dici potuit, aut conuenit formam aliquam physicã habere impedimentum perpetuum ad producendum sensum visus, quoniam dicit *Aristoteles quod nihil violentum est perpetuũ, & frustra est potẽtia, quæ nunquã reducitur, aut nequit reduci ad actũ; & natura nihil facit frustra*. de Talpę vero genere videatur *P. Baldellus* lib. 2. disp. 11. & ibi *Arist.* & *S.Thom.* quorum doctrina facile poterit cum veritate concordari.

Aristoteles

Aristotel. S.Thomas.

Sed opponis, differentia Talpæ limitat etiam animal, quod contrahit, quia id erat indifferens ad Talpam, Equum, & ad alia animalia; ergo id ipsum non extrahit. Respondeo frigidum esse antecedens, quoniam etiam Rationale limitat in eo sensu Animal, quod in se est indifferens ad animalia; & non propterea est differentia limitãs in sensu Recentiorũ, sed extrahens. itaque ad hoc vt differentia proprię limitãs esset, deberet genus propriũ deprimere, & impedire, dum contrahit, & ab eo quasi auferre virtutem antiquam, & quam ipsum de se aliunde haberet, & secundum se; & dum id non facit, semper & absolute erit extrahens.

Vrges primo, differentia Talpæ impedit animal, quod contrahit, ipsum ad pauciores 740
operationes quasi deprimendo; ergo est limitãs; patet antecedẽs primo ex *S. Thoma* dicente cum Philosopho 5. metaphys. lect. 20. lit. D. de Talpa, *quia genus eius Animal aptum natum est habere visum*, quia Animal, quod contrahit est animal in communi, & genus; sed hoc secundum se consideratum est radix, & principium quinque sensuum; ergo Talpæ differentia vere limitat genus suum, siquidem illud ita impedit, vt non sinat ipsum esse principium quinque sensuum.

S.Thomas. Aristotel.

Respondeo negando enthymema. & ad probationem antecedentis distinguo maiorem; animal, quod Talpa contrahit, est animal, quod erat abstractum à Talpis, & huiusmodi bestiolis imperfectis; & sic cõcedo maiorem; est Animal, quod erat abstractum ab homine, & equo, aut solis alijs perfectis animantibus; & sic nego maiorem. Animal secundum se consideratum est radix quinque sensuũ, quando abstractũ fuit ab animalibus physicis, & singularibus, quę eos sensus quinque habebant, & in eis cõueniebant; concedo minorem; quando non fuit abstractum ab eis, sed ab alijs animalculis imperfectis, quæ nec habebant quinque sensus, neque in eis conueniebãt; nego toto ore minorem. *Aristotel.* vero, & *S. Thomas* loquuntur de Animali magis abstracto, & vt est genus subalternũ, quod aptum quidem est inesse animalibus, quæ possint habere visum, vt patet ex contextu & allato exemplo a *S. Thoma*.

Vrges tamen secundo genus Animal abstrahi potest ab omnibus animantibus in-

indifferenter, idest ab eis, quae quinque sensus habent, & ab alijs, quae habēt pauciores, vel plures; ergo Animal in communi secundum se, radix, & principium est quinque sensuum; ergo contractum in Talpa per Talpeitatem, seu per Talpae differentiam, limitatur, & quasi coarctatur, & impeditur ne producat inibi tot sensus, & operationes tot, quot secundum se, ac liberum posset; non ergo extrahens est omnis differentia.

Respondeo concesso antecedenti, negando tres consequentias; quia in eo euentu Animal solum diceret, & importaret conuenientiam animalium illorum; & sic tantum esset radix duorum, trium, vel quatuor sensuum, videlicet secundum quod fuisset conuenientia, & iuxta mensuram ipsius; vel ad summum abstraheret instar generis subalterni, & in se non diceret determinate aliud praeter principium sensus incōmuni, quin afferret, aut esset determinatum principium duorum sensuum, vel

741 plurium, vti debuit, vt posset de quolibet inferiori suo praedicari, & eidem conuenire; quod quidem principium ita indifferens, & abstrahens, quando contraheretur à Talpeitate, non limitaretur, licet determinaretur, (quod est quidem valde diuersum) siquidem quasi manendo cum natiua, & pristina latitudine, & indifferentia saltem fundamentaliter, potius, & vlterius extraheretur ad alias nouas operationes, quarum sine dubio est radix, atque principium differentia specifica Talpae, & quarum genus Animal principium non erat; & similiter extraheretur magis cōtractum in homine, & equo; vt nemo nō videt, licet Talpa sit. similes vero Animalis contractiones, & determinationes, nō limitant, sicut neque immorant Animalis virtutem, sed eam determinantes extrahunt, vti satis declaratum est. doctrinam hanc Recētiorum principijs aiiunde innixam, ipsis tamen examinandam trado.

SECTIO V.

Ostendit dari Differentias infimas; & ex his, ac subalternis saltem posse reperiri alias simplices, alias compositas; sed prius quid simplicitas sit, & cōpositio, & quotuplex.

SVppone primo. quod *simplicitas est vnitas rei, & essentia, compositionis expers*, & est duplex. alia *physica*, alia *metaphysica*. simplicitas physica est illa, qua simplex dicitur res physica, vt Deus, Michael Archangelus, Anima Rationalis, & similia, quae carent physica partium cōpositione, praesertim se habentium instar materiae, & formae. simplicitas vero metaphysica est, qua gaudent quaedam formalitates praecise per intellectum, carētes alijs socijs formalitatibus essentialiter ab se inuicem distinctis, nec se vicissim claudentibus, aut saltē ex vna parte, vt censentur esse *ens, vnū, aliquid*, & similia; formalitas item Essentiae Diuinae, quae licet in se claudat Attributa, & vica versa ab ipsis includatur, simplicissima est, sicut & ipsa attributa sunt; siquidem eiusmodi inclusio excludit omnem compositionē. praeterea simplex quoque est Paternitas diuina, licet claudendo essentiam diuinam, & reliqua attributa essentialia, atq; cōmunia, ipsa in essentia non claudatur; vt fusius alibi monstrandum est. simplicia item vulgo censentur capita decem praedicamentorū, quia eua transcendit eorum differentias, licet non contra. *S. Thomas. 1.p.q.39.A. 3. ad 1.*

Secundo. compositio est duorū aut plurīū non se includentium coniunctio ad aliquod aliud tertium componendum, & est quoq; dupliciter, alia *physica*, qua gaudet homo quidam compositus materia, & forma; & 742 huiusmodi. alia est *compositio metaphysica*, quam habet homo in communi, quod coalescit ex gradibus metaphysicis, hoc est distinctis ab intellectu, nempe *animali*, & *rationali*. vtraque compositio distat a Deo ente perfectissimo, & simplicissimo quam longissime, physica quidem, quia Deus non constat materia, & forma, aut partibus alio modo coniunctis; metaphysica item, quoniam caret conceptibus se excludētibus, & signate generis, ac differētiae compositione, de qua infra. egit de vtroq; hoc genere compositionis *S. Thomas* ad 7. metaph. lect. 10. lit. B. *S. Thom.*

His ita vtcumq; expositis praesuppositis, accedendo propius ad tituli quaest. supposuit primo S. Thom ad 2. Poster. lect. 73. l. F cum *Aristotele* in 7. met. c. 14. dari de facto differentias infimas, quas ipsi vocare solent *vltimas*, vt adnotaui supra nu. 714. *S. Thomas Aristotel.*

& est communis opinio, vt erudite probat **P. Paulus Vallius** in Logica quæst. 1. c. 4. & 8. & consentiunt **Albertus, Alexander Simplicius, Auicenna, Masttius, Curs. Comp.** & alij Recentiores. cuius rei ratio est; Etenim illa est differentia infima, quæ est vltima, per quam ita res differt ab alijs omnibus essentialiter, vt cum nullis per eandem conueniat; sed ita de facto sunt differentiæ plures; dantur ergo differentię infimæ, probatur minor, quia ita sunt *rationale*, & *hinnibile*; nam per *rationale* v.g. ita homo differt ab equo, & ab alijs omnibus, vt per id ipsum cum eorum nullo conueniat, neque cum Angelis, aut Deo; qui licet sint quoque rationales, sũt tales per longe diuersum *rationale*. quia Rationale humanum nescio quam cognationem, & connexionem naturalem habet cum corpore, illorum autem minimè, vt monstratur alibi.

Quod si homo per *rationale* conueniret cum equo; vel etiam equus conueniret cum homine per *hinnibile*; sequeretur. quod & homo esset equus, & equus homo, sicut per conuenientiam in ratione *sensibilis* vterque *sensibilis* dicitur, & est. quare, vt & hic illud aduertam, plusquam falsus fuit *Porphyrius*, qui attexens, siue componens seriem generum prædicamenti substantiæ in cap. 3 de specie, collocauit sub genere *animal*, quia id non infimum, & vltimum, sed subalternum esse putauit, aliud genus inferius nempe *rationale animal*, quasi diuidendum vt in species 743 immediatas *in animal rationale mortale*, quales nos homines sumus, & *in Animal rationale immortale*, qualiter ipse credebat esse suos fictos Deos, aut Angelos à Gentibus dictos intelligentias & *Genios*. ita quòd differentia *rationale* non esset infima, nec vltima, sed subalterna, vtpote prędicabilis de multis plusquam specie distinctis, nimirũ de Dijs, Angelis, & hominibus.

S. Thomas. Aristotel. Secundo supposuit item *S. Thomas* cum *Aristotele*, locis superius allegatis, non tantum possibiles esse differentias simplices, sed de facto esse iam plures; quatenus concessit dari differentias infimas, & vltimas constituentes species infimas. perinde enim est apud S. Doctorem differentia infima, ac simplex. subscribunt Patres *Suarez* in metaph. disp. 15. sect. 11. nu. 23. *Fonseca* 5. metaph. c 28. quæst. 17. sect. 2. *Conimbricenses* in Porph. caput 3. de differentia quæst. 1. art. 1. §. *opposita*, & ibi *Albertus, Sotus, Caiet.* & aiunt esse communissimam sententiam. cuius ratio est, quoniam non repugnat, imò necessarium esse videtur, quod detur cuilibet rei suus proprius certus, ac determinatus conceptus, qui & ipsam vltimo constituat, & ab alijs omnibus omnino distinguat; sed is est differentia simplex; ergo differentia simplex possibilis est. maior certa videtur ex eo, quod res certa essentiã certam, ac propriam debuit habere; sed adhuc confirmatur, quia multæ sunt differentiæ physicæ simplices, vti sunt animæ rationales, & Angeli; quinimo ita sunt formæ omnes, ergo simplices esse poterunt differentiæ metaphysicæ; quæ sane ratio licet me nõ cõuincat, tamen ab aliquibus putatur sufficiens ad probandum de facto esse differentias aliquot simplices, qualiter dicuntur esse *rationale, hinnibile*, & quotquot componunt species infimas. de quo ego multum dubito. credo tamen differẽtiam Dei simplicissimam esse.

Dicendum est Tertio non implicare differentiam compositam ex pluribus in adequatis conceptibus, seu formalitatibus essentialiter distinctis, seu non se includentibus, id colligunt docti Iuniores ex *Aristotele* in cap. 3. 1. Topic. & tenent alij, *Aristoteles* quos referunt *Conimbricenses* super caput *Porphyrij* 3. q. 2. a. 1. §. *quod*. quatenus docuerunt differentias genericas, siue subalternas simplices esse, differentias autẽ infimas esse compositas: vnde posuerunt *animatum & sensibile* esse simplicia, *rationale mortale*, & huiusmodi composita. conclusionis ratio est, quia non videtur impossibilis differentia composita ex pluribus formalitatibus non se claudentibus mutuo, neque in aliqua tertia transcendenter, per quam res vna sufficienter in se constitui posset, & ab alijs omnibus distingui, ; neque enim contingeret collectionem eiusmodi formalitatum esse eamdẽ in pluribus, sed vnicæ rei propriã; ergo possibilis est differẽtias cõpositas; & quidẽ dari de facto saltem infimam compositam putarunt illi Doctores relati à *Conimbricens.* & nos putamus efficaciter probasse 744 ad 1. *Physicorum*, vbi ostendimus differentiam materiæ primę coalescere ex multis respectibus, & formalitatibus distinctis essen-

essentialiter pro distinctione formarū, ad quas referuntur, id quod persuadebamus exemplo, & argumento desumpto ab anima rationali, in qua communiter distinguitur *animal à rationali* essentialiter, tanquam formalitates nō se vicissim claudentes, quæ tamen sunt duo animæ respectus distincti penes varias animæ eiusdem operationes.

Sed res hæc certa debet esse tum apud afferentes formalitates, tum apud Negantes; quia ex parte pendet à libero arbitrio. & ideo differentiæ rerum harum compositæ sunt: nimirū actus simul vidētis multos, & varios colores. volentis docere ex motiuo charitatis, & obedientiæ, & propter alios bonos fines. credentis Romam esse propter authoritatem cuiusdā hominis, & cuiusdam Angeli. dicentis, Petrus est Apostolus, & Michael Archāgelus. & alij multi actus intellectus categorici, & hypothetici; & item aliarum potentiarum, qui simul versantur circa obiecta formalia duo, aut plura, specie, vel genere diuersa. ita quoque, vt non discedamus à proposito nostro, est species quælibet, quæ secundum *Porphyrium* supra num. 690. habet duas partiales differentias, seu habitudines, quarum altera constituitur prædicabilis, altera subalterna, aut subijcibilis. Conturbetur nemo si dixerit *Aristoteles* cap. 3. Prædicam. *esse diuersas species, quæ sub duplici genere non subordinate continentur*. nam ibi loquitur de genere duplici adæquato; nam sine dubio duo genera adæquata contrahi non possunt ab vna specie. quare non inconuenit, quod actus ille prior, qui est mistæ cuiusdam, & innominatæ speciei, immediate contineatur sub genere Charitatis, & sub generibus aliarum virtutum; quia ea omnia genera, ita se contemperāt, vt licet aliunde adæquata sint, respectu huius actus, ac differentiæ ipsius, inadæquata dicantur, & sint. & ita de reliquis exēplis dicendum iuxta dicta supra 278. His consonat quoque P. *Arriaga* hic disp. 8. sect. 1. num. 8.

Aristotel.

SECTIO VI.

Probat Differentias inferiores non includere in se rationes sibi superiores; neque inferiora includi in suis superioribus; & argumentis aditum præcludit.

Sectionis huius titulus continet duas partes. prima est differentias inferiores non includere in se genera sua, neque alias differentias superiores; idest *rationale* v.g. non claudere in se *animal*. neque sensibile *viuens*. & est expressa sententia Philosophi, & S. *Thomæ* pluribus in locis *manifestum igitur* (inquit) *Aristoteles* 4. Topic. cap. 2. in loco 18. quoniam *non participat genus differentia. quare neque impar species erit, sed differentia, quoniam non participat genus; nam omne quod participat genus, vel species, vel indiuiduum, est; differentia autem neque indiuiduum neque species*. & id ipsum repetit in 3. metaph. tex. 10. & in 11. met. cap. 1. & ibidem S. *Thomas* in lect. 8. super librum 3. & super 11. lect. 1. lit. L. qui quoque in Opusc. 42. cap. 1. iterum subiūgit, *differentia non participat genus, quia cum dico rationale, significo aliquid, quod habet rationem, neque est de intellectu rationalis, quod sit animal*. & subscribunt *Arriaga* hic disp 8. num. 2. *Hurtado* d. 6. Logica sect. 3. *Cursus Comp.* & ibi *Capreolus Flandria, Iauellus, Ferrara, Toletus, Sanchez, Mastius, Scotus, Antonius, Andr.* contra *Nominales*. sed cum his & Patribus *Hurtado*, & *Arriaga*, & sequacibus, qui negant præcisiones, non expedit super hoc negotio litigare, quia ipsi pro libito sicut possunt concipere, & facere differentias simplices, aut compositas, etiam diuinam; ita in ipsis claudere, aut ab eis excludere genera, & vice versa. & hoc facient impune, siquidem tota architectura se tenet ex parte formalium conceptuum res inadæquate concipientium.

745 *S. Thomas.* *Aristotel.* *S. Thomas.*

Ratio breuis est. etenim omnis metaphysica compositio fit ex obiectiuis conceptibus, & quasi ex partibus non se claudentibus, sed ex omni genere, ac differentia sua fit compositio metaphysica, ergo nulla differentia includit suum genus; ergo *rationale* non includit essentialiter, nec participat *animal*: neque *sensibile* includit *viuens*; maior syllogismi est certa, siquidem est definitio compositionis metaphysicæ, minor communiter recepta; & consequentia bona est.

Confirmatur eadem ratio ex regula generali

nerali explicata supra a num. 729. fundata in doctrina *Aristotelis*, & *S. Thomæ*, vt videre est in 11. Metaph. lect. 1. littera M. vbi dicitur *sumi genus à materia, & differentia à forma, sicut rationale à natura intellectiua, & animal à natura sensitiua*, eo modo, quo explicabamus nos nu 731. *S. sed titulus*.

Aristotel. *S. Thomas.*

746 Etenim ratio quæuis communis abstracta in se nihil aliud est, nec habet nisi conuenientiam, quam præbuerunt inferiora, à quibus abstracta fuit, & nisi illud, quod est principium, & radix operationum, quarum est principium, & radix talis ratio communis, sed inferiora *rationalis* solum præbuerunt conuenientiam in ratiocinio; & differentia ipsa *rationale* abstracta solũ est principium, & radix operationum rationalium, & nullo modo animalium; ergo *rationale* non includit in se *animal*, neque vlla alia differentia, suum genus.

Hæc eadem ratio cum sua confirmatione conuincit secundam tituli partem, quæ asseruit cum *Aristotele* in 7. Metaph c. 14. & sæpe alibi, & *S. Thoma* super 5. Metaph. lect. 4. differentias inferiores, *Rationale*, & *Hinnibile*, vice versa non includi in *animali*, neque in *sensibili*, neqe hoc *sensibile* includi in *viuenti*, aut *substantia*. primo. quia ij omnes gradus componunt metaphysice. Secundo, quoniam *animal* abstractum v.g. est conuenientia inferiorũ vt conuenientium tantum in animali, siue principio sentiendi, & ipsum *animal* solũ est principium sentiendi, & nullo modo Ratiocinandi, aut Hinniendi.

Aristotel. *S. Thomas.*

Adde quod si *animal* includeret *rationale*, & *hinnibile*, & reliquas inferiores sibi differentias (quas non actu continet, vt supra docuimus, & hic reperimus, sed potentia) homo esset equus, siquidẽ iuxta cõmune Prouerbiũ *quidquid essentialiter cõuenit superiori, essentialiter conuenit inferiori*, ergo si Animal quod est superius ad hominẽ, includeret Hinnibile, homo quoq; hinnibilis esset, & cõsequenter equus, imo & leo, & reliqua animantia bruta; & è cõuerso ista omnia forẽt homines; atq; propter rationem hanc sumptam ex eo prouerbio cõmuni, cõmuniter defendunt recentiores Theologi relationes diuinas, nempe Paternitatem, Filiationem, & Spirationẽ passiuam, quæ sunt veluti inferiora, & differentiæ respectu essentiæ diuinæ, in ipsa non includi, quãuis ab illis ipsa claudatur; quorũ sententiã expresse tradiderunt *Suarez* lib. 4 de Trin. a c. 5. vsque ad 9. *Bellar.* lib. 2. de Christo c 9. fine. *Canariens.* in q. 39. art. 6. disp. vnica, *Salmeron* to. 2. tract. 2. col 3 *Zumel* 1. p. q. 28. a. 2. q. sua. 3. *Granado* de Trin. tract. 3. d. 4. sect. 2. & ibi *Torres*, & *Arrub.* & colligitur ex *S. Thom.* in 1. dist. 33. q. 1. a 1. c. & 1. p. q. 39. a. 3. ad 1.

S. Thom.

Pro argumentorũ solutione oportet meminisse diligenter, quod quando abstrahimus differentiam *rationale* v.g. à suis inferioribus, habebus pro fundamento physicas eorum operationes rationales solas, sicut quando abstrahimus *animal*, solum pro fundamento habemus operationes sensitiuas, vt dixit supra *S. Thomas*, vnde fit vt Rationale præcisum sit radix metaphysica operationũ metaphysicarũ rationaliũ, & non aliarum; & animal modo suo sit quoque radix operationũ sensitiuarum; sed quoniã Rationale est quædã formalitas condistincta per intellectũ ab Animali, & nõ est pure nihil, nec accidens, nec emortuum quid, non potest non esse saltẽ materialiter, & transcendentaliter ens substantiale, viuens spirituale, quinimò & ea omnia & similia videtur importare formaliter attenta abstractione sui, qua abstractũ fuit ab inferioribus substantialibus viuis, & secundũ quod spiritualia sunt, & rationalia. 747

S. Thom.

Nihilominus docti magistri, quibus reuerentiam debemus, opinantur præter dictas rationes transcendẽtes, quas includit, vel quibus constituitur *rationale*, includere etiam quoddam sensibile transcendens; & ideo ab Animali diuersũ, siquidẽ hoc est vniuocũ, etenim inquiunt, inconueniens videtur cõcedere Rationale esse quid insensibile; sed verò iuxta prædictam regulam generalem dicendum arbitror Rationale non esse neque transcedentaliter sensibile, primo, quia quando abstractum fuit rationale ab indiuiduis; non dederunt illa conuenientiam, siue non exercuerunt differentiam, nisi per rationem subsistentem intellectualem. secundo, quia non relucet in *rationale* abstracto aliquod principium sensus alicuius, vt sentire visus est *S. Thom.* dicens vbi supra, *cum dico rationale significo aliquid, quod habet rationem, neque est de intellectu* (seu conceptu) *rationalis quod sit animal*.

S. Thom.

Quocirca, saluo meliori iudicio non reputo

748 puto inconueniens fateri, & appellare *rationale*, quid insensibile, ideft non esse radicem alicuius sensus; donec videam cuius corporei sensus sit principium in abstractione sua; quemadmodum communiter non reputatur incommodum appellare *animal* irrationale, quantumuis illud abstractum quoque sit ab homine, ratione præsertim animæ spiritualis ipsius; siquidē animal est sola animantium conuenientia in operationibus, seu in virtute sentiendi, & in eo abstracto non elucet potestas ad intelligendum. facilius se ab hac difficultate expediunt, qui præcisiones negant; sed aliunde tam subtiliter præscindunt, vt cōcipere valeant *Rationale*, aut *animal*, quin explicent quod ea sint substātiæ, aut entia: posset vero mecum nonnemo addubitare vtrum *animal* à Porphyrio positum in prædicamento, supra hominem, Platonem, aut Petrum, sit formaliter, aut eminenter corpus, siue abstrahens à corpore eminentiali & formali, sed dubitandi scrupulosa ratio alibi proponetur congruentius, nempe vbi arborem prædicamentalem substantiæ depinxerimus.

QVAESTIO VII.

De Proprio, & Accidenti, duobus vltimis prædicabilibus, super capita Porphyrij quartum, & quintum vbi prius compendio præmittitur huius authoris doctrina.

IN cap. 4. proposuit *Porphyrius* quatuor descriptiones Proprij dicens, propriū quadrifariam diuidunt, & primo propriū dicitur, quod vni soli speciei conuenit, sed non omnibus indiuiduis eius speciei, sed aliquibus tantum, vt esse *medicum*, vel *geometram*. secundo proprium est, quod conuenit omnibus indiuiduis vnius speciei, sed non illis solis, vt esse *bipidem*. tertio proprium est, quod conuenit omnibus, & solis indiuiduis vnius speciei, sed non pro omni tempore, sed pro aliquo tantum, vt *canescere*. quarto proprium dicitur, quod conuenit omnibus, & solis indiuiduis vnius speciei pro semper, vt *posse ridere*, *intelligere*, *& velle*, formaliter sumpta, ideft potentia ridendi, intellectus, & voluntas. & quidem proprium hoc modo quarto acceptum, est proprijssimum, ac celebre, & quod vocat *Aristoteles passionē* *propriam*, vt aduertit S. *Thomas* iam allegandus, & de quo dixit idem Philosophus 5. Topic. cap. 5 *impossibiles est idem propriū plurium*, nempe specierum. *Aristotel.* *S. Thomas.*

Atque in fine capitis huius 4. de proprio subiunxit iste Author, licet non ita clare, regulam generalem Logicæ realis docentis vti proprio; à quo, si perfecte Proprium est, rite ducitur argumentum ad speciem, & è conuerso. vnde *rite prædicabis speciem de illo cui conuenit proprium, & vice versa*, nam quidquid homo est, risibilis est; & quidquid risibile, homo quoque continuo erit. qui plura velit de Proprio legat *Aristotelem* 1. Topic. c. 4. & 5. Topic c. 5. & 2. *S. Augustinum* de Categor. tom. 1. cap. 9. & tom. 3. lib. 5. de Trinitat. c. 3. & 4. *S. Thomam* Opusc. 48. c. 6. & quę dicemus infra in Sect. 1. *Aristotel.* *S. August.* *S. Thomas.*

Deinde idem *Porphyrius* c. 5. posuit tres definitiones *accidentis*, interposita vna ipsius diuisione, qua diuidit illud in accidēs *separabile*, & in *inseparabile*. separabile est, vt *somnus*, seu *dormire*, *sedere*, *stare*, & huiusmodi. inseparabile accidens est, vt *nigredo in coruo*, vel *æthiope*. prima ergo definitio est, accidens est, *quod adest*, *& abest præter subiecti corruptionem*, modo id contingat realiter, modo nostra sola consideratione; vt est nigredo æthiopis, quæ quia ipsi accidentalis est, saltem potest considerari quasi ab ipso absens fine subiecti, essentiæue corruptione; neque enim necesse est nigredinem realiter ab illo separari, siquidē id intendere, erit frustra æthiopem dealbare. alia quidem accidentia plurima realiter possunt facilius abesse, tari; vt patet contemplanti. secunda definitio est. *Accidens est, quod contingit eidē inesse, & non inesse*, vt vides in somno, qui quandoque inest, quando recedit ab oculis tuis. Tertia est, *accidens est, quod non est proprium, neque genus, neque species, neque differentia, sed in subiecto subsistit siue inhæret*. legātur vbi supra SS. *Augustinus*, & *Thomas* cap. 8. & *Aristoteles* cap. illo 4. 749 *S. August.* *S. Thomas* *Aristotel.*

Circa literā huius capitis vtriusq; aduerto primo, hæc duo prædicabilia tantū esse extra essentiā subiectorū, de quibus dicuntur; sed cū notabili ea differentia; quod nimirū, Accidens cōponat propositiones cōtingētis materię; Propriū verò necessariæ & naturalis; quoniā illud est semper quid accidentarium suo subiecto; hoc vero passio

con-

connaturales ipsius, cum eo habens tantã connexionem, vt plerumque dicatur cum ipso adconuertentia, dicit verò S. *Thomas* cap. 7. de Proprio, id quidem dici *per se* de indiuiduis, sed non primo; quia inquit per se primo dicitur de specie, ac deinde ratione speciei de indiuiduis; quod propterea dictum videtur à S. *Thoma*, quia *risibilitas* v.g. primo, & immediatius annectitur speciei humanæ, idest homini, quam principio indiuiduanti, siue singularitatibus eius naturæ, vnde vulgo dici consueuit, quod & ibidem aduertit S. Doctor, *proprium per prius respicit speciem, quam indiuidua*.

S. Thomas.

750 Secundo, P. *Suarez*, in metaph. disp. 6. sect. 8. num. 8. optime quoque aduertit ea duo prædicabilia prædicari debere de suis inferioribus in concreto; quamtumuis ipsa sint quædam formæ, & plerũque soleant significari termino abstracto; vnde inepte dicetur, & falso, *Petrus est risibilitas*, *seu albedo*; dicendum ergo erit *sortes est risibilis*, & *Petrus est albus*, ita quod in quauis propositione sit identitas prædicati cum subiecto, saltem ratione partis alicuius, nempe ratione habentis, vt sæpe alibi dictum fuit, & est conforme *Aristoteli* in 4. Topic. cap. 1. & S. *Thomæ* de ente, & essentia cap. 4.

Aristotel. S. Thoma.

SECTIO I.

Definit essentialiter Proprium in communi, vt tamen est omnium propriorum in cõmuni congeries; & respondet argumentis; & explicat aliquot Aristotelis dicta de Proprio ad pleniorem intelligentiam ipsius.

PRoprium est *quidquid est vnum aptum esse in multis in quale, & prædicari de ipsis, vt ab eorum essentia dimanans, & cum eisdem connexionem habens*, vt Risibilitas, siue potentia ridendi, Calor, Albedo, Intellectus, Voluntas, & huiusmodi. declaro definitionem hãc per partes singulas, & primo incipio à definito, quod in præsenti non est Proprium in communi, quasi abstractum ab omnibus proprijs, sic enim acceptum Proprium non est nisi de solo nomine, nã re vera est species, aut Genus, vt infra q. 8. dicemus. est vero definitum propriorum omnium in communi congeries, quasi eo modo, quo positum est à *Nominalibus*; quorum sententia, & modo dicendi vti nobis licet, dum volumus, iuxta dicta supra in quæst. 2. sect. 6. §. *circa*, & propterea definitio definito rite congruit, prima ergo definitionis pars est illa *vnum aptum esse ac prædicari*. qualiter est, *risibilitas* in communi; & huiusmodi passiones aliæ.

Sed hic aduerte diligenter id, quod etiã in simili animaduerti supra n. 645. & 681. ad mentem S. *Thomæ* ibidem allegati, Risibilitatem v. g. (& idem erit de quolibet alio proprio) posse considerari in ordine ad duo genera inferiorum, in quibus apta est inesse, & de quibus potest prædicari: alia inferiora sunt risibilitates peculiares diuersorum hominum, respectu quarum Risibilitas in communi, & ab eis abstracta est species; siquidem, vt manifestum est, de illis prædicatur vt tota essentia in eo quod quid; vti vides, dum dicis *Petri risibilitas est risibilitas. Pauli risibilitas est risibilitas*, & huiusmodi aliter. alia vero inferiora sunt peculiares homines habentes nimirum risibilitates siue potentias ad risum, tanquam passiones, & proprietates; & respectu eorum *risibilitas* est vniuersale *proprium*, seu quartum prædicabile, & vt tale de illis prædicatur in concreto resoluto, vel etiam plerumque non resoluto, vt apparet ibi, *Petrus habet*, seu *est habens risibilitatem*; quod perinde valet, 751 atque *Petrus est risibilis*. ex quo tandem concluditur eamdem rationem communẽ posse, & solere exercere rationem prædicabilium multorum comparatam ad varia inferiora, vti declarabam locis superius allegatis.

Secunda definitionis particula est, *de multis*, idest *inferioribus pluribus numero, specie, vel etiam genere differentibus in quale, tanquam passio ab eorum essentia dimanans*. prædicatur ergo, ac dicitur proprium de suis inferioribus *in quale*, hoc est quasi accidentaliter, seu per modum alteri adiacentis nomine adiectiuo plerũque significatum; non autem vt essentiale prædicatum; aut integraliter pertinens ad rei essentiam; sed vt passio duntaxat, inseparabiliter tamen subiectis suis debita; & ideo non ita accidentaliter, vt prædicari solent de animantibus *dormire, stare, sedere*, & hu-

& huiusmodi accidentia separabilia, quæ illis inhęrent valde contingenter.

Vnde colliges primo cum P. *Suarez* in metaph. disp. 6. sect. 7. num. 8. ad prædicabile proprium pertinere illas omnes affectiones, quæ sunt in rebus, ac dimanant ab eorum essentijs; tales sunt in hominibus potentiæ ad risum, ad motum, ad sentiendum, & aliæ corporales, & item spirituales; vt Intellectus, & Voluntas; ac generaliter in rebus quibuscumque tam physicis, quam metaphysicis, Proprium est quidquid ab illis veluti à radicibus dimanat, aut quasi dimanat, vt eorum cōplementum connaturale, aut ornamentū necessarium, & per se connexum, idest ita
752 requisitum, vt eæ radices bene se habeant cum ipso, sine ipso vero non ita bene. excipe tamen & exclude à ratione Proprij passiones, quas vocant entis, nempe, Veritas, Bonitas, Aliquid, & Vnitas; quoniam vel eę sunt eędemmet essentię rerum, quarum dicuntur esse, vel si passiones, sunt trāscendentes, & ideo ineptæ vt esse possint prædicabilia plusquam improprie, & reductiuè.

Præterea reduces ad classem Propriorū aliquas formas, quæ licet vere non dimanent à suis subiectis, in illis tamen necessario resultant, ex quibusdam ibi positis, & inexistentibus, vti videtur esse *amor beatificus*, qui quasi dimanare, ac resultare dicitur communiter à Theologis à clara Visione Dei, quatenus impossibile est à quopiam videri Deum, & cōtinuo nō amari ob immensum bonitatis, & pulchritudinis diuinæ pondus, quod clare visum omnino trahēdo rapit, & quasi extorquet à vidente amorem, quare illa prædicatio, & similes pertinent ad Proprium, *S. Petrus amat necessario Deum*.

Collige secundo inferiora Proprij esse illa omnia, à quibus dimanat, ac de quibus necessario, & vt passio prædicatur; quamtumuis ea inferiora specie, aut genere & plusquam numero differant inter se, *Aristotel.* vt docere videtur *Aristoteles* 5. Topic. c. 4. & 5. Topic. cap. 1. quocirca albedo in cōmuni etiam quatenus proprium est, respicit vt propria sua inferiora Cignum, Lac, Niuem, Calcem, & alia, à quibus emanarit, aut emanare potuerit. demum ad Proprium proprie pertinent illa, quæ enumerauit *Porphyrius* supra num 748 quoniam ea omnia necessario emanant, aut annectuntur cum subiectis, quorum propria dicuntur & sunt, vt planum fiet contemplanti.

Sed obijcitur primo *Porphyrius* ipse dicens cap. de genere, *Proprium quidem de vna ipsa specie, cuius est proprium, prædicatur, & de his, quæ sua ipsa specie sunt, indiuiduis*. consonat *Ioannes* ille *Theologus* in Concilio Florentino Sess. 18. col. 8. vbi dicit *proprietas communicabilis non est alias non est proprietas*.

Respondetur *Porphyrium* loqui de proprio perfectissimo quarto illo suo modo 753
sumpto, quo modo sumptum solummodo conuenit vni speciei infimæ, & eius indiuiduis, vt *risibilitas*. secus dicendum est de proprio in communi, & quasi subalterno. similiter loquutus est de Proprio infimo & perfectissimo *Ioannes* ille *Theologus* grande decus Dominicanæ familiæ, *Ioannes de monte Nigro* nuncupatus, & olim Prouincialis Lombardiæ.

Obijcitur secundo; quia calor, albedo, quantitas, & alia innumera accidentia, quæ verè dimanant à suis subiectis, sunt accidentia, ergo non possunt pertinere ad quartum prædicabile, quod est proprium; sed ad quintum, quod est accidens. Respondetur prædicta entia esse quidem in esse suo, & prædicamentaliter accidentia, idest quæ postulant alteri inhærere ob debilitatem sui esse, sed prædicabiliter, vt ita dicam, non pertinere ad Quintum prædicabile, quod dicitur Accidens, ex eo, quod contingenter insit subiecto, modo sit accidens in se, modo substantia; sed ad Quartum, quatenus sunt connaturales passiones habentes connexionem cum subiectis, à quibus emanant: etenim in præsenti non tam attendimus rerum essentias, quam modū, quo debentur, & sunt in subiectis; & quo de ipsis prædicantur, legatur circa hæc *S. Thomas* Opusc. 48. c. 6. *S. Thom as*
in principio.

Obijcitur Tertio *Aristoteles*, qui lib. 3. *Aristotel.*
de anima tex. 7 & alibi sæpe probat nostrū intellectum esse *separabilem potentiam*; ergo nō est Proprium, sed Accidens, quod definitur posse esse, & abesse, seu separari à subiecto, sine ipsius corruptione. Respondetur *Aristotelem* ibi, & alibi docere intellectum esse quidem separabilem à corpore nostro terrestri, & mortali, &

pro-

propterea illum esse immortalem, & æternum; sed nusquam dixisse intellectum separari posse ab anima, cuius proprietas inseparabilis est. quocirca dici poterit intellectum esse proprium respectu animæ suę, & accidens respectu corporis, siue materiæ corporeæ; atque ex eodem capitulo, nempe ex eo, quod anima rationalis separabilis quoque sit à corpore, probat ipse
754 *Aristoteles* ipsius immortalitatem, vt videre quiuis poterit in erudito tractatu composito à D.Card. *Augustino Oregio* in toto integro tract. 4. c. 6. quæst. 5. vbi *de vera sententia Aristotelis de animæ immortalitate*, vel in ipso *Aristotele* lib. 1. de anima textu 12. & 13. & sæpe alibi.

Aristotel.

Denique ad Proprij maiorem notitiam congessi aliquod afferta Philosophi circa ipsum: & primo asseruit in 1. Topic. c. 4. postquam proprium rigorosum, quarto modo definiuisset; id cõuersim prædicari de re, vt supra initio quæstionis huius exemplificaui; alia vero propria, quæ nimirum contingit multis specie distinctis inesse, ibidem docet non conuerti. secundo in 5. Topic. cap. 1. enumerat quatuor modos proprij, nempe *per se, semper, ad aliud, aliquando*. proprium *per se* ait esse hominem natura mansuetum, siue eius mansuetudinem connaturalem. *semper* proprium esse Deo immortalitatem. proprium *ad aliud*, siue erga aliud, inquit est imperium, quod exercet anima supra corpus, & ideo illius proprium dicitur imperare, huius autem illi obedire, & parere. *aliquando* vero proprium dicitur hominis, ipsum deambulare in Gymnasio. *Propriorum autem ea maxime Logica sunt, quæ per se, & semper, & quæ ad aliud.*

Lege totum hoc caput, & quod sequitur secundum, vbi mira tradit Philosophus de Proprio. Proprium demum appellat id, quod quilibet possidet quocunque modo, & ad quod *vnusquisque sedulo incumbit*. vt legis 2. Politicor. cap. 3. siquidem *verum id quidem affirmare omnia entia bonum aliquid appetere, vnumquodque enim proprium bonum expetit: oculus visum, corpus sanitatem, sic etiam reliqua*, vt ipse dixit lib. 1. Moralium Eudemiorum capit. 5. alia quæ de proprio hic possunt desiderari, dicenda sunt inferius in q. de locis vbi de vsu Proprij in prædicatione agendum erit.

SECTIO II.

Definit Accidens, quod est prædicaquintum; satisfacit replicis in contrarium; & producit aliquot assertiones Phylosophi circa ipsum ad pleniorem ipsius notitiã.

Accidens in communi, siue, vt rectius loquar, *quidquid accidens est, est* 755. *vnam aptum esse in multis, ac prædicabile de illis in quale ab eorum tamen essentia non dimanans, vt connexum quid*. vt dormire, aut somnus, vigilia, sedere, stare, albedo, & similia respectu rerum quibus contingenter insunt, & propterea dixit *Porphyrius* in hoc cap. 6. *de accedente*, desumes ex *Aristotelis* lib 1. Topic. c. 4. *Aristot.* & lib. 4. cap. 1. *accidens esse, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, vt dormire*, quod ibi vocat accidens separabile, quia realiter separari contingit ab animali: & vt *nigredo Corui*, quæ solum separari quit à Coruo, & Aethiope per intellectum, illæsa eorum substantia; & ideo vocat illam accidens inseparabile, idest realiter, vel per sectionem realem, licet eiusmodi accidens Proprium videatur.

Circa nostram definitionem aduerto tria. primum est definitum ibi esse collectionem omnium accidentium non singularium, sed communium, idest dormire in communi, albedo in communi, & huiusmodi rationes communes; & sic fieri oportuit; secus definitio non quadraret definito plusquam de nomine; siquidem accidens in communi, vel est genus, vel ratio communis transcendens, vt in simili dicebamus supra Sect. 1. initio. Secundum est Accidens conuenire cum reliquis prædicabilibus in eo, quod sit vnum aptum esse in multis; atque ab eis differre per reliqua, quæ in definitione posita sunt. Tertium notabile est, inferiora Accidentis posse, & solere differre inter se numero, specie, atque genere, sicut consideranti fit manifestum; & nos declarabamus supra de Proprio num. 752. §. *colligo* 2. & consentit *Porphyrius* cap. 7.

Sed contra objicis primo. quia si bona esset prædicta accidentis definitio, sequeretur substantias plures esse Accidens; hoc absurdũ videtur, ergo & quod illa definitio bona

bona sit; probas maiorem; quia multæ substantiæ sunt, quæ prædicantur de subiectis, atq. ipsis existunt contingenter, & ab ipsis facili negotio separantur sine eorum corruptione, vt patet in animâ rationali v.g quæ modo est in materia, modo abest, perseuerante materia incorrupta; vnde sūt veræ hæ, & similes propositiones, *materia habet animam rationalem contingenter; & eadem materia postmodum illam non habebit*. Respondetur concessa maiori; neque enim absurdum est substantias pertinere ad
756 quintum prædicabile, ad quod pertinent omnia, quæ contingenter dicuntur de suis subiectis; modo ea sint in sua entitate substantiæ, modo accidentia. Vnde generaliter dicitur prædicatio accidentis, quęcūque sit in materia contingenti; qualiter videntur esse supra enumeratæ, iuxta dicta supra num. 330. & hæ, *Petrus habet pallium. Ioannes est diues, Antonius est vestitus*, & huiusmodi innumerabiles, quātumuis earum prædicata substantialia sint, si tamen insint subiectis contingenter.

Obijcis Secundo. morbi, pestilentia, fames, & vulnera destruunt viuentia; & tamen sunt illorum accidentia; ergo male dixit malus *Porphyrius* accidens esse *quod adest, & abest sine subiecti corruptione*. Respondent Recentiores illa incommoda sua præsentia destruere quidē viuentium existentiam, non vero essentiam, idest, febris pestifera v.g Petrum occidit, remouendo ab ipso bonam qualitatum temperiem; sed non destruit animal rationale, neq. eorum prædicatorum essentialem connexionē intertimit; id quod dicuntur quoque facere Medici, vel Chirurgi curando, seu interficiendo non hominem, sed Calliam; quāuis melius soluetur argumētum dicendo eiusmodi morbidas qualitates destruere quidem, & corrūpere subiecta, quibus violenter insunt, vincendo, & expellendo ab ipsis qualitates bonas, quibus cum vita connectitur; sed inde non reuinci eas accidentia non esse; siquidem salua, & integra essentia, & existentia tam physica, quam metaphysica subiectorum suorum possunt ab ipsis abesse, & eisdē adesse, siu minus quādoque realiter, saltem nostra consideratione, vt adnotabamus supra ex *Aristotele*, *Augustin. Thoma*, & cōmuni. Etenim ideo dici solēt hæc duo prædicabilia postrema accidentia, quia sunt extra suorū subiectorū essentiam, quæ propterea integra, & incorrupta potest esse, aut saltem considerari sine ipsis; quantumuis ab eisdem soleat corrumpi veluti à causa, occasione, aut requisito, quasi extrinseco.

Aristotel. *S. Augusti.* *S. Thom.*

Obijcis Tertio, *Porphyrus* dixit esse accidens nigredinē in coruo, quæ tamen ab eo dimanat; ergo accidēs itē dimanat à subiecto, & cū eo habet cōnexionem; ergo à proprio nō distinguitur; sunt ergo quatuor tantū prædicabilia. Respondeo varias esse Philosophorū sentētias circa dimanationē, vel nō dimanationē nigredinis à Coruo; & itē albedinis à Cygno, videndas per otium apud nostrū *Stephanū Bubalū* in suis eruditis cōmentarijs Angelicis, ad q.51.1.par. *S. Thomæ* a.1.quæst.1.diffic.2.§. *quod non prouenit*. & ita cōditionaliter dico, quod si forsan nigredo dimanat à Coruo, vt verosimile videtur, erit propriū eius, si vero non dimanet, erit accidēs ipsius, inseparabile tamē, quāuis *Aristoteles* dixit in 5.lib.de generatione animaliū c. 6. visū esse albū aliquando quendā Coruum; quod & verum esse, & euenisse præternaturaliter; & quasi monstruose potuerit, vt ibi insinuat Philosophus, legatur *Scaliger* exercit.58. 757

Aristotel.

Obijcis Quarto, omnis prædicatio doctrinalis fūdatur in identitate prędicati cū subiecto, iuxta regulā Logicæ realis toties supra repetitā; sed accidēs imo, & Propriū nequeūt idētificari cum suis subiectis, ergo nō possunt de eis dici doctrinaliter. Respōdeo distīguēdo minorē. nequeūt idētificari cū subiectis, si prædicētur incōcreto, vt debere prædicari admonui supra, nego minorem; si prædicētur in abstracto; quomodo prædicari nō debent, cōcedo minorē. quocirca hæc optima prædicatio accidentis, *Petrus est albus*, fundata est in identitate alicuius partis prædicati cū subiecto; Petrus enim, & habēs albedinē, in præsenti perinde est, siu minus ratione formæ habitæ, ratione saltem habentis, ea vero idētitas sat est ad bonam, ac doctrinalem prædicationem.

Sed istas ergo prædicta propositio & similes, sunt in materia naturali; & nullo modo in cōtingenti; vnde vlterius fiet prædicabile nullum accidentis dari. nego consequentiam; oportet enim ad hoc vt propositio extrahatur à materia contingenti, & accidentalis formam habitam, quæ vere est prædicabile accidens, connecti cum haben-

habenti, quasi habentis propriam affectionem, & passionem; vt memini dixisse me supra num. 336. & quoniam albedo non ita connectitur cum habente Petro, ideo proprium ipsius non est.

758 Obijcis vltimo, accidens in communi est genus; & accidens in particulari, vt albedo, est species; vt apparet manifestè in his prædicationibus, *nigredo est accidēs; color est accidēs*, *albedo Petri, est albedo*; ergo non datur Quintum prædicabile. Respondeo ex dictis ad similē obiectionem Sect. superiori, §. *proprium est*. Accidens in communi esse genus, aut quasi genus respectu inferiorum, quibuscum identificatur; & similiter esse albedinem in communi speciem respectu albedinum in particulari; sed verò albedinem ipsam, & similes particulares rationes communes esse quintum prædicabile respectu inferiorum, quibus cū non identificātur; sed quibus cōtingenter insunt; & a quibus distinguuntur realiter, iuxta ea, quæ superius dicta sunt num 568. & tradit *Aristot.* 4. Topic. cap. 1.

Ad finē pro pleniori intelligentia huius Quinti prędicabilis, & quorūdam textuum *Aristotelis*, quos alibi afferā congruentius, aduerte aliud esse accidēs entitatiuum, seu prædicamentale, aliud accidens quintum prædicabile, seu logicum, illud enim est quod definitur *ens alterius, seu ens in alio*, vt est calor, qui nequit esse nisi inhærendo in manu, vel in subiecto alio; hoc vero est, quod supra definitum est. vnde fit accidens prædicamentale semper esse debere aliquid, quod substantia non sit; accidens vero prædicabile bene potest esse substantia, quoniam prædicari de pluribus, vt quid accidentale, & contingenter conueniens ipsis, & ita quod possit eisdem adesse, & abesse saltem nostra consideratione, salua eorum, & incorrupta essentia, non tantum conuenit rebus accidentalibus, sed rebus etiam substantialibus; vt in hac Sectione varijs exēplis ostensum est, & confirmat cum *Maiore Vasquez* 3. par. tom. 1. disp. 68. cap. 1. De locis autem arguendi fundatis in hoc prædicabili inferius suo loco dicendum.

Aristotel.

S. Thom. 3. p. q. 2. a. 6. ad 1. & 2. argum.

QVÆSTIO VIII.

Super Caput 7. Porphyrij de Communitatibus, seu conuenientijs, ac de Differentijs, seu discriminibus, quæ inter se habent enumerata quinque Prædicabilia, vbi de Logicis Cōsiderationibus circa ipsa, nusquam satis antehac expositis.

QVoniam, vt ait *Aristoteles* in 1. Top. cap. vltimo, magnam capimus vtilitatem, & scientiam ex similium, dissimiliumq; consideratione; meritò hic *Porphyrius* ad tradendam nobis, siue Chrysaorio suo quinque prædicabilium maiorem notitiam, primo posuit, & exposuit eorū comparationes decem. Secundo ex prædicabilium comparatione annotauit eorundem inter se conuenientias, & discrimina. tertio iecit duo axiomata primum est logicum, siue Logicæ realis regula, quæ sic est, *accidens siue quintum prædicabile immediate & proprius prædicandum est de indiuiduis, secundario autem, & minus proprie de specie*. cuius oppositum faciendum de Proprio, docuit nos supra n. 749. mediante alia cōtraria huic, regula, *S. Thomas* secundum est metaphysicum, decernens, *ex duabus speciebus*, nimirum completis, *tertiam aliam non posse constitui*; hoc est nihil posse componi ex homine, & equo, tanquam ex compartibus cōponentibus, neque ex huiusmodi alijs speciebus: sed quia tota doctrina capitis huius 7. perspicuè traditur ab authore, & satis supra à nobis declarata est à quæst. 2. vniuersalium in communi; in præsenti nō omnia, quæ à *Porphyrio* inculcantur, repetemus, sed nonnulla scitu dignissima, & quæ hactenus declarata non putāmus, in studentium obsequium denuo producemus. legat item, qui volet, Hispaniarū Doctorem Hispalensem S. *Isidorum* lib. 2. capit. 25. vbi de quinque prædicabilibus edisserebat, & in sua *Dialectica S. Damascenum*.

Aristotel.

759

S. Thomas

SECTIO I.

Probat quinque tantum esse Prædicabilia, siue vniuersalia; nempe ea ipsa, quæ hactenus explicata fuerunt; & argumentis aditum præcludit.

SVpponit *Porphyrius* ex communi Antiquorum sententia, Prædicabilia esse tan-

tantum quinque, nec plura, nec pauciora; & probat inclytus Martyr *Boetius* cap. de specie, ferme in hunc modum. etenim quidquid est commune multis, & praedicabile de multis, vel est aliquid essentiale illorum, vel aliquid accidentale, aut extra ipsorum essentiam; si est aliquid essentiale, vel dicitur in eo quod quid vt tota essentia; & sic est species; vel vt pars essentiae, & sic est genus; aut in quale quid; & ita est differentia; si autem sit praedicabile, & dicatur de suis inferioribus vt quid extra eorum essentiam, videndum erit an dimanet ab ipsorum essentia, an non; si dimanet, est proprium; sin minus; est accidens. vnde tandem concluditur adaequate diuidi praedicabile, siue vniuersale in communi in quinque huc-
760 vsque explicata, & enumerata: & quidem haec ratio recipitur communi plausu Antiquorum & Recentium Dialecticorum. S. Thom. Vide *S. Thomam* 1. contra Gent. c. 32. & Opusc. 48. c. 1. vbi non agnoscit plusquam quinque praedicabilia.

Sed tamen contradicis primo. rerum suprema genera, siue praedicamenta sunt decem; ergo totidem erunt praedicabilia; & probas consequentiam; quia modus praedicationis fundatur in entitate rerum; tot ergo erunt illi modi, quot hae fuerint. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; quoniam Logica, siue Logicus non attendit, neque considerat in rebus, quas praedicat, earum particulares, ac differentes conditiones essendi, sed conditiones, & modos praedicandi, & cum modi praedicandi sint tantum quinque; vt patet in discursu, & calculatione *Boethi*; quinque sunt tantum praedicabilia. idcirco dixi supra saepe, & infra repetam in Sect. sequentibus logicae considerationes, idest regulas Logicales, & eius speculationes abstrahere, à materia rerum particulari; & solum contentas esse, si doceant facere praedicabilia, & ijs factis vti secundum vniuscuiusque modum, essentiam, & naturam. ad consequentiae probationem addo ita esse, & fundari modum praedicationis in rerum entitatibus; sed quoniam res valde inter se distinctas cōtingit praedicari modo eodem, siue vniformi, hoc est vt totam suorum inferiorum essentiam, vel vt partem, aut aliter; ideo non cogimur tot ponere modos praedicandi, siue tot praedicabilia, quod sunt rerum genera, siue praedicamenta.

Contradicis Secundo. praeter quinque modos praedicandi quinque praedicabilia; dantur alij quinque, vel etiam plures, plura ergo sunt praedicabilia, quam quinq; probas antecedens inductione, & exemplis; etenim primo solemus praedicare vnam substantiam de alia contingenter, vt ibi, *quod mouetur est homo*. Secundo dicimus aliquid complexum de incomplexo, vti solet dici definitio de definito sic, *homo est animal rationale*. tertio praedicamus rationem analogam, seù transcendētem, cum dicimus *Petrus est indiuiduum; Ioannes est ens*. quarto negatiue aliquid enunciamus dicentes *Petrus non est leo*. quinto facimus has, & similes praedicationes identicas, & aliter, *Petrus est Petrus, animal est Petrus. homo est Socrates. Deus est trinus & vnus. Pater est Deus. Filius est Deus. & Spiritus sanctus est Deus: verbum est homo*. & similes, qui omnes modi, 761 & alij innumerabiles, quos deprehendet facile quisquis reflexionem fecerit supra nostrum familiarem sermonem, & colloquutiones, sine dubio sunt valde differentes à modis quinque praedicabilium praedictorum; & vlterius euidenter animaduertet logice quoque eos esse diuersos; omnes enim reperientur habere in modo suo, & praedicationis ratione, diuersam fabricam, & structuram dissimilem, dignam propterea, quae per variam Logicae considerationem ordinetur, praecipiatur, & dirigatur; siquidem, vt manifestum est, diuersa regula logicalis considerat, ac docet facere, & praedicare definitionem, ab ea, quae considerat ac docet praedicare genus seorsim, aut differentiam; & ita de reliquis praedicationibus censendum erit. ponenda ergo erunt totidem praedicabilia logica, quot sint modi praedicandi, siue quot fuerint diuersae praedicationes.

Postulat difficile hoc argumentum, vt enumeremus breui quasdam conditiones, quas Dialectici requirunt ad hoc, vt aliquid praedicabile proprie sit. prima est, vt illud sit quid simplex, siue incomplexum, & quod subinde termino incomplexo significetur. Secundo vt non sit ratio transcendens aut analoga, sed vniuoca & quae vniuoco termino significetur. Tertia quod prae-

prædicetur prædicatione directa. Quarta, quod prædicatio fit doctrinalis, & vtilis, & non identica; Quinta conditio est vt prædicatio fit affirmatiua. Sexta requirit, vt quoduis prædicabile habeat plura inferiora, de quibus possit prædicari, vt patet ex eorum definitionibus, & *S. Thoma* supra num. 694. Septima, vt in multis quasi crescat & multiplicetur realiter, ita quod non fit vnum numero in illis.

Ad argumentum ergo respondeo illa omnia prædicata vera prædicata esse, & quodammodo prædicabilia, idest reducibile. quare ea omnia reducenda erunt ad prædicabilia quinque, nempe vnumquodque ad prædicabile illud, quo cum maiorem habeat cognationem, ac similitudinem; neque oportet multiplicare prædicabilium classes, sed stare authoritati tantorum, præsertim in re non magnæ vtilitatis, nec momenti. His consonat *Vasquez* tom. 1 in 3. disp. 68. cap. 4. legendus.

Postremo contradicis differentia subalterna, vt *sensibile*, prædicatur de pluribus differentibus specie: differentia verò infima, vt *rationale*, prædicatur de pluribus differentibus solo numero; ergo illæ differentiæ essentialiter distinguuntur, non solum in physica, verum etiam in logica consideratione: facient ergo differentes prædicabilium classes; & erunt sex, imò plures; quoniam idem argumentum instaurari poterit in Genere, Proprio, & Accidenti infimis, & subalternis. Respondi ex parte huic argumento iam supra, con-
762 cessis Antecedenti, & prima consequentia, negando secundam; quia prædicabile differentia constituitur per differentiã cõmunissimam complectentem infimam, & subalternam, siue per collectionem omnium, vt legis supra q. 6, sect. 1. & 2. n. 721. & idem dices de reliquis prædicabilibus, si necesse sit. sed vero solutio hæc vt plenius intelligatur, iure suo exigit doctrinam Sect. sequentis ad sui declarationem, & robur.

SECTIO II.

De Logicis Considerationibus circa Prædicabilia, siue Vniuersali, quæ frequentissimæ sunt in ore Recentiorum, sed ab eis supponuntur, nusquam satis exponitur, & cur?

Causa, vt reor, ob quam Logica consideratio circa prędicabilia, vsque adhuc non potuit declarari sufficienter à nostris Antecessoribus, fuit inconsiderantia regularum Logicæ realis, & speculatione eius circa rationes superiores, & vniuersales; nempe eius partis principalis Logicæ, quæ directe versatur, atque per se circa Prædicabilia, docendo in primis ea fabricari, & inuenire, ac deinde ea de suis vnumquod inferioribus prædicare; idest docendo eorum inuentionem, structuram, & vsum. quam Logicæ partem in *Aristotele*, SS. PP. *Augustino*, & *Thoma* potissimùm quasi latitantem nos inuenimus, atque explicuimus, & claritatis gratia appellauimus *logicam realem*. ipsa est ars inueniendi, & fabricandi vniuersalia, eaque artificiose prædicandi; inueniendi bonam definitionem, ac diuisionem, ac media ad syllogismorum rectam structuram. & magna ex parte, Loci Dialectici, idest, Maximæ & Regulæ, quæ docent nos vti medijs ad sciendum, quæ semper contingit esse res particulares, atque communes. *Aristotel. August. S. Thomas*

Quamobrem non male meritos de Logicæ disciplina nos fuisse nemo, si iustus censor est, inficiabitur, licet enim Maiores nostri sæpe vsurpent Logica. Considerationes, & afferant Logicam considerare in prædicabilibus modum prædicandi, & Metaphysicam, modum essendi; sed vero quæ sit, aut qualis eiusmodi logica consideratio actiua, seu habita ex parte Logicæ, silentio prætermittunt; nobis ergo in præsenti incumbit onus huius Logicæ Realis Cõsiderationis declarandæ, vt inde facile quilibet dignoscat quando logicè differãt prædicabilia, & quo modo, seu quanta distinctione: id, quod, Deo bene iuuante, præstabimus diuidendo Sectionis huius difficultatem in varias partes, vt facilius exprimatur, & intimius penetretur.

Prima pars Sectionis dilucide proponit Logicas Cõsiderationes varias circa Prædicabilia omnia.

Nos ergo, prælucente in primis Logica Reali cum regulis suis, opinamur nihil aliud esse posse logicas considera- 763

ra-

rationes circa prædicabilia versantes, nisi eandem Logicam realem, siue eius actus tam practicos, quam speculatiuos, qui docent nos facere, & prædicare prædicabilia, & subinde ea facta, & prædicata speculantur iudicantes ea omnia fuisse mandata executioni secundum regulas, ac directionem priorum actuum practicorum, ac tum demum logicas eiusmodi considerationes tum actiuas, tum etiam passiuas (voco *considerationes actiuas*, regulas logicæ huius artis; *passiuas* vero arte facta, idest prædicabilia facta, vel prædicationes) putamus esse diuersas quādo prædictę regnię siue actus practici sunt differentes: etenim pro istorū diuersitate metimur diuersitatem prædicabilium, & prædicationum eorum; declarabo rem hanc magis producendo in medium varias Logicæ conderationes versantes circa prædicabilia, vt horum diuersitas, vel similitudo penes illas tanquam penes signum extrinsecum facilius digno scatur.

Primi ergo prędicabilis nēpe Generis acti na consideratio logicalis sunt inter alios actus, hę regulę practicę Logicę inuētiuę docētes nos in generali, abstrahendo ab omni materia inuenire, fabricare, & prædicare genus cuiuscūq. materię. prima sic est, & est regula generalissima. *visa prius & diligenter inspecta similitudine, ac dissimilitudine rerū distinctarum in specie, & natura, genus omne abstrahetur præscindēdo illarum conuenientiam, seu prædicatum, in quo cōueniant, ita quod id sit pars essentia earū; & in eo quod quid de ipsis prædicabile.* qua regula instructus quilibet studiosus, prius cognita rerū eiusmodi dissimilitudine, ac similitudine, adiutus tū a librorū assidua lectione, & magistrorū curiosa consultatione, tum à frequenti obseruatione, ac experientia etiam à sensibus profecta, præsertim ab oculis, & sic demum dispositus, & illustratus per actus præuios, ac disponentes intellectū ad vniuersale fabricandū secundū modū vberius declaratū sup. n. 506. & 631. abstrahit *animal* à varijs animātibus; & *corpus* à corporibus; & reliqua quęlibet genera à suis vnumquodq. inferioribus.

Aristotel. S. August. S. Thomas sup. n. 506.

764 Atq regulæ huic positæ in executione ab intellectu per actū spectantē ad Metaphysicam, siue is fuerit apprehensio simplex incomplexa, vel complexa, siue compositio, aut iudicium (nam totidem actibus fieri contingit vniuersale quoduis, vti docuimus in Sect. 56.) succedit, aut succedere potest actus speculatiuus Logicæ iudicatiuæ, quæ postquā examinarit rem factam, iudicat genus factum rite fuisse, & conformiter ad regulam; ac subinde sine periculo errandi, prædicari posse de pluribus distinctis in specie; nempe de illis inferioribus, à quibus abstractum fuit genus; succedunt item aliæ perfectiores regulæ dictæ *maximæ, canones, & loci Dialectici*, quæ docent vti genere vt medio ad varias argumentationes, & cognitiones, vti ostendā infra n. 1013. & hic iam animaduerto.

Et quidem quāuis illa generalissima regula sufficeret ad fabricāda quæcūq. genera, saltē ingeniosioribus, verūtamē placet producere regulas alias magis particulares, quæ nimirū doceāt magis in particulari fabricare genera infima, & subalterna; regula itaq. docens efficere genera infima, sic est, *cognita prius rerū distinctarū in specie infima similitudine, ac dissimilitudine, abstrahetur genus infimū per præcisionem conuenientia in prædicato cōmuni, quod illis rebus sit pars essentia, ac de ipsis prædicabile in eo quod quid.* cui item regulę succedit actus speculatiuę Logicę, iudicans fabricatum genus esse regulæ conforme, atque de suis illis inferioribus rite posse prædicari, vt nuper dicebam in simili.

Regulæ multæ Logicæ realis, quæ vulgo vocant alij *axiomata logica, Maximas, & locos dialecticos*, desumptæ ex libris Topic. *Aristotel* præsertim ex 2. & 4. vbi ipse tractat de vsu generis, siue de logica cōsideratione circa genus, produci hic à me possēt ad persuadendā veritatem præsentem; sed quia sufficient vna vel altera, remittendo reliquas ad nostram quęstionem de Locis, prima sic est, *quidquid prædicas de genere, prædicabis de specie. Sed nō è contra.* Secunda. *de quocunq; prædicaueris genus, prædicabis aliquam quoq. speciem, ex his qua sub genere continentur;* Tertia. *de quo negas genus negabis quoque speciem ipsius.*

Aristotel.

Postremo, ne longius abeam in regulis percensendis extra locum suum, animaduerto tria: primum est, simili modo effingi posse regulas logicales, quæ doceāt efficere Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, vnumquodq. nimirum iuxta modum, essentiam, ac definitionem suam; 765

Aa &

& item eorum effectorum prædicationẽ, subiectionem, vel vsum. Secundum est, eiusmodi regulas, quas dicimus cõsiderationes logicas actiuas circa prædicabilia, tum demum legitimas esse, si præcipiãt, ac doceant fieri prædicabilia, vt ipsa in se sunt: quod & adnotatum habeo superius nu.633. Tertium est, oportere vt studentes possint executioni mandare eiusmodi Logicæ præcepta, quod diligenter studeant metaphysicis etiam quæstionibus, quæ hic in Logica non sine magno consilio, licet alicui aliter videbitur, pertractantur, vt item aduerti sæpe in superioribus.

Postquam ergo Lectores nostri contemplati fuerint Logicæ considerationes practicas, & speculatiuas circa prædicabilia; quas considerationes claritatis, ac distinctionis gratia, appellabimus actiuas, ad differentiã obiectorum suorum, idest prædicabilium, quæ appellamus considerationes obiectiuas, & passiuas, siue obiecta, ab illis primario intenta, & considerata, modos item passiuos vniformes fiendi, & prædicandi; facile deprehendent ex sequentibus, quo pacto quinque prædicabilia inter se differant, & quo pacto non; & quando sint omnia species infimæ, aut subalternæ in logica consideratione.

Secunda Pars Sectionis colligit ex Doctrina præcedenti quinque enumerata Prædicabilia sub vna Logica Consideratione esse inter se valde distincta; sub alia vero esse omnia species infimas; sub tertia demum esse quoque species subalternas, vel genera.

766 EX dictis à Sect. 1. huius quæstionis colligitur primo, non solum prædicabilia esse quinque, verum etiam eadem esse inter se, tum quasi physice, tum etiam Logice valde diuersa, etenim ea inueniuntur, & fiunt à Logica diuersis valde regulis, & præceptis; ac diuersæ valde regulæ, aut maximæ docent illorum vsum: siquidem regula, quæ docet facere *genus*, id docet abstrahi à suis illis inferioribus, vt *partem essentiæ in eo, quod quid*. quæ docet facere *speciem*, eam iubet præscindi à suis inferioribus *quorum sit tota essentia in eo quod quid*. quæ docet efficere *differentiam*, docet eam abstrahi *vt partem essentiæ in quale quid*. quæ docet facere *proprium*, imperat abstrahi *ab illis à quorum essentia dimanet*, vel cum quibus necessario connexum sit. & quæ demum docet fabricare *accidens*, id iubet abstrahi *ab inferioribus, quibus contingenter insit*; & sane facile deprehendet quantum distent inter se præfatæ regulæ, seu logicæ considerationes actiuæ, qui meminerit eas esse actus intellectus ordinatos, atque tendentes erga tam varia obiecta, à quibus omnes actus vitales specificari, ac diuersificari notissimum est, & infra in 3. par. logicæ demonstrandum: relinquitur ergo quinq. prædicabilia constituere quinq. classes valde differentes, iuxta totidem tam differenter passiuos vsus, & modos prædicandi de suis subiectis; & iuxta totidem alias actiuas Logicæ Considerationes varias, ac regulas.

Hæc huius primi Consectarij Doctrina vera omnino est, loquendo de prædicabilibus quinq. importato vnoquoq. in congerie, seu collectione; hoc est loquendo de collectione generum particulariũ; de collectione specierum; de collectione differentiarum omnium; ac de collectione cæterorum; quoniã, vt supra in declaratione definitionũ ipsorum sæpe notabamus, definitum plerumq. fuit cõgeries, & ita oportuit fieri; secus definitio definito suo non congrueret re vera, aut plusquam de nomine. in præsenti vero, seu in consectarijs sequẽtibus loquemur de prędicabilibus quin 767
que sumpto quolibet in communi, siue, vt vnumquodq. est quædam ratio vna cõmunissima abstracta à suis inferioribus minus communibus, nempe de Genere in cõmuni abstracto à generibus particularibus; ac de specie in communi similiter abstracta ab omnibus speciebus; & ita de reliquis tribus prædicabilibus.

Est ergo difficultas *grauis* nuncupata à Modernis, an, videlicet, Genus in communi, species in cõmuni, differentia, Proprium & Accidens in communi, sint species infimæ, idest prædicabiles de pluribus distinctis solo numero, vt tota eorum essentia; an vero sint genera, seu species subalternæ, idest prædicabiles de pluribus distinctis specie, aut plusquam numero, & consequenter, venit in quæstionem an *homo*, *equus, leo*, & aliæ particulares species differant

ferant inter se essentialiter, & specie, vel solo numero in logica consideratione, siue considerentur inquantum subijcibiles, siue inquantum prædicabiles; & idem omnino dubitatur de *animali, planta, & substantia* comparatis inter se, ac de reliquis inferiorum cæterorum prædicabilium cōmunissime, vt declaratum est, sumptorum.

Ad difficultatis ergo perspicuam resolutionē ex dictis colligitur secundo, quinque prædicabilia cōmunissimè accepta esse species infimas, attentis regulis Logicę, & cōsiderationibus generalissimis, quæ ea docent inuenire, efficere, & prædicare, & iam effecta considerant, seu examinant, iuxta quod dictum est supra num. 763. à §. *Primi ergo*. dictum hoc probatur in Genere, primo prædicabili, (de quo quidquid probatum fuerit, de reliquis probatū esto) monstrando genera omnia particularia inquantum genera sunt, obiecta, & artefacta documentorum logicalium, solo numero, aut quasi numero distingui; & in modo prædicationis de suis inferioribus, & item subiectionis ad genus generalissimum ab ipsis abstractum, plusquam numero nō differre.

768 Probatur vero sic; etenim illa omnia prædicabilia differunt inter se solo numero, vel quasi numero in Logicæ consideratione, siue, vt aiunt, *logicè loquendo*, quæ à Logica cōsiderantur modo eodem æquali, & vniformi; sed genera omnia particularia considerantur à Logica eodem modo æquali, & vniformi; ergo ea omnia solo numero, aut quasi numero inter se differūt. maior communiter conceditur. minor liquet ex dictis num. illo 763. vbi demonstratur genera omnia, quantumuis aliunde inter se ratione suæ materiæ physicæ, aut quasi physicæ, maxime diuersa, inueniri solere, fieri, & prædicari, vel etiam subijci per logicæ realis generalissimam regulam eandem, æqualem, & vniformem; & item iam effecta, aut prædicata per per eandem logicam speculationem iudicatiuā examinari, & approbari. vbi etiam deducebamus prædicabilia effecta, & considerata per logicas considerationes, non habitura aliam, siue maiorem inter se distinctionem passiuè in se ipsis exercitam, quam habere videbuntur actiuæ logicæ considerationes; quæ tantum abest, vt differant inter se, vt vna omnino sit effectiua omnium generum; ac docens eorum vsum semper, & vbique: genera ergo eiusmodi, quæ distinguenda sunt ex meritis logicæ considerationis, & non ob alium titulum, nequibunt logicè differre plusquam numero.

Rem totam declarat exemplum perillustre hoc, quod præbent statuæ, siue imagines quatuor *S. P. Ignatij* omnino inter se æquales in magnitudine, lineamentis vultus, & figuræ, expressæ, videlicet, vel fusæ omnes, iuxta idem exemplar: quarum tamen prima sit cerea, secunda argentea, tertia ænea, quarta de auro, vel metallo alio; quæ comparatæ inter se in physica sui cōsideratione, sine dubio essentialiter, & specie distinctę sunt; sed vero in artis siue Mathematica consideratione, solo discriminantur numero vel quasi numero; maior enim illa materiarum physica distinctio per accidens se habet respectu Artificis, seu regularū artis fusoriæ, quæ quoniā eædē sūt, & eodē ordināntur ad fabricā earum imaginū tam variæ materiæ, non permittunt, nec sinunt Imagines factas iuxta eandem artem, & modum, plusquam numero inter se distingui; siquidem distinctio non pensatur in præsenti penes varias materias, sed penes formas & artem formas inducentem. quo spectare visus est mihi *Aristoteles* in 10. metaph. cap. 8. dicens *nec aneus, & ligneus circulus, siue triangulus aneus, & circulus ligneus ob materiam specie differunt* (materia enim in eis nunc non attenditur) *sed quoniam in ratione contrarietas inest*, idest quoniam in forma inest diuersitas: quod si aliqua artis regula doceret iuxta modum suum peculiarem fundere, & formare effigiem ex sola cera, & non ex alia materia, ita vt ad imaginis structuram ceram solum postularet; tunc sane ea imago facta distingueretur à reliliquis secundum, & propter artis considerationem, id quod meminisse iuuabit ad quæ sequuntur. 769 *Aristotel.*

Ista omnis doctrina cum eius declaratione Neotericis placere debet, qui allegando pro se *Ammonium* cap. de genere, *Auicennam* 1. p. c. 6. cum P. *Suarez* disp. 6. metaph. sect. 8. num. 10. communiter aduertunt in materia præsenti nihil referre, aut conferre ad essentialem distinctionem prædicabilium; quod Inferiora eorum magis minusue inter se differant; dummo-

do respectus, & habitudo illorum erga inferiora sit vnus, & vniformis; quod benc dictum est, & verum tenet quandocunque Logica non consideret per se, neque requirat in Prædicabilibus differentiam aliquam inferiorum; vti re vera non considerat per regulas generalissimas, supra explicatas, & ideo attendendo ad istas regulas consentio cum istis Doctoribus.

Colligitur Tertio, eadem quinque prædicabilia nempe Speciem, Genus, Differentiam, Proprium, & Accidens in communi esse quidem in prædicta generalissima Logicę consideratione species infimas; esse tamen species subalternas, & genera secúdum alias magis speciales Logicæ eiusdem considerationes supra quoque explicatas num. 764. §. *& quidem*. v. g. Genus in communi (& eadem est ratio de Differentia, Proprio, Accidenti, & Specie communissime sumptis) non tantum est Genus de nomine, & in actu signato, sed etiam re ipsa & in actu exercito genus est in logica aliqua consideratione, id quod hic probare promisseram supra num. 662. §. *quarto aduerto*.

770 Ratio ergo est, etenim illa ratio cómunis est re vera genus logicè, quæ prædicatur de pluribus distinctis in specie vt pars essentiæ in eo, quod quid, ita per se exigente, & postulante logica consideratione; sed Genus in communi prædicatur de pluribus specie distinctis cum reliquis requisitis, similem distinctionem per se exigente, & postulante logica consideratione; ergo genus in communi genus est in actu exercito in aliqua logica consideratione. Maior est certa. probo minorem, quoniam Genus in communi abstrahi potest, & prædicari de genere infimo *animal* v. g. & subalterno *viuens*, vel *substantia*, quæ specie quoq. logicè differre demonstrant illæ diuersæ logicæ regulæ, & considerationes, quarum aliæ signatè versantur circa genera infima, & aliæ circa genera subalterna, siquidem vt supra à num. 763. perspicuè probatum manet, obiecta seu artefacta logica, quæ ibi appellabamus *passiuas logicæ considerationes*, tum demum inter se specie logica differunt, quádo differunt actiuæ; sed manifestum est differre specie logicas regulas docétes efficere genera infima, ab illis, quæ docent efficere subalterna, propter obiectorum suorum distinctionem, vt constat ex dictis numero 764. & 766. ergo ad genus logicè loquendo pertinent hæ, & similes prædicationes, *animal est genus*, *substantia est genus*.

Quocirca licet D. P. *Suarez* cum illis Nouioribus docuerit nihil conducere ad distinctionem vniuersalium, seu prædicabilium, generum, & cæterorum, quod eorum inferiora magis, minusue differant ratione entitatum suarum, dummodo habitudo, & respectus eorundem ad illa sibi subiecta, sint vniformes, & ijdem; docti Patres intelligendi fuerunt vera dixisse, casu, quo vniformis quoque sit Logicæ consideratio circa inferiora, & in ipsis discretionem nullam attenderet: in præsenti autem videmus logicas considerationes esse varias; & alias per se postulare inferiora, quæ sint genera infima, & alias, quæ subalterna; ex quo redundat in Genus in communi distinctio; idest re vera esse genus logicè loquendo, ac valde distingui à se ipso quandiu est species infima; quia nimirum effectum est á regula generalissima omnino abstrahente ab omni materia, tam infima, quam subalterna; aliunde vero certum est Prædicabilia diuersificari penes inferiora tum metaphysicè, tum logicè res considerando. 771

Tertia Pars Sectionis deducit alia Consectaria superioris Doctrinæ de Logicis Considerationibus circa Vniuersalia; & inter ea illud, nempe quam merito, & necessario admittenda sit Logica Realis, quæ consideret res subijciendas, & prædicandas, & subiectas, & prædicatas; & quæ rerum omnium vsum artificiosum edoceat.

QVarto deducitur ex dictis ratio efficax, & clara ad corroborandam opinionem *S. Seuerini Boetij*, & communem de quinario numero Prædicabilium; & præsertim de eorumdem inter se differentia grandi, ac distinctione specifica: Etenim ea à diuersis specie regulis inueniuntur, & fiunt; & item ipsa per diuersas specie regulas Logicæ docemur prædicare;

care; eaq. omnia postmodũ per diuersos logicos actus speculatiuos cõtẽplamur; sunt ergo ipsa artefacta similiter Logicè specie diuersa. Corollarium hoc ex parte videbitur esse contra *Hurtado* disp. 6. logica sect. 6. n. 25. opinantem Proprium, & Accidens non esse prædicabilia diuersa in logica consideratione, quod forte subticuisset ingeniosus Pater si nostrarum regularum, & speculationum specie inter se distinctarũ, quæ sunt logicæ considerationes ordinatæ ad varia artefacta facienda, qualiter sunt Proprium, & Accidens, meminisset. oporter autẽ & Lectores hic aduertere prædicabilia non tantum diuersa esse, ac dici à logicis considerationibus, quasi à formis extrinsecè distinctiuis; ad eum modum, quo visus dicitur ab oculis quidã color; sed re vera prædicabilia per sua intrinseca inter se distingui; dici verò adhuc eiusmodi intrinseca distinctiua logica, quoniã ea à Logicæ actibus attinguntur, per se cognoscũtur, & considerãtur; vnde fit quod prędicabilia duplici titulo dicantur logice distincta, alter est extrinsecus, alter intrinsecus.

772 Deducitur Quinto, genera particularia omnia, siue sint eiusdẽ Categoriæ, vt Animal, Viuẽs, Corpus & Substantia; siue diuersę, vt Quãtitas, Qualitas, Relatio, & reliqua & quæ sub his continentur collata inuicẽ in priori illa Logicæ generalissima cõsideratione, solo quasi numero differre, tũ propter vniformem regulã, qua fiũt; & edocemur prædicare, tũ etiã propter modũ vniformẽ, & similẽ respectũ, quo respicit, & subduntur suo superiori, quod est Genus in cõmuni, vel etiã quo ipsa respiciunt sua inferiora, de quibus vniformiter etiã prædicantur; sed præterea eadem illa omnia genera differre quoq. inter se specie, nõ solũ metaphysica, seu quasi materiali, & physica cõsideratione; verum etiã logica illa minus generali, qua signate edocemur inuenire, & efficere genera infima, & signate genera subalterna, eisq. iam effectis vti in prędicationibus; licet enim proprius sit Metaphysicę cõsiderare res omnes singulares, atq. cõmunes, eas cognoscẽdo secundũ naturas suas, & vt aiũt, *secundũ conditiones essendi*, Logica tamen item solet ex illa sua abstractissima sede quãdoq. descendere, & magis particulariter cõsiderare res, attingendo in ipsis etiã aliquid de ipsarũ essentia, quantũ videlicet, ad vsũ, & *prædicationes nosse oportet*, vt bene aduertit *Suarez* in disp. 6. metaph. sect. 8. num. 4.

Vnde vlterius dicendũ genera posse differre specie etiã logica, quãuis retineãt eũdem modũ se subijciendi suo superiori, & prædicandi de suis inferioribus; si aliunde eorũ materialis entitas per se à Logica cõsideretur; sicut imago cerea S. *Ignatij* in Mathematica cõsideratione plusquam numero ab argentea distingueretur; si ab Artificis cõsideratione nõ tantum forma; sed etiã ceræ materia per se intenderetur; quãtũuis aliunde imagines ambæ fusæ, aut expressæ fuissent iuxta idem exemplar, vt & superius num. 768. *S. rem*, annotabam.

Sexto deducitur, quã solido fundamẽto supra sæpe diximus aliquã Logicę partẽ, & considerationem assignari debere, quæ versetur primario, atq. per se circa res omnes; nõ quidem eas omnino in particulari considerando quasi definiendo, hoc est secundũ earum conditiones essẽdi ipsas tãgendo; sed solum secundum cõditiones, & modos varios fabricandi, & prædicandi, & itẽ aliquo modo essendi, quoad definitiones, & prædicationes nosse oportet, vt 773 aiebat supra *Suarez*; vt hic quoq. confirmaretur illa solemnis *diuisio logicæ in vniuersalem, & particularem*. Siquidem habere videmus Logicam regulas vniuersales abstrahẽtes ab omni materia ex modo suo prçcipiendi; & alias magis particulares hic iterũ claritatis ergo repetendas. *genus v.g. abstrahẽdũ est à pluribus specie distinctis, quorum sit pars essentiæ in eo quod quid, atq. de ipsis affirmatiue prædicandum. genus infimum abstrahendum est à pluribus specie infima distinctis, &c. genus infimum substantiæ, vel quantitatis similiter, &c* & sic regulę possunt descendere, ac in speciali docere, quo pacto faciendum sit animal, vel aliud quoduis speciale genus. Rursus aliæ regulæ sic docẽt vti genere, & specie, ac definitione. *de quo prædicas genus, prædica aliquam speciem. quidquid essentialiter prædicas de genere, prædicare poteris de specie. de quo prædicas definitum, prædicabis definitionem. de quo prædicaueris hominẽ, prædicabis animal, vel principiũ sentiẽdi*. de hoc tamẽ lege *Aristot.* sup. n. 110. *Aristotel.*

Et sane Recentiores regulas istas libenter credunt logicas esse, quinimo alias illis perfectiores in Logica non esse,

neque ab *Aristotele* tradi video, dum libros Topicorum lego; & aliunde nemo non videt regulas easdem esse actus intellectus tendentes primario circa res, à quibus specificantur, tanquam ab obiectis formalibus; distinguendæ ergo, & admitten. da ab omnibus est *logica rerum*, siue quæ versetur circa res, propterea a nobis núcupata *Realis*, secus *Aristotelis* Logica, aut erit valde curta, aut nulla, & simul esse, & non esse affirmabitur plusquam indignè; quod si sibi non persuadent Neoterici, ostendant nobis quid Logica sit, producant regulas suas. legant libros Topicorum, & inde eruant colligentes Dialectica axiomata, & componant ipsi ad facilem captum studentium, & subinde attente considerent regularum ipsarum intenta obiecta arte facienda, & acquiescant veritati. vel tandem legere dignentur nostram quæstionem de Locis infra disp.5.q.10. quæ incipit á num.996.

SECTIO III.

Respondet argumentis; & declarat vberius quo pacto duo Genera, & quæuis alia duo Prædicabilia numero, aut specie differant in Logica Consideratione, non solum extrinsecè; sed etiam intrinsecè.

774 Contra primum consectarium obijcies primo. Animal Planta, Color, Quãtitas, & reliqua genera eiusdem, vel diuersæ Categoriæ, plusquam specie differunt in quauis consideratione, ergo nunquam differunt solo quasi numero, Genus ergo communissimum nunquam erit species infima, sed semper re vera genus; siquidem semper est commune multis specie, aut plusquam specie distinctis.

Respondetur negando antecedens; licet enim illa, & alia genera materialiter, physicè, aut metaphysicè specie diuersa sint; Logicè tamen, siue in logica illa communissima consideratione, solo quasi numero differunt; quoniam omnia eadem, vel simili, & vniformi regula fiunt; & omnia eodem modo prædicantur de suis inferioribus; nempe vnumquodque vt pars essẽtiæ in eo quod quid; nimirum secundum quod docet, iubet, & primario intendit Logicę illa regula generalissima, quæ docuit nos inuenire, & fabricare, & prædicare genera quælibet, materiæ cuiuslibet; quam regulã appellamus logicam considerationem. adde quod genera item omnia eodem, & pari modo suo superiori subduntur, vt titulis pluribus solo numero distingui inter se, sit manifestum.

Dicuntur autem prædicta genera (& idem dicendum fuit de speciebus, & reliquis Prędicabilibus) in ea Logicæ generalissima cõsideratione differre quasi numero, quia licet careant hæcceitatibus, seu numericis differentijs & aliũde quasi physicè essentialiter valde differant propter suas tã differentes naturas, & essentias; istæ tamen essentię tam diuersæ perinde differre faciũt rem vnam ab alia, seu vnũ genus ab alio, intrante logica illa cõsideratione, ac si numericæ differentię forent; ad eum prorsus modum, quo termini vocales *homo, equus, leo*, & similes, licet sint soni forte essentialiter distincti, in ratione tamẽ termini, solo quasi numero differunt; siquidem omnes induunt eamdem definitionẽ termini communis; atque in Mathematica cõsideratione, quasi numero solo diffident *circulus ligneus*, & *circulus ferreus*; & quicunque alius; & illæ imagines quatuor supra allatæ pro exemplo, quantumuis materię longe diuersæ, solo numero differre censeãtur; & item apud Arithmeticos eiusdem speciei iudicantur esse numerus ternarius Equorum, & numerus ternarius Angelorum, etiam si in istis exemplis non reperirentur numerales differentiæ, ob solã, videlicet, consimilem formam, & artis vniformem considerationem extrinsecam. ita ergo contingit in proposito, vt fusius prosequebar supra n.767. a § *ad difficultatis* genera omnia sũt distincta solum quasi numero, quãtumuis ratione suarum materiarum, & naturarum maximè discrepent; eiusmodi enim materiæ diuersitas per accidens, & materialiter considerata venit à præsenti Logicæ consideratione. *Aristotel. sup. n. 769.* 775

Neque officit veritati huic ea genera abstrahi necessario solere, ac debere per actus siue apprehensionis, siue iudicij, aut discursus, specie inter se differentes; nempe secundum, & pro diuersitate rationis communis genericæ præscindendæ, & abstra-

abstrahitur à qua illi vitales actus specificantur, quoniam ea eorum actuum specificatio, ac diuersitas non attenditur à Logica; quæ solum imperat genus abstrahi à pluribus, iuxta quod supra dictum est; quidquid sit, si id suum imperium executioni mandetur per abstractionem, quæ sit apprehensio, iudicium, vel discursus, huius, aut alterius speciei; vel quæ sit alius actus intellectus; vel potentiæ alterius, si quæ alia posset abstrahere, vt animaduerti superius in Præfatione n.44.§ *ego plane.*

Contra secundum Consectarium obijcis Secūdo. genus infimum, & genus subalternum in nulla logica consideratione differunt specie; sed solo quasi numero; ergo genus in communi semper est species infima, & numquam verè genus, seu species subalterna. Probas antecedēs primo, quoniam id genus vtrumque habet vniformem modum prædicandi; nempe vtrumque dicitur vt pars essētię in eo quod quid. secundo quoniam prædicari vnum prædicabile de pluribus specie distinctis, & alterum de solo numero, non est in logica consideratione differentia notabilis, neq. essentialis; quando præsertim adest aliunde modus idem, & forma prædicandi; siquidem Logica nō considerat inferiorum, sicut nec rerum conditiones essendi, sed
776 duntaxat prædicandi; vnde Genus primū prædicabile non est diuersum ab specie; quia hæc de pluribus distinctis solo numero, & illud de distinctis specie prædicatur; sed quia habent dissimilem modum prędicandi; quatenus Genus prædicatur vt pars essentiæ inferiorum suorum, species vero vt tota essentia suorum.

Respondeo negando antecedens, & cōsequentiam propter dicta supra num. 770. § *ratio ergo,* & 764. § *& quidem.* ad priorem probationem dic vtrumq; genus, videlicet, tam infimū, quam subalternū prædicari de suis subiectis modo vniformi, & vt partē essentiæ eorū; & in eo paria esse; sed quoniam genus infimū prædicatur de inferioribus specie infima diuersis, & subalternū de inferioribus genere distinctis, ita per se signanter exprimentibus, & exigentibus regulis, seu Logicæ cōsiderationibus; ideo dicendum ea genera non solum quasi physice, sed logicè etiam discerni inter se plusquam numero, idest, specie. ad secundā probatioↄē negandū quoq. fuit antecedēs, etenim eiusmodi diuersitas inferiorū, & semper connexa est cū modo diuerso logico prædicādi, & semper intenditur à Logica, vt distinctiua prædicabiliū inter se; & ideo Genus primū prædicabile in logica consideratione, æque discriminatur à specie per id, quod prædicatur ipsum vt pars, ista vt tota essentia, ac per id, quod illud dicatur de inferioribus specie; hac de numero solo differentibus, vt apparebit euidenter regulas logicales versantes circa eorū duorū vniuersaliū fabricā, & vsum, cōtemplanti. quare nil mirandū si logica item quodāmodo per se consideret in rebus aliquid pertinens ad earū essentiā; quoniā sic oportet fieri, vt rite doceat cōficere artefacta, & prædicationes suas, vt annotabā supra ex doctissimo P. N. *Francisco Suarez.*

Concludo ergo, quod licet alias vniformis, & cōsimilis modus pręedicandi arguat similitudinem, & indistinctionem in prędicabilibus, etiam illis, quorum inferiora maxime inter se differant in physica consideratione essentiarum suarum; verumtamen contingere posse eiusmodi prædicabilia retinentia adhuc suum illum pristinū modum prædicandi quoad apparentiam, & primā frontem, inter se esse diuersa ratione 777
peculiaris Logicæ considerationis petentis per se, & expresse diuersitatem intrinsecam, & specificā inferiorum; nam inde continuo fit variari re vera modum prædicandi in prædicabili, & iam dici vt partem essentiæ respectu horum inferiorum, quod paulo antea dicebatur vt tota essentia respectu eorum materialiter sumptorum; vt vides in his prædicationibus, *animal est genus. Planta est genus, genus infimum animal est genus. genus subalternum viuens est genus.* in quorum primis duabus genus dicitur vt tota essentia, & sicut species infima; in posterioribus vt pars essentiæ, & sic vt genus, & species subalterna.

Sed vrgebis. genus infimum *animal* semper prædicatur de suis inferioribus vt pars & similiter prædicatur genus subalternum *viuens*, vt manifeste cernitur, dum dicitur, *homo est animal. leo est animal. Planta est viuens. animal est viuens.* ergo si horum generum physica, & materialis essentia, ea non diuersificat, logice solo quasi numero differunt, & ad speciem infimam spectabunt supra allatæ omnes propositiones. Respondeo concessis antecedenti, & con-

consequentia; sed quoniam essentia illorũ generum vere, vt ibi dicitur, ea diuersificat, intenta perse à logica consideratione, ideo genus infimum, & subalternum semper sunt in quauis consideratione genera, & non species infimæ; & ita erunt non solum extrinsecè ab solam logicam actiuam considerationem, sed etiam intrinsece, vt dixi num.771. & subinde genus ab eis abstractum secundum Logicæ regulas postulantes signate id præscindi à generibus infimis, & subalternis, erit quoque vere genus, quia prædicabitur de pluribus specie distinctis.

Sed iterum instabis, ergo species in cõmuni, quæ prædicatur de homine, equo, leone, & alijs bestiarum particularibus specitibus, esse quoque poterit genus. patet consequentia. quoniam hæ omnes species inter se specie differunt in suis physicis, & materialibus essentijs, seu secundum ipsas, quæ si per se considerentur ab aliqua magis particulari regula logica docente abstrahere ab ipsis, vel de eisdem prædicare speciem in communi, continuo reperientur esse inferiora specie distincta ex vna parte, & ex alia, subiecta speciei in communi, vt parti eorum essentiæ, vt cernis in exemplis. *species homo est species, leo est species.*

778 Respondeo concedendo totum, & cõcludendo quinque omnia Prædicabilia communissime sumpta (quo pacto non ita ad sciendum spectant) omnia reduci ad secundum prædicabile, siue ad speciẽ attentis considerationibus Logicæ generalissimis abstrahentibus ab omni materia; attentis vero alijs cõsiderationibus nõ ita generalibus, ea quoque omnia esse genera, & spectare ad Genus prædicabile primũ; cum quo tamen stat inconcussa veritas, & opinatio communis, nimirum quinque differentes classes esse prædicabilium metaphysice, & logice semper valde inter se discrepantes; quarum Prima est congeries omnium particularium specierum, nempe *homo*, *equus*, *leo*, & quidquid prædicatur de pluribus numero solo distinctis in eo quod quid, vt tota essentia. Secundam classem componunt omnia genera. Tertiã, grex differentiarum, Quartam, collectio propriorum, Quintam, accidentium congeries; secundum quod in superioribus definita, & declarata fuerunt. videamus nunc an eis omnibus re vera assignari possit alia ratio adhuc communior, & vniuersalior, quæ prædicabile, vel vniuersale in communi sit, & nuncupetur.

SECTIO IV.

Probat abstrahi posse ab explicatis quinque Prædicabilibus, seu vniuersalibus Vniuersale, siue Prædicabile in communi, quod sit genus subalternum; & diluendo argumenta docet dari posse quidpiam commune vniuocum enti reali, & rationis; quinimo, & enti, & non enti.

Abstrahi, ac præscindi posse vniuersale in communi à quinque prædicabilibus enumeratis, docuerunt ante me *Conimbricenses* Patres quæst. 7. in Præfat. Porphyrij art. 2. §. *tertia conclusio*, & ibi *Scotus Tartaretus*. *Toletus*, & communis Recentiorum, cõsentiunt P. *Suarez* disp. 6. metaph. sect. 8. num 6. P. *Hurtado* in disp. 7. logica sect. 1. D Ant Rubius q. 7. vniuersalium § 2. *opinio*, & ibi S. *Thomas*, *Iauellus*, & *Sotus*, & P *Arriaga* hic disp. 9. sect. 2. S. Thom.

Ratio conuincens, & communis est, quia quotiescumque inter plura datur cõuenientia, potest ea abstrahi ab intellectu non cognitis differentijs eorum plurium; sed inter quinque vniuersalia datur conuenientia in eo, quod vnumquodque sit vnũ aptum esse in pluribus; ergo ea conuenientia abstrahi potest, & solitarie cognosci ab intellectu non cognitis pro tunc vniuersalium particularibus differentijs, illis nimirum, quibus ea dicuntur prædicari in eo quod quid, in quale quid, vel in quale, vt tota essentia, vel vt partes, vt passio, vt quid omnino contingens. istæ enim sunt quinque prædicabilium distinctiua, ac differentiæ. 779

Sed contra opponis primo, si abstrahi posset vniuersale in communi à quinque vniuersalibus dari posset ratio communis enti reali, & enti rationis, imo vero, & enti, & non enti; sed hoc est plusquam falsum; ergo falsum est posse abstrahi vniuersale in communi. maior, siue sequela est

est clara, quia inter prædicabilia reperiuntur multa, quæ sunt chimæræ, negationes, & priuationes, nempe sunt multa genera, multæ species, multæ differentiæ, multa propria & multa accidentia chimerica, & negatiua, seu priuatiua; qualiter sunt cæcitas in communi, mors, & huiusmodi alia; de quibus agemus inferius in quæst. de entibus rationis.

Respondeo tamen distinguendo maiorem, dari posset ratio communis enti reali, & rationis, siue enti reali, & nō enti, siue negationi, quæ esset aliqua ratio entis, vel habens entitatem, nego maiorem; quæ esset ratio vniuersalis, quæ solum importet esse vnum quid aptum esse in pluribus, concedo maiorem, etenim quando abstrahimus vniuersale in communi ab omnibus vniuersalibus, non attendimus, neque curamus de eorum entitatibus, sed de eorum conuenientia in illo prædicato, quo omnia sunt quidpiam vnum aptum esse, & prædicari de pluribus, quod tam vere, & proprie reperitur in prædicabilibus chimæricis, & negatiuis, aut priuatiuis; atque in animali, risibili, planta, ac reliquis veris prædicabilibus, vt manifeste cernitur in his prædicationibus, *Cæcitas Petri est priuatio. cæcitas cuiusdam bestiæ est priuatio*. conuenientiam ergo in eo prædicato communi præscindit intellectus, quæ cum abstrahatur ab entibus veris, &
780 non veris, ipsa neque vera est, neque non vera; sed abstrahit; & ita oportet esse; tū quia non debuit esse aliud, quam conuenientia inferiorum; tum quia talis debet esse, quæ conuenire possit inferioribus suis; illis autem non conueniret, si in abstractione sua esset quidpiā positiuum, vel negatiuum, aut haberet aliquod præter esse vnum aptum esse in pluribus, quæ fuit conuenientia, & quod in se explicitè, neque implicitè neque dicit ens verum, neque ens fictum, aut negatiuum. Sed neque est merum commune nomen.

Et quidem ob eandem rationem; nempe quoniam in cuiusuis rationis communis fabricam conuenientia sola, quam inferiora dant abstrahenda fit, alibi in libris Physicorum docebam posse abstrahi rationem causæ, siue principij in cōmuni; rationem cognoscibilis; rationem amabilis, vel abominabilis; rationem terminantis actum, & specificantis ipsum; & rationem existentis a parte rei in communi, quantumuis aliquot inferiora, quibus ea prædicata conueniunt, ac de quibus prædicantur, sint chimærica, entia negatiua, priuatiua, & nihil; siquidem, vt tute vides, *cæcitas* in communi est vna apta esse in pluribus numero, vel specie distinctis, non minus quam homo, ac propterea *cæcitas* cum omni veritate dicitur prædicabilis, cognoscibilis, amabilis, vel abominabilis, terminatiua actuum, & specificans ipsum, & existens à parte rei in indiuiduis suis, non secus atque homo, aut leo; quare dici non debuit eiusmodi prædicata esse communia entibus, & negationibus de nomine solum; sed re ipsa; neque inconueniens ducendum est esse quod aliquid pure nihil identificetur cum vero ente; siquidem, vt supra dictum est, esse vnum aptum esse in pluribus, & alia prædicata cōplura iā relata esse purè nihil, & re vera inferioribus tam veris, quam fictis, & nō entibus conuenire; neque oppositum persuadet P. *Vasquez* 1. p. disp. 114. n. 5. & 6. vbi nihil obiectiue commune concedit enti reali, & rationis præter vocem, qua vtrumque dicitur ens, siquidem illa conuenientia vox sola non est. illam vero vocat P. *Arriaga* logicam, non physicam.

Neque licebit reprehendere nos, quasi concesserimus medium inter ens reale, & nihil, siue inter esse, & non esse, aut duo contradictoria; quoniam mediū, quod implicat, est illud duntaxat, quod participat vtrumque extremum habendo aliquid de extremo vtroque, vti habere videntur media colores, & conualescentia: medium vero non est, quod neutrum extremum participat; sed potius quasi fugit vtrumque abstrahēdo, & liberādo se ab vtroq. vt possit conuenire vtrique, & habere ordinem ad vtrumque, vt de more habent vniuersalia omnia, vnde ratio vniuersalis in commune quantumuis abstracta quoque sit ab vniuersalibus veris, & non veris, entibus positiuis, & negatiuis, medium non est in rigore, & modo implicatorio, sed satis possibili, nisi aliter doctioribus videbitur. 781

Opponis secundo. impossibile est, quod aliquid sit superius, & simul inferius altero tertio determinato; ergo abstrahi nequit vniuersale in communi. probas consequētiam.

tiam, quia tale Vniuersale abstractum imprimis esset superius quinque Vniuersalibus, & consequenter Genere in communi; rursus idem Vniuersale esset inferius Genere ipso; quoniam eo ipso, quod abstractum sit, est genus quoddam particulare subiectum Generi in communi; quinimo videtur quoque inferri ex ea doctrina, quod Vniuersale sit superius, & inferius respectu sui ipsius, non tantum quasi mediate, sed immediate etiam.

Respondeo tamen distinguendo antecedens: impossibile est quod aliquid sit superius altero signato sub eadem consideratione, & respectu; & sic concedo antecedens: sub diuerso; & sic nego antecedens. est quidem Vniuersale in communi essentialiter superius Genere, & alijs prædicabilibus in consideratione, qua habet ordinem transcendentalem, & aptitudinē superiorem, & latius patentem erga ipsa, & per quā ea vt inferiora sibi subse, vt totū potentiale continet, & vt est ipsorum pars actualis; ac demum vt ea respicit vt sibi subijcibilia, non vt prædicabilia; sed perinde ac si nulla aliunde ipsa haberent inferiora; sub qua consideratione non est Vniuersale inferius Genere communissi-
mo; quin potius hoc est quoddam illius
782 essentialiter inferius, licet sub alia consideratione, videlicet, inquantum Vniuersale abstractum continuo est quoddam genus particulare, non consideratum iam vt prædicabile, & superius, sed vt subijcibile ad Genus, ipsius est inferius, non minus quam animal; vnde & essentialiter illius est inferius; ex quo non sequitur vllū incommodū, neque quod sit mediate proprie loquendo Vniuersale idem in communi se ipso superius, & inferius ratione variæ considerationis, quæ non finit idem exercere superioritatem etiam mediatam; quod si reflectendo, vt potest intellectus, iterum facto Vniuersali in communi, velit nouum Vniuersale ab eo, & alijs quasi altius abstrahere, & ita quasi in infinitum procedere, oportebit effingi ab eodem intellectu relationem superioritati in noua abstractione, vt Vniuersale, quod denuo abstractum est, se ipsum respiciat.

Solutioni huic, atque doctrinę declarādæ esse potest exemplum illustre quidam homo, qui simul sit Rex, atque discipulus hominis alterius Vassalli Regis, qui Rex propterea suo magistro erit maior, & minor, superior, & inferior non sub eadem consideratione, & respectu eodem, sed diuerso; minor quidem est iste Rex in sciētiæ donis suo illo Magistro, sed eo longe maior in imperio, quin tamen propterea dici commode possit aut Rex, aut Magister se ipsis minores esse, aut maiores neque mediate, propter varietatem illius considerationis scientiæ, ac dominij temporalis.

Ad finem aduerto duo. primum est, Vniuersale abstractum à quinque prædicabilibus esse vere genus, quoniam vere prædicatur de pluribus specie distinctis vt pars essentiæ ipsorum, & in eo quod quid, vt apparet in his, & reliquis prædicationibus: *genus est vniuersale, species est vniuersale*, & ita quoque reliqua. secundum est, eiusmodi vniuersalissimum Genus esse genus subalternum, idest immediate diuidi in
alia intermedia genera, quæ sunt inter prę- 783
dicabilium quinque classes, & ipsum; atque de intermedijs alijs immediatius prædicari, quam de dictis classibus; ita iudicarunt multi Recentiores cum *P. Rubio* q. 9. *Blancho* disp. 2. sect. vltima, *Castellus* disp. vlt. de Accidente, dub. 6. & alijs, quos allegant, & impugnant *Conimbr.* in illa 7. quæst. super *Porph.* Præfat. art. 3. a §. *non est tamen.*

Sed tamen Rubij, & Recentiorum opinio sustineri potest primo, quia vniuersale in communi diuiditur primo in vniuersale positiuum, & negatiuum, de quibus prædicatur immediatè, & antequam descendat ad quinque classes magis inferiores. secundo quia similiter prædicatur immediatius de genere in communi, & reliquis prædicabilibus communissime sumptis, quæ sect. præcedenti probabam esse species infimas, & genera in varia, & multiplici logica consideratione. Tertio, quoniam, vti docent communiter Antiqui, & Moderni, vniuersale hoc in communi immediatius quoque diuiditur, & prædicatur de vniuersalibus dictis in eo quod quid, seu inquid; & in quale quid, seu in quale: quæ sunt duo genera intermedia, quorum primum immediatius dicitur de Generibus, Speciebus, ac Differentijs; quibus est commune prædicari in quid: secundū autem immediatius dicitur de Proprijs, & Accidentibus, quibus commune

est

est prædicari in quale. atque hæc eadem duo genera vocantur ab alijs *prædicabile essentialiter; & prædicabile extra essentiam.*

Ex supradictis infertur primo ad maiorem notitiam vniuersalis in communi, & inutilium reflexionum intellectus nostri, à quibus abstinendum: hanc propositioné, *vniuersale est vniuersale.* identicam esse, & inutilem, si illud vniuersale, quod est ex parte subiecti non sumatur pro aliquo signato, & particulari prædicabili ex quinque, de quo sermo fit. secundo, hanc propositionem formalé esse & vtilem, atque directam, *genus est vniuersale*, non secus atque illas neque in alio sensu, *species est vniuersale, differentia est vniuersale, &c.* quoniam genus illic positum est vt subijcibile, & secundum subiectionis respectû, vt posita sunt prædicabilia reliqua.

784 Tertio infertur hanc quoque esse propositionem legitimam, *vniuersale est genus*, quia subiectum eius est vniuersale, inquantum est species subijcibilis ad genus in communi, vt prædicabile iam sumptum; quod si eadem propositio eodem modo supponentibus illis terminis suis, indirecta dicatur esse, & sit, adhuc propositio illa erit vtilis, & vera, & in materia natutali in sensu identico, & reali, quemadmodum hæc, *animal est homo*, iuxta dicta supra à n. 339. siquidem illius sensus erit, vniuersale communissime sumptum, & superius ad genus, & ad prædicabilia reliqua omnia, identificatur cum genere quasi realiter, sicut & cum reliquis suis quibuscumque inferioribus. Quartò tandem aduerto satius fuisse vt in tota hac tractatione de vniuersali aut prædicabili in communi, loquamur de illo vt abstracto solum ab vniuersalibus, veris & realibus, non chimericis, aut negatiuis.

DISPVTATIO V.

Partim metaphysica, partim logica, commentaria, & interpres decem Prædicamentorum Aristotelis, Causarum generum quatuor, & multorum Locorum, & Mediorum, vnde argumenta petere edocemur secundum Logicæ regulas, & imperia; sed prius pauca præfatur de tractandorum nominibus, obiecta materia, & cohærentia,

POstquã edocti estis, sic præfabar olim agendo cum discipulis, prædicabilia Porphyrij, & modos illa inueniendi, faciendi, & ex parte prędicandi, relinquitur primo habere notitiam materiæ, ex qua illa fabricanda sint, quæ sunt decem rerum *prædicamenta*, siue Categoriæ, ad quæ veluti ad decem classes entium diuersorum, reduxit *Aristoteles* res huius vniuersi omnes, contra *Platonem* præceptorem suum, qui omnia reduci voluit ad *ens*, tanquam ad vnum rerum omnium prædicamentum. *Aristotel.*

Et quidem, vt nomina, ex quibus rerum intellectus pendet, declaremus, aduerto quod quamuis græcum nomen *Categoria* significare videatur id, quod latinum *prædicamentum*, idest prædicatum quod de altero prædicatur, & ideo *S. Damascenus* in lib. de Dialectica cap. 38. recte docuerit *Categorias* dictas ex eo, quod de alijs prædicentur; veruntamen vsus Dialecticorum obtinuit, vt ijs duobus nominibus græco, videlicet, & latino, significetur non solum prædicatum singulare vnum, vel alterum; sed tota, & integra series prædicatorum, seu prædicamentalis sũpta a supremo prædicato, vsque ad indiuiduũ, quod categoriæ, seu prædicamenti dicitur basis, & fundamentum, vt inferius in arboribus prædicamentalibus depingendis, ad oculum apparebit.

Relinquitur ergo secundo, informare vos de modo, quo prædicabilia, seu prædicata inuenta iam, & effecta secundum Logicæ regulas, coordinanda sint ac reponenda in suis vnaquæque prædicamentalibus arboribus, tanquam in locis, vnde, à vobis opportune desumantur, prout occasio postulauerit, ad vestras propositiones, & modos sciendi componendos, ne cui desit copia rerum, mediorumue ad quidpiam in quauis materia, scientiaue, illum versari contingat, conuincendum. 785

Materia, siue materiale obectum disputationis huius, quæ complectitur lib. Prædicamentorũ & præsertim, Topic. est idé, quod totius partis huius logicæ secundæ, nem-

nempe res huius vniuersi omnes, tam singulares quam communes, ex quibus varia logica artefacta ex directione regularum Logicæ realis fiunt; formale verò, sunt res ipsę secundum quod subicibiles, vel prædicabiles sunt, & secundum vim illatiuam veritatis de ipsis prædicandæ iuxta ea, quę fusius prosequebar olim supra à num. 41. 69. & 481. quod adeo verum esse in dies experior, dum lego *Aristotelem*, vt credā Logicam ipsius fermè totam directè tractare de rebus, de vocibus vero, & conceptibus indirectè, quamuis isti fuerint ab ipso principaliter intenti ex fine, vt dici solet, *non operis*, sed *operantis*, vti supra locis allegatis & à num 104. dictum est.

Sed quoniam præsens Prædicamentorum liber ab *Aristotele*, eius authore, & Interpretibus tripartitur in partes tres, & prima *antepraedicamēta*, vocatur, vbi edocentur quædam prolegomena præcienda ante doctrinam Prædicamentorum, Secunda dicitur *prædicamenta*, in qua decem ipsa genera rerum fuse explicantur. Tertia denique appellatur *post prædicamenta*, vbi docuit Philosophus, quædam corollaria quasi consequuta ad prædicamenta; idcirco nos huic methodo accommodamus, & postmodum superaddemus tractationem breuissimam de quatuor generibus causarum; vt ad finem congruentius fusius tractemus de Sedibus, ac locis argumentorū, producendo in primis Media, siue Principia, quibus nititur omnis scientia; sed pręsertim regulas logicales, quæ nos docent eorum commodum vsum, ac varia argumenta deducere ex prædicabilibus, & causis, & alijs, quæ contingit esse media ad quoduis thema, de quo incidit dubium, persuadendum, vel dissuadendum, declarando si quomodo possumus doctrinam *Aristotelis* traditam subobscure in 8. libris Topicorum. Legantur tamen ipse Philosophus locis citatis. & SS. PP. *Augustinus*, & *Thomas* in suis Logicis, vbi de Categorijs, siue Prædicamentis.

Aristotel.

786

Aristotel. *S. August.* *S. Thom.*

QVÆSTIO I.

Declarat Antepradicamenta, idest, quatuor priora Capita libri; vbi remissiue agit de Vniuocis, Aequiuocis, Denominatiuis, Complexis, & Incomplexis, Proponit Aristotelis, doctrinas valde vtiles ad proficiendum, & exponit denarium numerum Prædicamētorum.

SVpra in prima logicæ parte, siue in *Logica Vocali* à num. 245. per Sectiones varias egi de nominibus Vniuocis, Aequiuocis, Analogis, Denominatiuis, Complexis, & Incomplexis; in præsenti verò, quando versor in *logica reali*, tracto de eorumdem nominum significatis, siue de rebus, quæ per ea nomina dicuntur, vel significantur, vtendo nimirum terminis pro rebus, hic adhuc magis in rigore, quāuis videam *Aristotelem* mixtim tractasse de terminis, ac eorum significatis, hic etiā nonnihil diuertēdo ad nominum origines, ac deriuationes; id quod occasionem, & ansam dedit aliquibus, nimirum *Alexandro*, *Simplicio*, *Ammonio*, & alijs apud *Conimbr. in Proemio Categoriarum*, non bene opinandi materiam libri prædicamētorum esse tantum voces, & nomina, quos ego dilucide conciliaui secum, cum alijs, & cum veritate, distinguendo supra Logicam vocalem, atque realem, vt vides, & habes in Logicæ Præfatione à nu. 164. & alibi frequenter. *Aristotel.*

Primum ergo Caput Antepraedicamentorum *Aristoteles*, absoluit tradendo definitiones Aequiuocorū, Vniuocorū, & Denominatiuorum, *æquiuoca* dicens *dicuntur*, *quorum nomen solum est commune, secundum nomen vero substantiæ ratio diuersa*. vt *homo* verus, & *homo* pictus, *Gallus* homo, & *Gallus* gallinaceus, quibus solum nomen commune est, substantiæ vero ratio & essentia per nomen significata, longe diuersa. lege *S. Augustinum* to. 1. de Principijs Dialecticæ cap. 9. æquiuoca declarantem & aduerte *Aristotelem* immemorem fuisse analogorum, vel, vt alij volunt, ignorantem, si analoga non comprehendit, vt voluit *Suarez* disp. 32. sect. 2. sub nomine Aequiuocorum, vt & mihi videtur comprehendisse; sed eorum notitiam sufficienter nos tradidimus supra à n. 242. legantur quæ ibi dicta fuerunt, & attendant nunc lectores non tam ad nomina, vel voces Analogas, quam ad ipsarum significata, quæ vulgo vocant *analoga analogata*, siquidem de rebus, & non de vocibus

Aristotel. *S. August.* *Aristotel.* 787

cibus noster sermo nunc est, & solum vtimur terminis pro rebus.

Vniuoca autem sunt, prosequitur Philosophus, *quorum, & nomen est commune, & secundum nomen eadem substantiae ratio, vt animal, & homo, atque bos*. quibus nomen *animal* commune est, vt patet & item ratio significata per id nomen est eadem in vtroque, & reliquis bestiarum speciebus, *eadem*, inquit *Aristoteles*, non similis tantum, vt volunt *Nominales*, & eius Sectatores quotquot opinati fuerunt supra vniuersalia esse singularium multorũ similium congeries; hic item notari volo, quod maxime ad rem pertinet, rationem illam communem per nomen significatam esse vere vniuocam, nam inferiora eius potius diceremus vniuocata, vt tolleremus occasionẽ aequiuocationis. lege omnino *S. Augustinum* de Principijs Dialecticae tom. 1. capit. 9. optime explicantem vniuoca, & *Vasquez* tom. 1. in 3. par. disp 68. cap. 4. num. 20.

Aristotel.

S. August.

Denominatiua vero dicuntur quaecumque ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem, vt Grammaticum, quod dicitur a Grãmatica, & fortis, & forte, quod dicitur à fortitudine, sed ibi, vt apparet ex contextu, definit *Aristoteles*, Denominatiua nomina. *denominatiua* ergo, siue significata denominatiuorum nominum, de quibus modo tractamus, *dicuntur quaecumque ab aliqua forma, vel quasi forma effectum formalem, & nomen sortiuntur*. ita est homo, qui à fortitudine sibi inhaerente fortis fit, ac dicitur; & à grammatica, grammaticus; & à visione videns; color etiam quidam denominatiuum est, quatenus à te vidente illũ, ille visus denominatur, licet visio tua forma denominans fit extrinseca, & seiuncta à colore viso: denominata siue denominatiua sunt, & alia plurima, quae vsus te docebit, & experientia.

Aristotel.

788 In capite secundo posuit Philosophus duas rerum diuisiones, & vnam definitionem; prior diuisio est rerum, *quarum aliae sunt complexa, siue qua cum complexione dicuntur*, idest termino complexo significantur, vt *homo currit*, & animal rationale: *aliae sunt incomplexa, siue quae cum incomplexione dicuntur*, idest termino incomplexo significantur, vt *homo*, equus. *bos. currit*, *vincit*. atque de incomplexis hisce solũmodo tractare in hoc libro *Aristotelem*, bene adnotarunt Interpretes duo, *Simplicius*, & *Ammonius*; siquidem in praedicamentis non collocantur nisi res incomplexae, & earum locum tenentes voces simplices.

Aristotel.

Aristoteb

Secunda diuisio, quae potius est enumeratio diuersorsientiũ sic est, *eorum, quae sunt alia de subiecto aliquo dicuntur in subiecto vero nullo sunt*, vt *homo*, qui de subiecto quidem suo *Petro* dicitur, & praedicatur, sed in nullo subiecto est inhaerendo nimirum, vt inhaerere solent accidentia: *alia autem in subiecto quidem sunt, de subiecto vero nullo dicuntur. vt hic calor*, & accidentalia reliqua singularia, quę quidem inhaerent suis subiectis, sed de nullo praedicatur formaliter, licet praedicari possint identice, & nugatorie, si dicas, hic calor est hic calor, hęc grãmatica est haec grãmatica: *alia vero de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt*, vt *scientia*, quae est in anima, vt in subiecto, ac simul dicitur de grammatica, seu alia quauis scientia particulari, sic, *Grammatica est scientia. Logica est scientia*.

Alia demum neque in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur, vti *Socrates*, & omnia indiuidua substantialia, quorum nullum inhaeret subiecto, aut quit de alio praedicari plusquam inutiliter, vt supra dixi, si dixeris, Petrus est Petrus, & huiusmodi. nihil enim quod vnum numero sit loquẽdo de creaturis potuit de alio, aut alijs praedicari, vt ad finem capitis aduertit *Aristoteles*, quoniam, vt sapienter dixit S. *Thom.* cũ *Auicenna* in Opusc. 55. ibi. *impossibile est quod vna, & eadem res numero sit praedicata de multis, ita vt vnumquodque sit ipsa*

Aristoteles

S. Thomas.

Deinde idem Philosophus interserit in capite eodem definitionem eorum, quae in subiecto esse dicuntur dicens. *in subiecto vero esse dico, quod cũ in aliquo sit, non sicut quaedã pars, impossibile est esse sine eo, vt quaedam grammatica*, quae est in anima, non quidem vt eius pars, grammatica enim totũ quoddam de se est, & aliunde nõ potest persistere sine animal, & quia anima sit, in qua illa est inhaerendo, siue tamquã *in subiecto inhaesionis*, vt vocant. vide *S. Augustinum* de Categotrijs cap. 6. 789

S. August.

In capite tertio posui *Aristoteles* duo axiomata, vel documenta, quorum prius est

Aristoteles

est quædã regula Logicæ realis: posterius quoque est quasi regula metaphysica, & regulas ambas præmisit, vt nos sciremus coordinare prædicaměntorũ series, & formare varias propositiones, & modos sciendi reales, & obiectiuos. Logica regula sic est. *quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quæcumque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de subiecto dicentur*, vt homo de Platone prædicatur, animal vero de homine, ergo & de Platone animal prædicabitur: Plato enim, & homo, & animal est. quæ regula coincidit cum illa, quidquid *essentialiter conuenit, & prædicatur de superiori, conuenit, & prædicabitur similiter de inferiori.* de qua dictũ est supra & infra multis in locis. & tractat S.Thomas de Poten. q.8.a.1.ad 6.

S.Thomas.

Regula metaphysica est hæc, *duorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt specie differentiæ*, vt generum *animal, & scientia*, animalis enim differentiæ sunt *rationale, hinnibile, & bipes*, scientiæ autem nulla earum est, vt manifestum est; neque enim scientia vna ab alia differt in eo, quod vna bipes est. *subalternorum vero, seu subalternatim positorum generum, nihil prohibet easdem esse differentias*, qualiter est differentia *bipes*, quæ contrahit animal terrestre, & animal volatile. nota quod hic nominat genera non subalternatim posita ea, quæ sunt diuersorum prædicamentorum; & genera subalternatim posita appellat, quæ pertinet ad idem prædicamentum, vt apparet in exẽplis & adnotaui supra num. 684. tem hanc fusius declarando.

790 Denique in capite quarto diuisit *Aristoteles*, sequutus *Architam* Tarentinum, se antiquiorem, incomplexa, siue incomplexas res, in decem classes differentes, quę vulgo vocant decem lineas, seu decem genera rerum, dicens *incomplexorum vnumquodque aut est substantia, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. est autem substantia, vt homo; quantum vt bicubitum; quale vt album; ad aliquid, vt duplum, dimidium, maius; vbi vt in foro; quando, vt heri; situm esse vt sedet; habere vt armatũ esse, agere vt secare, vrere; pati, vt secari, vri*; quæ omnia ab interpretibus disticon illo concluduntur.

Aristotel.

Arbor. sex. Natos ardore. refrigerat. vstos.
Ruri. eras. stabo, tunc tunicatus ero.

Arbor enim denotat substantiam. *sex* quãtitatem. *Natos*, id est *filios*, denotat *relationem*. *ardore* innuit *qualitatem*. *refrigeras*, *actionem*. *vstos*, *passionem*. *Ruri* monstrat *locum vbi*. *eras* tempus, seu *quando*. *stabo* significat modum essendi seu *situm*. *Tunicatus* habere siue *habitum*, vestitum, seu arma corpori applicata.

Hic postremo aduerterem in vnico substantiali indiuiduo, v. g. in *Petro* reperiri posse, & solere decem ea omnia prædicamenta. nam Petrus est substantia, habet Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, quando agit immanenter, Passionem quando patitur (& semper aliquid agit, & patitur) habet etiam Vbi, quia est alicubi, & Quando quia aliquando vixit, habet situm, ac demum habet Habitũ, quando vestitus est, ideo dixit *S. Augustinus* de Categorijs c.8. *hæ sunt Categoriæ decem, quarum prima vsia est*, id est substantia, *scilicet quæ nouem cæteras sustinet.* S. August. aduertit quoque *Aristoteles* prædicamenta non esse affirmationes, aut negationes, obiectiuas, videlicet; & merito; quia ea simplicia, incomplexa obiecta sunt apprehensionum, quæ neque affirmant, nec negant, licet ex prædicamentis tanquam è subiectis, & prædicatis omnes prędicationes obiectiuæ fiant. Aristotel.

Ex dictis infertur mentem *Aristotelis* in 4. istis capitibus (quæ ante prædicamenta dicuntur) fuisse viam sternere, ac præparare ad capiendam adæquatam entis diuisionem in decem genera rerum faciendã, quæ dicūtur decẽ prædicamenta; & ad faciendas veras, & varias ex eis prædicationes, vt tandẽ scientiã rerũ nobis cõparemus; qui finis est operantis; operis enim huius logici, siue huius partis Logicæ, vt alibi demonstratum est, sunt ipsa decem rerum prædicamenta, secundum quod apta sunt fieri, subijci, & prædicari, vt subiecta, scilicet prædicata, & media. 791

QVÆSTIO II.

De conditionibus, quas obseruare debent res, rationesque communes po-

ponibiles in serie Prædicamētorū, atque de eorum coordinatione.

ANte enumerandas conditiones requisitas ad hoc, vt res rite reponantur in prædicamento, animaduerto inter eas res, alias esse, quæ ponuntur in recta linea, nempe, quæ sunt entia physice, vel metaphysice completa, vti dicuntur esse, quę perfecte sunt Species, & Genera, atque etiam Indiuiduum, quod est prædicaméti basis, & fundamentum; hoc modo sunt in recta linea in prædicamento substantiæ *Petrus, homo, animal, viuens, corpus, substantia*: alias autem esse res, quæ ponuntur ad latus, ad læuam, nempe, vel dexterā lineæ rectæ intermediæ, quomodo sunt rationes incompletæ, aut differentiæ, veluti *rationale, irrationale, sensibile, & insensibile*, vt in arbore prædicamentali inferius apparebit.

His positis in carminibus sequentibus continentur conditiones, quas debent seruare res ponibiles in prædicamento, quouis modo ex dictis & quas item conditiones seruare oporteat voces, quas in serie prædicamentali collocamus, loco rerum vocibus ipsis vtentes, quoniam res ad scholas adducere non possumus, neque commode collocare in Prædicamentis. Carmina sunt hæc.

Vox vna, & simplex, proprijsque accommoda rebus.
Entia per se se, finita, realia, tota.

792 Prima ergo conditio est vt res significetur voce, seu termino vno, idest vniuoco, non analogo, neque æquiuoco. Secunda, vt vox fit terminus incomplexus, vel si cōplexus, quod solet contingere ob defectū vocabulorum, significare debet simplicem rem; vt est *corpus animatum*. Tertia, vt quælibet res, ratione significetur voce sibi accommodata, v.g. si res ponenda in prædicamento sit substantialis, vox, quæ eius rei loco ponitur, sit terminus concretus, vti sunt *homo, animal, rationale*, & huiusmodi; quoniam incommodæ voces censetur abstracta hęc vltima, nimirum pro prędicamento eodem substantiæ, *humanitas, animalitas, rationalitas*, & similia. quod si res ponēdę erunt in prædicaméto aliquo accidentali, voces debebunt esse abstractę non vltimæ, vt *albedo, nigredo, quantitas, qualitas*, & similes; non vero concretæ, vt *album, nigrum*, & huiusmodi.

Si quando autem *Aristoteles* vsurpans prædicamenta accidentalia, vsus fuerit nominibus concretis apellando Quantitaté, Quantum, & Qualitatem, Quale, & Relationem, *ad Aliquid*, seu *Relatiua*, & sic alia, vt habes in quæstione præcedenti S. *denique*, id fecisse creditur, quia apud græcos, perinde valere dicitur, ac significare aliquando, nomen concretum, atque abstractum; & quia sic in concreto allata prædicamenta magis notoria cunctis sunt; & sic solent frequentius prædicari. addi etiam potuit *Aristotelem* fuisse in ea opinione, quod pleraque prædicamenta sint quædam relationes, & extrinseca concreta duorum, vel plurium; quæ vocant alij denominationes extrinsecas, vt adnorabimus infra. Aristotel.

Quarta conditio postulat vt res sit *ens per se*, idest vnius essentiæ, vt *Petrus, homo*; non autem per accidens, vt *homo albus, exercitus*; quam conditionem insinuasse supra Philosophus alicui videbitur, dicens prædicamenta incomplexa esse; & quidé ita esse aliqua certum est; omnia verò incomplexa esse, & entia per se, non puto, licet, modo non id examino. Quinta conditio est, vt res sit *finita*, hoc est creatura, seu creata, neque enim repugnaret poni in prędicamento infinitam creaturam, si ea foret possibilis. vnde solus Deus ob suam immensam perfectionem excludendus fuit á prædicamento, & aliud nihil; quamtūuis perfectum sit. nihil enim reperiri, aut creari poterit, quod non habeat genus, ac differentiā reducēda ad aliquod ex prædicamentis.

Deus autem ideo non ponitur in prædicamento, quia proprie loquendo, non habet compositionem generis, ac differentiæ, ob eius infinitam simplicitatem, quamuis non desint plures, qui opinentur ipsum quoque sub prædicamento substantiæ cōtineri; inter quos sunt *Ariminens*. in 1.d.1. q.3.a.2. *Gabriel.* ibidem. *Bacon.* distin.9. quæst.1. & *Arriaga* d.3. met. sect.2. nu.7. quod approbare non audeo, nec improbare intendo, sed standum oppositæ communiori senteotiæ Theologorum, ac Dialecticorum censeo: cui fauent *S. August.* lib.1. de cogn. veræ vitæ. c.2. dicens Deum non poni in prædicamento substantiæ, quia ibi 793 S. August.

ibi ponitur substantia omnis, & sola quæ substat accidentibus; Deus autem ita non est. *S. Anselmus* in monolog. c. 26. *S. Thom.* & alij complures, quos imitatur *Vasquez* 1. p. d. 22.

S. Thomas.

Sexta conditio est, vt quæ ponuntur in prædicamentis realibus, omnia sint *entia realia*, quod si si tute fingis alia decē prædicamenta chimærica ad similitudinem realium conficta, & coordinata, iuxta ea, quæ dicemus infra in q. de Entibus rationis, ibidem reponi poterunt entia metaphorica, siue conficta. Septima conditio requirit, quod fundamenta, & bases prædicamentorū sint entia integra, & *physice completa*, vt est *Petrus*, & quoduis aliud indiuiduum singulare, completionem in se habens, & non ordinatum ad aliud complendum, vt pars eius; & ideo materia hæc, & illa forma nequeunt esse basis prædicamenti. deinde prædicata superiora fundamento, posita in recta linea debēt esse quasi *metaphysice completa*. vt *homo*, *animal*, ea vero, quæ ponuntur ad latus sunto *metaphysice incompleta*, vt *rationale*, *sensibile*. quid vero sit ens metaphysice completum, & incompletum declaratur inferius n. 981.

Octaua, & vltima conditio colligitur ex præcedentibus, & est, vt illa, quæ sub genere supremo, siue generalissimo, quod dicitur caput prædicamēti, cōtinentur, cū ipso, & cum inferioribus, & lateralibus prædicatis, quibuscum contingit identificari, componant metaphysicam compositionem, quæ declarata iam manet à nobis supra n. 742. ita quod nihil reperiatur in prædicamentis analogum, neque transcendens; sed omnia sint vniuoca, nempe omnia sint perfecta prædicabilia; & ex horum quinque non omnia, sed quæ sunt de

794 fundamenti (cuius in hoc negotio notitia prætenditur, (essentia: quomodo sunt tantum tria, nempe Genus, Species, ac Differentia; reliqua enim prædicata, quæ vniuoca non sunt, & quæ neque sunt fundamenti, vel singularium genus, vel differentia, inutilia sunt ad construendam definitionem illorum; quam oportet componi ex genere, ac differentia rei cuiuspiam definiendæ. sed tamen reductiuè spectare poterunt ad prædicamentum aliquod; nimirum vnumquodque ad suum, cui magis assimiletur iuxta genus suum. Series prædicamenti, siue arbor prædicamentalis cōposita, & depicta cum ijs omnibus enumeratis circumstantijs, & conditionibus, opportune magis proponetur vnaquæque ad calcem proprij Prædicamenti.

QVÆSTIO III.

Incipit tractare de Prædicamentis; & primo de Prædicamento primo Substantiæ; vbi quid ea sit, & quotuplex; ac de ipsius Proprietatibus, super caput 5. Aristotelis, & definit obiter Accidens in communi.

Aristot.

CApur *Aristotelis* de Substantia habet potissimum duas partes. in prima substantia definitur, diuiditur, ac distinguitur ab alijs omnibus, quæ substantia non sunt. In secunda ponuntur proprietates quædam substantiæ, quæ omnia nos breuissime in præsenti quæstione declaramus, supponendo cum *Aristotele*, & cōmuni sententia, substantiam esse, vel existere; & in fine seriem, siue arborem continentem coordinationem prædicatorum substantialium aliquorum, depingendo: sed non est animus pertractare omnia, quę *Aristoteles*, sed, vt inquit *S. Augustinus*, de Categorijs cap. 9. in fine, *ea planius enarrare, quæ rudibus videbuntur obscura.*

Aristotel.

S. August. Aristotel.

SECTIO I.

Definit Substantiam, postquam nomina substantia, subsistentia, *& alia concernentia explicuerit.*

ERgo ad pleniorem huius prædicamenti notitiam capiendam, à declaratione nominis, quo significatur, debemus incipere. *Substantia* enim quod græce dicitur *usia*, nomen æquiuocum est. nam primo significat rei cuiuspiam naturam, & essentiam; vnde dicere solemus hoc, vel illud est de substantia hominis, intellectus, vel caloris; vel alicuius alterius substantialis, aut accidentalis rei. Secundo solet significare, præsertim in vulgari sermone, rei alicuius, vel negotij summam compēdiolam, & principale punctum; & ideo dici vulgo consueuit ab enarrante, & negotium alias longum breuiter exponente, hoc tantum est rei, ac totius litis, negotij, histo. 795

historiæue substantia, idest neruus, medulla, & punctum principale.

Tertio, nomē substātia significat rē, quæ per se stat, atque subsistit, & quæ alijs substat, vt pulchre tradit noster Hispalensis *Isiderus* in cap. 4. lib. Ethymolog. sine adminiculo alterius sustinentis; ad differentiam accidentis, quod alteri inhæret, idest, in ipsa substantia; ideo merito dixit supra S. *August. vsiam*, siue substantiam reliquas nouem accidentales Categorias sustinere. vnde fit, vt res, quæ substantia est, sit cōposita ex duplici quasi re, & comparte, vna est natura, vel essentia rei, alia est *modus*, qui dicitur *perseitatis*, & alijs nominibus *subsistentia*, & suppositum. lege si vacat P. Ioannē de Lugo circa officiū subsistentię, de Incarnat. disp. 12. sect. 3. *Suarez* in metaph. disp. 54. *Vasquez* to. 1. in 3. par. disp. 31. capit. 6. *Granade* de Incarnat. tract. 6. disp. 2. nu. 4

Atque natura substantialis, quæ est radix, & fundamentum huius modi, quando sine illo est, aut sine illo intelligitur, dicitur substantia per se subsistens *negatiuè*, idest non inhærens alij, seu subsistens radicaliter; nam per modum superadiunctū dicitur, ac fit subsistens *positiuè*, & formaliter.

Sed quoniā nō defuerūt multi, è SS. Patribus, qui nomine *substantia* significari crediderunt id ipsum, quod significamus nos nomine *subsistentia*; suborta fuit altior alia æquiuocatio, & lis in Ecclesia Dei, circa nomē *substantia*, de qua videndi sunt *S. Thomas* 1. p. q. 29. art. 1. ad 2. & ibi *P. Molina* 2. 2. disp. 1. *Suarez* l. 1. de Trin. c. 2. n. 11. & *Beccanus* c. 3. q. 6. interim nos credamus in Deo esse *vnam substantiam absolutam*, & *tres substantias relatiuas*; siue *tres subsistentias*, vel *personalitates*, *personas tres substantiales constituentes*; siquidem vt supra nu. 726. edocti sumus, subsistentia iuncta cum natura irrationali facit *suppositum*, iuncta vero cum rationali facit *Personam*.

796 Quare substantia in communi, vt significatur isto tertio modo, sic describitur à *S. Thoma* Opusc. 48. c. 2. *est ens perse subsistens*, secundum quod manet declaratū; sed quoniā, vt ex bene aduertit ex *Arist.* eius illustrator *S. Aug.* de Categ. c. 9. & 10. in principio *vsia*, siue substantia secundum regulam, quæ docet definitionem debere exordiri à genere, definiri nō potest, quia genus illa non habet; idcirco, vt maior notitia substantię in cōmuni habeatur, ad definitionem partiū eius cum Philosopho descendimus. tu de significatis nominis, *substantia*, iterum vide *S. Thomam* in 1. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 7. & ibi substantiæ diuisiones. q. 1.

S. August. | S. Thomas. | S. Thom. | Aristoteles | S. August. | S. Thom.

SECTIO II.

Diuidit Substantiam in communi in primam, & secundam, tanquā in species suas; vtramque describit, & vtriusque proprietates.

Porrò substantiam in communi diuisit *Aristotel.* in primā & secundā, & primam definiuit dicens. *prima substātia est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, atque in subiecto aliquo est*, inhęrendo sine inhæsiue, subintellige, id quod aduertit vbi supra S. *Thomas*; vt *quidam homo*; & *quidā equus* & quęcūque alia substātialia indiuidua, quę ad sui persistentiā, & cōseruationem nō postulant inexistere in aliquo subiecto inhæsiouis, quāuis aliquot incompleta indiuidua substātię inexistere soleant in subiectis informationis, sine ea informando; quomodo sunt animæ oēs, & formæ substātiales, quæ existunt in varijs materiæ primę portionibus, eas informando, & cū eis varia cōposita physica substantialia cōponendo, vt fusius dicendum est in libris Physicorū, nulla verò ex substantijs primis de alio prędicatur plusquam inutiliter, vt si ludendo dicas *Petrus est Petrus*, & huiusmodi aliter: Idcirco aiebat bene supra *Arist.* in c. 2. *simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & vnū numero, de subiecto nullo dicuntur*, quod ponderauimus & nos super us in q. 1. *S. secunda diuisio.*

Secundā vero substantiam ita efinit. *secunda autem substantiæ dicuntur species, in quibus ea, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt* idest secūda substātia est, quæ prædicatur de primis sub ipsa cōtentis, vt *homo*, qui prædicatur de Petro, & Paulo, & reliquis indiuiduis, quæ sunt primę substantiæ rationales, quam dicit *Aristoteles* esse in *homine*, siue *sub homine*, quę est secunda substantia & merito, siquidem scitis iam quoduis vniuersale continere sua inferiora sub sua potentia. quamuis & 797

Aristoteles | S. Thomas | Aristotel.

Bb ipse

ipse Philosophus è cōtrario docuerit quoque. 7. met. c. 13. *vniuersale* (quod sæpe est secunda substātia) *non esse aliquid extra res* (quæ solent esse primæ substantiæ) *existens*, & item hic cōfitetur secundas substantias prædicari de primis, quod autem de alio prædicatur, in eo quodā modo est, sin minus sēper vt in subiecto inhęsionis, quo modo esse repugnat substātiæ; saltem per identitatem prędicati cum subiecto, vt ibi *Petrus est homo*.

Deinde *Arist.* appellat primas substātias, *æquales substātias*; quia æqualiter substāt accidētibus, quæ illis debētur, & inhærēt, & æqualiter substant & subijciuntur prædicatis superioribus, siue secūdis substātijs, quę de illis prędicari possūt: vocat vero singulares substātias, *primas*, & vniuersales *secūdas*; quia illæ sūt per antonomasiā, & primario ac principaliter substātiæ per se subsistētes, reliqua omnia sustentātes, de nullo dictæ, aut sustentæ; hæ vero licet substātiæ sint, sunt tales propter primas; quia nimirum de illis abstractæ prædicantur, & cum illis identificatæ sunt; & quia illas indicant, & ad illas habent respectum.

Præterea comparando inter se substantias secundas, *magis substantias*, idest potiores, & perfectiores dicit esse inferiores, quā superiores, iden *hominem* magis substantiam vocat, quam *animal*, & merito, & ad dicta sua supra consequenter; siquidē *homo* magis accedit ad Petrū primā substantiā, & perfectiore; quā accedit *animal*. S. August. vnde, vt bene prosequitur hic *S. Augustin*. sit, quod qui velit cognoscere *Socratem*, magis prope cognoscat ipsum audiendo, & intelligendo hominē esse, quam intelligendo esse animal, aut aliam substantiam secundam superiorem. legatur *S.* Pater de S. Thomas. Categ. c. illo suo 9. & *S. Thom.* Opusc. 68. tract. 2. c. 2. & 3. quorum doctrinæ conformia sunt ista.

798 Postulat quis, qualis sit diuisio substantię in primam, & secundā? Respondēt quidā esse subiecti in accidentia, nempe diuidi substantiam secundum se in primam, seu singularem, & in secundam seu vniuersalem; at esse his modis substantiæ esse aiunt quid contingens, & accidentarium, consectarie ad ea, quæ dicere solent de natura secundum se, quam similiter dicunt neque esse de se singularem, neque vniuersalem, sed quid ab vtroque abstrahens, ac distinctum; sed nō placet responsio horum propter ea, quæ contra ipsos dicta fuere supra a num 602.

Respondent alij eam diuisionem esse siue potius enumerationem quandam significatorum nominis analogi *substantia* in analogata sua, quasi id nomen per prius significet primam substantiam, quæ est primaria, ac principalis, & magis perfecta substantia: deinde significet secundam, quę quasi per respectū ad primā dicitur substātia; seu quia indicat primā, vt loquitur *Au-* S. August. *gustinus*. vnde diuisionē, inquiunt *Arist.* Aristotel. esse nominis analogi in analogata. sed cur diuisio ea non itē fuerit generis in species suas, ego non capio, & video & teneo cū *S. Thoma* 1. d. 25. q. 1. a. 1. ad 7. substantiā S. Thomas in cōmuni posse abstrahi ab omnibus substantijs cōuenientibus in eo, quod vnaquęque tam prima, quā secunda subsistat per se, siue modus perseitatis, & subsistendi sit physicus, siue metaphysicus, singularis, aut cōmunis; & insuper cerno plura ex his substantijs collata inuicem specie differre, & subesse substantiæ in cōmuni, vt parti essentię eorū, vt vides in ijs prædicationibus, & similibus *Petrus est substantia. Planta vel animal est substantia. substantia hec prima est substātia substāti a illa secunda est quoque substantia*. Huic doctrinæ cōsonant PP. *Suarez* in met. d 33. sect. 2. a nu. 21. *Castelui* d. 3. de substantia dub. 4. & ibi, *Blanchus* dicentes diuisionem factam vniuocam esse. an vero ea ratio substantiæ completa sit dicetur infra à n 981. 799

Enumerat deinde *Aristoteles* proprietates varias substantię. Prima est quod substantia nulla inhæreat subiecto, vt inhærere solent accidentia; Secunda, quod substantia quæuis secunda vniuoce prædicetur de sua substantia prima. Tertia, quod substantia prima repræsentat *hoc aliquid*, idest est quidpiam singulare, & res hæc, siue indiuidua; substantia vero secunda repræsentare dicitur *quale quid*; non quia re vera prædicetur per modum alteri adiacentis semper, sed quia omnis substantia secūda, sicut & quoduis vniuersale, de alio prædicatur, & aliqualiter quasi inest alij, saltē ex modo prædicationis; constat enim genera, & species cuiusuis prædicamenti, prædicari in eo quod quid, licet differentiæ etiā substantiales, quæ possunt quoque dici secundæ substantiæ positæ ad latus in præ-

prædicamento, prædicentur in quale quid, modo superius explicato in q. 6. de differentia sect. 1. disp. 4.

800 Quarta proprietas substantiæ est cõtrario carere. ad summum dicuntur substantiæ contrariæ radicaliter, quando contingit eas esse radices qualitatum contrarium, vti sunt aqua, & ignis, quatenus sunt radices frigoris, & caloris. Quinta est substantiam non suscipere magis, & minus, idest non augeri, nec minui per augmentum, aut decrementum graduum partium, vt cõtingit calori tuæ manus, qui crescit, ac decrescit per horas. Sexta demum proprietas est quod nihilominus substantia soleat suscipere qualitates contrarias, earumque susceptiua sit; siquidem omnis substantia corporea habet de facto qualitates cõtrarias attemperatas, ac perse requirit quatuor qualitatum temperiem ad sui dispositionem, & conseruationem.

SECTIO III.

Exponit Substantiam, quæ caput est Prædicamenti; eius vsum, & finem; & alia scitu digna obseruat.

Denique substantia secunda, quæ iam reponenda erit in capite prædicamẽti, sic poterit quasi definiri. *substantia* ista secunda *est ens completum per se subsistens, siue radix subsistẽtia.ens* ponitur ibi quasi loco generis, in quo cõuenit substantia cũ accidenti (non illo logico quinto prædicabili) sed physico, aut metaphysico in communi, quod definitur *ens in alio*, siue radix inhærentiæ ad aliud, (vti nos docet S. Thomas. *S. Thomas* Opusc. 41. & 42. cap. 10. vbi tractat modum, quo substantia differt ab Accidenti, & quod est ratio superior, atque communis ad nouem prædicamenta accidentalia, non quidem prædicamentalis, sed transcendens, vt est quoque ens in cõmuni, vnde neutura ratio est proprie genus, vt infra dicemus, licet vtraque sit vniuoca, & supra multa genera; quæ omnis doctrina non mediocriter illustratur præsenti arbore prædicamentali a Porphyrio inuenta cap. de specie, ac descripta à S. *Thoma* S. Thom. in Opusc. 48. cap. 3. & à nobis paucis mutatis, hic posita, pro cuius facilliori intelligentia recolenda sunt, quæ diximus supra à nu. 604. & 713.

Genera, & Species. 801

Differentia.	*Differentia.*
	Substantia.
Corporeum Diuidit *Substantiam*, & constituit *corpus*.	*Incorporeum* Diuidit *Substantiam*.
	Corpus.
Animatum Diuidit *corpus*, & constituit *viuens*.	*Inanimatum* Diuidit *Corpus*.
	Viuens.
Sensibile Diuidit *viuens* & constituit *Animal*.	*Insensibile* Diuidit *viuens*.
	Animal.
Rationale Diuidit *Animal* & constituit *Hominem*.	*Irrationale* Diuidit *Animal*.

Gallus. Homo. Canis.
Roma. Aristoteles. Lycisca.
Indiuidua, Fundamenta, & radices Prædicamenti.

In ista serie Prædicatorum primo considera nostrum finem, & vsum eius. finis est scire tandem singularia, vtimur vero vniuersalibus inibi positis, vti medijs ad illa scienda, & hoc fit necessario, ita exigente nostri intellectus conditione, cui prius occurrunt, quæ magis distant à singulari, vt pulchre tradunt *S. Thomas* Opusc. 48. & S. Thomas. *S. Augustinus* in illo c. 9. cum *Aristotele*, S. August. Aristotel. quod verum est, licet *scientia nostra incipiat a sensibus, singularia sentientibus*, vti ijdem Authores nobis tradunt, ea enim notitia est imperfecta & inchoata, quæ per cognitionem vniuersaliũ quasi perficitur, præsertim quando assumptis genere & differentia inde ex Prædicamento, definitio singularis conficitur.

Secũdo cõsidera à præscripta serie relectã fuisse de industria à nobis & à *S. Thoma* in suo c. 3. fine, genus quoddã intermedium, quod interposuit *Porph.* nempe *animal rationale*, quod homo Ethnicus S. Thomas. male putauit esse genus ad homines, & ad Deos, aut Dæmones, quos ipse credebat esse animalia rationalia, immortalia tamen ad differentiam hominum, qui sumus omnes mortales.

802 Tertio denique me sæpe fuisse in eo scrupulo, vt addubitem, aut suspicer *animal*, quod inibi in prædicamento positũ est supra hominem, esse non posse formaliter corpus, sed abstractum quid à corpore eminentiali, & formali, nempe ab homine,& equo; siquidem anima rationalis, quod est hominis totum principiũ sentiendi, *vt quo* & ex parte item vt *quod*, est spiritus, & solum eminenter corpus; aliunde vero *animal* illud abstractum creditur cõmuniter,ab homine, & equo, & bestijs reliquis; nequibit ergo *animal* aliud esse præter suarum specierum conuenientiam, hæc autem abstrahit à corpore,& spiritu, vel ad summum erit corpus abstrahens à corpore eminentiali, & formali; ac idem dicendum censeo de genere *corpus* posito supra animal: quare si corpus stat pro corpore formali dumtaxat, supponantur loco hominis,& Petri, equus, & Bucephalus, vel procurent doctiores magistri amouere scrupulum meum, si non est ignorantia. vereor enim ne malus Porphyrius errando putauerit hominem,quem ibi posuit esse animal rationale quidẽ, sed omnino mortale, & corporeum, sicut est equus & leo.

QVÆSTIO IV.

De Prædicamento Quantitatis super Caput 6. Aristotelis; vbi de illius definitione, diuisione, speciebus, & proprietatibus, & coordinatione.

Caput hoc de quantitate constat duplici parte, prior continet tres diuisiones quantitatis, posterior totidem eiusdem proprietates. nos postquam eam definierimus, reliqua, quæ ad quantitatẽ spectant,quantũ logicũ patiatur institutũ, cõcludemus in hoc breui capitis præsentis cõmentario. legantur Magistri nostri *Arist.* hic *S. Augustinus* in Categ. c. 10. & *S. Thomas* in Opusc. 48. tract. 3. quid vero sit quantitas *molis*, & *virtutis* docebit te *S. Thomas* 1. p. q. 42. a. 1. ad 1.

Aristotel. S. August. S. Thomas.

SECTIO I.

Definit, seu potius describit Quantitatem.

803 Qvantitas ergo in communi est *accidens, quod est subiectum immediatum accidentium disponentium ad formas substantiales, & quod est radix extensionis localis, impenetrationis, diuisionis, & mensurationis*, id est quantitas est quoddam accidens absolutum, quod in se, & quasi in gremio suo recipit, vel potest recipere varias qualitates, & potissimum quatuor illas solemnes, nempe calorem, frigiditatem, siccitatem & humiditatem,& si quæ sunt aliæ, quæ disponunt ad generationẽ, & productionem formę cuiuspiam substãtialis, in materiam quantitate sic adornata, ipsique inhærente, dispositam inducẽdæ, & quæ formam introductam iam, & genitam adornant, conseruant, continentur, & adiuuant ad operandum.

Dicitur subinde *quantitas radix extensionis localis*, quatenus ab ipsa nascitur *vbi* quoddam extensum nominatum *extensio localis*, ratione cuius subiectum, in quo est quantitas, nec solum ipsa quantitas, fit, ac redditur extensum in spatio; atque eadem quantitas per se loquendo postulat ex se ipsa enasci eiusmodi extensionem; licet contingere possit, & aliquando saltem per miraculum soleat ipsa collocari in puncto aut loco indiuisibili; vbi prohibetur, siue impeditur producere extensionem prædictam; vt cernitur in Eucharistiæ almo Sacramento, vbi vere adest tota Christi Domini quantitas admodum spiritus, & sine extensione locali. dicunt quoque alij rem, vbi adest quantitas, sicut & ipsam quantitatem reddi extensam, & correspondentem spatio diuisibili formaliter, & non tãtum,vt dictũ est radicaliter, per quantitatẽ ipsã; quod nõ reprobo; sed vnusquisque in sensu suo abundet; quoniã rẽ fusius examinare pertinet ad sextũ librũ Physicorum.

Similiter dicta est *quatitas radix impenetrabilitatis*, id est impenetrationis actualis, quandiu nimirum relinquitur cum suo appetitu,& vi connaturali,id est,est de se,& secundum suam naturam impediens causa quo minus partes vnius corporis inter se, aut cum alijs corporibus quantis penetrẽtur; vnde propter quantitatem coniecti in vincula, detinentur inuiti.

Sed quoniam Deus O. M. potest facere quod corpora duo quantitatẽ habẽtia penetrentur, vt contigit olim Christo infanti ex illibata Virgine enascenti,& inquantum necesse fuit, se penetranti; & eidẽ exeunti de sepulchro,lapide clauso, & ad Discipulos ianuis clausis ingresso,atque similiter con-

continget Beatis post resurrectionem corporum, qui propter donum mirabile subtilitatis, per quæuis corpora quanta fine læsione propria, & fine corporum horum
804 corruptione vlla, penetrabuntur: idcirco communiter docent Doctores non esse de essentia quantitatis causare actualem impenetrationem; sed solum posse, & quantum in se est, connaturaliter postulare, illam causare, Deo non aliter disponente, quemadmodum poterat, & postulabat ignis comburere pueros illos tres fornacis Babylonici, non impediente Deo. quare in definitione per abusum ponitur ab aliquibus verbum *impenetrabilitatis*, si non valet idem, vti debet, quod *impenetrationis*, siquidem penetrabilitas non est contra essentiam quantitatis; vt patet ex allatis exẽplis ab Scriptura sacra deprõptis.

Rursus *quantitas* dicitur *radix diuisionis*, & propterea *Aristoteles* in 5. Metaph. tex. 18. eam descripsit dicens, *quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrũque, vel vnumquodque aptum est esse*, hoc est quantitas est diuisibilis, seu diuidi, & secari potest in partes, quibus componitur, quarum quælibet apta est, ac potest vlterius diuidi in alias partes, habet enim quantitas, quia corpus quoddam est, vt indicat S. *Augustinus* in cap. suo 10. de hoc Prædicamento, partes triplicis dimensionis, idest longas, latas, altas, siue profundas, inter se omnes vnitas, atque continuas, ac proinde sectiles, ac diuisibiles secundum quamlibet dimensionem, & quidem essentiam quantitatis consistere in diuisibilitate putauit *Scotus* 5. met. q. 9.

Est item *quantitas radix mensurabilitatis* siue *mensurationis*; quia, scilicet, mensurari potest quæuis res quanta ratione quantitatis; quatenus per hanc sensibilis est quæuis res, & apta mensurari, ac numerari; atque ea vtraque passio, si non est essentia quantitatis, nimirum radicalis diuisibilitas, & mensurabilitas, ita connaturalis est, & intrinseca eidem, vt eam vtramque retineat quasi in appetitu, & actu primo, remoto tamen, etiam reducta ad punctum; qualiter est quantitas humanitatis Christi Domini in Eucharistia; quatenus licet ratione miraculi impediantur fieri in ipsa diuisiones, ac mensurationes; tamen eo ipso, quod relinquatur statui suo, & extensioni connaturali, partiri continuo potest, ac mensurari: & iuxta hunc modum declarari poterit S. *Thomas*, qui in Opusc. 52. de natura loci, existimat essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ.

Ex ea declaratione Quantitatis collige duo. primum est, definitionem supradictam descriptiuam esse; quoniam genere constare non potuit, siquidem accidens in communi non est genus, vt infra conuincitur; sed vero non incongruam quasi definitionem quantitatis esse; quoniam ea tota alteri rei à quantitate distinctæ non conuenit. Secundum est, essentiam Quantitatis consistere in aptitudine, & potentia radicali prædictarum proprietatum, nempe impotentiæ connaturalis ad penetrationem, & potentiæ diuisionis, & mensurationis; non autem in actuali earum exercitio, vel actu proximo; quandoquidem contingit quantitatem aliquam penetrari cum alia, ac mensurari non posse, vt supra monstratum est per miracula facta à Deo; in quibus Deus non immutat, nec destruit Quantitatis essentiam, seu eius effectum, quem vocant, primarium, sed solum secundarium; vti fusius declarant, & prosequuntur Philosophi ad 6. Physicorum; vt & hic verum teneat celebre axioma, *definitiones nõ dicunt actum sed aptitudinem, seu potentiam*. Doctrina tradita de Quantitate videtur conformis, Veritati, & P. *Suarez* disp. 40. sect. 4. *Castelui* disp. 5. dub. 3. *Blancho* sect. 1. & plerisque Recentioribus cum meo Magistro.

SECTIO II.

Diuidit Quantitatem in varias species.

Veniamus nunc ad ea, quæ docet *Aristoteles* in cap. præsenti, qui diuidit primo Quantitatem in continuam, & discretã, *quantitas continua est, cuius partes copulantur termino communi* sic est quædam tabula palmi vnius, v.g. cuius partes vnitæ & copulatæ sunt intermedia quadam vnione, quæ dicitur indiuisibile vnitiuum, superficies vnitiua, ac terminus communis; quia est nexus terminans, ac definiens extremum vtrumque vniendum, 805

& sic in medio existens, vtrique cōmunis, & communicatus, vtrique quasi inhærens, & sic vtriusque: *quantitas autem discreta*
806 *est, cuius partes non vniuntur termino cōmuni, siue vlla vnione*, vt numerus denarius, vel quilibet alter laterum, cuius propterea vnitates discretæ sunt, ac ponūtur velut proiectæ in aceruum, vt scopæ item dissolutæ; & ita quoque est Oratio, Concio, seu Sermo noster familiaris, & quæuis aliæ entitates per accidens, cuius partes numerantur; quia vnitatibus discretis quasi componuntur.

Quantitates continuæ species, vt inquit Philosophus, sunt linea, superficies, corpus, locus, tempus. species vero Quantitatis discretæ tantum ponit duas, nempe Numerum, & Orationem; sed tamen in rigore loquendo ad hoc prædicamentum solū directe pertinent quantitates cōtinuæ cōpletæ, nempe quæ habent tres solemnes dimensiones longitudinis, latitudinis, & profunditatis; reliqua, quæ enumerat *Aristoteles*, vt sunt linea, & superficies, pertinent reductiue, quatenus quantitatem completam adintegrant: atque alia duntaxat per quandam accommodationem, vt sunt corpus, locus, tempus, numerus quilibet, & Oratio; quatenus quemadmodū, quæ vera est quantitas habet partes, quæ diuidi possunt, & mensurari, & item numerari; ita quodammodo ea entia habent aliquid simile, vnde sunt, siue dicuntur quanta per similitudinem, non per proprietatem; siquidem eorum vnūquodque habet genus suum, & prædicamentum distinctum ab hoc, vt patet contemplanti.

Aristotel.

Deinde diuisit quantitatem in eam, *quæ habet positionem* & in eam, *quæ positionem non habet*, illa est, quæ est vnita alteri, vel iuxta alterum, vel in alterius loco; vt digitus, qui in manu est, & ipsi vnitur, & linea, quæ est in superficie, & Petrus, qui sedet iuxta me, & generaliter sic est omnis quantitas continua, quæ habet peculiarem dispositionem, secundum quam est in spatio, & dici *& aduerti potest vbi sit, cui vicina sit, & cui iungatur* vt interpretatur *S. Augustinus* in suo cap. 10.

S. August.

Quantitas verò non habens positionē, est opposito modo, nempe quæ situationē non habet, neque cernitur esse iuxta aliud quidpiam ad dexteram eius, vel sinistram, iacere vel stare, vel aliter existere, vt est Numerus, & Oratio; quare hæc diuisio solis nominibus videtur differre ab illa prima in continuam, ac discretam. legatur ibi supra *Augustinus*.

S. August.

Tertio diuisit Philosophus *quantitatem in quantitatem perse, & in quantitatem per accidens*; quantitas perse est, quæ proprie est quantitas, & cui quadrat definitio initio sectionis posita, & quæ est caput huius prædicamēti; quantitas verò per accidens est, quæ dicitur, sed re vera non est quantitas, sed vel per metaphoram dicitur talis, vel talis denominatur à vera forma quantitatis ibidem præsente, & suū effectum præstante rebus, quæ iuxta se sunt: vt substantia & albedo, & similia, quæ quanta dicuntur propter quantitatem cum ipsis commorantem. Tempus quoque & Oratio, quæ est sonus quidam, & similia dici potuerunt quanta, siue quantitates per accidens; nempe non ratione sui, sed ratione veræ quantitatis, cum qua in aliquibus habent aliquam similitudinem; quatenus sicut dicimus quantitatem aliquā longā esse, ita quoque Tempus longū, & concionem longissimam esse, ac sine fine dicere solemus: legatur circa dicta *S. Thomas* Opusc. 48. tract. 3.

Aristotel. 807

S. Thomas

SECTIO III.

Exponit proprietates Quantitas; seriem prædicamenti; & cur Quantum nomine, scilicet, concreto, ab Aristotele nuncupetur.

Denique enumerat Philosophus tres proprietates quātitatis. Prima est, eā non suscipere magis, & minus, idest non intendi per multitudinem partium cooexistentium in eadem parte subiecti, neque remitti per earum diminutionem, sicut cōtingit calori, & alijs qualitatibus multis. Secunda est, quantitati nihil esse contrarium, licet ipsa in gremio suo suscipere, & sustentare soleat contrarias qualitates successiue in gradu intenso, & simul in gradu remisso. Tertia est, quod res dicātur æquales, & inæquales ratione quantitatis, sicut eædē dicuntur ratione substātię, & ratione qualitatis similes, sed de hac proprietate fuse agendū erit in quæst. de Relatione. interim legatur *S. Thom.* in 4. d. 4. q. 1. a. 1. c. & Opusc.

S. Thom.

808 Opusc.48.tract.4.cap.5. de qualitate, vbi dicit relationem componi ex duabus quãtitatibus, tamquam ex elementis, & principijs essẽtialibus, & immediatè perse met ipsas relationem causantibus; quo autem modo vna & eadem entitas spectet ad duo prædicaméta, nos docebũt infra a n.838. *Aristoteles* SS. *Augustinus*, & *Thomas*.

Aristotel. S. August. S.Thomas

Aliqui magistri hic animaduertunt de industria ab *Aristotele* appellari quantitatem *quantum*, nomine, videlicet, concreto, quia, inquiunt, hoc peculiare habet quantitas, vt non tantum subiecta, quibus inhæret, denominet quanta, sed etiam se ipsam; nam bene quoque dicitur quantitas quanta, & impenetrabilis respectu alterius quantitatis, non respectu aliorum corporum, quibus cum bene penetratur, sicut saccarum, & mel dulcia sunt ipsa, & cibaria, quibus adhærescunt dulcia efficiũt sed verius videtur, vt dicebã supra quæst.2. § *prima*. vti Philosophum nomine concreto, dum libet hic, & alibi sæpe, pro abstracto. innuerunt item *Aristotel*.4.met. tom.8, & ibi *S.Thomas*, & 3.p.q.77.a.2.& *S. Augustinus* 5. de Trin. c. 10. Quantitatẽ realiter differre à substantia. ad finem aliquomodo coordinandum nobis fuit hoc prædicamentum, licet congruis nominibus careamus, idest incõplexis. ponemus varias lineas, duæ priores pertinent ad prędicamentum propriè; reliquæ impropriè & per quandã largam accommodationẽ, vt superius dictũ est, in Sect.2.§.*quantitates*.

Aristotel. S.Thomas. S.August.

Quantitas Genus supremum Prædicamenti.

Continua. Susceptiua primarum qualitatum. Hæc quantitas susceptiua.
Continua. non susceptiua primarum qualitatum. Hæc quantitas non susceptiua.

Continua: Linea. Hæc linea. / Superficies. Hæc superficies. / Corpus. Hoc Corpus. — Species incompletæ reductiuè spectantes ad hoc prædicamentum.

Continua: Locus. Hic locus. / Tempus. Hoc tempus. — Spectant ad hoc prædicametum per accommodationem.

Discreta: Binarius numerus. Hic Binarius. / Ternarius numerus. Hic ternarius. / Centenarius numerus. Hic Centenarius. / Millenarius numerus. Hic millenarius. / Oratio vocalis. Hæc oratio vocalis. — Pertinent ad hoc prędicamentũ per quãdam similitudinem, quam habent cum vera quantitate.

QVÆSTIO V.

De Prædicamento Qualitatis super caput 7. Aristotelis; vbi de qualitatis speciebus, & proprietatibus; sed prius proponitur doctrinæ nostræ cohærentia, & Philosophi compendium.

809 Qvoniam in quæstione 6. proxime sequenti fusè tractabimus de Relationibus, & ex plerumque, si non semper, sunt cõbinationes variæ, atque complexa Substantiarum, Quantitatum, & Qualitatum, siquidem, vti nos docuit Philosophus in 6.metaph cap.15.infra referendus, duæ substantiæ faciunt relationem dictam *identitatem*, & duæ quantitates faciunt *qualitatem*, ac duæ qualitates, *similitudinem*; oportuit hic præmisisse breuem tractatum, vt requirit logicum institutum, de Qualitate, licet inuertamus, causa maioris claritatis, ordinem, & dispositionem Philosophi, interpretando prius caput eius 8.de Qualitate, & postea 7. quod est de Relatione, iuxta supputationẽ suam; obiter hic quoque aduertendo forsan reliqua sex prædicamenta esse speciales relationes reducendas ad prædicamentum, *ad aliquid* secundum mentem *Aristotelis*, & SS. *Augustini*, & *Thomæ*, & Antiquorum; vt ostendemus inferius in quæst.7. & testatur *Hunæus* in lib 2.Logices sub titulo *de ceteris sex Categorijs*.

Aristotel. S. August. S.Thomas.

Sed accedendo propius ad doctrinam Aristotelis video quatuor magis notanda præstitisse in capite præsenti. Primo enim definit Qualitatem in abstracto, ita caput incipiens, *qualitatem vero dico, secundum*

Bb 4

tandumà contrarijs, ipsi per eam potentiā resistendo. vt calor tributus igni, & frigus tributum aquæ, & potentiæ internæ, & externæ corporeæ & spirituales tributæ viuentibus rationalibus sensibilibus, & itē insensibilibus, & alijs quibusuis agētibus, seu causis. seriem potentiarum, seu virtutū harum naturalium proponit optime *Augustinus Hunaeus* lib. 2. Logices sub titulo *de secunda qualitatis specie*.

Ad potentiam naturalem reducere possumus habitus supernaturales *Fidei*, *Spei*, *Charitas*, & alios *per se infusos*, ita dictos, quia nobis à Deo infunduntur, & acquiri à nobis nullo modo possunt propria industria, & qui dici solent *potentia*, aut dare potentijs, quas adiuuāt, simpliciter posse, & non tantum facilius posse, quod solent 812 meri habitus naturales. quare reduces ad potētiam naturalem, quascunque facultates naturales, vel etiam artificiales, quæ proprium subiectum reddunt potens ad aliquid efficiendum, alicui resistendum, aut aliquid recipiendum, quod spectet ad perfectionem recipientis.

Impotentia nō est, vt vocula præ se fert, negatio potentiæ, *sed potentia naturalis debilis & infirma ad operandum aliquid; ad alicui resistendum; & aliquid suscipiendum, quod pertineat ad ipsius suscipientis perfectionem*. vt calor remissus, & generaliter omnes potentiæ delicatæ, & parum fortes: & ideo impotentia non est distincta à naturali potentia, nisi vt imperfectum à perfecto: atque eiusmodi duæ qualitatis species, aliæ sensibus percipi possunt, aliæ solo intellectu, vt patebit eas per otium consideranti.

Tertiæ species sunt passio, & passibilis S. August. qualitas, *quæ non idcirco* dicit *Augustinus* cum Phylosopho, *passiuæ qualitates*, siue illis nominibus dicuntur, *quod ipsa patiantur aliquid, sed quod faciunt passionem*, obiectiuè, videlicet, vel formaliter; passio ergo, & passibilitas qualitas sunt inprimis omnes qualitates, quæ sen- S. Thomas sibus percipi possunt, vt ait S. *Thomas* Aristotel. cum *Aristotele* in 4. dist. 4. quæst. 1. a. 1. corp. quomodo sunt Colores, Sapores, Odores, Soni, & qualitates omnes tangibiles, vt Asperitas, Lenitudo, & similes; deinde omnes actus, quos ea obiecta faciunt in anima, & corpore; quæ passiones animi recte dicuntur, quia eam variè afficiunt, & quandoque pati faciunt, atque perturbant, quomodo sunt, Cupiditas, Lætitia, Metus, & Tristitia, & quæ sub his continentur animi affectiones, quas bene tractat *Hunaeus* Logices lib. 2. legendus à Curiosioribus.

Sed cum vna notabili differentia, inquiunt *Aristoteles* hic, & vbi supra *Augustinus*, & *Thomas*, quod si prædictæ qualitates sint difficile mobiles à suis subiectis, dicuntur passibiles qualitates; sin autem sint facile mobiles, dicuntur passiones, *non enim*, prosequitur S. Augu- S. August. stinus, *quis si ad tempus iratus est, aut erubuit, aut incaluit, aut refriguit mox ad statum naturæ iterum rediturus, rubicundus, vel iracundus, vel calidus, vel frigidus appellari potest, si ad tempus aliquid passus est*; sed habuisse ad tempus prædictas passiones in animo alias, & alias correspondentes in vultu, aut corpore; quare 813 ex dictis sic istæ qualitates definiuntur. *Passibilis qualitas est illa, quæ sensu exteriori percipi potest*, vel *est affectus animi firmiter subiecto suo inhærens*. *Passio* verò *est qualitas, quæ sensu aliquo externo sentitur*, vel *affectio animi facile mobilis à subiecto, aut ipsi leniter inhærens*.

Quartam nunc, inquit Augustinus, S. August. *qualitatis speciem tractemus, in qua sunt forma, & figura; sed figura inanimalibus, (idest non animantibus) forma animalibus tribuuntur; figuras enim tunc designamus, cum vel trigonum, vel tetragonum, vel Sphæram dicimus; formas autem*, cum formosos asserimus *aliquos, vel deformes*.

Ergo communiter Recentiores definiūt *formam*, & *figuram* esse terminationes quantitatis; & in eo differre, aiunt aliqui, quod figura significet qualitatem in communi, vt cadit sub considerationem Mathematicorum; vt est curuitas, & rectitudo, & similes: forma verò significet eandem, vt cadit sub considerationem Philosophorum, coniunctam in corpore cum accidentibus sensibilibus, atque ita procedit *Iamblicus* apud *Simplicium*. alij vero cum SS. *Augustino*, & S. August. *Boetio*, formam dicunt pulchritudinem; figurā vero, vt supra declaratū est. S. *Thomas* S. Thomas aliter distinguit formā, & figuram legēdus in Opusc. 48. c. 5. de 4. specie qualitatis.

scio

scio bene, plerosque opinari has duas species esse tantum de nomine qualitates, quatenus per eas denominamur quodammodo quales, vt vides quando interrogatus, qualis est Homo ille, dicis, est formosus, directus, albus, bene dispositus, & aliter, re autem vera illas pertinere ad prædicamentum *vbi*.

SECTIO II.

Ostendit quo pacto prædictæ quatuor, vel octo Qualitatis species coincidant in entitate eadem; & an inter se specie distinguantur remittit alio disputandum.

814 Colligo ex doctrina *Aristotelis* in isto capite, & S. *Thoma* in 1.2. quæst. 44. art. 2. ad 1. eandem qualitatem secundum differentes respectus, officia, & considerationes, esse varias species qualitatis. Etenim *Calor* idem inquantum disponit ad ignem, vel ethicam, est *dispositio*; inquantum est tributus igni ad se tutandum resistendo contrarijs, & ad operandum, est *potentia naturalis*, & quando remissus est, & imbecillus, est *impotentia*; inquantum est in aqua, vel in manu, aut in vultu ira feruenti, facile mobilis, est *passio*, & vbi est obiectum tactus, ac difficile mobilis, est passibilis, seu *passibilis qualitas*; quomodo est in igne, & in alijs subiectis; & fortasse quodammodo potest esse calor *forma*, & *figura*, vt vides in calore subiectato in corpore rotundo, longo, vel quadrato, eidem subiecto correspondenti, & accommodato; iuxta ea, quæ dicebam *in lib. de anima* tractando de sensibili communi, quod dicebam esse de prædicamento sensibilis proprij, sed quod idem, & commune dicitur multis sensibus, non identitate, sed similitudine, vti eadem ætas, vel eadem facies dici solet esse in duobus gemellis, & habentibus similia oris lineamenta.

Circa distintionem, quam inter se habet prædictæ qualitates, dico primo eas ab *Aristotele*, & communi numerari tanquã species, aut genera diuersa, & sic de nomine saltem distingui; an re vera tanta distinctione differant, colligite vos ex earum definitionibus, tantum enim definita differunt quãtum definitiones. illud verò ego animaduerto ex Angelico Doctore 1. 2. quæst. 49. art. 2. ad 3. nempe esse facile mobiles, vel difficile mobiles poni ab *Aristotele* in definitionibus, quasi pro signo essentialis distinctionis; sed re vera tale non esse; siquidem calor præternaturalis in ethica, vel in alio morbo inueterato, & qua ratione est habitualis, aut habitus, idem est specie, & quandoque numero cum calore, qui est dispositio passio, & passibilis qualitas. quare fusior de distinctione harum qualitatum tractatio Philosophis relinquitur vide *S. Thom.* 1.2. q. 54. art. 2. cap. vbi tractat de habituum distinctiuis, & distinctione. 815

S. Thomas

Aristotel.

S. Thom.

SECTIO III.

Proponit, & Exponit consequentias, seu Proprietates Qualitatis, & seriem, huius prædicamẽti.

Prima proprietas est *contrarietatẽ recipere*, siue habere *qualitates; quis enim dubitet*, ait *Augustinus*, *Salutis contrarium esse langorem, iustitiæ iniustitiam, calorem frigori, malo bonum, non erudito literis eruditum; sed hoc non in omni qualitate reperies, nam pallido, vel fusco vel quadrato, vel trigono nihil potest esse contrarium*, sicut neque luci. tradit item toidem S. Pater pro regula generali, omnem qualitatem mediam inter cõtrarias contrario carere, & quæ pertinent ad formam, & figuram; & aduertit ad mentem quidem *Aristotelis* 5. metaphys. tex. 15. contraria debere esse sub eodem genere, vel Categoria, & eo ipso, quod vnum contrarium sit qualitas, conuinci esse, & alterum sub qualitatis Categoria.

S. August.

Aristotel.

Secunda proprietas est, *qualitates suscipere magis, & minus*, idest, intendi posse, & solere, & remitti; vt sentis in manu, quæ calfit paulatim ad ignem applicata, & iterum remittitur eius calor, ab igne remota; sed non omnes qualitates capaces sunt intensionis, & remissionis; siquidem vna figura non dicitur magis figura, quam alia; *quis enim* prosequitur *Augustinus trigone magis trigonum, vel quadrato magis quadratum, vel prudentiam prudentia prudentiorem poterit dicere*, vel

vel veritatem veritate veriorem.

Tertia proprietas qualitatum est, quod
816 *res secundum ipsas*, & per ipsas appellantur, & *sunt similes*, magis similes, & *dissimiles*; quatenus videlicet, ipsæ qualitates solent esse quædam formæ & proprietates rebus inhærentes, & per semet ipsas sunt immediata elementa, & principia constituentia relationes similitudinis, vel dissimilitudinis, quibus res illæ referantur. Vt expresse docent *Aristoteles*. qui hic addidit, hoc officium esse maxime *Aristotel.*

proprium qualitatum, *S. Augustinus*, & *S. Thomas* infra referendi; legendus autem est hic vltimus Pater in Opusc. 48. tract. 4. cap. 5. de quarta specie qualitatis, & in 4. dist. 4. quæst. 1. a. 1. corp. & *S. Augustinus ad finem Capitis* 12. de Qualitate; vbi ostendunt quo pacto qualitas eadem, & fit qualitas, & ipsa quoque relatio, quorum authoritates fuse referemus infra quando de Relatione tractemus. vide nūc seriem huius prædicamenti. *August.* *S. Thomas.*

Qualitas Genus supremum Prædicamenti.

Habitus	Naturalis	Metaphysica habitualis.	*Hic Habitus Metaphysicus.*
		Mathematica habitualis.	*Hic Habitus Mathematicus.*
		Logica habitualis.	*Hic habitus Logicus.*
	Supernaturalis	Fides.	*Hæc fides. vel hic actus fidei.*
		Spes.	*Hæc spes. vel hic actus Spei.*
		Charitas.	*Hæc charitas. vel hic actus Charitatis.*
Dispositio.	Naturalis.	Metaphysica actualis.	*Hic actus Metaphysicus.*
		Mathematica actualis.	*Hic actus Mathematicus.*
		Logica actualis.	*Hic actus Logicus.*
	Supernaturalis.	Fides actualis.	*Hæc fides actualis.*
		Spes actualis.	*Hæc Spes actualis.*
		Charitas actualis.	*Hæc Charitas actualis.*
Naturalis potentia, & impotentia.	Spiritualis.	Intellectus.	*Hic Intellectus.*
		Voluntas.	*Hæc voluntas.*
	Corporea.	Visiua potentia.	*Hæc visiua potentia.*
		Calor.	*Hic Calor.*
Passibilis qualitas.	Per modū obiecti.	Color. Odor. Vox. Frigus. Sapor. Subiectis suis connaturales. *Hic Color &c.*	
	Per modum actus.	Cupiditas. lætitia. metus. tristitia. Difficile mobiles à subiectis suis. *Hæc Cupiditas, &c.*	
Passio.	Per modum obiecti	Rubor. palor ex verecundia, aut metu, facile mobiles à subiectis. *Hic Rubor, &c.*	
	Per modm actus.	Cupiditas, lætitia, Metus, & aliæ affectiones animi, quæ parum durant. *Hic Rubor, &c.*	
Forma.	Viua.	Polchritudo hominis Viui. *Hæc pulchritudo, &c.*	
	Mortua.	Pulchritudo hominis picti. *Hæc pulchritudo, &c.*	
Figura.	Imperfecta.	Rectitudo. curuitas. *Hæc Rectitudo. Hæc curuitas.*	
		Concauitas. Angulus. *Hæc Concauitas, Hic Angulus.*	
	Perfecta.	*Plana*, Vt Circulus. *Hic Circulus.*	
		Triangulus. Isopleorus. Vel Scalenos. *Hic Triangulus.*	
		Quadrangulus. quadratum, vel Rhombus. *Hic Quadrangulus.*	
		Solida, Vt Sphærica. *Hæc figura Sphærica.*	
		Pyramis. *Hæc Pyramis.*	
		Columnaris figura. *Hæc figura Columnaris.*	

Noto primo, & dico quod in ipsa Cate-
817 goria non posui omnes eius species, sed neque omnia prædicata indiuidui, licet ea pauciora sint, quam sunt indiuidui substātiæ, quia id Vtuum est. qui plura volet, legat *Augustinum Hunæum* lib. 2. Logices. vbi plurima congessit, & rite disposuit

præsertim de passionibus animi. circa quas notat secundo *S. Thomas* legendus in sua Logica, siue Opusc. 48. cap. 4. de Qualitate, quod calor dicitur passibilis qualitas, quia facit in tactu passionem, & nigredo similiter dicitur, quia fit à magno calore, vt patet in æthiope, atque pas-

passionem hic valde differre à passione, quæ est coniuncta cum motu, & constituit peculiare aliud prædicamentũ. Tertio Animastici notant omnes actus appetitus dici passiones; quod nomen putant **S. Hieron.** ad illa verba Matt. cap. 26. *cœpit contristari.* & **S. Thomas** 3 p. quæst. 5. art. 4. indicare aliquam deordinationem, & ideo actus appetitus Christi Domini, non passiones, *sed propassiones* vocant, nempe quæ fiunt cum recta ratione, & ordinata corporis commotione, sed quasi synonyma esse ea nomina bene notarunt PP. *Vasquez* to. 1. in 3. p. disp. 62. cap. 2. & *Granado* ibidem tract. 10. de Incarnatione disp. 4. cum SS. PP. *Ambrosio, Cyrillo Alex. Damasceno,* & *Fulgentio,* qui absolute dicunt in Christo Domino fuisse passiones, sed cum summa rectitudine coniunctas.

QVÆSTIO VI.

De Prædicamento ad Aliquid, *siue Relationis, super caput 7. Aristotelis: vbi prius de consilio tractationis huius solito longioris, de Doctrina huius Capitis; ac de quibusdam nominibus, seu terminis rem præsertim concernentibus.*

VT minus sapiens dico in materia præsenti, abundantius omnibus laboraui, & vt opinor, non frustra, sed pro veritate, quam exulem video, si me potius mea non fallit opinio, ab animis amicorum, & sectatorum eius, qui Veritatem amicam in occasione hac amplexati non videntur, non quod eam reijciant, aut aspernentur, sed vel quia non considerarunt attentius, aut non viderunt illius fundamenta plenarie proposita, vel quia præ humana imbecillitate verum factum est, quod Plato dictitare solebat, *paucis admodum datum spectaculum veritatis.*

Quoniam vero tractatio de Relatione ab aliquibus temnitur, vel vilipenditur, ab alijs autem supra modum vtrinque, non sine magna argumentorum contentione controuertitur, debui dicere, quæ diu didici, & deduxi ex sacra Scriptura, SS. PP. & Philosophis præsertim authoribus meis Aristotele, Augustino, & Thoma; sed quia ea plurima sunt, scitu dignissima, & maxime vtilia, & multa valde iucunda, dici breui nequiuerunt; dicam ergo solito fusius, sed obseruando semper claritatem stili, & legem eam sic præscribentem. *nullus cum alio contendat, sed si qua in re nobis est diuersa sententia, eaque videtur manifestanda, rationes modestè, & cum charitate afferantur eo animo; vt suus veritati sit locus, non vt in ea re superiores videantur.* quod est conforme *Augustino*, tom. 3. de Genesi ad liter. lib. 10. cap. 23. scribenti *absit peruicacia contendendi, absit diligentia requirendi, humilitas petendi, perseuerantia pulsandi:* siquidem qui quærit veritatem inueniet eam, & pulsanti fores ipsius aperientur, quo facto Amicorum multorum desiderio abunde satisfecero, & Regulæ Professoris Philosophiæ præcipienti, me in materia de Relatione esse longiorem. S. August.

§ 1 § Tres ergo partes habet Caput istud de *relatione.* in prima proponit Philosophus definitionem Antiquorum pro relatiuis dicens, *ad aliquid vero* (idest relatiua) *talia dicuntur quæcumque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt maius hoc ipsum quod est, alterius dicitur; aliquo enim maius dicitur.* quia nihil contingit esse maius se ipso. idest, relatiua sunt ea omnia, quæ ad alia referuntur, & alia respiciunt, itavt, si vt relatiua considerentur, totum eorũ esse intelligi debeat in ordine ad aliud, & propterea communiter dici solet *totum esse relationis esse ad aliud, siue ad aliud se habere.* Aristotel.

In secunda parte capitis enumerat relatiuorum proprietates, de quibus nos tractamus inferius. in 3. demum hanc suam definitionem proposuit. *sunt ad aliquid siue relatiua, illa, quæ hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere.* ex quibus definitionibus, quæ traditæ sunt indifferenter pro relatione, siue relatiuis in communi, nos infra eruemus alias clariores, animaduertendo hic ideo non placuisse *Aristoteli* illam definitionem Antiquorum, quia putabat conuenire alijs à definito, nempe substantijs, quas ipse opinabatur aliquando relatiuas non esse, nec referri; quamuis neque in ista opinione constans fuerit, vt infra videbitur. vide *Vasquez* 1. p. d. 173. n. 13.

Legi

Legi sane attēte Caput hoc *ad aliquid*. & Caput 15. lib. 5. metaphysicæ, vbi de hoc eodem prædicamento differitur, & deprehendi primo *Aristotelem* mixtim tractasse de relationibus prædicamentalibus, & transcendentalibus, vt apparet ex allatis ab eo exemplis. Secundo nihil omnino fauere Magistris nostri temporis, qui ponunt relationes necessario esse quosdā modos distinctos à relatiuis extremis. quare sincere dicam ex mente Philosophi quid in hac parte sentire, ac tenere debeamus.

819 *Aristotel.* Sed ne ignorantia nominum (quod ait *Aristot.* ipse 1. Elenchorum cap. 1.) faciat vos halluzinari, declaro in primis has voces, & nomina, quæ in præsenti quæstione sunt frequentia, nempe *relatio*, *relatiua*, *relatiuum*, *correlatiuum*, *ratio fundandi*, *terminus relationis*, *eius subiectū*, vel *fundamentum*. *Relatio* significat respectum, & ordinem, quem res vna habere solet ad aliam, *relatiua* significat duo, quæ se respiciunt, & ab *Aristotele* vocantur *ad aliquid*, quia vnumquodque se habet ad aliud, id quasi respiciens. *relatiuum*, significat alterum extremum quod vicissim respicit aliud, *correlatiuum* est quod vice versa respicit illud alterum se respiciens quasi vicem rependens.

Ratio fundādi, quæ alio nomine dicitur *fundamentum proximum* relationis, significat occasiones, & causas, propter quas dantur, vel resultant relationes in relatiuis extremis, & ipsa se respiciunt, ita sunt duæ albedines pares in gradu existentes in Petro, & Paulo, vel quantitates duæ eiusdem magnitudinis, & mensuræ, & aliæ complures, de quibus inferius.

Terminus relationis significat quidquid terminat respectum quemlibet, idest, quidquid ab altero quodlibet respicitur; ac demum *subiectum relationis*, siue quod vocant *fundamentum remotum*, significat rem, quæ in se recipit, quasi recipit, vel habet relationem, per quam refertur ad terminum.

Petrus v.g. est Pater Antonij; qui duo propterea sunt relatiua, & correlatiua. Petri substantia est subiectum relationis, quæ est *Paternitas*. Antonius filius est eius relationis terminus. *Generatio* autem, qua processit à suo Patre, est *ratio fundandi*. rursus duo alba similia, vel dissimilia in gradu, sunt relatiua, & correlatiua, vtrumque est subiectum similitudinis, aut dissimilitudinis, & vtrumque est terminus, qui ab alterutro respicitur vicissim, ratio fundandi est *vnitas*, vel *numerus*, siue similis, aut dissimilis albedo vtrique communis, & in vtroque existens. quæ omnia ex infra dicendis magis clarescent, ac dicta sunt hic iuxta sensum communem Recentiorum.

SECTIO I.

Declarat an sit, quid sit, quotuplex, & propter quid Relatio in communi? & ponit regulam generalem pro cognoscendis relatis formaliter.

Primo dari relationes plurimas à parte rei persuadent in primis S. *Thomas* in Disputatis de Potentia quæst. 7. ar. 9. Corpore, atque cum *Aristotele* communis sētentia Doctorum, quos refert & sequitur *Suarez* tom. 2. metaph. dis. 47. sect. 1. n. 50. & rationes efficaces. Prima est, quia ante operationem intellectus, & à parte rei dantur extrema, quæ se referunt, & respiciunt, qualia sunt Pater, & Filius; æqualia extrema, similia, remota, proxima, maiora, minora, sapientiora, insipientiora, antiquiora, recentiora; & generaliter illa omnia, quæ ita se habent inter se inuicem, & ita se respiciunt, vt præuie cognita nos manuducant in cognitionem aliorum, de quibus loquitur *Aristoteles* in ipso Capite ibi. *quapropter palam est, quod necessarium est si nouit quis aliquod relatiuorum definite, & id ad quod est, definite nosse necesse est, vt si quid nouit quis definite quod duplum est, & cuius duplum est, mox definite nouit, & nouit aliquid esse melius, id quo melius est nesciet*. Videlicet, quasi per bonam consequentiam, & illationem, nam si aliquid duplum est alicuius dimidij, aut simpli duplum est; si melius respectu alicuius boni minoris; simile, alicui simile oportet esse; si Pater alicuius filij; & ita sunt relatiua: ergo datur relatio à parte rei. 820 *S. Thom.* *Aristotel.* *Aristotel.*

Secunda ratio est; quia si omnis relatio prouenıret ab intellectu, sequeretur duas

vir-

virgulas esse, ac dici æquales ex eo solum, quod ab intellectu cognoscereutur vt æquales, quod absurdum videtur, siquidē intellectus non adimit, neque addit cognitione sua æqualitatem rebus: dicendum ergo est à parte rei habere æqualitatem eas virgulas ratione quantitatum suarum eiusdem mensuræ, & magnitudinis, siue ratione formæ alterius existentis in ipsis; & consequenter relationes, & relatiua formaliter, existere in rerum natura independenter ab operatione intellectus, licet cognosci non possint nisi per actus intellectus; qui non facit, sed aduertit relatio-
S. August. nem in rebus. vt pulchre notauit *Augustinus* in simili to. 3. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 31.

821 Secundo relatio in communi *est respectiue, siue habitudo subiecti ad terminum*, & inprimis est duplex; alia realis, alia rationis: relatio realis est quæcunque reperitur à parte rei independenter ab operatione intellectus inter quæuis extrema relata: rationis relatio est item duplex, vna reperitur inter extrema distincta per intellectum, v. g. inter formalitates referibiles post distinctionem factam ab intellectu, similes relationes reperiuntur inter animal & rationale; inter scientiam Dei, & eiusdem scibilem essentiam, & inter huiusmodi: quas relationes appellabamus supra à num. 569. *reales*, idest veras relationes, non existentes à parte rei, quasi inter extrema distincta realiter, aut ex natura rei, quæ tamen absolutè dicendæ fuerunt relationes rationis, quod me docuit
S. Thom. *S. Thomas* in quæst. 2. de veritate, quæ est de scientia Dei, art. 2. ibi ad 3. *dicendum quod similitudo qua est relatio realis distinctionem rerum requirit, sed ei, qua est rationis relatio, tantum sufficit distinctio rationis*. & fusius 1. par. quæst. 13. art. 7. corpore.

Secunda relatio rationis est omnino cōficta ab intellectu, vel ex parte; omnino conficta erit ille respectus, qui daretur inter duas similes, vel dissimiles chimæras cōfictas ab intellectu; vel similitudo, quæ configeretur interesse inter duo extrema realia valde disparate inter sese se haben-
S. Thom. tia, quales dicuntur esse à *S. Thoma* 1. par. quæst. 13. art. 7. c. relatio, quæ fingi potest quasi esse inter ens aliquod, & non ens; si fingatur non ens, quasi quoddam positiuum extremum esse alteri simile, vel dissimile: vel etiam relatio, quæ fingeretur esse inter idem & se ipsum, v. g. inter Petrum bis repetitum in ea propositione, Petrus est Petrus; vel inter extrema duo, qua referretur vnum eorum, quod ab altero non pendet, ad ipsum: qualem dicit S. Pater Quodlibeto 1. quæst. 2. art. 2. cor. S. Thom.
reperiri in Deo erga Creaturas, à quibus ipse non pendet; & in obiecto scibili erga scientiam, à qua illud non pendet; atque eiusmodi relationes absolutè dici poterunt relationes rationis secundum vulgare Prouerbium desumptum ex S. Dionysio de Diuinis nominibus cap. 4. *bonum ex integra causa, malum ex quotunque defectu*. licet sint reales ex parte, idest quantum ad extremum vtrumque remotum, siue subiecta remota relationis, vel quantum ad alterum tantum.

Tertio relatio in communi alia est trāscendentalis, alia prædicamentalis. *Relatio trascendentalis est respectus subiecti ad terminum, à quo essentialiter subiectum relatum speciem, vel aliquam perfectionem sumit, ac pendet ex vi talis respectus*. tales sunt relationes, quibus respiciunt genus, *Animal* differentias *Rationale*, *Hinnibile*, & reliquas: materia prima, suas formas; causæ omnes physicæ effectus suos; & actus sua obiecta, à quibus differentijs, formis, effectibus, & obiectis, pendent essentialiter, & specificantur *animal*, *materia*, *causa*, & *actus*; & propterea relatio trascendalis vulgo dicitur *respicere terminum non pure vt terminum*, quia, videlicet à termino suo relata res omnino pendet Hic aduerte res eas, quæ transcendentaliter referuntur esse in suis essentijs, & per suas essentias relationes in opinione omnium; vnde hi termini, *Vniuersale*, *materia prima habent relationes trascendentales* perinde valent, atque isti, *Vniuersale*. & *materia prima sunt relationes transcendentales*, ac solum differunt grammaticaliter, siue apud Grammaticos, & in modo significandi, non in re significata, veluti *ens*, & *entitas*. 822

Relatio verò prædicamentalis *est respectus subiecti ad terminum, per ipsum completus, à quo subiectum ex vi, & meritis talis respectus non pendet, nec vllo modo specificatur*, & qui ita aduenit subiecto, vel

vel referendæ rei, vt fine illo integra esse possit, qualis est relatio, quæ datur inter duos homines similes, vel dissimiles in gradu albedinis; & relatio distantiæ, quæ datur in me, & natum hodie hominem quemdam apud Iapones: idcirco dicuntur communiter relationes prædicamentales *respicere terminum pure vt terminum*, non quia ipsa relatio à termino non pendeat, nam verè ab eo pendet, vti do-
S.Thom. cuit *S.Thomas* 2. contra Gent. cap. 12
823 & quæst. 7. de Potentia art. 1. ad 9. sed quia relationis huius subiectum ex vi relationis, aut ex eius occasione, à termino non pendet, licet aliunde alio titulo ab eodem dependeret; quare Petrus integer cum albedine sua perseuerabit, quantumuis alius homo non detur albus, aut niger; & ego non peribo quantumuis nemo nascatur apud Indos, à quo formaliter distē: quinimo sanus perseuerabo licet omnes homines, qui distarent, forēt impossibiles, attento solo prædicamētali respectu. Hinc deducitur ista regula generalis pro facile dignoscendis relationibus transcendentalibus, & prædicamentalibus, nempe, *illa omnia extrema, quæ ita se respiciunt, vt à se inuicem pendeant, vel saltem vnum pendeat ab altero, habent relationē transcendentalē; illa verò extrema, quorum nullum pendet ab altero, & tamen respiciūtur, sunt relationes prædicamentales*.

Rursus relatio diuiditur in *mutuam*, & *non mutuam*. mutua dicitur, cui correspondet alia relatio in subiecto, vel termino correlatiuo, ad quem refert propriū subiectum; atque relatio mutua, alia dicitur relatio *æquiparantiæ*, alia *disquiparantiæ*; quarum illa ab *Augustino* tom. 2.
S.August. in Epistola 66. dicitur *eadem*. hæc autem, *diuersa*. relatio æquiparantiæ est illa, cui in altero extremo consorte correspondet relatio par, & eiusdem, vel similis rationis, & naturæ, vt contingit esse inter duo extrema similia, aut dissimilia: relatio mutua disquiparantiæ est illa, cui correspondet in termino correlatiuo relatio diuersa, & impar, siue diuersæ rationis, & naturæ; qualis est ea, quæ reperitur inter Patrem, & Filium, inter Dominum, & Seruum. Lege infra Sect. 7. in incipio.

Quinto doctissimi quidam Patres in Bætica Prouincia, Doctores mei, nempe *P.Rodericus de Figueroa*, & *P.Georgius Hemelman* super 1. par. *S.Thomæ*, diui- S.Thom. dunt, vt defendant quasdam opiniones suas, relationem transcendentalem in *habitualem*, & *actualem*, quas ita definiunt, & declarant exemplis; relatio habitualis transcendentalis est verus ordo, & respectus rei ad terminum, à quo non 824
pendet, ac dicitur ista relatio habitualis, quia perseuerat in re, cui inest admodum habitus, qui durare solet etiam dū nil facit, & in otio est, potens tamen operari quantum ex ipso est. huiusmodi dicitur ab illis Doctoribus esse relatio Diuinę omnipotentiæ, voluntatis, ac scientiæ Dei erga creaturas tam necessarias, quam contingentes, quas illa diuina attributa vere respiciunt transcendentalier, sed cū omnimoda independentia, & sine illarum exigentia; nam quoad intrinseca tam integra manebunt, creaturis positis, ac destructis, parata semper, quantum in ipsis est, ad creaturas producendas, sciendas, & volendas, si per ipsas non steterit. Habet ista diuisio fundamentum à paritate in Iurecōsultis, vt videbis in *P.Sanchez*. Cōsil. lib. 2. cap. 2. dub. 8. num. 31.

Relatio verò transcendentalis actualis est respectus omnino dependens à termino, qualis est, qui reperitur in visione coloris, à quo sine dubio visio pendet; siquidem colore ablato, perit eius visio; & istiusmodi relationem erga creaturas, à Deo omnino ablegant, vt tanta maiestate indignam, quia est ac dicitur Deus *O.M.Saddai* idest, *non indigens aliquo* ad sui persistentiam, *cum det omnibus esse*, & ipse sit primum esse.

Sexto relatio prædicamentalis, quæ proprior videtur instituti præsentis, est multiplex in specie secundum varietatem specificam referibilium extremorum, & rationum fundandi; sed de hac specifica, & generica multiplicitate infra sermo est futurus in Sect. 16.

Denique inter relationes prædicamentales aliæ dicuntur à Recentioribus fundamentales, aliæ prædicamentales, absolutæ, & formales: Relatio formalis est proprie relatio, & est, quæ reperitur inter extrema se respicientia, ratione cuius relationis formalis illa sunt *simul natura, & cognitione; se mutuo inferunt ponūt, & interimunt, & dicuntur ad conuertentia* ita

ita vt quisquis *vnum eorum definite nouerit, & alterū definite noscat necesse sit*; quæ signa sunt infallibilia relationis formalis.

825 Relatio autē fundamētalis absolute nō est relatio, sicut vniuersale fundamētale absolutè vniuersale non est, sed solū est fundamentum relationis remotum, aut proximum; ac proinde reperitur inter extrema omnino absoluta, & libera ab omni respectu, quæ propterea nullo modo se inferunt, nec ponunt, ac perimunt, neque sunt ex meritis eius relationis simul natura, aut cognitione; sed inter se disparate se habent, ita vt quantumuis alterum eorum noscas, alium noscere necessum non sit. Vt sunt quidam Hispanus homo, & quidam Vrius, vel Angeli duo, qui possunt habere duas albedines, propter quas tunc forent similes formaliter, & generatim extrema omnia, quorum neutrum infert alterum, nec ducit in cognitionem alterius. stent obsecro Recentiores, à quibus inuenta est hæc relationis distinctio, dictæ huic suæ doctrinæ immobiles.

Septimo Pater D. *Suarez* in metaphys. disput. 47. sect. 3. num. 8. & Pater *Vasquez* tom. 1. in primam partem disp. 175. cap. 4. num. 13. declarant aliam diuisionem relationis, quæ passim circumfertur: nempe in relationem *secundum esse*, & in relationem *secundum dici*; illamque dicunt esse relationem quamcunque veram; hanc verò, eam, quæ secundum dici, ac de solo nomine relatio est, veluti est relatio fundamentalis, sed præsertim illa quæ dicitur à recentioribus Theologis esse in scientia visionis Dei ad creaturas existentes, nempe relatio rationis, nomen id imponentis, siue intellectus concipientis rem, & declarantis in ordine ad aliam; qualem putamus esse in re absoluta spirituali, quā explicamus per negationem rei materialis edocti a Christo Domino, qui se accommodando imperfecto huic nostro modo cognoscendi dixit Lucæ 24. 39. *Spiritus carnem, & ossa non habet*: quæ in eo differt hæc relatio ab ea, quæ dicitur supra relatio rationis, quod hæc sit tantum ex parte intellectus rem concipientis, eam non partientis, nec fingentis; sed solum talem nominantis. altera vero est ex parte rei conceptæ, fictæ ab intellectu, vel distinctæ: vnde diuisio ista coincidit, & est eadem cum præcedenti.

Aduertit autem *Suarez* nu. 4. à plerisq. nomine relationis *secundum esse* intelligi relationem prædicamentalem: nomine verò relationis *secundum dici*, intelligi relationem transcendentalem, quoniam illa simpliciter pertinet, & specialiter ad hoc prædicamentum. Hæc verò non, nisi quantum ad nomen; quia fere semper contingit eam esse res simpliciter absolutas: quæ nomina diligenter adnotari oportuit ad intelligentiam Scholasticorum. Vide alium intellectum in *Toleto* hic quæst. 1. fundament. 1. 826

Scio notasse, ac dixisse *Zuñigam* de Trinitate disp. 3. dub. 3. *relationes transcendentales non esse secundum dici, quas multi confundunt cum transcendentalibus, sed immeritò, nam relationes secundum dici sunt rationis, idest, secundum nostrum modum intelligendi, & loquendi, qui non possumus res aliquas intelligere, ac declarare, nisi per respectum ad alias, quamuis nullam habitudinem habeant ad illas; quo pacto concipimus, & declaramus diuinam omnipotentiam per habitudinem ad creaturas, quamuis nullum habeat respectum realem ad illas.*

Tertio, & vltimo quæritur propter quid sint relationes præsertim reales, & veræ. Respondeo primo a Deo esse conditas, & ordinatas propter se ipsum vltimum rerū finem; dicit enim Scriptura Prouer. 16. quod *vniuersa propter semet ipsum operatus est Dominus*, secundo sunt relationes propter vniuersi pulchritudinem. Tertio sunt propter suas operationes, seu quasi operationes, tamquam propter finem non vltimum; est nimirum relato similitudinis condita propter eum finem, vt scilicet, reddat subiecta similia, & ita sunt reliquæ propter effectus formales suos. tandem addo me pleraque ex dictis in hac Sect. dixisse accommodate ad sensum communem Recentiorum.

SECTIO II.

Exponit rei Difficultatem, ac veram sententiam cum breui declaratione reliquarum circa essentiam Relationis.

Probatum est Sect. præcedenti dari à parte rei relatiua plurima, quæ a parte

827 te rei, & independenter ab operatione intellectus habent inter se respectus reales, & veras relationes: in præsenti verò disquirimus ponendo claritatis gratia, exépla in speciali vna, vel altera relatione, an res similes, vel dissimiles distinguantur séper à sua similitudine, vel dissimilitudine, & propter quas formas sint res, & dicantur similes, & dissimiles proprie, & formaliter? an Sortes, & Plato, quorum vterq; habet albedinem vt quatuor, dicendi sint similes in albedine, & in natura humana propter pares in gradu albedines, & propter naturas amborum, an per nouas quasdam formulas, & pululantes modulos, illorũ naturis, & albedinibus adhærescentes? sunt super quæstionem hanc variæ sententiæ. referemus, *quæ maxime extant aut rationem aliquam habere videntur, omnes enim opiniones seruari superuacaneum esse* dixit *Aristoteles* 1.Ethic.c.4. *Aristotel.*

Prima sententia vera docet à parte rei relationem similitudinis (id quod de qualibet relatione prædicamẽtali, sua proportione dicendum est) inter *Sortem, & Platonem* proprie, formaliter esse illas duas albedines, & illorum naturas, in quibus illi duo homines sunt pares, atque conueniunt; ita quod albedo *Platonis* connotando albedinem *Sortis* fit, ac dicatur formalis similitudo, qua *Plato* vt similis refertur ad *Sortem*, sicut est relatio amicorũ duorum, seu formalis eorum amicitia, actus mutuo redamantes amborum; siue habitus ad huiusmodi actus inclinantes.

Addit propterea vera sententia à parte rei reperiri prædicamentum relationis, siue relationem quampiam realem indistinctam omnino, & commixtam cum cæteris prædicamentis, & nihil aliud esse præter eorum permixtionem, vt ex *Aristotele* colligunt infra S. *Boetius*, S. *Augustinus*, *& S.Thomas*; quoniam similitudo v.g. nil aliud esse videtur quam duæ qualitates pares in gradu, ambæ acceptæ, vt dici solet, in recto, nec enim est maior ratio cur vna veniat in recto, & non & altera; ita *Aristotel. S.August.*

828 quod ratio similitudinis, qua formaliter, vel prædicamentaliter *Socrates* dicitur similis *Platoni*, sit eorum vtraq. albedo, & vterque denominetur similis alterutri *à propria albedine, & ab aliena*, quod esse relatiuorum proprium nos docet inferius cum *Augustino S. Thomas*, vt de- *S. August. S.Thom.* nominatio quæuis relatiua partim sit intrinseca relatis, partim extrinseca.

Quod si aliquando dixerimus in sequentibus relationem quidem ad minus ex duobus constare, sed vnum afferri in recto alterum in obliquo, hoc modo loquendi tantum volumus nos concipere solere vnum magis in recto, quam alterum, cum tamen re vera, & à parte rei extremum vtrumque æque principaliter, & partialiter constituat formam, & essentiam relationis, neq. enim putamus illud quod appellamus obliquum, esse, vt sæpe alias, merum terminum, aut meram conditionem conducentem, vt alterum extremum relatio totaliter, & adæquate sit, vt contingit relationibus transcendentalibus, & declaramus inferius.

Sed neque doctrinam hic traditam putamus esse generaliter veram; quoniam est tanta varietas inter relationes prædicamentales, vt aliquando contingat formam denominantem, & facientem extrema relata, esse duas res, vt contingit in similitudine; & aliquando rem vnam denominare relata duo subiecta, aut tria; vt est dextera tua, quæ sola te dextrum, & columnam, quæ sit in parte tua dextera, simul denominat dexteram; & similiter spatium, seu intercapedo, quæ intercedit inter superficiem terræ, & cælum lunæ, vel inter quoslibet alios terminos, facit, ac 829
denominat eos distare formaliter. quare non est nostra intentio alligare omnem relationem extremis duobus, sed monstrare res omnes sufficiẽter referri formaliter, siue, quod idem est, prædicamentaliter, non per nouos modulos, sed tantum per perfectiones antiquas iam olim habitas à rebus; siquidem per illas *sunt res simul natura, & cognitione, valent ad conuertentiam, & ita se habent, vt si quis alteram nouerit, & aliam noscat necesse sit.* quæ tria sũt fidelissima signa relationis formalis, vt cum *Aristot.* contestantur Philosophi, & nos demõstramus in sequẽtibus. *Aristotel.*

Secunda sententia docet illas ambas naturas, siue albedines *Sortis*, & *Platonis*, esse relationem fundamentalem, siue extrema quædam non actu referentia, aut relata, quantumuis sint pares, sed solum esse potentes referri, quia, scilicet, & quando ex naturis, & albedinibus pululant quidam moduli distincti realiter à

 suis

suis radicibus, quorum officium sit extrema referre in inuicem formaliter: nascetur autem, & pululabit in te, & à te hic existente, modulus hic sensim cras, quando apud Turcas Constantinopoli cōtingat nasci hominem album, nequaquam vero antea, nec post: ita procedunt Moderni infra referendi.

Ista secunda sententia transmutat verba Philosophi, siue verborum eius sensum appellando relationes fundamentales, quas vocat *Aristoteles* relationes; & appellando radices, occasiones, & rationes fundandi relationes, quas *Aristoteles* dicit simpliciter esse formales relationes, vt infra ostendo, & ante me animaduertit *Vasquez* infra referendus: ac de hoc volui fieri certiores Recētiores, ac de alio, nempe apud *Aristotelem*, & eius interpretes S. *Augustinum*, & S. *Boetium*, id ipsum significari nominibus his, quoad tenorem syllabarum, abstractis, nēpe *relatio*, *similitudo*, *æqualitas*, & similibus, atque illis concretis *relatiua*, *similia*, *æqualia*, & alijs huiusmodi: quocirca assuescant Moderni, vt oportet, his terminis indifferenter vti, si *Aristotelis* mentem sunt capturi. *Aristotel. S. August.*

830 Tertia sententia à vera minus distat, quia docet à parte rei relationem formalem esse rationes, quas vocant isti fundandi, distingui verò posse per intellectum in albedine v. g. quandam modalem formalitatem accidentalem, quæ sit essentialiter, & specie diuersū quid ab albedine: sed quoniam in præsenti solum in animo est mōstrare duo, primum est, relationē formalem à parte rei esse extrema duo, siue quas vocant rationes fundandi, vtramque in recto, vel alteram in recto, & alteram in obliquo; neque enim oportuit amicos nostros, nostræ veræ sententiæ sectatores immorari impugnationibus intempestiuis recti, vel obliqui, sed in principali proposito stabiliendo contra aduersæ partis authores, quoniā secundum Apostolum, 1.Corint. *qui in agone contendit ab omnibus se abstinet*, rem non concernentibus.

Secundum est relationem formalem non esse modum realiter distinctum à rationibus fundandi, siue à fundamento, ad hæc duo principalius attendo, licet obiter etiam metaphysicum modulum impugnem. Omittamus sententias alias, quæ ad tres enumeratas reducuntur, quarum fundamenta, & defensores infra referuntur, & refelluntur, & mostremus quam apertè *Aristoteles*, *Augustinus*, & *Thomas* quos ex præscripto sequi desideramus, veram illam primam, vbique tenuerint, ac docuerint.

Sed prius, quoniam plerumque ab intelligentia significati nominis pendet notitia rei, aduerto nomen *Relatio*, & verbum *referre* esse valde æquiuoca in scholis, præsertim hoc tēpore, & significare plura valde diuersa, nā primo significat actionem, qua noster intellectus refert, idest, cōparat, cōponit, vel confert rem vnam cum altera, vt videat, quo modo ea duo se habeant inter se, in perfectione, in æqualitate, aut similitudine, dissimilitudine, vel conuenientia, & distinctione, & sic aliter. atque tunc nomen *relatio* non significat res cognitas, sed cognitionem intellectus, quæ valde extrinseca rebus est, & subinde in illis non ponit respectum, aut connexionem, sed quando ea est, notat, & aduertit, vt sapienter annotauit *S. Augustinus* tom. 3. lib. 2. de Doctrin. Christian. cap. 31. *S. August.*

Secundo *relatio* significat passiuam cōnexionem, & respectum, quam res solent habere inter se. & hæc connexio solet esse dupliciter, physica, aut quasi physica, & moralis illa reperitur in rebus, quæ se naturaliter inferunt, ac dicitur relatio transcendentalis, ac dependentiæ. moralis connexiō, siue respectus est illa relatio, quæ pendet ex libero aliquorum agentiū rationalium beneplacito. ita est significatio omnium signorum ad placitum. vti explicabamus supra num. 211.

Tertio *relatio*, & quidem translatitie, significat duo similia, vel dissimilia, & duo, quorum vnum est maius, alterum minus. & huiusmodi. sed verò illa quæuis binaria, ita se habent, vt neutrum respiciat natura sua alterum, sed sit quid absolutum, & liberum ab omni connexione, & respectu, comparatum cum socio, cum quo componit relationem dictam similitudinem, vel aliter. & quia eiusmodi: extrema non se inferunt natura sua, recurrit hic *Aristoteles* quasi ad moralem significationem, præcipiens, vt relatiua, vt sint simul natura, & cognitione, dicantur nominibus cōgruis, idest significantibus extremorum *Aristotel.*

ccm-

comparatorum similitudines, æqualitates, & alias reales, quas illa habeat, habitudines, id quod ex dicendis clarius apparebit.

SECTIO III.

Exponit quid sentiant de Relatione Prædicamentali Aristoteles SS. Doctores Augustinus, & Thomas; *Alij Patres, Philosophi, & Theologi antiqui, & Recentes, communi consensu.*

831 NOn debeo dubitare, quin Recentiores Magistri viderint tractatus, quos *Aristot.* & multi SS. Patres ediderunt de prædicamento relationis. illud verò audeo suspicari ab illis fuisse prudēter silētio prætermissos, tū vt magis reuerēter eos desererent, tum potissimū, ne ipsorū modi relatores palulantes nūcupati, manifestè refelli viderentur. quoniam præscripti Patres cum Philosopho hæc pronunciata tanquam certa sanxere, omnino contraria opinionibus Recentiorum.

Primum est, *relationem esse complexum duorū*, & ideo definitam fuisse ab *Aristot.* vtente numero plurali, dū incipit sic, *relatiua, seu, ad aliquid talia dicuntur*, &c. & subinde in materia præsenti, perinde valere, concretū, & abstractū, singulare, & plurale. nimirū relatio, relatiua, æqualitas, æqualia, similitudo, & similia, & huiusmodi alia.

Secundū est, *denominationem relatiuā accidere subiecto, partim ab intrinseco, partim ab extrinseco*, vel subiectum tale dici á forma sibi intrinseca, & propria, & ab aliena, & extrinseca.

Tertiū est, *per relationis aduentū, vel recessum, nullo modo mutari subiectū denuo relatū*; propterea posse quoq; dici Deum denuo referri ad creaturas, posita harū tēporali creatione, vel alia mutatione ipsarū.

Quartū. *Relationē nihil esse præter alia prædicamenta collata inuicē*, & ideo ab eis nō posse discerni, nisi propter terminū, quē relatio importat, quādoq; in recto, quādoq; in obliquo. quare quādo contingit relationē esse qualitates contrarias, & capaces intēsionis, re ipsa eā formaliter, & proprie habere cōtraria, & suscipere magis, & minus.

Quintum est, *tria*, quæ vocāt Recentiores *fundamenta relationū*, nempe, *vnitas, & numerus: actio, & passio: mensura, & mēsurabile: esse tria genera formaliū relatiuū*. id quod ex *Aristotele* adnotauit. P. *Vasquez* ante me, loco inferius referendo. & clare docet *S. Thomas* 5. metaph. lect. 17. *Aristotel.* *S. Thom.*

Sextum est. *Relationes prædicamentales non posse terminū actu existere, sed cōplures excludere eius existentiā.* vt cum *Aristotele* notat *Vasquez* 1. p. d. 173. n. 16. & nos probamus inferius. septimū *eiusmodi relatiua non habere in se, neq; de se aliquā respectiuā connexionem sed eorū habitudinem appositis terminis esse significandam.*

Hæc sunt effata totius Antiquitatis, quæ nuspiam fecit mentionem modorum relatorum, & quæ ferme euidenter deducam ego ex locis sacræ paginę inferius allegandis. allegemus nunc nostros Præceptores.

Prima Pars Sectionis ostendit Aristotelem *semper docuisse Relationem esse relata extrema, vel ipsorum antiquas perfectiones, nō modos denuo nascentes; vel de nouo conceptos.*

PRobatur 1. ex locis vbi Philosophus definit relationem, nempe initio c. *ad aliquid* dicēs *talia dicuntur, non vero tale dicitur*, ait *Boet. sed plurali numero talia dicuntur, demōstrans relatiuorum intelligentiā nō in simplicitate, sed in pluralitate consistere.* reuincunt hoc exempla, quæ adducit *Aristoteles*. vnū est, *maius aliquo* minori *maius dicitur*, ita quod illud maius tale sit, & dicatur à propria maioritate, & ab alterius minoritate, vti expresse tradunt *SS. Augustinus*, & *Thomas* infra. legatur item Philosophus in 6. Topic. c. 1. circa finem, vbi iterum describit relatiua. 832 *Aristotel.* *S. Thom.*

Probatur 2. ex diuisione trimembri relationū, quā fecit in 5. met. c. 15. vbi, vt interpretatur ibi *S. Thom.* in lect. 17. & P. *Vasquez* 1. p. disp. 173. c. 4. n. 12. recenset Aristoteles tres modos, aut genera relationū, quorū paulo antea feci mentionem, nō vero tria fundamenta eorū, vti cōtra cōtextū, & literā Philosophi, cōminiscuntur aliqui Iuniores, *nūquā enim eo nomine vsus fuit Aristoteles*, dixit *Vasquez*, sed tres modos relatiuorū enumerās, inter alia adducit illud exemplū, vt cōtinens ad contentū, eo ipso demonstrās eius relationis elementa esse rem cōtinentem, & contentā. affert etiam ibi Philosophus illa exempla. *factiuū* *S. Thomas.*

ad factibile, sectiuum ad sectibile, calefactiuũ ad calefactibile, quorũ subiecta referũtur formaliter ad terminos nõ existẽtes.

Aristotel. Probatur tertio ex locis, in quibus Philosophus assignat rationes formales, quibus aliquot relatiua referũtur. & propter quas similia illa sunt, & æqualia. ergo in Logica c.8. de Qualitate sic loquitur, *similia vero, aut dissimilia per solas dicũtur qualitates, simile enim, aut dissimile alterũ alteri nõ est per aliud, nisi per id quod quale est: quare propriũ est qualitatis per eã simile dici*. vnde merito definit sic *similia* in 5. met. c.9. & 15. *similia dicũtur, quorũ qualitas est vna*. dicit item ipse *Aristoteles* se loqui de similitudine formali, siue prædicamentali, quatenus docet prædicamentũ relationis esse cõmixtum cum reliquis, ita prosequutus c. de Qualitate. *non decet conturbari, ne quis nos dicat de Qualitate propositũ facientes, multa eorum, quæ sunt ad aliquid cõnumeraße. pene enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur*, vel *sunt*. idem repetit Philosophus in illo c.15. qui quoq. legendus ad lib.7. de Hist. Ani. c.6. & de Gen. Ani. lib.4. c.3.

833 Aristotel. Deĩde in eo c.15. in 5. met. & hic in Log. c.2. de Quãtitate perspicué tradit relationes idẽtitatis, similitudinis, & ęqualitatis, & his oppositas, fieri, quasi ex elemẽtis, ex eisdẽin specie substãtijs collatis; similibus, vel dissimilibus qualitatibus; & æqualibus, aut inæqualibus quãtitatibus; ita quod prædicamentũ qualitatis v.g. simul sit qualitas, & relatio; qualitas quidẽ seorsim sũpta, & intellecta, aut in ordine ad subiectũ. relatio autẽ cũ alia socia cõsimili cõparata. Credit nimirũ *Aristoteles* prædicamentũ Qualitatis pro officio habere nõ solũ qualificare subiecta, in quibus est, sed ea item reddere similia, & dissimilia; & ad prædicamentum Quãtitatis pertinere alia duo, nempe, quãtificare subiecta, & eadem facere æqualia, & inęqualia; & cõsequenter quãpiã qualitatem, & quantitatem secundum munera, & effecta diuersa, ad diuersas Categorias pertinere, vt interpretãtur SS. PP. *Damasc. August. Boetius, & Thom.* inferius afferẽdi.

Aristotel. Probatur quarto, quoniã *Aristoteles* assignaturus formalem rationem, ob quam vnus homo altero dicatur antiquior, & referatur relatione antiquitatis ad alterũ iuniorem, non recurrit ad pululantes modos resultantes ab extremis, quæ imparia sunt in lõgitudine dierũ, ac numero, quæ dicitur *quantitas discreta*, sicut, & tempus. recurrit autem ad quantitatem hanc, nempe ad tempus maius, & minus, quæ putat esse relationẽ antiquitatis, dicẽs in c.2. de *modis Prioris. prius autem alterum altero dicitur primo, & maxime secũdum tempus, secundum, vel propter quod antiquius alteram altero, & vetustius dicitur, in eo enim quod tempus amplius est, & vetustius & antiquius dicitur*. cõsonat pulchre S. *Augustin* ibi, *coeuos quotidie dicimus eos, qui eandem habent mensuram temporum, non alter ab altero præceditur tempore*. S. August.

Quod vero tẽpora maius, vel minus, aut æqualia sint relationes, ob quæ extrema dicantur ad aliquid, & referãtur, expressit *Aristoteles* in 5. met. cap.15. tex.20. post medium. Lege illum locis allegatis per otiũ, & nota diligenter duo, primũ est, eiusmodi relationes formaliter dari sine modulis, Vt patet ex regula pro dignoscendis relatis formaliter, *siquidem illa extrema sunt simul natura, & cognitione se mutuo inferunt, ponunt, & interimunt*. Et ideo si scias Petrũ esse antiquiorẽ Paulo, necessario venis in cognitionem Pauli iunioris; quod cõtingit per nihil aliud, nisi per tẽpus, *secũdum quod alterũ altero antiquius dicitur*. secundũ est, hic interuenire non posse modulos; quia tẽpora, à quibus resultare debuerũt, præterlere, & ex maiore parte iam non sunt; modi vero sine subiectis, ac terminis suis, esse non possunt, vt ingenue confitentur eorum inuentores.

Doctrinã istam Philosophi mirifice explanant, atque cõfirmant illa verba S. *Ambrosij* in Homil.5. & Serm.16. de Natiuit. *solem igitur nouum hanc diem natiuitatis vulgus appellat. & tũ dicit nouũ, vtiq. vetere esse demõstrat*, atq. cognoscit, pręclara est hæc relatio prædicamẽtalis, & vel vulgo ignorãti modulos nota; quia est lux noua & antiqua simul, & nõ potest esse modus realiter natus à subiecto, sed neq; conceptus à ratione, aut conceptibilis ad positionem termini, qui est lux vetus, quę præterijt iam, & non est. 834

Probatur ergo quinto relationẽ esse non posse modos physicos, neq. metaphysicos ex locis, in quibus Philosophus admittit relationes prædicamẽtales ad terminos actu non existẽtes, vt legis 5. met. c.15. vbi explicando secundũ genus relationũ, ponit

illa

illa exempla, *vt calefactiuum ad calefactibile, & factiuum ad id, quod factibile, vel faciendum est*, quæ ante nos animaduertit *P. Vasquez* 1.p.d 173 n. 17. vbi propterea dicit non esse proprium quarto modo relationis esse simul natura, neque id dixisse Philosophum, quia viderit dari multas relationes ad terminos non existentes, illud autẽ esse maxime proprium relationis prędicamentalis, *nempe vt non contingat definite sciri relatum, nisi sciatur etiam id, ad quod refertur*, quæ est regula Aristotelica certa, & infallibilis pro dignoscendis quibuscunque relatis formaliter.

Arist. Præterea in 1. Perih. c. 1. *nomina*, inquit, *Aristoteles, ipsa, & verba conceptui, qui sine compositione, diuisioneq; est similia sũt.* quia, scilicet conueniunt in eo, quod sic ut rem incõplexam significat simplex nomẽ, ita simplex cõceptus, vel apprehensio rem incõplexam repręsentare solet: illud, & hæc, sine affirmatione, negatione, nempe ea duo conueniunt in significatione, ab ea autẽ, quę in nominibus aliquid morale est, nequit enasci modus relationis physicus, neque cõceptibilis metaphysicus, & tã formalis, & vera est hæc propositio, *nomen est simile conceptui*, atque illa, *conceptus est similis nomini*. & subinde mutuo referuntur, & nomen simile est formaliter conceptui, qui est, & qui fuit, & qui futurus, vel possibilis tantum est. nõ ergo potuit relatio ista similitudinis esse aliquis modus; siquidem is neq. esse potest in re, neque cõceptibilis est, quando præsens eius terminus non est, vti volunt moderni modorum authores. relinquitur ergo relationem formaliter exerceri inter nomina, & conceptus per consimiles eorum ambas significationes secundum doctrinam *Aristotelis*.

Probatur septimo ex locis, vbi Philosophus asseruit relatiua vt talia contrariari in inuicem, & suscipere magis, & minus; sed nõ omnia; sed ea tantũ, quæ contraria habent, & sunt capacia intensionis, & remissionis. Legatur caput istud *ad aliquid* ibi. *est autem contrarietas in hisce*, relatiuis, *Virtus enim vitio contrarium est, quorum vtrũq. ad aliquid est, & ignorationi scientia. videntur etiam ea suscipere magis, & minus; simile namque & magis simile & minus dicitur simile.*

835 Dixi contraria, vt talia, formaliter referri, & nõ tantũ fundamentaliter, vti volunt Recentiores, id quod probat ibi *Aristotel.* & ex eo sic demonstratur; quia vt cõtraria, sunt simul natura & cognitione, se mutuo inferunt, & si vnũ definire scias, alterũ nosces necessario; siquidem oppositum alteri oppositũ est; & simile, aut magis simile, respectu alterius dicitur; quippe iustus homo similis est Deo, sed quoniam Deus est *quã iustissimus*, ait Plato, *totam videlicet iustitiæ cõplexus potestatem, nihil est illius similius, quã iustissimus homo. quocirca*, inquit *Augustinus, cogitemus nos tanto similiores Deo, quanto esse poterimus eius participatione iustiores.* S. August. quis vero audebit dicere extrema cõtrariari per aliud, nisi propter proprias essentias inter se pugnãtes. aut iustos esse Deo similes, & indies magis similes, & alijs alios illi similiores, & sanctiores per futiles modulos, & non per mirabilem gratiæ qualitatem. hoc tamen inferius fusse prosequor.

Ducor præterea ad putandum eam esse mentẽ Philosophi propter duo. primũ est, quod cũ generali quasi regula pronũciasset relatiua habere contraria, & suscipere magis, & minus, fecit exceptionem, & dixit *non vniuersa tamen hanc subeunt legem, duplum enim nõ suscipit magis, vel minus.* inepte vero exemplificasset in Duplo, si loqueretur de fundamẽto relationis, & ei negasset intensionẽ, & remissionẽ, siquidem *Duplum* est quãtitas, ex qua fiunt relationes æqualitatis, & maioris, seu minoris inæqualitatis, quas admittit *Aristoteles* ibidem suscipere magis, & minus.

Secundũ est, nã in eodẽ c. *ad aliquid*, & sæpe alibi, dixit *substantiam, & quantitatem contrario carere, relationẽ vero, qualitatem, actionem, & passionem contraria habere.* cur ergo dicẽdũ loqui de cęteris prędicamẽtis formaliter, & aliter de relatione. & inutiliter apposuisse ibi *relationem, & qualitatem*, si perinde valet *relatio* ibi & *qualitas*; nã apud Neotericos fundamẽtalis relatio contrariũ habens, est qualitas; ac rursus cur dicendũ inutiliter iterum repetijsse in c. de relatione id, quod dixerat in ca. de Qualitate. Legãtur attentius textus isti *Aristotelis*; nã qui leget, intelliget euidenter vera esse, quæ dico.

Probatur septimò euidenter *Aristotelem* non agnouisse modulos pululãtes relatores, ex testimonijs, quę habentur. Phys. tex. 20. & 11 met. tex. 15. vbi docet *nõ esse* 836 Aristotel.

motū ei, quod est ad aliquid, sed tantum per accidens, contingit enim altero mutationem patiente, vere dici alterum nihil mutationis subire, etiam emanatiuæ, vt conuincunt textus ipsi, & Parafrastes Pallauicinus ad locum Physicorū, & P. Suarez in met. dis. 47. sect. 2. n. 17. quocirca iuxta expressam mentē Aristotelis mihi v.g. habēti albedinē vt quatuor hic Romæ existēti, nullā omnino denuo mutationē passo, fieri solet similis homo quidā in India, vel alibi natus cū albedine pari, dicit vero in me nō fuisse motum per se, sed per accidens, quatenus per se motus fuit ad qualitatem, seu albedinem hominis illus, mei cōsimilis, cū quo facio quasi cōpositū, & ideo illo moto per se, & realiter, dicor ego itē moueri per accidens, ideft nullum verum motum, aut mutationem in me recipiendo. dixit hoc euidenter Arist. 6. Phys. cap. 4.

Ita illustrauit ante me textū illū ex 11. met. S. Thomas in sua lect. 12. lit. F. & illustratur ex quadā doctrina, quæ ei cōmuniter attribuitur, & videtur colligi ex 3. par. q. 76. a. 6. c. nempe animā nostrā non moueri per se, ideft, per motum spiritualem in se intrinsece receptū, sed per accidens ad motū corporis, iuxta illud quod circūfertur ex Aristotele dicente in 2. Topic. c. 3. quod motis nobis mouentur ea, quæ in nobis sunt. alia nimirū per se, alia per accidēs, vti declaratū est: moueri ergo per accidēs, absolute est nullo modo intrinseco moueri.

S. Thomas.

Aristotel.

Istud Philosophi principium, videlicet, extremum alterum de nouo posse referri ad alterum per solam huius mutationem, illo altero omnino immutato, receptum semper fuit, & commune apud SS. Patres & alios grauissimos Doctores infra referēdos; Et propter id non verentur concedere Deum immutabilem denuo referri ad creaturas posita ipsarū creatione, aut mutatione. quocirca frustra respondent modulorū emanantium authores, nō excludi ab Aristotele motum dictum, mutationem emanatiuam, qua enascātur à subiectis referēdis, eorum relatores modi, sed motum simpliciter dictum, siquidem Philosophus tam clare dixit subiectum alterum nihil mutationis subire. & solum moueri per accidens. & Sancti Patres ita textum intelligunt, & ideo faciunt Deum capacem relationis, quem constat excludere omnis mutationis modum.

Probatur octauò idipsū ex locis afferendis per totam quæstionem, sed prætermittenda non fuerunt duo, aut tria bona consectaria, pro plenaria doctrina dictorū, & dicendorum. Primum est circa modum loquendi, quod nimirum Philosophus vocat eadem relationes, quæ fiunt ex substantijs; similia & dissimilia, quæ fiunt ex qualitatibus; ac demum quæ fiunt ex quātitatibus, appellat æqualia, & inæqualia. Vnde ortum est axioma Aristotelicum, substantia facit eadem, & diuersa. qualitas similia, & dissimilia, quantitas æqualia, & inæqualia; quod videtur potissimum desumptum ex lib. 5. Metaph. cap. 15. vbi sic definit istas relationes, eadem enim sunt, quorum substantia vna. similia vero, quorum qualitas vna. æqualia autem, quorum quantitas vna. 837

Hunc modum loquendi tenent SS. Patres, Philosophi, & Theologi tractantes diuina, vt vides apud, S. Thomam 1. p. q. 41. a. 1. & Vasquez ibi dis. 166. cap. 1. & quod mirabilius est sacræ Scripturæ videntur se, in materia de relatione accōmodasse non tantum doctrinæ Philosophi, quæ quia vera est, non tā sua, quam diuina est, sed etiam modo loquendi, vt euidenter apparet in sequentibus. Verumtamen sæpenumero docti, & indocti Vocabula hæc à propria significatione extrahunt, commiscent, & inuertunt; & similia vocant eadem, & vicissim æqualia; & huiusmodi aliter; sed quoniam, vt inquit Aristoteles 2. Topic. res sunt appellandæ nominibus, vt populus appellauit. Vsum vos populo cōcedite, scientiam vobis reseruantes.

S. Thomas

Aristotel.

Secundo infertur ex dictis relationes quandoque distinctas esse realiter ab extremis relatis, vt contingit in similitudine Socratis, & Platonis; siquidem albedines consimiles ab eisdem distinguuntur. quandoque vero non. Vt apparet quando comparantur vt eadem, duæ substantiæ. vel vt similes qualitates duæ. sumpta nimirum hæc extrema quasi in abstracto. tunc enim relatiua, & relatio sunt omnino idem. solum est animus excludere quasdā entitates infertas, denuo pululātes ab extremis referendis; illud enim scribit P. Suarez in metaphys. disput. 47. sect. 2. nu. 17. creditu difficillimū, & nullo sufficienti signo, aut experimento fundatum: nimirum quotiescunque quisquam fit albus, aut

aut calidus, pullulare in omnibus alijs rebus calidis, aut albus, quæ sunt in mundo, aliquid nouum, in & reale, vere ac proprie vnicuique iuba rem. Vt enim in superioribus videtur satis probatum, ad solas illas denominationes similis, æqualis & huiusmodi, non est necessaria resultantia noui realis modi, & entitatis, Sed sufficiũt perfectiones absolutę pares in gradu, & mensura, vt consistant relationes, & formaliter relata; vt veró nobis nota sint, & à nobis conuertantur, iubet *Aristoteles* c. *ad aliquid* congruis vocibus dici, iuxta dicta n. 830. quo clare monstrauit relationes extremis absolutis cõponi vt elementis.

Secunda pars Sectionis Demonstrat putasse S. Augustinũ Relationem esse absolutorum consortium, non vero modos denuo pullulantes.

838 *August.* S. Doctor *August.* to. 1. in suis Categorijs, cap. 11. quod totũ est super *ad aliquid*, tam fuse, clare, & frequenter docet relationẽ esse collata extrema, vt difficile sit certa verba seligere, si describendum non est totum caput. *ad aliquid*, ergo ait in principio, *Categoriam vocamus, qua id, quod est, dicitur ex altero, sine cuius societate esse non possit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione descendit, vt duplum simpli dicitur duplum; maius minoris dicitur maius; simile simili dicitur simile: claret igitur ad aliquid non sua vi, sed alterius coniunctione consistere.*

Et inferius docet relationis prædicamẽtũ esse cõmixtũ cũ reliquis, & in eo differre ad aliquid à qualitate, vt hæc respiciat subiectũ cuius est, & cui inhæret, illud vero terminũ ex cuius societate cõsistit, ac tãdè cõcludit *tantã huic Categoriæ cũ reliquis esse permixtionẽ, vt ipse quoq. Aristot. huius discretionem haut facile reppereris*. ac rei difficultatẽ ingenue fatetur ipse *August.* eo ipso demõstrans nec se, nec *Aristotel.* agnouisse modos istos physicos, aut metaphysicos relatores formaliter assertos; si enim eos agnouissẽt facillimo negotio prædicamẽtum ad aliquid à reliquis distinxissent, sicuti modo distingũt vel tardi Tyrones discipuli Modernorum.

S. August. Aristotel. Rursus *S. Pater* ca. 12. de qualitate cum *Aristotele* à se, & à nobis supra allegato, determinat extrema multa dici relata propter Quantitatẽ, & Qualitatẽ; nã quemadmodũ inquit ratione *quantitatis multa dicuntur ad aliquid*, nimirũ æqualia, inæqualia, ita *& qualitatis hoc propriũ est; vt cũcta qualia, similia, aut dissimilia nominẽtur*. ac describens ex *Aristotele* prosequitur dicẽs, *ne autem nonnulli turbentur* cũ videant in qualitate annexas duas Categorias, *hanc discretionẽ damus, vt tunc qualitates sociẽtur ad aliquid cũ sunt genera, cũ vero species, qualitati*. Vti scientia, vt est genus relatio est, nã sciẽtia scibilis est sciẽtia. grãmatica vero, quæ est illius species, est qualitas. *neq; est importunũ, si vna res duarũ Categoriarũ Vocabulo concludatur*. Voceturq. relatio collata cum termino, & seorsim considerata, vel in ordine ad subiectũ, cui adhęret id quale faciendo, Qualitas.

839 *S. August.* Tertio *Augustin.* de Categorijs c. 8. expresse tradit *ad aliquid*, siue relationẽ constare ex vno intrinseco, & alio extrinseco, & extremũ relatũ dici ab vtroq. vbi declarans essentias proprias, & differentias decẽ Prædicamẽtorũ, dicit primũ, quod est Vsia, siue substantia, reliqua nouẽ sustinere ibi. *reliqua vero nouẽ accidentia sunt; ex quibus sunt alia in ipsa Vsia, alia extra Vsiã, alia intra, & extra: qualitas in vsia est. vbi extra vsiam, situs, & habitus. intra & extra vsiam est ad aliquid, vt magis & minus. Vtrumq. enim dici non possunt nisi coniuncto altero, quo magis sit, vel minus. propterea ergo vnum in se habet, aliud extra se, vsia videlicet*, & relata dicitur, & est à propria forma, & ab aliena. Et sic *vna res*, ait S. Doctor cap. 10. & *maior à minori, & breuis à maiore poterit nominari*. Vides clare adæquatã formã relationis, siue qua substantia quædam relata dicitur, v, g. similis, dissimilis, maior, minor, & huiusmodi conflari ex duplici accidẽte altero intrinseco substantiæ, altero extrinseco, secundũ mentem *Augustini* quem imitatus est S *Thomas* infra referendus. *S. Thomas.*

Quarto *S. Augustinus* innixus in illo *Aristotelico* effato in materia de relatione. nimirũ posse, & solere rem quãpiam modo referri ad quendã terminum, modo nõ referri, pro assistentia, vel absentia eius termini, nullam passam intrinsecam mutationẽ, eleganter, & ingeniose discurrens dixit tom. 2 lib. 5. de Trinit. c. 16 Deo quantumuis immutabili denuo aduenire relationes *Aristotel. S. August.*

ad creaturas, si enim inquit adueniunt alia accidētia, & relationes creaturis alijs, sine ipsarum intrinseca mutatione, *quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, vt ita dicatur relatiue aliquid ad creaturam, vt quamuis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantia Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ, ad quam dicitur*. ad nos ipse refertur in tempore; sed nihil factorum in eius natura, in nobis fit mutatio. refertur ergo Deus immutatus, & illæsus perseuerans; nempe per suam perfectionē, dominium, & potentiam, posita ex parte creaturarum mutatione; *sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est; ipsorum scilicet mutatione non sua*. Legite Sapientes S. *Augustinum* in isto capite, & gaudebit cor vestrum.

S. August.

§ 40 V. Legatur S. Pater in lib. contra Felicianum vbi assignat rationes formales, propter quas aliquot extrema referantur, & nulla est modus, ibi, *ad summam maior, & minor tribus modis dici potest, idest, ætate, forma, potentia; ætate Senior puero, forma longior paruo; potentia fortior imbecilli*. constat enim ex terminis rationem referendi me maiorem alio, esse formam, ob quam eum excedo. atque idem *Augustinus* declaraturus propter quid putauit olim ille Pharisæus se non esse sicut cæteri, neque sicut Publicanus, non recurrit ad modulos, sed ad bonas qualitates, vel malas, per quos solent esse homines alij sicut alij, similes, vel dissimiles, dicens in Serm. 16. de verbis Domini, *ego inquit Pharisæus iustus sum, cæteri peccatores; sicut Publicanus ille, non sit talis qualis iste per institias meas, quibus iniquus non sum*.

Ad finem adueito inquit Præceptorem sanctum de relatione formali; id quod patet euidenter ex contextu; siquidem tractat de prædicamento relationis; & item ab exemplis, quæ adducit, quæ continuo probat esse relatiua formaliter seu prædicamentaliter, ex applicatione Aristotelicæ regulæ pro dignoscendis relatis formaliter; nempe, ea esse simul natura, & cognitione; & alterum scitum nos ducere in cognitionem alterius; quæ regula quadrare non potuit nisi relatis formaliter.

Tertia pars sectionis cōuincit S. Thomam consensisse cum Aristotele, & S. Augustino, & tradidisse Relationem prædicamentalem constitui per antiquas relatorum perfectiones, quas dicunt alij rationes fundandi; *& nullo modo esse modos de nouo nascentes, & reales, sed neque ab intellectu conceptos, aut conceptibiles.*

Assertionem in titulo contentam expresse docuit S. *Thomas* primo in suis commentarijs supra textus *Aristotelis* supra adductos, præsertim ex metaphysica. secundo 1. p. q. 1 5. a. 7. c. ibi. *quædam vero relationes sunt quantum ad vtrumque extremum res naturæ*, idest reales, *quando scilicet est habitudo inter aliqua duo secundum aliquid realiter conueniens vtrique, sicut patet de omnibus relationibus, quæ consequuntur quantitatem, vt magnum, & paruum; duplum, & dimidium; & huiusmodi; nam quantitas est in vtroque extremorum*. Vide quam preclare dicit S. Doctor *relatiua*, siue *relationes*, quæ voces perinde valent apud ipsum, vt sine me, notauit quoque *Aquarius* de significatione terminorum S. *Thomæ* litera R. §. *relatiua sunt*, constitui duplici extremo, nempe quantitate duplici. S. Thomas Aristotel.

Ne quis autem auderet sinistrè intelligendo illud *consequuntur quantitatem*, inferere modos pullulantes a quantitate, quasi relationes formaliter, prosequitur tertio *S. Thomas* in Opusc 48. tract 5. de prædicamento ad aliquid c. 2 dicens *cum autem dico, quod similitudo Sortis habet albedinem, vt fundamentum*, siue quod ipsam consequatur, *non est intelligendū quod similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum; si enim similitudo adderet supra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione; vt patet, nam si quis in India fieret modo albus, foret similis mihi, & ego sibi, nulla in me facta mutatione; similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter* § 41

liter sit in me, vt patet. atque inferius in cap. I. *de actione*, ait, *licet similitudo sit eadem res cum albedine, tamen quia similitudo, importat aliquid aliud; quod non importat albedo, scilicet terminum adquem, est in alio prædicamento.*

Aduerte albedinem vtramque relationem componere, & illam, quæ est terminus, esse rationem differentiæ, qua relatio distinguitur à Qualitate, constat autem omnem differentiam rei ad eius essentiam pertinere. & ideo S. Pater sibi constans merito dixit in illo Opusc. cap. 3. Prædicamentum relationis differre à reliquis, & a suo fundamento, quod solet esse aliquod aliud prædicamentum, *non sicut differt res a re, sed sicut illud, quod importat plusquam pars. Homo enim differt ab anima, quia importat materiam, quam non importat anima, sic relatio differt a suo fundamento, & facit diuersum prædicamentum, qua relatio dicit rem fundamenti, & oppositum terminum, quem non dicit fundamentum*, est nimirum *complexum duorum*, secus sunt reliqua Prædicamenta, & sic respondet dubio, quod ei opposuerat aliquis dicens, quod si similitudo esset albedo, licet duplex, qualitas foret, & non relatio, & subinde non essent prædicamenta decem. vbi aduerto quam facile se liberaret S. Pater ab argumento isto, si modulos agnouisset. S.Thomas

842 IV. Angelicus Doctor vbique supponit. tanquã certum illud principiũ *Arist.* & S. *August.* nimirum posse & solere rem quampiã nulla in se mutatione facta referri, denuo ad aliam, vel non referri, pro assistentia, vel absentia alterius, in qua sola mutatio fit & ideo supra tex. 10. lib. 5. Phys. in sua lect. 3. & in 3. p. q. 16. a. 6. ad 2. & in 1. dist. 26. q. 2. a. 1. & dist. 30. a. 1. c. & dist. 41. q. 1. art. 5. & in Comment Epist. ad Galatas cap. 4 lect. 2. in medio lit. K & alibi sæpe docet relationem de nouo venientem nullo modo mutare subiectum, & hoc esse adeo verum, vt non sit verendum concedere Deum, quamtumuis immutabilem posse in tẽpore denuo referri ad creaturas, posita in ipsis creatione, vel alia mutatione, quia inquit *relatio non mutat subiecta, neque cum ipsis componit*; quoniã *non est aliquid in subiecto manens*; vnde dicit in quæst. 7. de potentia articul. 8. quod *licet deo adueniant de nouo infinitæ relationes, non officiunt eius simplicitati, neque immutabilitati*, atque prima parte quæst. 13. articul. 2. ad 5. concedit quidem cum *Aristotele* motum ad quantitates, ex quibus æqualitas, & inæqualitas componitur; sed non ad ipsam æqualitatem, seu relationem; sed tantum per accidens, & ex consequenti, quoniam eiusmodi relatio non est alia res producenda distincta a quantitate. Arist. S. August.

V. S. *Thomas* 12. quæst. 7. articul. 2. pulchre docuit *subiectum relatum dici ab ea forma, quæ ipsi inest, & ab ea, quæ extrinsecus adiacet.* nempe dicor ego æqualis alteri a mea propria quantitate, & ab aliena meæ pari, quia opinatur formam relatiuam adæquatè sumptam esse complexum duarum quantitatum, & relationem æqualitatis, dicit alicubi, ex duabus qualitatibus veluti ex elementis constare, id quod sensit *Aristoteles* infra referendus in 12. metaph capit 4. tex. 18. elementa verò sine dubio sunt de essentia rei, cuius sunt elementa, vt probat S *Thomas* in 5. metaph. lect. 4. S.Thom. Aristotel. S.Thomas.

VI. Legendus est S. Pater super 5. metaph. sua lect. 17. vbi repetit illas solemnes *Aristotelis* definitiones. *eadem sunt, quorum vna est substantia similia vero, quorum qualitas est vna, aqualia, quorũ quantitas est vna.* vbi fusè refert plures modos referendi, sed relationis formalis, sine vlla memoria modorum distinctorum à rationibus fundandi. atque iterum 1. p. q. 85. art. 4. clare indicat conuenientias, & differentias, quæ sunt quædam relationes, esse complexiones varias absolutorum extremorum conuenientium, ac differentium; & signate in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. c. differentiam, seu distinctionem putat esse relationem, quam constat inter Doctores, etiam partis aduersæ, non esse modulos, sed vel extremorum consortium, vel negationem, qua vnum non est aliud, vt ponderamus iterum inferius. Aristotel.

Postremo, postquam volumina *S Thomæ* euolui, comperi sua esse omnia illa pronũciata, & quasi axiomata de relatione, quæ supra numero 831. enumeraui, quibus hic superaddo duo, quæ comperi etiam in S. Doctore primum est, non obstante quod relatio non sit noua entitas, contingere motum reperiri in vtroque extremo referendo, non quidem ad 843 S.Thomas.

ad modalem entitatem, sed ad qualitates, vel quantitates dicendas postmodum similes, vel æquales, aut opposito modo, si quidem videmus pueros, & alia bruta simul crescere, & indies maiores quantitates acquirere.

Secundum est, solere relationes destrui altero earum extremo destructo, altero remanente vt prius, omnino immutato, & quoad intrinsecum nullam mutationem passo, vt legi in 1. dist. 41 quæst. 1. art. 5 ad 1. ex quo fit illud principium in schola *Aristotelis* SS. PP. *Augustini*, & *Thomæ* nostrorum Præceptorum, debere haberi tamquam primum, & certissimum, nempe, contingere posse altero extremo tantum mutationem patiente, siue quia de nouo creetur, aut fiat, vel quia de nouo acquirat aliqua accidentia absoluta, vel quia omnino desinat esse, aut destruatur, vere dici alterum extremum correlatiuum nihil, neque modalis mutationis subire; quoniam extremum, neque per accessum relationis, neque per recessum vllo modo mutatur.

Sed vero maxime notandum est *S. Thomam* semper fuisse loquutum de relatione & relatiuis formaliter, vt patet ex eo quod sæpius tractet, in locis allegatis de prædicamento *ad aliquid*. & ex regula generali *Aristotelis* pro dignoscendis relatis formaliter, quam & ipse S. Doctor applicat suis adductis exemplis, & à nobis potest applicari: nam quæ ita se habent vt si vnum definite noscis, alterum socium nosci necesse sit, illa relata sunt formaliter, per illas formas, quæ prænie cognitæ nos ducunt in cognitionem aliarum, sic, simile alicui simile est, æquale alteri æquale, & maius respectiue ad minus maius dicitur, per perfectiones suas, adeiusmodi effectus, & denominationes à natura destinatas, nō per inutiles alias modales entitates.

Ita procedit vbique *S. Thomas*, iste est cursus continuus, discursusque cohærens Doctrinæ Angelicæ, vt apparebit eius opera euoluenti. Legatur attente caput illud 2. Opusc. 48. supra allegatum, ibi enim compendiose, & perspicuè expositum est, quidquid per omnes tomos S. *Thomæ* de Relatione dispersum est; quocirca licet Opusc. non foret S. Doctoris, doctrina tota sua est, quod si alicubi vbi ex professo non egit de hoc Prædicamento, verbū vnum, aut alterum produxerit, non ita, quo ad contextus corticem apparentem, præ statutæ veritati conforme; non propterea decorum est conturbari, & de mēte ipsius addubitare fideles eius discipulos; & multo minus decet mentem illius alio vertere violenter. decet vero maxime Thomistas memoria firma retinere Thomistæ perillustris Hispani *Turrecremata* sententiam, qua Thomista eminentissimus veros Thomistas informat, dicens in Dist. 9. Decreti.

Non omnia, quæ in scriptis Sanctorum Doctorum habentur, sunt eis attribuenda sicut authoribus proprie: sed tantum proprie, quæ ab eis assertiue, & definite scripta sunt. vnde S. Thomas sæpe numero hoc modo respondet ad aliqua dicta quod talia non asserendo dixerunt sed aut opinando, aut opinionis alterum recitando: ita e re nata respondeamus & nos. 844

Quarta pars Sectionis probat SS. PP. Boetium, Damascenum, Isidorum, & Anselmum, Auerroem, & alios Philosophos, & Theologos omnes existimasse Relationem esse absolutorum collationem, & non modos; quinimo ita sentire Ecclesiam vniuersam.

I. INclytus Martyr *Boetius* insignis Philosophus, & Theologus fusius, & melius fortasse cæteris, videbitur dixisse de relatione, sed cogor abbreuiare omnia, & ideo in summa dico *Boetium* docuisse, quidquid continetur in illis effatis, supra scriptis initio sectionis, & docuerunt de Relationis essentia, & proprietatibus nostri tres Magistri *Aristoteles*, SS. *Augustinus*, & *Thomas*. legatur ergo inprimis ipsius commentarius super caput ad aliquid Philosophi, vbi dicit *substantiam esse rem vnam, relationem duas, & subinde non in simplicitate, sed pluralitate consistere*. contraria habere, & *rem eandem & esse qualitatem, & relationem propter terminum; neque esse posse quid distinctum à reliquis prædicamentis*. rursus lib. 1. de Trinit. & veritate Dei circa finem dicit, relationem nihil esse præter extrema absoluta, & constare siue componi ex termino. siue *esse à termino, & ex termino* veluti ex compar- *Aristotel. S. August. S. Thom.*

te,

te, & nihil afferre denuo, quod alterare queat essentiam alterius, vti quoque explicat ibi *Porretanus* eius interpres.

II. *Damascenus* item in sua Dialectica cap. 50. *in ad Aliquid.* clare dicit res seorsim acceptas esse substantias, vel alia prædicamenta, collata verò cum terminis esse relationes. & expresse adducit pro exemplo relatiua artificialia, aut ex beneplacito hominum, quæ sine dubio modulos non permittunt.

III. *S. Isidorus* noster Hispalensis in lib. 2. cap. 26. enumerat describendo, & discriminando ab se inuicem decem præ-
S. August. dicaméta, quemadmodū describebat *S. Augustinus* supra num. 839. & relationem dicit esse vnum, & alterum, nimirum *intra*
845 *vsiā, & extra vsiā*, nēpe pars eius adhæret vsiæ, referendæ, pars extra in termino est.

IV. S. *Anselmus* communiter dicitur fuisse huius sententiæ, & merito, quia in monologio cap. 24. in medio, postquam statuisset Deum esse omnino immutabilem & incapacem cuiuspiam accidentis, distinguit inter accidentia, quæ solent mutare subiecta, & ea, quæ non. & ait *alia accidentia omnino nullam, vel accidendo vel recedendo mutationem circa id, de quo dicuntur, efficere noscuntur, vt quadam relationes.* quod postquam probauit exemplis creatis, concedit Deum prædicamentaliter referri ad creaturas, & illis omnibus esse
S. August. S. Thom. maiorem, & dissimilem.

Hæc fuit expressa sententia SS. *Augustini & Thomæ* vbi supra. S. *Cyrilli* cap. 11. Thesauri in medio. S. *Iustini* in quæst. 113. de orthodox. demonstrat. *Tertulliani* lib. de carne Christi cap. 3. & sæpe alibi. *Philonis* in lib. de nominum mutatione, explicans illud, *ego sum Deus tuus*, & alij. qui omnes supponentes certum illud principium Aristotelicum; nimirum relationem nihil esse, quod queat mutare, aut alterare subiectum denuo referendum, nisi quātum ad nomen nouum, ex aduentu alicuius termini; dicunt sine scrupulo Deo temporaliter aduenire relationes complures, quibus de nouo dicitur *refugium nostrum. Creator. Rex. Iudex. Maior. Sapientior. Sanctior.* & huiusmodi aliter, nō quidē per formulas, aut modulos de nouo pululātes, sed per diuinas perfectiones æternas, positis, creatis, vel aliter mutatis creaturis in tempore, at quis audeat hoc negare, cum id asseruerit Christus Dominus dicēs Ioan. 10. & 14. *Quod dedit mihi Pater maius omnibus est. Pater maior me est.* & quidem formaliter, seu de formali relatione loquitur Dominus, sicut loquuti sunt Patres, vt patet euidenter ex regula Philosophi; si enim Deus est maior, refugium, Rex. Iudex. Sapientior, respectu minorum, miserorum, vassallorum, reorum, & minus sapientum est: & si vnum extremum noueris, & aliud te nosse necesse est.

Et ideo sine scrupulo admittunt relationes prædicamentales in Deo erga creaturas plerique Scholastici in 1. distin. 30. vt *Ochamus, Gabriel. Gregorius. Marsilius. Durandus. Rubion. Palatius. Venetus*, & alij, quos allegant, & sequuntur *Hurtado* disp. 15. metaph. sect. 2. *Basilius Ponce* 1. p. variar. disp. quæst. 8. schol. concl. 3. *Durello* lib. 1. Categor. cap. 7. *P. Theophilus* in sua Theologia naturali dist. 7. n. 70. 72. 73. & in num. 74. dicit latas contra hanc sententiam censuras bruta fulmina esse, & merito, quia *Suarez* in metaph. disp. 47. sect. 15. num. 21. eam reputat nulla mala dignam censura. consentiunt nouissime *Auersa* in metaph. quæst. 25. sect. 4. *S. supposita.* & *P. Arriaga* disp. 12. logica, sect. 4. num. 13. quidquid dicat *P. Tannerus*, qui stat pro parte contraria, & contra nos allegat *Scotum, Caietanum, & Ferraram*, nempe 1. p. disp. 4. q. 3. dub. 1. sed ipse doctus Pater bene vidit parum vigeri nos ab suis fūdamentis, quæ parum valent, & facile cadunt sublatis modis relatoribus.

V. *Auerroes* 12. metaph. in Commento 846
19. & *Albertus Magn.* apud *Conimbr.* q. 1. de Relat. in principio, adnotarunt Philosophos *Aristotele* antiquiores in ea quoque opinione fuisse, vt putarint relationem esse cætera prædicamenta combinata, quod item post ipsum tenuerūt *Porphyrius* in Prædicamentis, & ibidem *Ammonius* atque *Simplicius*. Speciatim vero *Auerroes* ita loquutus est in epitome metaph. tract. 1. ante medium. *Relatio autem est communis omnibus decem prædicamentis, nam inuenitur in substantia, vt v.g. Pater, & filius. & in quantitate, vt dimidium, & æquale. & in qualitate vt simile, & scientia, & scitum. & in vbi, vt qui in loco esse circumscribitur, & locus. & in quando, vt prius, & posterius. & in situ vt dextrum, & sinistrum. in agere, & pati,* vt

vt agens, & passum. vbi Maurus famosus doctrinam omnem *Aristotelis* breuiscō-plexus videtur. Aristotel.

VI. Consonant *Plato*. *Catullus*, *Martialis*, & *Iuuenalis*, quos allegat in suis adagijs *Paul. Manutius*, quatenus contestatur quosdam similes esse per Virtutes, seu bonas qualitates communes; & item per malas, & vitiosas. ita loquitur *Plato* lib. 8. de Legibus, vt omittam alia eius testimonia, *amicum quidem vocamus simile simili per Virtutem*, vtrique communem, quæ vtrumque facit consimile, & mutuo amabile, præciso quouis modulo. Deinde *Plato* ipse nominis *Relatio*. inuentor, vt author est *Toletus* hic, in Phædone longe post medium, vbi dicit, *simiā Socrate esse maiorem*, & cur. aduertit res vt iacent, non se inuicem respicere, neque alias aliorum indices esse, sed à nobis conferri, & alias ad alias referri, & notari ipsarum similitudines, dissimilitudines, ac differentias, exercitas per rerum ipsarum perfectiones, secundum quas se solent superare, vel aliter respectu aliarum se habere, & ideo discipulus eius *Aristoteles* admonuit in hoc cap. vtendum esse nominibus aptis ad significandas rerum referendarum varias habitudines. Aristotel.

Atque idem senserunt *Cicero*, *Quintilianus*, *Seneca*, & alij, quando, vt significarent similitudinem maximam, & æqualitatem repertam, & exercitam mediante qualitate, & quantitate, vsurparunt illa prouerbia. *non tam ouum ouo simile. non tam Lac Lacti simile. non tam aqua similis aqua, non tam ouis oui, nec tam apis api similis*, quam Cæsar similis est Antonio, pro omnibus audiamus *Plautum* in Menæhmis, circa finem.

Illic homo, aut Sycophanta, aut geminus est frater tuus.
Nam ego hominem homini similiorem numquam vidi alterum.
Nec aqua aquæ, nec lac lacti crede mihi vsquam similius;
Quam hic tui est, tuque huius; video speculum tuum.
Tua est imago, tam consimilis est, quam pote, &c.

847 nempe propter similem formam, & figurā, & similima oris, & vultus lineamenta, vt infra pulchre dixit *Cyprianus* Martyr referendus in sect. 4. vel etiā propter similes affectus, & mores, propter quos ita crescit magis, & magis similitudo, vt duo videantur vnus, & ideo *Cælius* apud *Senecam* lib. 3. de ira capit. 8. conuictori semper assentienti sibi, exclamans dixit *dic aliquid contra, vt duo simus*. vt & hic etiam notetur relatiua, vt talia suscipere solere magis, & minus, & similitudinem posse esse maiorem indies, neque consistere in indiuisibili. vti notarunt *Aristot.* cap. ad aliquid. & *S. Augustinus* cap. suo item ad aliquid. Aristotel. S. August.

VII. Relationem esse absolutorum societatem sæpe docent omnes Magistri, etiam aduersæ partis fauores, quatenus admittūt speciales aliquot relationes prædicamentales, modos non esse, sed ex alijs prædicamentis conflari. nempe cuncti tenent cum S. *Thoma* in 4. disp. 4. quæst. 1. art. 1. c. distinctionem esse relationem, atque eius extrema; sicut entia per accidēs; entia artificialia; & opposita omnia præsertim contraria, referri per proprias perfectiones antiquas, & quidem formaliter sine modis relatoribus; siquidem, vt ait *Aristoteles* de Oppositis in 2. Topic. ca. 3. & de omnibus sæpe alibi, conuertūtur, & se mutuo inferunt, ponunt, & interimūt. Aristotel.

Speciatim vero Theologi Doctores docent nos esse formaliter filios adoptiuos Dei, ipsi similes, & amicos eius, per pretiosa dona gratiæ, charitatis, & visionis, vt videre est in P *Granado* 1. 2. tract. 4. de gratia disp. 8. sect. 5. nu. 50. & tractat. 8. dub. 6. & 22. de Charit. tractat. 1. disp. 3. à sect. 1.

Præterea Iureconsulti, Theologi morales, & Summistæ consentiunt tradentes contractus omnes, speciatim matrimoniū ex mutuo consensu contrahentium essentialiter constare, & alterutrum consensum esse compartem contractus. at quis non videat contractus esse speciales relationes reales prædicamentales. Authores isti sunt sine numero, & multi videri possunt apud *PP. Sanchez* lib. 1. de matrim. disp. 5. à nu. 10. & lib. 2. disp. 1. à nu. 2. & lib. 2. consil. cap. 3. dub. 39. num. 5. *Laiman* tract. 4. de pactis. lib. 3. capit. 1. vbi ex legibus varijs pactum definitur *duorum consensus, atque conuentio*. Consentit colligens ex authoribus, & doctoribus vtriusque Iuris *Ioannes Caluus* in Lexico iuridico. verbo *Relatiuum*.

Tan-

848 Tandem hoc relationis prædicamentū esse præter extrema nihil, neque re, neque ratione distinctum à subiecto, & termino relatis, tenent expresse præter SS. PP. & alios allegatos supra. *Hurtado* in metaph. disp. 15. sect. 2. §. 7. & ibi *Aegidius*, *Syluester*, *Heruens*. *Gabriel*. *Scotus*. *Ochan*. *Durandus*. *Gregorius*. & quidam Thomistæ (vt refert *Caietanus*, 1. p. quæst. 28. a. 2. §. *in responsione*) *Auersa* quæst. 15. sect. 2. §. *dico* 2. *Durello* lib. 1. Categ. cap. 7. §. *verumtamen*. *Plotinus* æneade 6. lib. 1. c. 6. *Cottunius* de anima disp. 3. sect. 7. §. *ad* 3. *Iulius Pacius* in notis ad caput *Aristot*. 7. de relatis. *Arriaga* disp. Logica 12. sect. 9. & apud *Amicum* in Logica tract. 15. q. 5. dub. 2. *Maior*. *Marsilius*. *P. Niger* & alij. *Herice* 1. par. disp. 16. nu. 30 *Basilius Ponce* 1. p. quæst. var. q. 8. Schol. *Zuñica* de Trinit. disp. 17. dub. 3. num. 5. *Baranzanus* in Logica quæst. 19. dub. 3. §. *dico ergo cum Nominalibus*. *P. Lugo* de Incarnat. disp. 11. sect. 1. *P. Vuadingus* in tract. de Incarnat. disp. 1. Proœm. §. 3. vbi dicit idem docere plerosque Authores Societatis Iesu, & verum est ita quotidie docere Recentiores multos in Bætica nostra Prouincia, & in vtraque Castellana, & plerosque in Italia, vt refert *P. Fassoli* 1. p. q. 13. a. 7.

Eandē sententiā re vera sequitur *P. Frãciscus Suarez* in metaph. disp. 47. sect. 2. num. 22. vbi eam optime declarat. & inferius in sect. 8. nu. 9. & num. 14. nam, vt colligo ex num. 25. sect. 2. & alijs locis, tantum vult adæquatam relationis essentiam reperiri ex parte fundamenti, neque exigi terminum vt comparatē, ita quod similitudo *Sortis* adæquate sit albedo ipsius vt se habet ad albedinem *Platonis*, non vtraque albedo. vti vult, supra num. 841. & in sequentibus *S. Thomas*. *S. Thomas.*

Denique liceat mihi dicere sententiam esse vniuersalis Ecclesiæ Relationes Prædicamentales non esse modos, sed antiquas extremorum perfectiones, vel alias de genere qualitatis superadiunctas, nimirum in Orationibus, dum postulat in nobis aliquot ex his relationes fieri, vel iam factas supponit, vel etiam ipsas conseruari, & augeri desiderat, vt apparet in illa Oratione Transfigurationis, quæ cæterarū pe titionum videtur cōpendium *Deus, qui fidei Sacramenta in Vnigeniti sui gloriosa Transfiguratione Patrum testimonio roborasti & adoptionem filiorum perfectam voce delapsa in nube lucida mirabiliter præsignasti; concede propitius, vt ipsius Regis gloriæ nos cohæredes efficias, & eiusdem gloriæ tribuas esse consortes*. ecce rationes formales, quibus dicimur, sumus, & referimur *filij Dei, Christi cohæredes*, & *gloriæ consortes*, sunt pretiosa dona, non moduli, quos ab Ecclesia ad eiusmodi relationes postulari, nefas est vel cogitare, simili modo loquitur, & sentit de relatione naturali infra n. 875.

SECTIO IV.

Demonstrat noua quadam ratione Theologica deducta ex S. Scriptura & SS. PP. Relationes formales esse non posse reales modulos, sed relatorum, quas vocant rationes fundandi *vbi prius de nominibus relatiuis, & regula generali pro dignoscendis relatis formaliter.*

PRiusquam in medium producam illustrissima Testimonia quædam sacræ 849 Scripturæ vbi frequentissima mentio est de relatione, ac relatiuis, (quidquid sit si ea aduertere debuerint Recentiores, ne nobis tam audenter intruderent suos istos pululantes modulos, qui vel ipsis suis authoribus quandoque displicuerunt) præmitti oportet primo, & hic præscribi quędam nomina, & terminos, quæ si ignorentur, confundunt sæpenumero, vel certe retardant humanam intelligentiam.

S. Augustinus to. 2. in Epistola 66. reducit ad classes duas omnia nomina relatiua; *S. August.* alia vocat *eadem*, alia *diuersa*. *Eadem*, opinor, putat esse nomina significantia relata relatione æquiparantiæ, siue relatiua, quæ vt ait *Porphyrius* in prædicamenta, *nomine eodem significantur*; *Diuersa* autem illa, quæ significant relata relatione disquiparantiæ, siue, vt vult *Porphyrius* allegatus, *quæ nomine diuerso significantur*. *eadem*, sunt *amicus, vicinus, contribulis, frater, soror cognatus, coniux, adulter, adulterium, bellum, pax, duellum, rixa, conuenientia vnio contractus, contactus, continuum, proximum, simile, dissimile, æquale, inæquale, distinctum, oppositum*,

ſitum, contrariū, contradictoriū, talis, qua-
lis, ſicut, veluti, & huiuſmodi multa alia.
Diuerſa ſunt *pater, compater, filius,*
ſocer, gener, Dominus, ſeruus, tutor, curator,
pupillus, minor, magnum, paruum, maius,
ſapientius, antiquius, ſpecioſius, ditius, &
cætera comparatiua nomina. *Rex, ſubditi,*
aut *Vaſſalli*, *Regnum, Imperator, Imperium,*
magiſter, diſcipulus, hæres, hæreditas, ha-
bitus, diſpoſitio, ſcientia, poſitio, recubatio,
ſtatio, ſeſsio, duplum, dimidium, particeps,
vicarius, proprietarius, totum, pars, poten-
tia, actus, cauſa, effectus paſtor, principium,
medium, finis, mediator, arbiter, iudex, ad-
uocatus, donans, donatarius, mandans,
mandatarius, emptor, venditor, actor,
reus, teſtis, accuſator, recipiens, meritum,
præmium, Creator, Saluator, Ieſus, nun-
cius, interpres, ſucceſſor, amo, doceo, lego,
audio, ædifico, facio, patior, & huiuſmodi.
Sed quia *infinitum* eſt vt ait *S. Auguſti-*
S. Auguſt. *nus velle omnia percurrere*, dico genera-
tim eſſe nomina aut verba relatiua, illa
omnia, quæ præter directum ſuum ſigni-
850 ficatum ſignificati alterius, *relatiuorum*
more, ſunt recordatiua; etenim quiuis
terminus relatiuus duo facit cognoſcere
S. Auguſt. alterum directè, alterum indirectè ſal-
tem, & in obliquo; id quod expreſsit
S. Auguſtinus in to. 3. ſub titulo quæſtiun-
culæ de Trinitate lit. B. dicens *Prorſus cum*
dico Patrem Filium ſignifico, quia non eſt
Pater niſi Filius ſit, cui ſit Pater, item non
eſt Filius niſi Pater ſit, cui ſit Filius. atque
id ipſum repetit in tomo 10. ſerm. 1. de
tempore in feſto S. Trinit. circa finem ibi,
non enim poteſt appellari Filius, niſi ha-
buerit Patrem, quando dicitur pater, non
dicitur niſi habuerit filium. in his omni-
bus documentis conſonat *Damaſcenus* in
ſua Dialectica cap. 50.
Atque ex his poſterioribus relatiuis illa,
quæ præſtant ſocijs, dici ſolent à Dialecti-
cis *digniora* correlatiuis, & hæc illis *indi-*
gniora; rurſus illa relata, quæ ſignifican-
tur nominibus regentibus caſum obliquū,
præſertim ſine vlla propoſitione, dici ſo-
lent *relatiua caſu*, ſiue *cum caſu*, vti no-
tat ex *Boetio Ioannes Cæſarius* in ſua Dia-
lectica, & à *Platone*, & ab alijs Antiquis
dicuntur ſupra in definitione poſita initio
relatiua aliorum. vt duplum dimidij eſt
duplum, & ſeruus domini. illa vero re-
latiua, quæ non ſignificantur eo modo,
licet explicetur eorum reſpectus mediante
aliqua præpoſitione, vt mons magnus ad
paruū, ideſt, qui dicitur magnus reſpectu
parui, dicuntur *relatiua ſine caſu*, & ab
Ariſtotele in ſua definitione *ad aliud quo-* Ariſtotel.
dammodo ſe habere, quomodo etiam ſunt
pleraque relatiua, præſertim quæ modo
appellabamus *eadem* ex *Auguſtino*, & S. Auguſt.
Porphyrio, & ideo merito diximus ſupra
definitionem ab *Ariſtotele* traditam initio Ariſtotel.
quæſtionis vniuerſaliorem eſſe, & potio-
rem definitione illa alia Antiquiorum.
Secundo præmoneo ea nomina relatiua
omnia ſignificare extrema relata formali-
ter, & relationem extremorum formalem,
ſiue tranſcendentalem, ſiue prædicamen-
talem, iuxta, ſcilicet, extremorum refe-
ribilium conditionem. & ratio conuincēs
eſt; quoniam illorum quilibet terminus
Ita ſignificat extremum relationis alterum, 851
vt tale ſignificatum extremum neceſſario
nos manuducat in cognitionem alterius;
extrema autem hoc modo ſignificata, &
manuducentia, relatiua ſunt formaliter
prædicamentalia, vel tranſcendentalia,
ſecundum regulam generalem à Philoſo-
pho traditam in hoc capite *ad aliquid*, ap-
probatam ſupra ab *Auguſtino*, & *Boetio*,
& ab omnibus receptam pro dignoſcendis S. Auguſt.
relatis formaliter. & ſic eſt.
Quotieſcumque ita duo aut plura, ſe ha-
bent vt ſi alterum definitè, ac determinatè
ſciat, & alterum te ſcire definitè ſeu de-
ſterminatè neceſſe ſit, illa relatiua ſunt
ormaliter, idcirco relatiua omnia ſunt ſi-
mul in cognitione, & multa ſunt ſimu
natura, ideſt, ſe mutuo inferunt, ſe po-
nunt, atque interimunt; propterea deſu-
mens ex *Ariſtotele* dixit *Cyrillus Alexan.*
lib. 2. Theſauri capit. 3. poſt medium, Ariſtoteles
quæ ad aliquid ſunt ſiue relatiua *& natu-*
ra, & ratione, ſiue cognitione ſimul ſunt,
& alterum ex altero infertur, & ſicut vno
poſito alterum ponitur ſic vno interempto
alterum interimitur; vnde ſi cognoſcis
dominum, & ſeruum, cuius ille ſit domi-
nus neceſſario, & ſimul cognoſcis; Si Pa-
trem, ſimul cognoſcis filium, quaſi ratio-
cinando ſic, Pater hic eſt, ergo filium habet
eſt filius, ergo alicuius Patris; non eſt Pa-
ter, ergo non habet filium; & è conuerſo:
quando autem non ita, vt dictum eſt, ſe
habent extrema ad ſummum, & per abu-
ſum dici poterunt relatiua, ſimilia, vel
æqua-

aequalia, aut alio modo relata remote solum, & fundamentaliter; quatenus scilicet, habent potentiam, vt referantur formaliter; quomodo relati, & similes dici possent duo Angeli, quia videntur in se posse subiectare duas albedines pares in gradu in ordine ad similitudinem inde resultantem.

852 *Aristotel.* Tertio ad plenariam intelligentiam doctrinae circa relationes, praemonuit *Aristoteles* in capite *ad aliquid*, elucere non posse, neque à nobis deprehendi rerum multarum respectum in inuicem, & relationem, nisi ex res idoneis vocabulis nobis significentur, nempe termini tales debent esse, qui prae se ferant, & in fronte relatorum conuenientiam, vel disconuenientiam, & eorum mutuam, vel non mutuã dependentiam, atque vt ea, quae ad relationem, & habitudinem spectant, per se significent, & directe magis, quam alia, vti sunt *Dominus, seruus*, & quae affert *Aristoteles* in Logica, toto cap. *ad aliquid*. & in metaph. lib. 5. cap. 15. ab initio; & quae supra a nobis cõnumerata sunt, ideo autem ea vocabula sunt idonea, quia per se, & ex primaria intentione, & impositione, significant hominem habentem dominium supra seruum, & hominem habentem subiectionem alteri, neque praeterea significare curant an ij homines sint ambo nobiles origine sua, an Europaei, an nigri, an albi, neque huiusmodi alia, quae sunt aliorum nominum non relatiuorum significata: hanc Philosophi doctrinam commendant, & explanant cõmuniter Interpretes speciatim *Boetius in commentario*, & *Augustinus in ista Categoria*. *S. August.*

Quarto praemonemus non licere cuicũque fingere, aut componere iuxta suum sensum, Categoriam relationis, eam adornando praedicatis, proprietatibus, & alijs accidentibus radici, siue priori suae fictioni consentaneis, sed standum esse omnino *Aristotelis* doctrinae, quam illi diuinitus infusam credes, quando eam videris Scripturis diuinis valde conformẽ.

Aristotel. 9 Ethic. His ita suppositis quoniam *pulchrum vnicuique suum inuentum est*, & in materia praetenti forsitan prae tenuitate ingenij nostri, plus omnibus laborauimus, oro atque obsecro ne grauemini Lectores optimi, si solito diutius immoremur in re gratissima, & maxime vtili, nempe in fundamentis à nobis nouiter inuentis percensendis, quae sane singulari studio, & plusquam ordinaria diligentia, in primis fauente Numine, comperimus, & in subsequentem rationem adornandam attenuimus.

Altera pars Sectionis producit testimonia sacrae Scripturae, vbi Sectionis huius assertum demõstrari videtur, nempe Relationem modum physicum non esse, sed, quas dicunt, rationes fundandi.

NOua ergo ratio est, etenim per id res sufficienter inter se referuntur formaliter, sunt, atque dicuntur similes, & dissimiles, aequales, & inaequales, maiores, minores, priores, meliores, ditiores, potẽtiores, sapientiores, pulchriores, & caetera huiusmodi, per quod simpliciter asserunt eas referri formaliter, esse similes, dissimiles, & huiusmodi aliter, sacrae Scripturae, & SS. Patres; sed sacrae Scripturae & SS. Patres simpliciter asserunt res referri formaliter, esse similes, vel dissimiles inter se aequales, vel inaequales, & huiusmodi caetera relatiua dici per proprias essentias formas, & proprietates antiquas, & iam olim sibi innatas, omnino immemores, modorum istorum realiter de nouo pullulantium; ergo per illas referuntur sufficienter inter se res, atque formaliter. 853

Minorem demonstrant haec pauca sacrae Scripturae Testimonia, vt alia complura omittam; quae si considerassent aduersae partis Auctores, sine dubio modulos istos procul amandassent, quia cum Catholica doctrina cohaerere non videntur, sed tamen hoc eorum esto iudicium.

Primum Testimonium est illud Genesis 1. vbi dixit Deus, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. & factus est homo imago, & similitudo Dei trini, & vnius non propter aliquem modũ resultantem; sed tũ per propriam hominis substantiam rationalem, tum propter actus ipsius, vt late probat S. *Thomas* 1 p. tota q. 93. cum S. *Augustino*, tum etiam propter virtutes, ac dona gratiae, quę à Creatore donata sunt illi; per quae referente, & attestante P. nostro Theologorum Principe, & Apostolorum S. *Petro* in epistola 2. cap. 1 num. 4. *efficimur diuinae consortes natu-*

naturæ . vt optime inter alios explicauit *P.Granado* 1. 2. tract. 4. disput. 8. sect. 5. num.50.

854 Ita quoque explicauerunt verba illa Genesis multi alij SS.Patres videndi apud Interpretes sacros, præsertim nostros *Pererium*, & *Fernandez*. interim pro reliquis audite *Ambrosium* in tractatu *de Dignitate hominis* dicentem sic in cap.2.

Est Homo imago Dei; primo quidem, quod sicuti Deus vnus semper vbique totus est omnia viuificans, & gubernans; sic anima in suo corpore vbique ita viget viuificans illud, mouens, & gubernans; nec enim in maioribus corporis sui membris maior, & in minoribus minor; sed in minimis tota, & in maximis tota, & hæc est imago vnitatis Omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ quoque quandam S. Trinitatis habet imaginem. Primo in eo, quia sicut Deus est, viuit, & sapit, ita anima secundum suum modum est, viuit, & sapit, est quoque, & alia Trinitas in ea, quæ ad imaginem sui conditoris perfectè quidem, & summæ Trinitatis in se dignitates habet, idest intellectum, voluntatem, & memoriam, atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo.

Deinde idem Sanctus Doctor sic ordi-tut caput tertium libri eiusdem postquam declarauit cap 2. rationes, ob quas homo est imago Dei, *Nunc vero de similitudine aliqua intellige; sicut Deus creator, qui hominem ad similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus, & iustus, patiens, atque mitis, mundus, & misericors, & cætera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur, ita homo creatus est, vt charitatem haberet, vt bonus esset, & iustus, vt patiens, atque mitis, mundus, & misericors foret; quas virtutes quanto plus quisque in se ipse habet, tanto propius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem. si vero* (quod absit) *aliquis per deuia vitiorum, & diuertia criminum ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo, quod scriptum est; & homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis; qui maior honor potuit homini esse, quam vt ad similitudinem sui factoris conderetur, & eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus, & conditor, &c.*

Paulo breuius interpretatus fuerat antea locum eundem *Chrysostomus* Homilia 9. 855 distinguens enim imaginem à similitudine dixit. *Sicut imaginem dixit ob Principatus rationem, ita similitudinem, vt pro viribus humanis similes efficiamur Deo mansuetudine scilicet, & lenitate, & virtutibus Deo similes fiamus, iuxta illud Matthæi 6. Similes estote Patri vestro, qui in Cælis est*. consonat *Plato* de scientia ibi. *Deo similes pro viribus efficiamur, Deo similes efficit cum prudentia iustitia simul, & sanctitas*. Legat qui plura volet S. *Augustinum* in lib. de Cogn. veræ vitæ, capit. 32. in Enchirid. c.19.& 20. & alibi, & indicem *S. Thomæ* verbo *similitudo*. S.August. S.Thomas

Ecce sui imagines nos vocat Deus propter naturam rationalem, quam ab eo accepimus creatione; propter virtutes, ac dona sua, in quibus potissimum, & ex animo vult nos illi assimilari, idest vt addunt alij Patres, & communiter Sacrati Interpretes, imaginem gestamus in nobismet ipsis, & similitudinem Dei cum propter dicta, tum præsertim propter gratiam sanctificantem animis nostris inhærentem, quam vocant accidentalem participatam, ac separabilem Dei similitudinem, per Spiritum sanctum diffusam in cordibus nostris, per quam diuinæ naturæ consortes, & participes effecti propriè, & formaliter filij Dei adoptiui nominamur, & sumus. quam gratiam extollit *Eucherius* dicens, *illud est multo præstantius, quod Deo homo assimiletur per gratiam*.

Adnecte Testimonio huic illud illustrissimum Dei apud Ezechielem cap.28. 12. *Hæc dicit Dominus Deus, tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in delitijs Paradisi Dei fuisti*. quod ita exponit *Theodoretus* in sect. 11. *Tu es signaculum similitudinis ad imaginem enim Dei plenus sapientia conditus est homo rationis capax, & oratione instructus, pulchritudinisque corona*. lege ad idem propositum S.*Thomam* supra & S. *Gregorium Nyssen. Beatitudine* 6.& audi S. *Bernardum* decernentem nos similes Deo quidem esse per naturam quidem nostram, sed multo similiores

ftiores per supernaturales virtutes, in libro de vita solitaria ibi, *Hæc similitudo Dei cum natura & non voluntatis sit, nullius apud Deum momenti, nec meritis est, est & alia magis propinqua similitudo, utpote magis voluntaria, quæ in virtutibus consistit, cum scilicet gestit anima summi boni magnitudinem imitari in virtutibus.*

856 Nefas ergo est tenere nos esse imagines Dei, Deoque similes proprie, & formaliter non propter naturalia, neque supernaturalia dona, sed propter ignobiles quosdam pululantes modulos, quos pro reuerentia sacræ Scripturæ, ægre nomino, siquidem de fide est oppositum. Atqui sermonem in allegatis locis esse de similitudine formali; quam talem vocant Scholastici Doctores, certum est ex regula Philosophi initio sectionis huius statuta, & ex simplici, & germana significatione vocabulorum, quæ hic sunt *imago*, *similitudo*, *imagines*, *similes*, quæ nomina relatiua sunt, & significant relata formaliter. Quare *quisquis determinate nouerit probum virum, ac sanctum Dei imaginem & similitudinem gestantem, Deum simul, illico necessario determinatè nosse eundem necesse est.* si viderit hominis illius opera bona, glorificabit Patrem illius, qui in Cælis est: neque per illum blasphemabitur nomē Patris cælestis apud gentes, quæ, vel instinctu naturali ducente, ritè norunt, & colligunt ex mansuetudine, charitate, humilitate, & sanctitate, vel ex oppositis vitijs Sectatorum, Ducem eorum, & Magistrum; eius excellentiam vel ignobilitatem: non ergo sermo hic esse potest de fundamentali similitudine, quæ absolute nulla est, & per abusum sic dicitur; quia non est, sed potest esse, & quæ confitentibus supra in Sectione 1. aduersæ partis authoribus, non facit relata extrema esse simul cognitione, & natura, se ponere, & interimere, neque mutuo se inferre.

857 Secundum testimonium, quia iucundum admodum est, potes tu legere per otium in Genesis capitulo 27. 23. & videre curiosius an Patriarcha *Isaac* attrectauerit manibus suis aliquem modum similitudinis pululantem, existentem in manibus filij sui minoris *Iacob*, præ modi cuius vi, & similitudine, cæcus senex delusus crediderit *Iacob* esse primogenitum filium suum *Esau*, quando dixit *manus sunt Esau*, quod putauit testante Deo, *non propter aliud*, nisi propter chirotecas pilosas, siue hædorum peliculas, quas circumdederat sollicita *Rebecca* Mater manibus dilecti sui filij *Iacob*, propter quas solas dixit sacta Scriptura, *quod pilosæ manus similitudinem maioris expresserant*. vbi absque dubio tractat de similitudine actuali, & formali, tam propria, tam referente, tam recordante, tam inferente, quæ suffecerit fallere omnino Patrem *Isaac*, vel opinantem paulo ante per vocem, filium præsentem non esse primogenitum *Esau*, non autem de potentiali impropria, & solum radicali fundamentaliue similitudine, in nullius cognitionem inducente; sed de trahente, secundum regulam Philosophi, in notitiam alterius relatiui similis, nempe *Esau*.

Tertium Testimonium aptissimum inuenio in lib. Tobiæ capitulo 7. num. 2. vbi *intuens Tobiam iuniorem Raguel*, antequam illum agnosceret, *dixit Annæ vxori suæ; quam similis est iuuenis iste consobrino meo* (idest Tobiæ seniori Parenti); quod asseruit Raguel non quia oculis vsurpauerit aliquam modalem similitudinem pululantem ex vultu *Tobiæ* præsentis, sed quia videbat iuuenem in vultu, gestu, & oris lineamentis, & figura, assimilari *Tobiæ* consobrino suo, iuuenis Parenti; nempe propter illas proprietates, & partes Patri, filioque communes, quæ visæ in filio recordari fecerunt Parentis, ad quem filius per eas referebatur; Propter partes, inquam, in quibus maxime gaudent Parentes nos filios suos sibi assimilari, & quas describit eleganter, vt assolet cætera, Martyr *Cyprianus* in sermone secundo de zelo, & liuore ibi, *si hominibus lætum est, & gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad Patrem lineamentis paribus soboles successiue respondeat; quanto magis in Deo Patre lætitia est, cum quis spiritualiter nascitur, vt actibus eius, & laudibus Di-* 858

uina generositas prædicetur.

Quartum Testimonium perhibuit *Ioannes* dicens in Epistola prima capitulo 3. *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus, scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quasi dicat Euangelista (inquit vniuersitas Sanctorum, & Doctorum Ecclesiæ cum Tridentino tota Sessio. 6.) Charissimi fratres nunc filij Dei adoptiui, amici, & hæredes regni Cælestis per gratiam (*vnicam formalem causam* illorum effectuũ diffusam ab Spiritu sancto in animabus nostris, & eis inhærentem, nominamur, & sumus, non per aliud quidpiam modale, siue absolutum; sed quoniam adhuc viatores sumus, & peregrinamur à Domino, eumque per speculum, & in enigmate, idest sola fide obscura contemplantes; nondum apparuit quod erimus; delitescit adhuc abscondita in gratia ista, quam in vasis fictilibus habemus, veluti in semine glorificatio nostra, idest visio clara Dei, quæ cum apparuerit, per eam formaliter, actualiter erimus similes Deo, tanquam per rationem filiationis adoptiuæ formalem, consummatam, & tanquam per imaginem, ac similitudinem Dei perfectam.

859 Quinto Testimonio testatur Diuina Sapientia Deum multiplici relationum prædicamentalium genere referri ad creaturas; nempe esse pulchriorem, fortiorem, & cunctis Creaturis magis artificem, propter consummatam eius perfectionem, potentiam, & artem: quando incipit Caput 13. carpendo sic vanas Gentes. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes cognouerunt, quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut Gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt, quorum si specie delectati Deos putauerunt, sciant quanto his Dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit, aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt intelligant ab ipsis, quoniam qui fecit hæc fortior est illis; à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*, & supra Capit. 8. dixerat *quis horum quæ sunt, magis quam illa est artifex.*

Nota amice quomodo dicatur, & sit Deus speciosior cælo, sole, & luna, & alijs creaturis, & fortior vniuersis, & magis omnibus artifex, an putas per modulos re, vel ratione distinctos, à Deitate? absit, inquies, Deus enim incapax omnino est modulorum huiusmodi; & tamen, quod mirabile est, proprie, & formaliter refertur, vt longe superans creaturas suas ratione suæ speciei, & fortitudinis; sed parce quoniam non memini te ingenuè confiteri posse Deum referri formaliter erga Creaturas sine modulis, non vero has erga Deum, quod fateris Catholicè quidem secundum primam partem, quia dicit Deus Malach. 3. *Ego non mutor.* sed plus quam falso secundum partem secundam; quia dicit spiritus ipsius Dei, creaturas ad ipsum referri modo propter perfectiones, harum, modo propter imperfectiones, vt supra monstratum est, & apparet in apparatu sequenti.

Sextum Testimonium est ex capit. 40. Iob, vbi sic loquitur Deus cum seruo suo, *si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas? circunda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus, disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia, respice cunctos superbos & confunde eos, & contere impios in loco suo, absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam, & ego confitebor tibi quod saluare te possit dextera tua;* 860 quasi dixerit Deus vti bene nectit contextum cum Latinis ibi *Pineda*, ego confitebor tibi quod habes brachium simile Deo, & voce eius simili tones, & quod saluare te possit dextera tua, si virtutes, & gloriam, Triumphosque quæ enumeraui tibi, tutè assequutus fueris. nempe accesserit *Iobus* ad similitudinem Dei propter similes res gestas, propter similem gloriam, decorem, & triumphum, non verò propter modulos reales pusillos, futiles, inutiles omni-

omnino, & sufficientes vt fint rationes formales tantæ, & tam gloriosæ similitudinis: atque omnino non necessarij; vt præuie cognita *Iobi* fortitudine simili Diuinæ, feramur in notitiam fortitudinis Dei.

Cur autem Deus non soleat, nec debeat dici similis creaturis, optime docuit, vt alia, P. *Vasquez* 1. par disp. 166. c. 1. colligens ex S. *Thoma* quæst. 5. art. 3. ad 4. ibidem allegato, quia nimirum non ita commode, ac reuerenter dicat quis, dum

861 viderit Principis alicuius pictam imaginem ad viuum expressam, eum Principem esse similem imagini, sed è contra imaginem similem esse exemplari Principi; nisi forsan loquatur Hyperbolice adulaturus, vel nimium extollens manum præcellentem artificis, sic enim dicere solemus imago hæc non facta videtur ad similitudinē hominis illius, sed potius homo ille ad similitudinem eius factus videtur, sed dictio, vt dixi, metaphorica est, & quasi per exaggerationem vsurpata. adhuc tamen S. *Thomas* 1. par. quæst. 13. art. 6. cor. & quæst. 54 a. 12. c. & S *Gregor.* Homil. 19. in Euang. *S. Augustin.* tom. 10. sermon. 38. de verb. Domini in Ioan. S *Max.* Hom. 43. dicunt Deum similem esse creaturis.

S. August. l. 2. Solil. c. 6. 10. 1.

S. Thomas

S. August.

Septimo, & vltimo Alumne veræ Sapientiæ interroga Diuinam veritatis Magistram, & ipsa demum indicabit tibi rationem formalem, ob quam non iam res naturales, aut quasi naturales similes sint factori suo; sed item res artificiales assimilentur suis Archetypis: ausculta, & audi vocem eius in suo capit. 13. ita loquentis. *Si quis artifex faber de sylua lignum rectum secuerit, &c. & lignum curuum, & vorticibus plenum sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis, aut alteri ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo est perliniens.* Disce, ô Philosophe, & crede discens, imaginem quampiam prototypo assimilari suo formaliter, non per reales resultantes modulos, sed tum propter formam, & figuram, tum propter colores, siquidem ita te docet Diuina Sapientia, nempe propter illud, quod præuie cognitum in statua rite elaborata, & coloribus iam linita, te manuducit in cognitionem archetypi, quod, videlicet, in causa est, vt statua, & exemplar sint simul natura, & cognitione, se mutuo ponant atque interimant, id quod sine dubio sunt figura, forma, & colores etiam seclusa quolibet inuisibili pullulanti reali, aut ficto modo,

SECTIO V.

Falsum continet esse responsum quod solum afferre possunt Assertores modorum realiter pullulantium, monstrando id videri contra Fidei veritatem; vbi Relationem non petere termini actualem existentiam sacra Scriptura indicat euidenter.

Magistri nouiores fortasse audebunt respondere dicentes sacram Scripturam & SS. Patres loqui de similitudine, & alijs relationibus formaliter, vt bene monstrat regula Philosophi ponderata toties, & applicata; sed vero extremorum, quæ ab Scriptura enumerantur, relationes exerceri fundamentaliter solum per eas rationes fundandi, per eas formas, & proprietates, quæ ibi assignantur, & de quibus explicita mentio est; formaliter autem, & tanquam per rationes formales referendi aliquando exerceri per modulos quosdam realiter nascentes ab eis formis, proprietatibus, & rationibus fundandi, aliquando per respectus superadditos rationis, nempe iuxta capacitatem referibilium extremorum. 862

Responsio hæc gratis, & sine fundamento exhibebitur, si tamen ab aliquo lectis, quæ supradicta sunt, exhibeatur: primo, quoniam eo modo respondendi multum derogatur nostræ naturæ rationali, Gratiæ Dei, & Visioni Beatæ, & alijs virtutibus, quando ea afferuntur non esse formales imagines, & similitudines Dei neque sufficientes ita referre, ac præ se ferre similitudinem Dei, vt ea tam pretiosa dona habentes reddant simul natura, & cognitione cum Deo, quod non est conforme sacræ Scripturæ, nec *Matt.* c. 5.

dicent: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est*, neque Concilio Tridentino.

863 Quocirca ratio formalis adoptiuæ filiationes temere denegatur gratiæ, & visiori, vt intrudatur animis nostris nescio quæ modalis similitudo repululans ex anima, ex gratia, & ex visione Dei, mediante qua similes Deo, & eius filij, & hæredes nominemur, & simus; nec iam per naturalia, vt supra contestabantur SS. PP. nec per dona supernaturalia, neque per quid pertinens ad prædicamentum substantiæ, & qualitatis, Dei similes fiamus, neque, vt tales ad ipsum referamur: perinde namque est Dei similes fieri, aut esse, atque ad eum referri vt similes, vt euidentissimum est, id enim refert formaliter extrema quælibet, quod ea facit esse simul natura, aut cognitione, id quod habent extrema superius enumerata; idoneis terminis quod præcipit *Aristoteles* supra num. 852. significata, ante quamcunque relationem rationis Vnde patet responsio contra relationes, & appen dices fictas inutiliter superadditas ab intellectu modernorum.

Secundo responsio reijcitur; quia aduersatur simplici modo loquendi sacræ Scripturæ, & adiunctæ explicationi, & doctrinæ Patrum. Testimonia enim sacræ Sripturæ, perfecte, & in proprio sensu intellecta sunt à SS. Patribus, & Interpretibus sine mentione, aut recursu ad modos distinctos ab extremis relatis, vel ab eorum rationibus fundandi, quæ sunt extremorum proprietates, formæ, aut quasi formæ, per quas inter se conueniunt, aut differunt, faciunt, aut fiunt, mensurant, aut mensurantur, & consequenter referuntur inuicem formaliter; & sane, vt ante me aduertit P. *Vasquez* tom. 2. in 1. par. disput. 173. cap. 4. num. 12. nescio quo fundamento Moderni vocarunt tres rationes fundandi relationes, quas vocauit *Aristoteles* 5. metaph. cap. 15. relationes varias, siue tria relationum genera.

Aristotel.

Tertio sustineri non potest illa responsio, salua veritate cuiusdam asserti Recentiorum, & fidei: etenim in alijs testimonijs Sacræ paginæ asseruntur extrema formaliter relatiua, in quorum neutro potest inhærere modus iste; quoniam vel ambo extrema, quæ ab Spiritu sancto referri dicuntur, actu non existunt, vel saltem alterum eorum non est; nempe quia subiectum, vel terminus destructus, vel natus nondum est; Recentiores autem relationes prædicamentales negāt inter extrema, quæ actu ambo non existunt; an bone iure negent, & an non solum contra *Aristotelem* allegatum supra sect. 3. par. 1. & allegandum infra sect. 6. sed etiam contra Spiritum Dei, Vos eritis Iudices Auditores, & Lectores mei, postquam testimonia subsequentia videritis, quibus Diuina Sapientia importuno huic responso satis opportune occurrisse visa est.

Primo verti me ad alia, dicit Ecclesiastic. in cap. 4. à principio, *& vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & laudaui magis mortuos, quam viuentes, & faliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus est; nec vidit mala, quæ sub sole fiunt*. nota extrema relatiua, quæ hic sunt ex vna parte, *qui nondum natus est*; ex altera *sunt mortui, & viui*. vbi tu vis inhære modos tuos, vt ea extrema referantur formaliter, atque dicātur ad Cōuerrentia, vt sine dubio dicūtur? nullibi inquies esse possunt, nō est vbi figātur pedes eorum; & tamē sine illis habebitur integrè, & perfectè relatio prædicamētalis *maioris faelicitatis*, quia Deus eā haberi testatus est; ea autem exercebitur per id, quod facit fæliciorem hominē nondum natū cæteris; de quo fusè, & vere P. *Pineda* in sua eius loci Commentaria digressione. 864

Secundo audio Deū in Paralipome c. 1. 12. *Salomoni dicentē, Sapiētia, & sciētia data sūt tibi; diuitias autē, & substantiā, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui*. Ecce *Salomon* est, ac dicitur à Deo ditior, gloriosior, sapiētior, & in eis donis dissimilis omnibus regibus antiquis iā mortuis, & posteris nondū conditis; ergo extrema referūtur, sūt similia, dissimilia, & huiusmodi cętera relatiua formaliter propter formas, aut quasi formas suas; modus ergo pululās ad munus formaliter referendi superfluit.

Tertio audiendus est, Apostolus in principio Epist. ad Hebr. scribens. *Diebus istis loquutus est nobis in filio, quē cōstituit hæredem vniuersorum*. Hæres ergo est, ac verè dicēdus Chistus Dominus nō solū præsentiū, sed etiā futurorum bonorū, & quę nondum sunt, ad quæ pari modo formaliter 864

refer-

refertur, imo veró specialis hæc relatio hęreditatis termini sui saltem alterius præsétiam quodammodo excludit, vt patet contemplanti *Hæreditatis, Hæredisq.* definitionem: etenim *hæres dicitur qui successurus est in bona Patris*, & proprius, *qui succedit iam in bona defuncti, cuius dicitur hæres*: nam in rigore Iuris nullus dicitur propriè hæres hominis viuentis, vt notat P. *Sāchez* lib. 2. in Decalogum c. 14. n. 4. quia vt ipse Pater aduertit lib. 1. de mat, disp. 6. num. 6. *hæres personam defuncti repræsentat*; quāuis negari non debuit vulgo dici etiam hæredem filium v.g. Patris viuentis, siquidem legimus in Matt. 21. n. 38. conuenisse inter sese malos illos agricolas, atq. dixisse, *hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem*, & tamen iste erat filius Patris familias tunc viuentis. de hoc tamen consulendi sunt Iureconsulti, quorum vnus est *Ioannes Bracherus*, qui sic loquitur ad legem 24. *nihil aliud est hæreditas, quam successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit*. quare quidam homo dicitur proprijssime hæres defuncti cuius bona iam possidet, licet dici etiam posset hæres hominis viuentis: vbi item aduerte obiter relationē hæreditatis quasi tria extrema importare nimirum filium, Patrem, & bona Patris.

Rursus certa fide tenendum est esse complures relationes reales prædicamentales, quæ ex peculiari sua natura exigunt terminorum absentiam, siue non existentiam. tales sunt quæ fundantur, siue coalescunt ex temporibus, *antiquo, & nouo*, ex aliquibus *prioribus, & posterioribus*, ex *successoribus*, & *antecessoribus*. & ex huiusmodi. nam antiquus, vel antiquum respectu nouioris, prius, posterioris, & successor, antecessoris alicuius dicuntur, & sunt. id quod & pater lumini naturæ, & scriptum inuenies passim in sacris Scripturis; Vide Concordantias ad illa verba *supra lineata*, & speciatim *Psalm.* 43. & 76. *Sapien.* 11. *Ecclesiast.* 9. & 46. *Matt.* 5. *Ruth.* 3. & 4. *Isaia* 46. & 55.

Sed prætereunda non fuit relatio *testamentum* dicta, de qua dixit Apostolus ad Hebr. 6. *Vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*. testator debet mori, vt illud vim suam sortiatur.

866 Atque id ipsum cernitur in alijs relationibus fundatis, seu coalitis ex *mensura, & mensurabili*, quas putant Moderni prædicamentales item esse, nimirum, quæ fiunt ex desiderio, & re desiderata, ex spe, & re sperata, siquidem eiusmodi res vt desiderentur, & sperentur, non debent esse præsentes.

Quarto *Ecclesiasticus* cap. 30. num. 4. *mortuus*, inquit, *est Pater eius, & quasi non est mortuus similem enim reliquit sibi post se*. Vide quomodo filius Patri defuncto similis adhuc dictus sit, & fuerit tam formali similitudine, vt quisquis filium nosset, & Patrem nosse necesse fuerit, ita quod is filius dicere potuerit, *qui videt me, videt & Patrem meum*, quia scilicet, propter similitudinem mutuam ego, & Pater vnum sumus simul natura, & cognitione. nos etiam Hispani vulgari nostro sermone veritatem hanc confiremur, dum dicimus: *Tiene esse niño la misma cara de su Padre, que este en gloria, y bien aya quien alos suyos Parece. Como se echa deuer eubisse buena criāza, Buenos Padres etc.* & simili, modo loquimur de Bestijs: quod adnoto, vt si forsan recorderis Parentē pueri illius viuere, & existere adhuc secundum animam, quamuis nec recordatio est ad rem, quando agitur de similitudine secundum corpulentam substantiam, formam, figuram, & colores, aut mores, quæ omnia quasi in nihilum abierunt.

Quinto auscultandus est Elias, quando lepidè illudebat lib. 3. Regum cap. 18. numero 27. Prophetis Baal Idoli dicens. *Clamate voce maiore, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur. Voce*, inquit, *maiore* vocibus, videlicet, iam præteritis, quibus illi inuocauerant *nomen Baal de mane vsque ad meridiem dicentes, Baal exaudi nos*. clamabant ergo Prophetæ illi *voce magna*, & *maiore* præcedentibus iam destructis, quæ tamen ad eas tanquam ad terminos formaliter relatione prædicamentali *maioritatis* relata fuit. Etenim si vox maior est, respectu alicuius vocis minoris maior est, & è conuerso. Subnecte huic testimonio illud Sapientiæ 7. numero 3. vbi alter ille sic loquutus est, *& ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans*, refer- 867

tur hic vt similis vox huius infantis denuo nascentis ad voces reliquorum omnium, qui nati fuerant, quorum pleri- que iam mortem oppetierant, & tamen per modos pululantes referri non potuit, siquidem ad eorum pululantiam, terminorũ præsẽtia necessario postulatur. oportuit itẽ hic tantũ adnotasse, ne simus Longiores, pleraque, aut multa gesta legis antiquæ fuisse figuras, & adumbratas imagines, vel similitudines futurorum mysteriorum legis nouæ, quæ proinde illa concernebant & referebant ex diuina institutione. lege ad illud 1. Corint. 10.11. *omnia in figura contingebãt illis. Iustinianum, & Cornelium.* vbi *Augustinus, & Vasquez*, crede scripturis ergo, & non Philosophis istis.

S. August.

SECTIO VI.

Producit rationes pro nostra sententia, & aliorum censuras circa sententiam modulorum pululantium.

SVffragantur veritati fidei rationes naturales, prima est. etenim extrema complura sunt relata formaliter, & quæ propterea sunt simul natura, & cognitione, se ponunt, atque interimunt, tum Physica entia, tum moralia, siue habentia morales rationes fundandi, licet eorum alterum nõ existat. ex relatiuis Physicis sum Ego, & Antichristus, & Adamus, & Tu; & ita referimur *sum prior Antonio, qui est vel erit. tu es posterior Adamo, qui est vel fuit.* & ChristusDominus verè est, & dictus est *Filius Dauid, qui fuit. Pater futuri sæculi, princeps pacis*, quæ sunt vel erunt iuxta regulas ampliationis, expositas supra n. 308. ego item distinguor à quolibet ente per meam differentiam formaliter, vt doctores graues opinantur cum Porphyrio c. de differentia, vel adsummũ per negationem, qua non sum idem cum alijs, vt allj volũt. nullus autẽ eorum, quod ego viderim, fecit mentionẽ moduli alicuius distinctiui relatoris, at distinctio relatio quædam est formaliter, vt quoq; notat *Fasol.* 1.p.q.4.a.2. n.119. & *S.Thom.* in 4.d.4.q.5.ar.5.c. atq; oppositio specialis relatio est indistincta ab extremis oppositis, vti tradunt cum *S.Tho.* 1.p.q.42.a.1.ad 4. eius interpretes.

S.Thomas.

Ex moralibus sunt Rex, Vassalli, Prorex, 868 Proprietarius, Vicarius, Coniuges, Compatres, Tutor, Curator, duæ voces significatiuæ similes, inter se, vel rei alteri, quoniã vt aiebat sup. *Arist.* l.1 *Prier.* c.1 *nomina ipsa Aristotel. Verbaq. ei conceptui, qui sine cõpositione, diuisioneq. est, similia sunt*; ab eiusmodi autẽ extremis moralibus certũ est nõ posse physice enasci Physicos, & reales modulos; & tamẽ, vt euidẽs est, sublata quauis fictione intellectus, formaliter referũtur inuicẽ, se ponũt, atq. interimunt, sũt simul natura, & cognitione. ergo Relatio prædicamentalis habetur sine modulis. nec proficit respondere Modernis, pleraque ex dictis esse liberos Contractus, & entia quasi artificialia, & moralia, vnde nasci nõ possunt modi physici Relatores formales; primo, quia contractus liberi etiã sunt, & fuerunt entitates physicæ, & naturales, ac per se referibiles, siquidem terminus *Contractus* non significat modulos istos, sed mutuos consensus contrahentium. Secundo, quoniam illa omnia entia collata inuicem referũtur multifariã sine modulis, vt apparet applicanti definitionẽ Philosophi, & eius certã Regulã pro cognoscẽdis relatis formaliter.

Secunda ratio est desumpta a paritate in hunc modum. totæ tres Personæ Diuinæ formaliter coæternæ sibi sunt, & eo æquales, & Filius Dei similimus Patri: & aliũde tres ipsæ Personæ Diuinæ inter se referuntur, vt distinctæ, & oppositæ realiter, per suasmet perfectiones relatiuas, & reales proprietates, non solum, fundamentaliter, sed etiam formaliter sine modulis realiter aut ratione distinctis; ergo similiter referũtur alia quæuis extrema per proprietates suas. antecedens certum videtur & traditũ à *P.Ruiz* de Trin. d.103 cũ *S.Thom.* 1.par. q.42.a.1.ad 4. & alijs multis, quibus addo *Amicũ* 1.p.d.19.sect.1.n.17. & Magistrum meũ *P. Espinosa*, qui me docuit cũ grauib⁹ Iunioribus *similitudinẽ & æqualitatẽ*, quã Personę Diuinę habent in Personalitatibus esse realẽ, & indistinctã a relationibus ipsis, sicuti reales esse dixerunt relationes oppositionis, & distinctionis *S Thomas* supra & Interpretes eius omnes.

S.Thom.

Tertia ratio. Deus refertur ad creaturas, vt illis maior, antiquior, fortior, dissimilis, & inęqualis sine modulis, per innatã sibi supremam in omni genere excel.ẽ.iam; ideo

S Tho-

S.Thom. S.Thomas Opusc.63.S.3. sic de Deo loquitur, *qui cum omnibus praesideat maiestate, omnibus subiicitur humilitate; quasi sit seruus emptitius singulorū*; ergo Creaturę referuntur vicissim erga Deum, vt minores, nouiores, infirmiores, & omnino dissimiles, & inaequales sine modulis, per innatas imperfectiones. Probat cōsequentiā *Athanasius* in symbolo dicens de Christo Domino, *aequalis Patri secundū diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem*. Similiter sumus nos minores Deo, nempe secundū, & propter nostras naturas abiectae cōditionis, atq. seruilis, sine recursu ad modales entitates, vel alias appēdices rationis & ita sūt reliquae creaturę Deo inferiores.

869 Non proficiunt, qui dicūt praefatas Dei relationes erga creaturas esse relationes rationis. primò, quia sine fictione intellectus dantur à parte rei, & earum extrema conuertuntur. secundò. quia simili fundamento dici potuit eodem modo posse referri *S.Michaelem* erga alias creaturas, nempe relationibus rationis, sine alijs modulis; quare dicendum est firmiter in Deo existere praedictas relationes; quia nihil derogant diuinitati, vtpote quae, nec vel moduli sunt, aut quidpiam à Deo distinctum, quod possit ipsum immutabilem immutare.

Quarta ratio ab hac speciali paritate desumitur. Etenim inter causam, & effectum intercedit vera relatio formalis trāscendentalis à parte rei sine modo, re, vel ratione distincto, ergo similiter erit sine modo realis relatio formalis praedicamentalis. patet cōsequentia; ideo enim relatio illa est, ac dicitur formalis, quia per illā extrema referuntur ita, vt sint simul cognitione, & quodlibet eorū ducat in cognitionē alterius, se ponant ambo, atq. interimant mutuo; sed similiter se habent extrema relationis praedicamentalis, secluso quouis modo, vt supra toties ex *Aristotele*, & SS. Patribus monstratum est; ergo sine eo sunt relatiua formaliter.

Quinta ratio cōflatur ex multis. etenim primo, per id debuit formaliter esse Petrus similis Paulo, per quod est Petrus in se, sicut Paulus, vel etiam talis, qualis Paulus; sed Petrus est sicut Paulus per tres gradus albedinis vtrique communes; ergo per eosdem est Petrus Paulo similis formaliter. Secundo, vnus exercitus est similis alteri, vel dissimilis, & sic maior, vel minor, fortior, vel debilior altero, sine modulis, vt manifestum est: rursus numerus ternarius equorum maior est binario equorum, sine modulis; quoniam ij oriri non possunt ab extremis, cum ea sint entia per accidens, & adunari nequeant ad illos modos producendos, dicunt Iuniores in consequenter, entia per accidens referri in inuicem se ipsis, entia per se non item: infero ergo relatio praedicamentalis saluatur praecisо quocunque modulo.

Tertio particeps ego sum, & compellor, bonorum, quae in Ecclesia Dei, vel domo mea sunt propter portionem, quae mihi contingit, non propter modulum, atque Ecclesia dicit de Christo, *qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps*, ratione naturae, quam assumpsit verbum Dei. Quarto trinitas, vel alius quilibet numerus, aut multitudo, quae sunt quaedam relationes, formaliter sunt atque constituuntur per plures, pauciores ve vnitates, quod si homines duo dicuntur, aut tres per vnitates duas, vel tres; quid ni dicentur conuenientes, & similes per pares essentias, aut pares in gradu albedines? Quinto, amicitia est mutuus amor. & inimicitia mutuum odium. ergo amicus formaliter, & inimicus dicitur quilibet non per modulos. antecedens est *S.Thomae* 22. q.23. a.1.c. *Aristot.* ibi *S. Augustini.* lib. de amicitia cap.10. & commune assertum. Sexto, quia fortior est Gigas pigmaeo per vires maiores. & *ditiores* alijs *efficimur*, ait *Aristot.* 1.Reth.cap.5. *non solum rerum accessione, sed etiam expensarum attenuatione*, apage tu modulos, & caute notet Modernus, vt *P.Hurtado*, *Arriaga*, & nostras rationes penetret, denominationes *tacti*, *proximi*, *maioris*, *sanctioris*, & huiusmodi, non esse absolutas, sed relatiuas; quod si aliquam ex eis concesserit haberi sine modis, conuictus erit.

Aristotel. S.August. S.Thomas

Aristotel.

870

Sexta ratio efficax sumitur à naturali hominum lumine, & instinctu: etenim vel rusticani homines optime cognoscunt, quae relatiua sunt formaliter, & ipsis vtuntur ad acquirendum suas rerum notitias, & experiētias, quando praesertim ita procedunt quasi ratiocinando cum suis amicis, & coaetaneis, & si opus sit suarum ratiocinationum, & propositionum rationes, & fundamenta reddendo. Heus,

inquit eorum Quidam, Antoni, qui diceris esse Castellanus, tecum loquor attende, vidisti quam similis est tuus iste compatriota fratri huic meo, aduerte vtriusq. corpus, motus, & incessum, vultum & oris lineamenta, porro non tam ouum est, ouo simile, vterinos appellasses, si eos nō cognouisses. Pater meus, inquit alter, fuit multo fortior, & corpulentior, quam ego, habebat enim in brachio vno solo plus carnis, & molis, quam habeo ego, qui non sum omnino macer, in corpore toto.

Alter inclamat ingeminando victor victor bos noster fortior est, quam vester, videlicet propter neruosam soliditatem membrorum, & induratam frontem. ille est Herus ecce iam appropinquat, ait alter, Heus Niger, Famule iam adest Dominus, quia, scilicet emit nos, vel certè conduxit. Agricolæ autem, & sapientiores inter eos, inter se non semel altercantur disquirentes, quod tempus magis opportunum sit sationibus, insitionibus, & lignorum, trabiumque sectionibus, & aliquando in varias opiniones diuiduntur, alij tenentes vnum mensem, alij alium esse commodiorem propter quasdam rationes, & speciales influentias solis, & lunæ ijs mensibus contingentes, quas ipsi benè experiuntur, & allegant.

871 Denique generaliter omnes norunt quod quidquid simile est alicui simile oportet esse; quisquis dominus, æqualis, ditior, propinquior, & cætera huiusmodi, respectu alterius talis dicatur, & fit, atque ea relatiua, vt sunt in se cognoscunt inscij modulorum attenti solum ad vnitatem, & numerum, siue ad rationes conueniendi, & differendi, propter quas seclusis modulis, sunt apud eos relatiua extrema simul natura, & cognitione, se ponunt, & perimunt. Vnde si Rusticanos hosce velis corrigere docendo eos, aut persuadendo eis, vt credant se falli, ac res, quas vident alijs similes, maiores alijs, & inæquales, &c. referri ad inuicem, non propter conuenientias, habitudines, & differentias illis pernias, sed per quosdam inuisibiles modulos, propter quos sunt extrema simul natura, & cognitione, merito rident, & irrident. *Y piensan con mucha razon que les dicen bernardinas*; & respondebūt animosiores dicentes, nos quidem quantumuis literas non didicimus, neque scholas adiuimus, scimus tamen relata omnia referri ad inuicē, ac respicere sese, inter se conuenire, vel differre propter suas proprietates, similes, æquales, vel inæquales, & se excedentes, in quibus, & propter quas illa sunt paria, aut imparia, sine modali isto adserto, aut inserto indicio: quod nunquam vidimus, neque audiuimus neque necessarium putauimus, *ni lo echamos menos*, vt cognita re vna relata, illico simul in cognitionem correlatæ rei veniremus.

Quare si modulos ponitis, ò Philosophi, vt res referantur, & aliæ indicent alias ad quas habēt habitudinem, superfluè ponitis, quia nos experimur sine modulis eas referri. & ideo si vera nos docuit quidam antiquus Philosophus, qui, si male non meminimus, à vobis dicitur *Aristoteles, non oportet fieri per plura, quæ possunt fieri per pauciora*. Maneat ergo stabilitum, rationes fundandi, & relationes differre solum Grammaticaliter, idest solum secundum nomina, easque esse rationes vltimas formales referendi; siquidem ita docuerūt *Aristoteles s. Thomas* SS. alij PP. & quod caput est *sacra Scriptura*, quibus subscribit lumen naturæ.

Nec soli rusticani homines rectè norunt stare relationes v.g. similitudines plures sine modulis, sed Bestiæ agri veras, ac formales similitudines, & relationes alias apprehendunt; etenim ad animantia omnia se extendit illud prouerbium desumptum ex *Eccles.* 13. & ex *Aristotele* 8. & 9. Moralium, *simile appetit simile, simile simili amicum*; quia *similitudo est mater amoris*, quo mutuo se omnia diligunt. vide in primis nostrum *Octauianum Tufo* ad locum *Ecclesiastici* c. 13. vbi plura cōgerit; & apud *Plutarchum* istos senarios. 872

Senis senilis lingua iucundissima est.
Puero q. puer, & mulier apta fœminæ.
Aegrotus itidem ægroto, & in malis situs
Exercito malis placet, atque cōgruit.

Lege deinde quod adducit *Diogenes Laertius* ibi, *Canis cani videtur pulcherrima, & bos boui, & asina asino, & sus sui*; quia, videlicet, vnumquodque horum animalium videt sui imaginem, & similitudinem. *& ideo*, vt ait S. *Thomas* 1. 2. quæst. 28. art. 3. cap. *affectus vnius* ten-

tendit in alterum, sicut in vnum sibi ob vnius formæ similitudinem, quę, vt ait supra Philosophus, *est mater amoris*. Hęc ergo est, non modulus, sed forma, & figura, & consimilis color, qualitas nempe, & quantitas, propter quæ animantia omnia ductu naturæ se norunt mutuo, se amant, ac redamant; nā dum vident sibi similia, sine dubio sui recordantur, & continuo illa vt agnata, & sibi commoda amant. huius autem recordationis, & amoris qualiscumque causa nequit esse modulus relatorius, qui à Brutis capi nō potuit.

Rursus ouis fugit lupum, quia illum sibi nociuum imaginatur, & ideo lupi vicinitas facit ouem recordari sui interitus, non verò modulus relatiuus assertus; atq. Gallus cibo reperto, Gallinam vocat; & Gallina pullos suos, quia ille illius, & hæc istorum recordatur viso cibo, vt illis commodo. id quod fit sine modulo realiter, nedum ratione distincto, vt manifestum est; ergo relatio nulla potest esse modus, Vltimo probatur nostra sententia ex impugnatione contrariæ, vt leges infra à n. 917. *Aristotel.* sed & hic nota *Aristotelem* dixisse oculos discernere multas relationes formales. 2. Metaph. cap. 2.

873 Censuras ferre cōtra sententiam modulorum realium neque mei muneris est, nec potestatis; eam tamen *P. Suarez* semper modestissimus allegatus in metaph. dis. 47. sect. 2. num. 2. censet *nullum habere fundamentum satis probabile*. atque *Basilius Ponce* vir apprime doctus ait *esse conclusionem debili innixam fundamento, & quam defendunt alij post alios euntes, sine accuratiori examine*. *P.* item *Lorinus* in Logica de relatione quæst. 4. §. 2. eam ait *satis absurdam videri*, ego verò dico primò, mihi videri de fide esse illas speciales relationes, de quibus mentio fit in locis sacræ Scripturæ à me allegatis, & in alijs multis locis, præsertim Euangelicis, vbi regnum cælorum varijs rebus simile perhibetur, non exerceri formaliter per modulo; sed per rationes, & res ibi non obscurè indicatas ad Spiritu sancto, secūdum planam intelligētiam, & explicationem Conciliorum, & SS. Patrum.

Legatur ante alios PP. S. *Gregor.* Homil. 11. in Euangel. tractans illud *Matth. Simile est Regnum Celorum thesauro*. vbi euidenter docuit res referri formaliter, vel quod idem est, esse simul cognitione, & nos ducere in aliorum cognitionem, per similitudinem, quæ modulus non est, sed vel ipsæ res per se, vel per proprietates, quas ab initio innatas habent ipsæ referendæ res. præsertim quando dixit terrena hæc visibilia rapere nos in cognitionem inuisibilium. moduli vero relatores inuisibiles omnino sunt, ideſt oculis videri nō possunt, & sic neque ad similitudinem, quam ibi exponit S. Doctor, pertinent, neque ad aliam quampiam relationem necessarij videntur.

Dico secundo has duas propositiones esse fidei consonas, prima est, *omnis relatio exercetur formaliter tanquam per rationem formalem referendi vltimam per rationes, quas vocant alij fundandi*. secunda est, *nulla relatio exercetur per modulos realiter distinctos, à fundamento quemadmodum à Recentioribus asseritur*. quorum fundamenta diruere incipiam.

SECTIO VII.

Refert Doctores, qui tenuerunt Relationē esse modū realiter distinctū à fundamento; & diluit eorū fundamenta desumpta ab authoritate Aristotelis, & S. Thomæ.

Magistri aliquot recentes sequuti bonos Authores, quales sunt *Caietanus* 1. par. quæst. 28. art. 2. *Molina* ibidem quæst. 13. art. 7. Corp. *Rubius* hic quæst. 14. *Aquarius* 6. metaph. *Arrubal* 1. par. quæst. 28. art. 4. disp. 99. cap. 2. *Fasoli* 1. par. quæst. 13. art. 7. numer. 5. *Tannerus* 1. par disp. 4. quæst. 3. dub. 1. num. 4. *Zuniga* tract. de Trinitate qu. 28. disp. 3. dub. 2. num. 3. *Albertinus* tom. 2. quæst. 6. ex prædicamen. relat. numer. 8. *Granatus* 1. p. controu. 5. tract. 3. disp. 5. sect. 3. num. 25. *Aegid Lusit.* lib. 5. q. 13. art. 2. §. 3. num. 35. *Murcia* cap. de relat. disput. 1. quæst. 5. *Didacus à Iesu* dis. 14. 1. par. quæst. 4. *Massius* hic sect 2. qu. 2. *Sedeñus* lib. 5. Logicæ quæst. 28. *Zanardus* 5. metaphys. lect. 18. *Flandria* qu. 16. art. 28. *Breeanus* inclinat. 1. par. tractat. 2. cap. 2. quæst. 2. num. 3. & referuntur pro eadem sententia *Capreolus, Deza, Bachonus, Palacius, Ferrara, Sotus, & Bañez* 874

1. par.

1.p.q.28.ar.2. dub.2. P. *Amicus* in Logica tract. 15. q. 5. dubio 2. art. 1. fauent *Fonseca* 5. metaph. c. 15. q. 2. sect. 5. *Vallius* in logica, q. 3. c. 2. *Racenis* ibidem tract. 2. sect. 2. q. 3. ar. 4. memb. 5. licet hi tres relationem distinguant ex natura rei, sequitur *Collegium Complutense* in logica disp. 54 de relat. q. 5. § 51. & ibi *Ripa. Gonzales. Araniuz. Bruxelens. Gallego. P. Alarcon.* 1. p. tract. 1. disp. 5 cap. 4 nu. 4. *Castelui*, disput. 5. dub. 4. cum *Sala*, & *Blanche*.

Authumant relationem prædicamentalem esse quoddam modale accidens dimanans à subiecto referendo, cui inhæret, & in eo per ipsius subiecti veram, & intrinsecam mutationem productum ad præsentiam termini; Vnde si petas à Recentioribus istis, quid sit relatio similitudinis, v. g. inter me, & hominem in india modo natum? Respondent non esse nostras similes, & communes naturas, nec consimiles figuras, nec pares in gradu albedines, sed quosdam modos superfluentes, de nouo pululantes in illo Indo, & in me; quod non verentur asserere contra Philosophum SS. Patres *Thomam*, & *Anselmum*, qui tam expresse dixerunt esse me illi homini similem, nulla in me facta mutatione, vel nulla rei, aut modi in me productione, sed extrinseca solum illius hominis cum paribus accidentibus, natiuitate, & creatione.

Aristotel. S.Thomas.

875 Deinde si interroges, quæ sit ratio formalis filiationis adoptiuæ, qua filij Dei nominamur, & sumus; & quæ sit ratio formalis similitudinis, & imaginis, qua sumus, & nominamur Dei imagines, & eidem similes? Respondere fortasse audebunt, si dictis audeant stare suis, eas rationes formales formaliter, non esse gratiam sanctificantem de genere qualitatis, neque naturam humanam nostram rationalem, neque virtutes, neque visionem beatam; quoniam ista pretiosa dona dicent consequenter ad suam opinionem, esse solum similitudines fundamentales, & improprias, filiationes remotas, & quæ absolutè nomen formalium similitudinũ, & filiationum non merentur, sed solum secundum dici, aut de nomine; similitudines enim, & filiationes Dei formales, & propriæ, inquient, sunt quidam modi pululantes nostris animabus adhærescentes, distincti ab eis realiter, & essentialiter, & à virtutibus, ac donis pretiosis Dei, per quos eius Filius *humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps*; & nos *efficimur diuinæ consortes naturæ*; *sumus Filij Dei*, & *hæredes*, *cohæredes cum Christo*; & in via *communionem habemus in Regno eius*, idest, Ecclesia, & in Patria *comparticipes erimus Regni Cælestis* nobiscum, & cum ipso Christo.

Quæ Responsio quam conformis sit S. Scripturæ, Concilijs, Patribus, & Scholasticis, ipsimet Magistri doctissimi erunt Iudices æqui, bonique. Ego planè credo firmiter rationes formales, quæ præbent eiusmodi denominationes relatiuas, esse non posse istos modulos inutiles, sed in primis Humanitatem assumptam à Verbo nostræ similem; Deinde gratiæ Dei thesauros per Sacramenta, & bona opera nostra facta secundum Deum, nobis communicatos; & tandem claram Visionem Dei. Sed illorum.

Primum argumentum desumitur ex *Aristot.* lib 12. metaph. c. 4. tit. 58. vbi Philosophus docet expresse substantias non esse relatiuas, neque ad aliquid, nec elementa, principia, vel fundamenta relationum posse esse substantias. Verba Philosophi sunt dum inuestigat principia omnium rerum, *dubitabit vtique aliquis, vtrum altera, aut eadem sunt principia, & elementa substantiarum, & eorum, quæ sunt ad aliquid, & cuiuslibet categoriarum similiter*, & statim respondens dubio prosequitur dicens, *sed inconueniens est, si eadem omnium ex eisdem enim erunt, quæ ad aliquid, & substantia, quomodo igitur hoc erit? nam extra substantiam, & alia prædicamenta nihil est commune, prius autem est elementum, quam quorum est elementum, at vero neque substantia elementum est eorum, quæ ad aliquid, neque horum aliquid substantiæ.* 876 Aristotel.

Ergo secundum Philosophum relatio prædicamentalis nequit constari ex duplici substantia, siue ex duplici substantiali extremo Petro, & Paulo, qui se ipsis dicantur similes, ijdem in specie, & conuenientes, præsertim cum hæc scribat *S. Thomas* in eius loci commentario, lect. 4. litera B. *quæ sunt ad aliquid (seu relatiua) remotiora viden-* S.Thomas.

tur

tur à substantia, quam alia genera ex eo, quod sunt debilioris natura: unde, & substantiæ inhærent mediantibus alijsgeneribus, fiunt æquale, & inæquale, duplum, & dimidium, mediante quantitate, monens autem, & motum Pater, & Filius, Dominus, seruus mediante actione, & passione, & hoc ideo, quia substantia est per se existens, quantitas autem, & qualitas sunt entia in alio, sed relatiua non solum sunt in alio sed ad aliud. Hęc S. Doctor.

877 Porro, allegata ista Philosophi authoritate, triumphare se putat quidam Iunior, & conuicisse, secundum *Aristotelem* relationes esse modos accidentales realiter distinctos à fundamentis. Sed ego reor, neque in mentem illi venisse tale commentum, & probo. Etenim in eo c. 4. metaph. & lib. 5. cap. 15. & locis allegatis in sect. 3. parte 1. docet clare relationem *identitatis*, ex substantijs; *similitudinis*, ex qualitatibus; *æqualitatis*, ex quantitatibus, ceu elementis constare, dicens, *eadem enim sunt quorum substantia est vna. Similia vero quorum qualitas vna; æqualia autem quorum quantitas vna*. Quæ repetit ibidem S. Thomas. Et vterque loquitur de relatione formali, seu prædicamentali, vt loco citato monstratum est. Quocirca licet neget Philosophus relationis elementa substantias non esse, non admisit modos physicos, sed reiecit, docens relationum elementa esse alia accidentis prædicamenta.

Aristot.

S. Thom.

Dandum tamen, & fatendum est *Aristotelem* fuisse in ea singulari opinione, vt aliquando putarit substantias prætertim primas, neque per se esse relatiuas, vel capaces, vt essent ad aliquid, vel vt essent principia, aut elementa relationis, neque per modos pululantes distinctos ab eisdem primis substantijs: Verba sunt *Aristotelis* agentis de eis substantijs ad finem huius capitis, *quare hæc non ad aliquid erunt, quod si hæc non sunt ad aliquid, vere dicere licet nullam substantiam ad aliquid esse*, quamuis ibidem prosequatur idem Philosophus addubitando de ista sua singulari opinatione, quam tamen in metaphys. in testimonio præcitato stabilit magis asseueranter, quare *Aristoteles* non minus pugnat contra nos, quam contra Modernos, qui communiter credunt, & merito, *Socratem*, & *Platonem* secundum substantias suas, & humanas naturas similes omnino esse, aut aliquanto dissimiles; quod verò istæ substantiæ similes non fiat per pululantes modos, adhuc colligo fermè euidenter ex testimonio allegato, eidem adiunctis, quæ Philosophus scribit in verbis subsequentibus.

Aristotel.

Etenim rogatus Philosophus in eo c. 4. lib. 12. metaphys. quæ, & quot forent elementa, siue principia huius compositi *calidi*, v. g. Respondet, cum analogia ad compositum physicum naturale, Tria esse; primum est *habens calorem*, quod est quasi materia eius compositi. secundum est *species*, seu forma habita, quæ est calor. tertium est *frigidum*, siue priuatio, & caloris absentia præexistens in subiecto, quod si putasset Philosophus substantias per se referibiles esse, aut referri per istos modulos in ipsis productos, & receptos, vt credunt Iuniores, rogatus quæ forent elementa, siue principia *relatiui*, *Socratis* v. g. similis in humanitate *Platoni*, facile responderet principia, seu elementa constituentia id compositum esse tria in fieri, & duo in facto esse, nempe *substantiam Socratis*; quæ foret instar materiæ, & subiecti, *& modum denuo enascentem* tanquam formam, & *priuationem* modi huius præexistentem in *Socratis* substantia, antequam *Plato* nasceretur.

Quapropter pro nobis, & pro Aduersarijs habeo quid dicam ad tam claram authoritatem Philosophi negantis substantias esse referendas inferius sect. 12. quando tractem de extremis referibilibus, idest, de his, quę capacia sunt relationis, ac possunt referri; superest in præsenti vera hac intelligentia Philosophi, Aduersarium tenere suspensum, & cupidum euoluendi iterum, & attentius, subobscuros textus reddidisse. 878 Aristotel.

Aristotelem è vestigio sequitur *Sanctus Thomas* in præcitato commentario, ei se pro hac vice accommodando, asserendo cum ipso substantias relatatiuas non esse; sed ne conturbemini, quia S. Thom.

addide-

1.p.q.28.ar.2. dub.2. P. *Amicus* in Logica tract. 15. q. 5. dubio 2. art. 2. fauent *Fonseca* 5.metaph. c.15. q. 2. sect.5. *Valsius* in logica, q. 3. c. 2. *Raconis* ibidem tract.2. sect. 2. q. 3. ar.4. memb. 1. licet hi tres relationem distinguant ex natura rei, sequitur *Collegium Complutense* in logica disp.14 de relat. q.5. § 11. & ibi *Ripa. Gonzales. Arauxus. Bruxelens. Gallego.* P. *Alarcon.* 1.p.tract.1.disp.2.cap.4 nu.4. *Castelui*, disput..5. dub. 4. cum *Sala*, & *Blanche.*

Authumant relationem prædicamentalem esse quoddam modale accidens dimanans à subiecto referendo, cui inhæret, & in eo per ipsius subiecti veram, & intrinsecam mutationem productum ad præsentiam termini; Vnde si petas à Recentioribus istis, quid sit relatio similitudinis, v. g. inter me, & hominem in India modo natum? Respondent non esse nostras similes, & communes naturas, nec consimiles figuras, nec pares in gradu albedines, sed quosdam modos superfluentes, de nouo pululantes in illo Indo, & in me; quod non verentur asserere contra Philosophum, *Aristotel. S.Thomas.* SS. Patres *Thomam*, & *Anselmum*, qui tam expresse dixerunt esse me illi homini similem, nulla in me facta mutatione, vel nulla rei, aut modi in me productione, sed extrinseca solum illius hominis cum paribus accidentibus, natiuitate, & creatione.

875 Deinde si interroges, quæ sit ratio formalis filiationis adoptiuæ, qua filij Dei nominamur, & sumus; & quæ sit ratio formalis similitudinis, & imaginis, qua sumus, & nominamur Dei imagines, & eidem similes? Respondere fortasse audebunt, si dictis audeant stare suis, eas rationes formales formaliter, non esse gratiam sanctificantem de genere qualitatis, neque naturam humanam nostram rationalem, neque virtutes, neque visionem beatam; quoniam ista pretiosa dona dicent consequenter ad suam opinionem, esse solum similitudines fundamentales, & improprias, filiationes remotas, & quæ absolutè nomen formalium similitudinū, & filiationum non merentur, sed solum secundum dici, aut de nomine; similitudines enim, & filiationes Dei formales, & propriæ, inquient, sunt quidam modi pululantes nostris animabus adhærescentes, distincti ab eis realiter, & essentialiter, & à virtutibus, ac donis pretiosis Dei, per quos eius Filius *humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps*; & nos *efficimur diuinæ consortes naturæ*; *sumus Filij Dei*, & *hæredes*, *cohæredes cum Christo*; & in via *communionem habemus in Regno eius*, idest, Ecclesia, & in Patria *comparticipes erimus Regni Cælestis* nobiscum, & cum ipso Christo.

Quæ Responsio quam conformis sit S. Scripturæ, Concilijs, Patribus, & Scholasticis, ipsimet Magistri doctissimi erunt Iudices æqui, bonique. Ego planè credo firmiter rationes formales, quæ præbent eiusmodi denominationes relatiuas, esse non posse istos modulos inutiles, sed in primis Humanitatem assumptam à Verbo nostrę similem; Deinde gratiæ Dei thesauros per Sacramenta, & bona opera nostra facta secundum Deum, nobis communicatos; & tandem claram Visionem Dei. Sed illorum.

Primum argumentum desumitur ex *Aristot.* lib 12. metaph. c. 4. tit. 28. vbi 876 *Aristotel.* Philosophus docet expresse substantias non esse relatiuas, neque ad aliquid, nec elementa, principia, vel fundamenta relationum posse esse substantias. Verba Philosophi sunt dum inuestigat principia omnium rerum, *dubitabit vtique aliquis, vtrum altera, aut eadem sunt principia, & elementa substantiarum, & eorum, quæ sunt ad aliquid, & cuiuslibet categoriarum similiter*, & statim respondens dubio prosequitur dicens, *sed inconueniens est, si eadem omnium ex eisdem enim erunt, quæ ad aliquid, & substantia, quomodo igitur hoc erit? nam extra substantiam, & alia prædicamenta nihil est commune, prius autem est elementum, quam quorum est elementum, at vero neque substantia elementum est eorum, quæ ad aliquid, neque horum aliquid substantiæ.*

Ergo secundum Philosophum relatio prædicamentalis nequit conflari ex duplici substantia, siue ex duplici substantiali extremo Petro, & Paulo, qui se ipsis dicantur similes, ijdem in specie, & conuenientes, præsertim cum hæc scribat *S. Thomas* in eius loci commentario, lect. 4. litera B. *quæ sunt ad* *S.Thomas.* *aliquid (seu relatiua) remotiora videntur*

tur à substantia, quam alia genera ex-te, quod sunt debilioris naturæ: vnde, & substantiæ inhærent mediantibus alijsgeneribus, sicut æquale, & inæquale, duplum, & dimidium, mediante quantitate, mouens autem, & motum Pater, & Filius, Dominus, seruus mediante actione, & passione, & hoc ideo, quia substantia est per se existens, quantitas autem, & qualitas sunt entia in alio, sed relatiua non solum sunt in alio sed ad aliud. Hęc S. Doctor.

877 Porro, allegata ista Philosophi authoritate, triumphare se putat quidam Iunior, & conuicisse, secundum *Aristotelem* relationes esse modos accidentales realiter distinctos à fundamentis. Sed ego reor, neque in mentem illi venisse tale commentum, & probo. Etenim in eo c. 4. metaph. & lib. 5. cap. 15. & locis allegatis in sect. 3. parte 1. docet clare relationem *identitatis*, ex substantijs; *similitudinis*, ex qualitatibus; *aqualitatis*, ex quantitatibus, ceu elementis constare, dicens, *eadem enim sunt quorum substantia est vna. Similia vero quorum qualitas vna; æqualia autem quorum quantitas vna.* Quæ repetit ibidem S. *Thomas*. Et vterque loquitur de relatione formali, seu prædicamentali, vt loco citato monstratum est. Quocirca licet neget Philosophus relationis elementa substantias non esse, non admissit modos physicos, sed reiecit, docens relationum elementa esse alia accidentis prædicamenta.

Aristot.

S. Thom.

Dandum tamen, & fatendum est *Aristotelem* fuisse in ea singulari opinione, vt aliquando putarit substantias prætertim primas, neque per se esse relatiuas, vel capaces, vt essent ad aliquid, vel vt essent principia, aut elementa relationis, neque per modos pululantes distinctos ab eisdem primis substantijs: Verba sunt *Aristotelis* agentis de eis substantijs ad finem huius capitis, *quare hæc non ad aliquid erunt, quod si hæc non sunt ad aliquid, vere dicere licet nullam substantiam ad aliquid esse*, quamuis ibidem prosequatur idem Philosophus addubitando de ista sua singulari opinatione, quam tamen in metaphys. in testimonio præcitato stabilit magis asseueranter, quare *Aristoteles* non minus

Aristotel.

pugnat contra nos, quam contra Modernos, qui communiter credunt, & merito, *Socratem*, & *Platonem* secundum substantias suas, & humanas naturas similes omnino esse, aut aliquanto dissimiles, quod verò istæ substantiæ similes non sint per pululantes modos, adhuc colligo fermè euidenter ex testimonio allegato, eidem adiunctis, quæ Philosophus scribit in verbis subsequentibus.

Etenim rogatus Philosophus in eo c. 4. lib. 12. metaphys. quæ, & quot forent elementa, siue principia huius compositi *calidi*, v. g. Respondet, cum analogia ad compositum physicum naturale, Tria esse; primum est *habens calorem*, quod est quasi materia eius compositi. secundum est *species*, seu forma habita, quæ est calor. tertium est *frigidum*, siue priuatio, & caloris absentia præexistens in subiecto, quod si putasset Philosophus substantias per se referibiles esse, aut referri per illos modulos in ipsis productos, & receptos, vt credunt Iuniores, rogatus quæ forent elementa, siue principia *relatiui*, *Socratis* v. g. similis in humanitate *Platoni*, facile responderet principia, seu elementa constituentia id compositum esse tria in fieri, & duo in facto esse, nempe *substantiam Socratis*; quæ foret instar materiæ, & subiecti, & *modum deinde enascentem* tanquam formam, & *priuationem* modi huius præexistentem in *Socratis* substantia, antequam *Plato* nasceretur.

Quapropter pro nobis, & pro Aduersarijs habeo quid dicam ad tam claram authoritatem Philosophi negantis substantias esse referendas inferius sect. 12. quando tractem de extremis referibilibus, idest, de his, quę capacia sunt relationis, ac possunt referri; superfit in præsenti vera hac intelligentia Philosophi, Aduersarium tenere suspensum, & cupidum euoluendi iterum, & attentius, subobscuros textus reddidisse. 878 Aristotel.

Aristotelem è vestigio sequitur *Sanctus Thomas* in præcitato commentario, ei se pro hac vice accommodando, asserendo cum ipso substantias relatatiuas non esse; sed ne conturbemini, quia S. Thom.

addide-

addiderit *Thomas relatiua non solum esse in alio, sed ad aliud*, quasi putarit relationes esse nouos modulos accidentarios, qui realiter insint subiecto, & respiciant exinde terminum; tum quia si isti moduli ab Angelico Doctore agnoscerentur, non erat cur negasset cum Philosopho substantias esse referibiles mediantibus istiusmodi modulis, vt rationibus formalibus referendi; tum etiam, quoniam ipse S. Doctor ibidem attulit exemplum solemne nempe *duplum, & dimidium, & æquale, & inæquale*, quæ inter se sunt relata, & referuntur formaliter, vt supra docuit *Aristoteles*, Per quantitates, & magnitudines eiusdem, vel diuersæ mensuræ, *ex quibus* vti elementis relatio constat, siue *causatur*. vti pulchre tradit *S. Thomas* in 4. contra Gent. c. 14. versus finem.

879 Addidit autem *S. Thomas relatiua non solum esse in alio, sed ad aliud*, quia accidentia relatiua, siue quæ referuntur (secundum quod nos sæpe docuit S. Pater supra allegatus cum *Aristotele, Augustino, Damasceno, & Boetio*, præsertim 1. par. quæst. 28. art. 2. c.) duo habent, primum est esse *in alio*, qua nimirum accidentia sunt. secũdum est habere se *ad aliud*; qua videlicet relationes sunt, quatum totum esse dicitur esse ad aliud. Quantitas quædam, exempli causa, inquantum est accidés reddens subiectum quantum, & extensum, accidit, & in alio est; quatenus vero cõfertur, & comparatur ad aliam quantitatem æqualis, vel minoris, aut maioris magnitudinis, est accidés ad aliud, siue relatio; *quia ratio propria relationis*, vt cum *Aristot. Augustino, Damasceno, & Boetio* allegatis loquitur S. *Thomas* 1. par. quæst. illa 28. art. 2. corp. *non accipitur secundum comparationem ad illud, in quo est, sed secundũ comparationem ad aliquid extra*.

S.Thom. Aristotel. S. August. S.Thomas

Concludens dico non debere nota inuri inconstantiæ nostros Præceptores *Aristotelem*, & *Thomam*, quia quando negant substantias referri, se accommodant vulgo, qui putat re vera esse nouem prædicamenta accidentalia, inter quæ relatio annumeratur. quando autem dicunt multas relationes esse substantias, siue eis quasi elementis conflari, loquuntur secundum propriã sententiã, & secundũ rei veritatẽ. ita cõcilio dicta contraria illorũ ex documẽto *Turrecremata* supra posito n. 844.

Altera Pars Sectionis Respondet authoritatibus S. Thomæ, *quibus modos relatores realiter distinctos ab extremis defendunt Recentiores.*

Secundum argumentum congeritur ab aduersarijs ex multis authoritatibus *S. Thomæ* tam manifeste quoad apparentiã dicẽtis relationes reales creatas realiter distingui à suo fundamento, vt hæc scripserit *Caietanus* interpres 1. par. quæst. 28. art. 2. §. in responsione, *opinio verò dicens relationem omnem distingui realiter à fundamento, est sine dubio S. Thomæ, quãuis multi Thomistæ eum non intellexerint, quidam enim Thomistæ*, ait superius, *tenent relationem esse eandem rem cum fundamento, &c.* Hæc *Caietanus*, quamuis *Soncinas* in metaph. quæst. 28. dixerit in hac quæstione de mente *D. Thomæ* non constare, id quod docti viri cum *Soncinate* sentiunt adnumerantes varias alias quæstiones, de quibus quid tandem S. Pater senserit adhuc nescitur; neque enim, inquiunt, constat quam partem tenuerit circa distinctionem *essentiæ, & existentiæ*. neque declarat omnino vnde desumatur *indiuiduatio, & vnitas accidentium, ac rerum spiritualium, & corporalium*. neque definiuit vtrũ *intensio fieret per additionem gradus ad gradum, an per maiorem radicationem*. neque constat quam partem tenuerit *circa conceptionem Purissimæ Virginis Mariæ*; & similiter aiunt esse alia indecisa apud sanctum Doctorem. 880

Verumtamen postquam ego attentius *S. Thomæ* volumina euolui, & consideraui lectione continua, comperio de eius mente in materia de relatione dubitari nõ posse deinceps; eamque esse, quæ supra in Sect. 3. à num. 841. perspicue ab ipso declarata est. nempe aliquas relationes realiter distingui à subiectis, alias non, modo infra declarando; sed quia comperio aliquot afferta à S. Doctore inter se pugnantia, quæ potuerunt à vera intelligentia mentis eius deuiare *Caietanum*, & alios; opus esse iudicaui ea concordare distinguendo tempora sic.

Etenim quamditu S. Doctor censuit cũ *Aristotele* Relationem annumerandam esse inter prædicamenta accidentalia, asseruit 881

seruit cum ipso supra num. 876. & 878. & q. 8. de Potentia ar. 2. ad 5. relationem Prædicamentalem, quam semper putauit constare duobus absolutis, vt elementis, non posse esse substantialem, neque constare substantijs, & subinde substantias nō referri inuicem, sed oportere referibilia extrema, aut accidentalia esse, aut saltem referenda per accidentia, nempe per quātitatem, & qualitatem, & per huiusmodi; nempe *Sortem*, & *Platonem* non posse referri per naturas suas, sed per albedines, vel etiam ipsas albedines esse referendas per se ipsas inuicem, & quandiu ita opinatur, docet relationes esse accidentales, componere cum subiectis, neque posse reperiri in Deo. Sed neq; perseuerat S. Pater in ista opinione *Aristotelis*, sicut neq; ipse *Aristoteles*; sed vterque alibi fatetur substantias referibiles forte, & sine dubio esse, vt infra monstrabo allegando textus; interim videatur *S. Thomas* 5. metaphys. lect. 15. vbi cum *Aristotele* concessit relationes identitatis fundatas in substantijs, vt ponderaui supra num. 833. & *S. Damascenus* in Dialectica c. 50. clare distinguens relationes in substantiales, & accidentales.

S. Thom. *Aristotel.*

Secundò S. *Thomas* asseruit Deum non habere vllam relationem ad creaturas, vt videre est 1. par. q. 13. art. 7. 2. contra Gent. cap. 12. & de potent. ar. 1. c. & q. 4. de Ver. ar. 5. c. speciatim vero negauit ibi prædicamentalem; quia dum opinatur huiusmodi relationem semper, & necessario fore accidens absolutum, vel modale, & aliunde credidit, nihil simile posse inhærere Deo, nefas iudicauit poni in Deo relationem; sed rem melius considerans, & animaduertens habere Deum secundum suam naturam, & substantiam, aliquam analogiam cum creaturis, non semel dixit Deum esse quodammodo similem, & dissimilem suis creaturis, & absolute dixit, & credidit eundem Deum esse sapientiorem, ditiorē, maiorem cunctis creaturis, & distincti ordinis, vt habes supra num. 842. & 868. & leges 1. p. q. 13. ar. 6. c. & ar. 7. quæst. 14. art. 12. c. & q. 7. de Pot. ar. 8. c. lege infra num. 940.

Negauit præterea Angelicus Doctor esse in Deo relationem transcendentalem erga creaturas, tam existentes, quam possibiles, 1. p. q. 6. ar. 2. ad 1. quæst. 15. ar. 2. ad 3. q. 28. ar. 1. ad 3. quæst 45. ar. 3. ad 1. & alibi, tum quia ea, quæ sic referuntur inuicem, oportet esse eiusdem ordinis, & inter se aliquod genus proportionis habere; tum quia id, quod ad aliud transcendētaliter refertur; ab eo necessario dependet: Deus autem non indiget aliquo, sed omnia Deo indigent, & propterea omnes creaturæ dicunt relationem ad Deum, Deus autem ad creaturas non refertur, quamuis aliunde admittat, 1. p. quæst. 25. art. 3. vt putant aliqui Thomistæ, Deum connexionem habere cum creaturis possibilibus, quæ duo asserta an cohereant, non ad me spectat iudicare.

882 Sanè ex ista opinandi varietate colligitur quidem id, quod nos sępe supra sect. 3. parte 2. docuimus, nempe sensisse *S. Thomam* relationes nihil præter rationes fundandi esse, & sic aliquando differre realiter à suis fundamentis remotis, aliquando esse ipsa fundamenta. exempli causa, realiter distinguuntur à *Sorte*, & *Platone* eorum relationes similitudinis, quæ sunt albedines eorum: sed verò naturæ amborum, quibus sunt, atque dicuntur *ijdem* in natura specifica, sunt relationes ipsæ, & indistinctæ à fundamentis: sed tamen nullo modo colligitur ex S. Præceptore relationes prædicamentales debere de necessitate esse modos nouos denuo resultātes, sed, vt dixi, rationes ipsas fundandi, quas contingit quandoque realiter differre à fundamentis, quandoque esse ipsa fundamenta. quare non coturbemini, si quando dixerit S. *Thomas*, aut alter antiquus author, relationem differre realiter à fundamento, nunc producamus in medium testimonia *S. Thomæ*, quæ nobis sine multo examine passim objiciuntur.

Ergo objicitur *Thomas* 1. p. q. 28. art. 2. ad 2. vbi ait hoc esse discrimen inter relationes diuinas, & creatas; quod relationes diuinæ non sunt aliæ res, quam diuina essentia, in qua sunt; relationes tamen creatæ sunt alia res distincta ab absoluto, in quo fundantur; atque ideo dixerat eodem articulo in corpore, *si consideretur relatio secundum quod est accidens, sic est inhærens subiecto, & habens esse accidentale in ipso*. Sibi consonat S. Pater, q. 8. de potētia, ar. 2. corp. & ad 12. dicēs, *relatio sicut in rebus creatis oportet quod sit accidens, & inhærens, ita oportet quod sit in Deo substantia, quia quidquid est in Deo, est eius* *S. Thom.*

sub-

substantia. & in art.2. *ad 1.* prædixerat, *dicendum quod nulla substantia, quæ est in genere* (idest creata) *potest esse relatio.*

883 Et propterea docuit in 1. distinct. 33. quæst.1.art. 1. in fine corporis, quod *relatio creata non identificatur cum substantia, sed est alia res, & facit compositionem cum illa,* quod repetit 4.contra Gentes cap. 14. scribens in hoc differre relationes creatas,& Diuinas,quod diuinę nullam faciunt compositionem realē cum Personis, quam faciunt creatæ relationes cum subiecto, in quo sunt. Denique Angelicus Doctor 1. par.q. illa 28.art. 1. ad 3.asserit *in Deo non est relatio realis ad creaturas, sed in creaturis est realis relatio ad Deum.* quod repetit 3. par. q.16. ar.6.ad 2.& in 1. dist.30. art.1. ad 2.& in 3. dist. 1. q.1.art. 1. ad 1. sicut in scientia est realis relatio ad scibile, sed non in scibili ad scientiam;nisi forte in Deo,& scibili relationes rationis confingantur.

S.Thom. S.Thomas.

Ergo si secundum *S. Thomam* relatio semper est accidens, & facit realem compositionem cum subiecto, ipsi inhærendo, ipsumque immutando, ac in Deo nequit reperiri, neque Deo inhærere, vtpotè omninò immutabili, sine dubio est prædicamentalis relatio entitas modalis plus quam realiter distincta à fundamento,siue ab extremis relatis, eaque erit expressa sententia S.*Thomæ*,vt scribit in sua Logica *Murcia.*

Sed contra, quia ait Doctor *P. Suarez* allegatus in illa disputatione metaphysica 47.sect. 2.num. 2. *quod hæc conclusio siue sententia* (quæ à *Caietano*,& alijs tribuitur *S.Thomæ* propter testimonia allegata) *intellecta de propria, & rigorosa distinctione reali, qualis est inter entitates omnino distinctas, nullum habet fundamentum satis probabile, ad quam sententiam reijciendam sufficere possunt ea, quæ in principio sectionis præcedentis proposita sunt; illa enim, vt opinor, sufficienter demonstrant relationem non esse rem in se habentem propriam entitatem, realiter distinctam ab omnibus entitatibus absolutis.* Quapropter si tam debilia fundamenta habet, secundum censuram modestissimi *Suarez* opinio ista Recentiorum,oportet monstrare illis non fauere S. *Thomam.*

884 Respondetur ergo meritò, & consequenter ad suas opiniones asseruisse *Sanctum Thomam* relationes prædicamentales creatas distingui realiter a suis fundamentis, atque easdem oportere esse accidentia realiter inhærentia subiectis, & cum eisdem realiter componere, quia cum *Aristotele* superius opinatus fuit substantias relatiuas non esse, sed adsummum esse subiecta remota relationum; quare rogatus Doctor Angelicus, quæ fuisset relatio, v. g. similitudinis inter *Sortem* album, & *Platonem* similiter album, respondit supra num. 84. in sect. 4. *quod similitudo Sortis cum Platone, non est aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis.* Ecce concedo tibi cum S. *Thoma* relationem sæpe distingui realiter à suo fundamento, siue subiecto, & esse accidens realiter inhærens, & compositionem realem faciens cum subiecto: sed verò nunquam dicit *S.Thomas* relationem differre realiter à ratione fundandi,aut esse modum denuo pululantem, denuo immutantem subiectum ad positionem nouam termini, quantumuis in parte longinqua: quin potius eiusmodi nouas emanationes, & mutationes semper, & vbique negauit, & nullam aliam resultantiam præter termini creationem, in aduentu nouæ alicuius relationis agnouit,vt sępe euidēter sect.illa 3.mōstratū est àn.84.& itē docet *S.Bonau.*1.d.30.d.30.

Et quoniam in locis S. *Thomæ* allegatis contra nos omnino nobis fauet Sanctus Pater in quantum docet exerceri relationes per accidentia, quæ non oportet de necessitate esse modalia, & noua, non putamus prædicta testimonia cohærentur intellecta vrgere nos; quoniam vero ipse S. Doctor sequutus ibidem *Aristotelem* pro tunc opinatus fuit omnem relationem debere esse accidentalem, relationem huiusmodi reiecit à Deo,quādo dixit Deum non referri ad creaturas; neque enim fas esse putauit ponere in Deo accidens mutans ipsum. Quod si finaliter *Aristoteles, Sanctus Thomas,* & Doctores communiter docent substantias referibiles esse, tum remote, tum proximè, vt dicendum est in Sect. 12. repetendum, ac viriliter defendendum nobis est alias relationes distingui realiter à suis fundamentis, non vt modales entitates nouas, Aristotel. S.Thomas.

uas, sed vt antiqua accidentia, vel certè, vt spectantia ad aliquod ex alijs prædicamentis: alias verò esse ipsa extrema substantialia, quæ contingit esse fundandi proximas rationes. vti sæpe supra declaratum est. & ex sacra Scriptura, *Aristotele*, & SS. Patribus demonstratum.

885 Et subinde fatendum quoque est cum eadem sacra Pagina, & SS. Patribus Deū O.M. substantiam licet ex omni parte infinitam referri erga Creaturas multiplici ralatione reali prædicamentali, æterna, & temporali. nempe vti *Creatorem, Dominū, intelligentem, amantem* præsertim liberis actibus, (qui in opinionibus Magistrorum meorum, sunt insignes relationes prædicamentales saltem ex parte actuum, qui creaturas respiciunt sine vlla ab ipsis dependentia,) *refugium, Iudicem, similem, dissimilem, & ordinis diuersi, Maiorem potentiorem, pulchriorem, amicum, inimicum, contrahentem, seu pacta facientem*. Et huiusmodi mille alijs raferendi modis seu relationibus, quæ sine dubio sunt formales; quia cuiuslibet extrema cōuertuntur, & quodlibet cognitum ducit in cognitionē alterius præcisa qualibet modali entitate reali, vel ficta ab intellectu. nam Dominus serui Dominus, dissimilis dissimili, & maior minore maior est, non quidem per modulos, sed per innatam maiestatem, perfectionem, & excellentiā collatā cum humili nostra, & imbecilla natura, & conditione. Vti supra sæpe me docuerunt præceptores mei *Aristoteles* SS.PP. *Augustinus*, & *Thomas*. & quod Caput est sacri Text.

Aristotel. S. Augast. S. Thomas.

SECTIO VIII.

Proponit, ac diluit tertium argumentum à varijs rationibus desumptum, quo Recentiores sibi persuaserunt Relationem prædicamentalem esse modum physicè pululantem distinctum realiter ab extremis relatiuis, & ab eorum rationibus fundandi.

886 Tertium argumentum Recentiores cōflant ex aliquibus rationibus. prima est. illa distinguuntur realiter, quorum vnum potest perire manente altero; sed relationes prædicamentales possunt perire manente fundamento; ergo ab eo distinguuntur realiter. sunt ergo relationes modi accidentales de nouo in subiectis producti, & ab eis pululantes. Maior est axioma desumptum ex Philosopho 7. Topicorum cap. 1. tex. 72 dicente, *Si alterum interimitur, alterum autem non, profectò non idem sunt*. Minor liquet experientia; nam pereunte vno albo simili, alio manente, perit relatio similitudinis. consequentię legitimè inferuntur.

Aristotel.

Facile respōderet huic obiectioni *S. Thomas* concedendo totum integrum syllogismum; quia cum ipse supra opinetur relationem distingui realiter a suo fundamento, sicut distingui solet totū à parte totius; relatio enim, vt ille nos supra docuit, dicit duo extrema collata, siue sunt duo ipsa extrema. v.g. similitudo *Sortis*, & *Platonis* sunt quodāmodo eorum albedines ambę; ambæ autem albedines dubio distinguuntur realiter ab earum vna, vt quodlibet totum à parte, & hanc distinctionem solam conuincit syllogismus. quare neganda est vltima consequentia.

Secunda ratio est relatio v.g. similitudinis inter *Sortem*, & *Platonem* habentes albedines in æquali gradu, (& idem dicēdum de reliquis relatiuis proportione sua) debet esse respectus formalis vnius ad alterum; sed albedo vnius non est formalis respectus eius ad alterum; ergo albedo nō est formalis relatio similitudinis. maior est definitio relationis formalis; Minor probatur. quoniam albedo non est ratio formalis nisi dealbādo subiecto, in quo est, non autem est ratio formalis illud referendi ad terminum, seu respiciēdi terminum; ergo intentum.

Respondeo concessa Maiori, negando Minorem; albedo enim ipsa non solum est ratio dealbandi, sed etiā ipsa ratio formalis referendi, cum alterius tamen albedinis consortio; siue ipsa est, per quam *Sortes* respicit, vt similem sibi in albedine *Platonem*, idest ipsa albedo est ratio formalis ob quam *Sortes* concolor est cum *Platone*, & ob quam cum eo conuenit & vnus est, cum quo ratione albedinis sine dubio habet maiorem cognationem, quam cum Aethiope, aut Angelo albedine carentibus. 887

Respectus autem per quem definiuimus rela-

natura, & *à parte rei*; quoniam à Deo formaliter relata cognoſcuntur; ſed verò indiſtinctum à reliquis prędicamentis ante operationem intellectus.

Etenim, inquit doctus iſte vir, albedo, exempli cauſa, *Sortis* duo habet in re officia; primum eſt dealbare proprium ſubiectum, ſecundum eſt, referre illud vt ſimile *Platoni* ſimiliter albo, atque id vtrumque exercet à parte rei vnica illa entitat, quæ albedo dicitur, & eſt: vnde confuſum eſt, mixtum, & indiſtinctum à parte rei in albedine prædicamentum duplex, nempe *qualitas*, & *relatio*, vti dicebant ſupra cum *Ariſt. Auguſtinus, Boetius*, & S. *Thomas*, quoadúſque intellectus noſter, modo pro mero libito intelligentis, modo præ intellectus ipſius imperfectione, qui vno hauſtu non poteſt plura capere, præſcindat, ceu induſtrius artifex, formalitatem reſpectiuam ab ea formalitate, quæ abſoluta eſt; & quaſi partiatur in albedine conceptus duos, nempe *eſſe in*, quod in præſenti abſolutum cenſetur, & *eſſe ad*, quod reſpectiuum dicitur; qua partitione ſuppoſita, dabitur prædicamentũ *ad Aliquid*, quod antea dabatur formaliter tantum, formaliter, atque inſuper à reliquis diſtinctum. hæc fermè reſponſa ſunt mihi obijcienti ſatis abſurdum videri aſſeri prædicamentum relationis, non dari à parte rei.

Ariſt. ete l. S. Auguſt. S. Thomas.

890 Propterea charitatis, & claritatis gratia, ego volui hic declarare, & locupletare reſponſionem iſtam (in qua continetur opinio, & probatio quorumdam *Thomiſtarum*, & aliorum aſſerentium relationem ratione ſolum diſtingui à fundamento) vno vel altero peraccommodo exemplo. quoniam in ſententia probabili multorum, à parte rei datur *potentia obedientialis* actiua formalis, & vera; ſiquidem à parte rei creatura eleuata producit, aut producere poteſt res varias ſibi aliunde improportionatas, & quandoque ſupernaturales; ſed vero ea potentia formalis, & vera, quæ tam vere exiſtit à parte rei, ſicut exiſtit potentia naturalis, ab hac indiſtincta eſt, quouſque veniat intellectus, & cum ſuo fundamento in re diſtinguibili, diſtinguat formalitates duas, & vnam appellet naturalem, eam, videlicet, quam diſtinxit in ordine ad effectus naturales; & aliam dicat obedientialem, eam, ſcilicet, quam cognouit ſignate in ordine ad effectus ſupernaturales, aut præternaturales: ergo accedendo ad propoſitum idem videtur dicendum circa prædicamentum Relationis.

Et ita conciliabuntur opiniones noſtræ; ſi enim mihi conceditur relationes à parte rei eſſe ſolum extrema duo, ſiue alterum connotans alterum; & prædicamentum hoc verè, & formaliter dari à parte rei indiſtinctum à rationibus, quibuslibet fundandi, ſeu à reliquis prædicamentis varie combinatis; cur ego non concedã intellectui facultatẽ, vt præſcindat formalitatem modalem reſpectiuam, quæ conſtituat hoc prædicamentum, vt eſſentialiter diſtinctum à reliquis, licet huiuſmodi diſtinctio neceſſaria non ſit, vt relatiua referantur, & ſint ſimul natura, & cognitione, ſed tantum, vt cum reliquis prædicamentis non confundatur *ad aliquid*? atqui eadem doctrina dilucidari amplius poſſet exemplis Actionis, & Paſsionis, Exiſtentiæ, & Durationis, & alijs plurimis.

Sane ingenioſum eſt hoc reſponſum, & argumentum pro ſtatuenda ea opinione, & à me obuijs vlnis reciperetur, ſi mihi videretur habere fundamentum, ſicuti habet exemplum in eius declarationem adductum, quapropter reſpondendo obiter, fateor ego diſtingui poſſe formalitates ab intellectu, quando adeſt fundamentum; quod in præſenti non eſt vt diſtinguatur ab intellectu, quantumuis præciſiuo, in albedine formalitas modalis eſſentialiter diſtincta ab ea qualitate, & quæ ſit omnino reſpectiua, propter ea, quæ dicentur in ſectione ſequenti, adhoc aduerſariorum argumentum in forma propoſitum, & hic ex parte præmittuntur. 891

Etenim ratio, & fundamẽtum, ob quod intellectus noſter diſtinguit in creatura qualibet, v.g. in materia prima, in entitate actionis, in cauſis, formalitates varias eſſentialiter, aut quaſi eſſentialiter differentes ſecundum, & pro diuerſitate terminorum reſpectorum, eſt quoniam videt eos terminos eſſentialiter ab illis entitatibus reſpici, & eas ab illis ſpecificari, dependere omnino, & conſequenter nõ reſpici tales terminos pure vt terminos, ſed tranſcendentali reſpectu, po-

E e ſtu-

stulante quolibet termino, quasi iure quodam proprio, distinctam fieri formalitatē erga se ipsum; quod non potest contingere in proposito, quando sermo est de relationes prædicamentali, de cuius essen-
892 tia est respicere suum terminum purè vt terminum, & quin ab eo specificetur, aut essentialiter pendeat; etenim quæ sunt ad aliquid non se habent inuicem, vt effectus, & causa, neque vt actus, & obiecta; secus non dicerentur *simul natura*, extrema relata prædicamentaliter, licet possent dici *simul cognitione*, quod commune est relationi prædicamentali cum transcendentali. Quare amice indagator veritatis, vnum e duobus tibi eligendum, ac dicendum est, nempe aut modulum istum metaphysicum esse relationem transcendentalem, vel distinguibilem non esse, siquidem vides, distinctioni deesse fundamentum.

Confirmo doctrinam ab indicatis exemplis, ego, enim in lib. Physicorum docebo cum multis, *Motum* ab *Actione* non differre nisi de solo nomine; quia licet *motus* connotet formæ priuationem in
1 6 ? subiecto præexistentem, & propter eiusmodi connotationem sic appelletur, eam tamen connotat, vt circumstantiam concomitantem, veluti prædicamentaliter respectam, non transcendentaliter; atque propter eandem rationem dicam *actionem primo productiuam* penes nomen solum differre solere ab *actione conseruatiua*. Tertio asseram vbi, circumscriptio, extensio localis, Situs, Figura, Raritas, Densitas, quando iunguntur, nominibus solum discriminari, neque fundamentum esse ad ponendas varias formalitates transcendentales defectu dependentiæ a terminis connotatis ab entitate *vbi*, ratione quorum, ipsum ea varia nomina sortiri consueuit.

893 His ita expositis sic primo argumentor, respectus siue formalitates respectiuæ, quæ distinguuntur verbi gratia in materia prima in ordine ad differentes formas, sunt relationes transcendentales; ergo respectus, qui distinguerentur in albedine Petri in ordine ad albedinem Pauli, cui assimilatur; & in ordine ad nigredinem cuiusdam Aetiopis, cui dissimilis est; & in ordine ad Turcam à quo distat; & in ordine ad alia huiusmodi, essent relationes transcendentales, & nullo modo prædicamentales; Probo consequentiam, etenim propterea sunt illi priores respectus transcendentales relationes, quia distincti, & diffecti sunt ab intellectu in ordine ad varias formas, secundum, ac penes earum distinctionem, diuersitatem, sicut & specificationem in prædictas relationes resundentes; sed similiter distinguuntur penes terminos diuersos à Modernis isti sui respectus, ab ipsis solis prædicamentales asserti; ergo potius sunt relationes transcendentales, quam prædicamētales. quare si ponis relationē formalitatē à fundamēto essentialiter distinctam, ipsa euadet ad relationem transcendentalem.

Ex quo vlterius fit, & consequenter, non solum pendere essentialiter eiusmodi metaphysicos modulos à terminis, & specificari ab eisdem; sed etiam ratione eorum modulorum, eorum fundamenta, & subiecta cum terminis connecti, & à terminis saltem mediatè dependere; vt hæc omnia monstrabo iterum infra à num. 917.

Secundo sic argumentor, quoniam à parte rei, & ante distinctionem intel- 894
lectus dantur relationes prædicamentales, & vt tales cognoscuntur à doctis, & indoctis, imo, & à Brutis animantibus, quæ nequeunt facere distinctiones rationis; ergo relatio non est formalitas, nec post opus intellectus; antecedens monstratum est supra sæpe, præsertim num 872. §. *nec soli rusticani*. vbi ostensum fuit vel bruta animantia cognoscere similitudines, & commoditates, & incommoditates proprias, & alienas, quę sine dubio, vt ibi monstratum est, sunt formales relationes, quatenus imaginato vno extremo illarum, illa deueniunt in cognitionem alterius, quod signum dedit *Aristoteles* pro cognoscen- *Aristotel.*
dis relatis formaliter: præterquamquod & nos experimur manuduci ex cognitione vnius rei ad cognitionem correlatiuę ante aliam distinctionem intellectus; & sine præuia cognitione formalitatis relatoriæ.

Tertio sic argumentor, quando sacra Scriptura, *Aristoteles*, & Sancti Patres, *Aristotel.*
sacri Interpretes, & Scholastici Doctores declarant aliquas speciales relationes, do-

docent plurima istiusmodi modulis repugnantia, & quæ de ipsis prædicari non possunt; ergo in eis non consistit prædicamentum *ad Aliquid*; antecedens fit euidens attente legenti præcitata testimonia in Sectionibus 3. 4. & 5. vbi passim leguntur plures relationes exerceri formaliter per qualitates, & per substantias, & per quantitates, non solum tanquam per rationes fundamentales, sed tanquam per rationes vltimas referendi; quis enim audeat dicere rationem formalem vltimam, qua Creaturæ intellectuales sunt similes Deo, esse modulos quosdam accidentarios metaphysicos, & non naturas ipsas substantiales intellectuales, ratione quarum sunt istæ creaturæ quodam modo filiæ Dei, vtpotè procedentes viuentes, intellectuales à principio Deo viuenti similiter? an ne verbum Dei formalissime est Patri suo simile per modulum, an per naturam æterna generatione acceptam? sicuti, & propter genitam naturam est formaliter similis, vel idem vnus homo alteri genitori suo.

895 Rursus, firmiter ego credo rationem formalissimam, & vltimam, qua filij Dei nominamur, & sumus, & qua sumus Dei amici, & hæredes, & qua similes ei erimus, spectare formalissime ad prædicamentum qualitatis, nullatenus ad prædicamentum essentialiter, & intrinsecè à qualitate diuersum; dicit enim *Aristoteles quod per nihil aliud dicitur simile vnum alteri, nisi per quale, per nihil aliud nisi per qualitatem*; & docent Concilia, Sancti Patres, & Theologi rationem formalem nostræ filiationis adoptiuæ, & amicitiæ erga Deum, esse gratiam sanctificantem, quam pertinere ad prædicamentum qualitatis, bene concludit P. *Suarez* cum S. *Thoma* in 1. 2. quæst. 110. articul. 2. & cum communi sententia tomo 3. de gratia lib. 6. capit. 2. in fine. asserere autem visionem beatam, formalissime, vt visio est, de genere qualitatis, non esse similitudinem formalem, & vltimam, imaginem expressam Dei, ac per ipsam Beatos non reddi similes Deo, sed spectandũ modulũ metaphysicum à visione, & à qualitate essẽtialiter distinctum, plus quam falsum videtur.

Aristotel. S. August. Docent præterea *Aristoteles*, & *Boetius*, & *S. Augustinus*, relationem vt talem habere solere contrarium, suscipere quandoque magis, & minus, vt supra ostensum est, & sæpe repetunt prædicamentum *ad aliquid* non esse rem vnam simplicem, sed complexum duarum, permixtionum duorum; & speciatim *Damascenus*, *Augustinus*, *Boetius*, & S. *Thomas* cum *Aristotele* putant distingui hoc prædicamentum ab alijs, quia aliorum vnumquodque est res vna, & simplex; hoc vero vna res, & altera, permixtio duorum: atque vt discernant hoc prędicamentum ab alijs recurrunt ad terminum, quem necessario importat; nuspiam verò ad formalitatem metaphysicam; & speciatim *S. Thomas* Opusc. 48. tract. 5. capit. 5. *dicendum*, inquid, *quod diuisio entis in decem prædicamenta, est diuisio in decem diuersa secundum rem*; & subinde expresse docuit decem prædicamenta esse decem res, & nullum pendere ab intellectu: non ergo potest consistere prædicamentum *ad aliquid* in modali formalitate simplici omnino, & essentialiter distincta à fundamento, siue à reliquis prædicamentis, si credendum est Scripturæ, *Concilijs*, *Patribus*, & *Aristoteli*, & standum pro Ratione. *August. S. Thomas. Aristotel.*

SECTIO X.

Refert ac reijcit fundamenta Doctorum, qui tenuerunt Relationem prædicamentalem esse formalitatem modalem ratione ratiocinata à fundamento relato essentialiter, vel quasi essentialiter differentem.

Veruntamen aliquos docti Recentiores, quibus fastidium peperit modus ille incessanter pululans à fundamento realiter distinctus, in meliorem mentem venerunt, putaueruntque relationem esse modum diuersum accidentalem semper, ratione ratiocinata distinctam à relatiuis extremis; qui licet omnino aduersentur Angelico Doctori de Potentia quæst. 7. art. 9. cor. & sæpe alibi, sed tamen non immerito allegare possunt pro sua opinione P. *Lorinum* in logica quæst. 4. de Relatione S. *tertia propositio* 896

illis terminis; vnde ipsa nullam in se mutationem passa, connotata, & posita alia albedine, dicitur, & est illi similis, non per formalitatem, sed à parte rei per propriam gradualem realitatem: rursus eadem, connotata nigredine, dicitur dissimilis; & connotata Roma, distans; & sic de cæteris dicendum est. & hoc ita esse Deus scit directa scientia, sine formalitatum præcisione, & nos scimus; siquidem à parte rei noscimus ea, & alia quæuis relata extrema esse simul natura, & cognitione, & conuerti; & quodlibet nos ducere in cognitionem alterius, sine memoria alicuius moduli metaphysici quasi pululantis.

S. Thom. sup. n. 841.

Aristotel. sup. n. 832.

899 Probatio consequentiæ non vrget, sed omnino declarat veritatem opinionis nostræ: quare quidquid sit de illis formalitatibus, quas sæpe pro mero arbitratu nostro, solemus præscindere in causis, & quæ necessariæ non sunt, vt formaliter referantur ad terminus suos; melius enim capitur à Deo, & ab Angelis materia prima, verbi gratia, vti relatiua est erga formas omnes, sine formalitatum harum multiplicatione; do tamen quod à nobis, qui res vno haustu capere non possumus, formalitates in causis distinguantur in ordine ad varios terminos: disparitas enim manifesta est connexio essentialis, quæ datur inter rem, quæ refertur transcendentaliter, & terminos, ad quos refertur; nam ab his terminis illa res specificatur, & propterea quasi varias perfectiones, & species, aut materiales differentias sumendo, à varijs terminis, patitur distinctionem formalitatum fieri ab Intellectu cum tam bono fundamento in re, pro distinctione terminorum partialiter specificantium; secus multo est in proposito; vbi albedo non specificatur ab illis terminis, quos respicit prædicamentaliter; sed eos respicit purè vt terminos, ab illis omninò independens, & sic propter illos impartibilis est.

Fatendum tamen est dici posse albedinem inquantum similem, differre ratione à se ipsa, vt distante, tum propter conceptus differentes, albedinem diuerso modo inadæquato concipientes; tum etiam, quia entitas albedinis, quando concipitur vt similis inadæquatè cōcipitur, & non secundum omnem respectum physicum, aut quasi physicum, quem habet; neque enim tum concipitur secundum quod est accidens inhærens, neque secundum quod alia prædicata physica habet, licet ea omnia quasi materialiter à quouis conceptu concipiente rem, vt est in se, realiter tangantur; atqui eiusmodi inadæquatus conceptus sat est, vt dicatur relatio ratione differre à suo fundamento sine recursu ad formalitatem modalem essentialiter, & prædicamento differentem, ad quam recurrere noluerunt *Aristoteles*, *Sancti Patres*, *Augustinus*, *Boetius*, & *S. Thomas*. Hoc præterea genus distinctionis agnouit *Pater Suarez*, in metaphysica disputatione 47. sectio 2. numero 13. 14. & 15. & communiter, Nominalizantes.

Aristotel. S. August. S. Thomas.

Tertium fundamentum est. relatio prædicamentalis pendet à termino, & ab ipso specificatur; ergo ex parte fundamenti relati distingui debet formalitas respectiua termini. Respondeo distinguendo antecedens relatio prædicamentalis pendet à termino, & ab eo specificatur tanquam à comparte ipsius relationis in obliquo saltem importata; & sic concedo antecedens; tanquam à puro, & extrinseco termino non conducente ad constitutionem relationis; & sic nego antecedens. exempla rem illustrent, numerus ternarius equorum, verbi gratia, pendet à tribus equis, sed vero quilibet equus seorsim, ab alijs non pendet; & quidem numerus ipse est relatio quædam; ita in proposito, similitudo in albedine necessario est concretum duarum albedinum in gradu pari, & sic necessario requirit albedines duas pares, ab eis pendet, & ab eis specificatur, vt totum quodlibet à suis partibus: sed vero vna albedo seorsim accepta, cuiusuis gradus ea sit, ab altera qualibet non pendet, neque specificatur, sed taliter se habet in se, vt si alia ponatur, ei assimilitur, vel etiam dissimilitur, & distinguatur, id quod contingit necessario, & ex natura rei, seclusis quonis modo, & operatione intellectus. vnde fit, quod albedo *Sortis* nullo modo pendeat ab albedine *Platonis*, secundum quod est fundamentum similitudinis, licet secundum quod est cum illa similitudo ab ea omnino pendeat, vti compositum, & complexum duorum extre- 900

tremorum pendet ab alterutro eorum, & ab vtroque.

901 Quartum fundamentum est. relatio prædicamentalis debet esse accidens non physicum; ergo saltem metaphysicum, antecedens patet: quoniam relatio adnumeratur inter nouem accidentalia prædicamenta. antequam Respondeam ad fundamentum aduerto concedi ab istis doctoribus distinguibilem esse in extremis substantialibus relatis, modos quosdam relatorios accidentales omnino, & intrinsecè, quod videtur omnino falsum; quia accidens nequit identificari cum substantia, nam eorum definitiones res, & rationes incompatibiles important: substantia enim definitur *esse per se*. accidens vero *esse in alio*. neque sufficit respondere istiusmodi modulum intelligi vt quid inhærens, sed re vera esse per se; quoniam quod est accidens verum, in se tale debet esse independenter ab intellectu fingente, quod si fingitur, erit chimæra, non verum prædicamentum; & sane hic modulus videtur chimæricus, quia accidentalis nequit esse, licet vt accidentalis queat apprehendi ab intellectu fingenti toties, quoties applicat subiecto prædicatum impossibile non existens in re, vt dicam inferius in quæstione de entibus rationis. legatur P. *Vasquez* cui valde displicet identificatio accidentis cũ substantia, 1. par. disput. 73. cap. 2. & 3. S. *Thomas* quæst. 8. de Pot. art. 2. ad 1. dicens nullam relationem posse esse idem cum substantia creata. S. Thomas.

Nunc Respondeo sat esse, quod relatio sit accidens logicum quodammodo, quatenus potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione, quod contingit etiam si ambo extrema sint substantiæ, siquidem pereunte homine vno, aut equo, remanet alter, cui assimilabatur, & satis est pertinere relationem directè ad accidens, secundum multas relationes conflatas ex puris accidentibus, & secundum alias cõpositas ex substantijs reductiue; vt communiter pertinere dicitur ad accidens quantitas discreta, etiam quæ constat multitudine substantiarum. & habitus ad suum prædicamentum accidentale, quamuis vestes, & qui vestitur, sint substantiæ.

SECTIO XI.

In qua Recentiores alias longe inter se dissidentes conspirant, contra statutam veritatem, ei obijcientes argumenta, etiam ex Sancta Trinitate desumpta; sed retunduntur facile, & eorum moduli Relatores magis impugnantur.

PRimo obijciunt, opinio, quæ ponit relationem esse relata extrema quantumuis alterum in recto, in obliquo alterũ importari dicatur, de medio tollit prędicamentum relationis; hoc est incommodum; ergo ea opinio non est veritas. Probant maiorem quoniam iuxta solemnia carmina, 902

Vox vna, & simplex, proprijsque accommoda rebus.
Entia per se se, finita, realia, tota.

Necesse est esse omnia prædicamenta simplices res & entia per se; quod si relatio in opinione nostra ex vtroque relatiuo extremo componitur, non erit quid simplex, nec ens per se, sed concretum quoddam, & ens per accidens, & consequenter ineptum, quod sit prædicamentum. & confirmant, quia vt sit relatio prædicamentum, debet esse à reliquis diuersum realiter, vel saltem essentialiter.

Respondeo negando maiorem; non tollo prædicamentum relationis, sed à reliquis combinatis nõ distinguo. ad maioris probationem dicendum prædicta carmina ab aliquo accommodatè ad suam singularissimam opinionem fuisse composita; rari enim sunt, qui omnia decem prædicamenta putent esse entia per se; & sunt multi, qui opinati sunt sex vltima, vel saltem aliquod eorum, esse concreta extrinseca facta secundum combinationes varias priorum quatuor, quæ propterea frequenter appellant denominationes extrinsecas. ita inter alios procedunt *S. Thomas* relatus à *Suarez* in metaph. disp. 51. de *vbi*, nu. 4. *Fonseca* 5. metaph. cap. 15. quæst. 7. sect. 3. vbi pro se allegat *Caietanum* S. Thomas.

num hanc eandem opinionem defendentem, vt S. *Thomæ*, & *Aristoteli* magis conformem.

S. Thom. Aristot.

Volunt nimirum isti Doctores *vbi*, v.g. non esse formam aliquam intrinsecam rei, quæ est in loco, sed solam rem ipsam, & locũ extrinsecum circundantem ipsam, quæ fuit expressa doctrina Philosophi in 8. Physicorum, cap. 7. vt monstramus inferius. & similiter philosophantur *de actione*, & *passione*, *de quando*, *situ & habere*, atque ipse P. *Suarez* in disp. 53. de *habitu*
903 concludit id prædicamentum non esse quid distinctum à veste quaplam superinduente corpus; quinimo, & *Aristoteles* loquens in cap. *ad aliquid* de *situ*, docuit eius species nempe *recubatio*, *sessio*, & *statio*, esse relationes, quia scilicet earum vnaquæque est complexum ex recubante, sedente, aut stante animanti, & loco extrinsecus ambiente. quare meritò dixit S. *Thomas* in Opusc. 48. tract. 6. c. 2. *ista prædicamenta non fecit Aristoteles, & ille qui fecit, non fuit tantæ authoritatis nec habuit aliquem expositorem alicuius authoritatis, ideo de iis quilibet modernus dicit sicut sibi videtur*.

Aristotel. S. Thom: Aristotel.

Quod si alicui adhuc videbitur ex hac responsione minui prædicamentorum sacrosanctum numerum denarium, sciat, oporter, ens diuisum fuisse ab *Aristotele* in decem classes secundum vulgarem sensum, non secundum metaphysicum rigorem; licet nos, vt supra dicebamus, absolutè nõ tollimus prædicamentum relationis, sed id cum *Aristotele*, *SS. PP. Thoma*, *Augustino*, *Boetio*, & alijs credamus esse variam complexionem cæterorum, & consequenter ens quoddam quasi per accidens ex reliquis quasi congestum, & ab eis per terminos diuersum, vti nos docuit S. *Thomas* supra in sect. 3. vnde patet responsio ad cõfirmationem.

Aristotel. Aristotel. S. Thom. S. August.

Secundo obijciunt. inter opiniones varias circa relationem, illa cæteris præferenda est, quæ magis seruit declarando vtcumque Trinitatis mysterio, eiusque relationibus, sed opinio, quæ ait categoriam relationis esse modum re, vel ratione distinctum ab extremis magis seruit declarando proposito mysterio, ergo ea præferenda est.

Respondeo omissa maiori, negando minorem, etenim quælibet earum opinionũ, si non confundit, retardat intelligentiam circa diuinas relationes, vt vos Theologi effecti videritis; sunt enim istæ relationes tam altæ, & admirabiles, & tam singulares, vt nullo exemplo, aut simili creato queant satis declarari: sed tamen relationes transcendentales magis seruiunt declarando tanto mysterio, quam prædicamentales, vti adnotabo inferius. sed & hic addo semper præferendum verum falso. licet non raro vtamur falsis rebus, idest fictionibus, vt melius etiam diuina declaremus, vt vides infra nu. 1079.

Sed nobis opponit Tertio sapientissimus *Didacus Ruiz de Montoya* quoddam Consilium, & SS. PP. axioma receptissimum in Philosophia. etenim SS. Patres allegati ab eruditissimo Patre in lib. suo de Trinitate præsertim disp. 19 & sect. 4. vt probẽt cõtra hæreticos varios, Personas diuinas esse tres realiter distinctas, supponunt vt principium certum, *creata relatiua omnia debere inter se distincta esse realiter*. nempe principia, & principiata, causæ, & causata, Genitores, & geniti, & huiusmodi: nempe sic argumentantur Patres, *nihil potest facere, aut generare se ipsum, sed Pater diuinus generat filium; ergo filius genitus distinguitur realiter a Patre*. & simili medio conuincunt Spiritum sanctũ realiter distingui à suo Principio, quod est Pater, & Filius.

Sed principium illud metaphysicum erit falsum, & infirmum, inquit ille, si relatio est relata extrema; ergo non est, sed modulus physicus, vel metaphysicus. Maior sit euidens legenti Patrum authoritates in loco allegato; Minor videtur manifesta, quia si dicitur esse adæquata relatio similitudinis, v.g. duplex albedo, vtraque in recto, vel altera in recto, & altera in obliquo; quælibet albedo seorsim sumpta, quo modo solo differt realiter ab altera, nõ est relatiua, sed quando est cũ altera coniuncta; & Pater similiter non erit relatiuum extremum, vt est distinctus à filio, si vt relatiuum sit indiget filij consortio, siquidem relatio adæquata est vterque. 904

Quarto opponit ipse grauissimus Pater nos (vti decet venerandũ eius, grauemque canitiẽ) admonendo, vt adolescẽtiores inexperti, cautela reuerenti procedamus in seligendis opinionibus habẽtibus cõnexionem cũ Theologicis ne aliquãdo erremus à veritate, & dum consequentiã seruemus,

concedere cogamur argumentorum vi in materia sublimiori, vbi periculum grande sit, aliquod absurdum, aut assertum temerarium. Hæc & similia me docuit olim coram iste Pater Hispali, vbi versabamur, quæ videbuntur ad longum in tomo de Visione, quem tunc temporis cōponebat.

905 Ego verò veritatis sincerus amator cum debita reuerentia Respondeo concessa maiori; verissimum enim credo esse illud principium, præsertim intellectum de relationibus transcendentalibus, in quibus exemplificant Patres, audi pro omnibus *Augustinum* lib. 1. de Trinit. cap. 1. probantem Patrem distingui realiter a Filio ibi, *qui putant eius potenti esse Deū, vt se ipsum ipse genuerit, eo plus errant, quod non solum Deus non est, sed neque spiritualis, nec corporalis creatura, nulla enim res se ipsum gignit, vt sit.* Similiter sunt reliqua Patrū testimonia, apud quos pro comperto habetur principium quoduis creatum distingui realiter à principiato, siue effectu: inter principia verò, siue causas, & effectus intercedit relatio sola transcendentalis, quæ fundatur in *actione, & passione*, & quoties causa non respexerit effectum pure vt terminum, vel alijs generibus relationum, quæ in actione, & passione nō fundētur, vt inferius ostēditur.

Præterea ego etiā censeo (vt si forsam, quod nō credo, Patrum axioma extēditur, & complectitur relatiua omnis generis, relatiua prædicamentalia simpliciter dicta semper inter se distingui realiter, & meritò, quia sine dubio *Socrates albus* distinguitur realiter à *Platone albo* albedine pari, si non ratione similitudinis, ratione suæ substantiæ; neque enim necesse est exerceri etiam distinctionem ratione similitudinis, quam putamus esse in vtroque eandē numero; sicut non requiritur ad hoc vt Pater diuinus distinguatur realiter à suo Filio, huiusmodi distinctionem exerceri per essentiam, quàm credimus esse omnino eandem in vtroque, sed sat est exerceri per diuinas relationes.

906 Quod si contingat cōferri duas albedines, vt similes, vel etiam duas substantias, istiusmodi formas nō appellabo simpliciter relatiua, sed relationes, vt manifestū est. quare Respondeo ad minorē distinguendo inter relatiua prædicamentalia, (nā transcendētalia realia certū est distingui realiter) quæ sunt talia simpliciter, & inter ea, quæ per abusū dicuntur relatiua. illa enim sūt relatiua simpliciter, inter quę sēper reperitur distinctio realis, & ad illa se potui extēdere doctrina Patrū; Hęc verò nō ita, sed ipsæmet formæ vltimæ relatoriæ, quare vna albedo raro dicēda est extremū relatiuū, sed pars formæ relatiuæ, quę reddere valet extrema, subiectaq; relatiua. vnde colligitur nostrā sentētiā nō debilitare fundamentum Patrum, sed id stabilire; nā veritas nūquā potuit veritati contraire, sed tū priori solutioni firmius standum erit; quoniā pposito Patrū, & nostro magis cōgruit.

Ad oppositionē quartā, fateor ingenuè me eodē timore, ac zelo tuendi theologicas veritates, & sacra dogmata, teneri, cum quibus non video quo modo moduli relatores possint cohærere, vt fusè supra monstraui; imò verò ausim suspicari de tāto viro, quod si, vt voluit, & expetiuit, potuisset hæc nostra scripta videre, vbi nona fundamenta, eaq; firmissima sacræ Scripturæ, & veræ theologiæ consentanea posuimus, nobiscum, & cum veritate consentiret; sicut & alij viri graues consenserunt; sed verò iam ipse viderit, vt credo, in essentia Dei, cui plurimum inseruiuit, quid in hac quoque quæstione verum sit.

Sed tamen iterum obiecit refutando nostram solutionē, quæ respondit diuinas relationes esse transcendentales, & illud principium SS. Patrū esse potissimum desumptū ex relationibus transcēdentalibus creatis: refutat autē sic primo: quia relationes merè transcēdētales simpliciter loquēdo sunt entia merè absoluta, sicut sunt sapientia, & amor; neqnaquā tamen Patres sumunt vt medium, res absolutas, vt probent diuinas relationes, quæ tam verè, & propriè sunt relationes, vt ad earum imitationē relationes aliæ creatæ omnes tales dicantur, & sint. Secundo refutat, quia relatio transcendentalis non exigit realem distinctionem inter extrema, vt patet in diuina scientia, & amore, quæ sunt relationes transcendentales erga essentiam diuinam, à qua sola ratione distinguuntur. Tertio quoniam relatio, quæ petit terminum actu existentem prædicamenralis est, atqui SS. Patres relati ab eodem Patre *de Trinitate disputat. 90. sect. 2.* probant Paternitatem diuinam petere ab æterno extitisse, & existere filium Dei, 907

Respon-

Respondeo relationes transcendentales in suo modo, & linea esse simpliciter relationes, siquidem quæ ita vicissim referuntur, *sunt simul cognitione, se solent mutuo ponere, & interimere*, quod si soleant dici res absolutæ, non ideo ita dicuntur quod relatiuæ propriè suo modo non sint; sed quia non spectant ad prædicamentum relationis; & sane hoc est admirabile, quod nimirum SS. Patres ferè omnes exemplificent in causis, & causatis, in principijs & principiatis, & in alijs relationibus transcendentalibus, quæ reducuntur ad causas, & effectus, vt probent ex distinctione reali, quæ debet esse in creatis inter principium, & suum effectum existentem, vel possibilem, realem distinctionem intercedentem inter Patrem generantem, & Filiũ
908 eius vnigenitum, & doctissimus iste Pater exempla ea omnia, & id, in cuius gratiam afferuntur, credat pertinere ad prædicamentales relationes; sed desino mirari, quia hoc credit, quoniam forsan cum Modernis opinatur omnem relationem fundatam, *in actione, & passione* esse prædicamentalem, quod esse omnino non verum, monstramus inferius: sane non inconsequenter posset opinari, similiter omnem relationem fundatam, *in mensura, & mensurabili*, vel in quasi mensura, & quasi mensurabili esse prædicamentalem, & sic ego desisterem, nec responderẽ ad secundam, & tertiam refutationem.

Ad secundam ergo refutationem distinguo, relatio realis transcendentalis (quam solam sumunt vt medium SS. Patres) non exigit distinctionem realem inter extrema, nego antecedens: relatio transcendentalis rationis, concedo antecedens. Præterquamquod, licet nos cum *S. Thoma*, isto
S. Thomas. Patre, & cum *Suarez*. d. 47. met. sect. 4. nu. 2. c. 4. & alijs Magistris concesserimus supra quæst. 2. sect. 9. relationes transcendentales veras, & non fictas inter formalitates ratione solùm differẽtes, eæ tamen negantur à multis: quare si principium certum est; quod SS. Patres sumunt, debuit desumi à relationibus transcendentalibus realibus, vt re vera desumptum est, vt apparet in eorum allatis exemplis.

Postremò credo diuinas personalitates esse veras relationes, ac perfectissimas, & illis conuenire illas proprietates relationũ formalium, quas enumerat *Aristoteles* nempè *esse simul cognitione, se ponere, & interimere, valere ad cõuertentia. esse vero simul natura* item quadrat diuinis relationibus propter mutuam quasi dependentiam, quæ est propria relationũ transcendentalium, sine qua facit sic dependentia transcendentaliter referri: præsertim quando diuinæ relationes aliter inter se referantur, hoc est, alio genere relationis fundato in *vnitate*, & *numero*. Etenim diuinæ personæ multiplici genere relationum referuntur, vt sic possint esse exemplaria, quæ imitari valeant omnia relatiua creata, vt iam ostendo; dum ad replicas respondero, & legis nu. 868.

Ad Tertiam respondeo petitionẽ termini actu existentis non esse propriũ quarto modo relationis prædicamentalis, in huius doctoris sententia, quòd ipse fatetur visionem intuitiuã coloris petere actu existere colorem, & tamen relatio transcẽdentalis est: Paternitas similiter, quia petit semper sibi coexistere æternaliter filiationẽ, & sine ea esse non potest, relatio transcendentalis est absolute, licet communiter ab aliquibus dicatur quasi prædicamentalis; tũ quia in eo assimilatur prædicamentalibus plerisque, quas ipsi credunt petere terminos actu existentes: tum potissimum, quia nihil diuinũ proprie sub prædicamẽto est, sed quasi; & quidem ipse Pater *Ruiz* de Trin. disp. 90. sect. 1. non negat diuinas relationes transcendentales esse: atque vere, & propriè tales esse probant P. *Zunica* de Trin. disp. 5. dub. 3. & P. *Franc. Amicus* 1. p. disp. 19. sect. 1. n. 11. & inclinat *Baranzanus* disp. 19. Logicæ, & tenet P. *Arriaga* disp. 12. Logica sect. 7. n. 30. *Castelui* d. 6. d. 1. & Recentiores alij. 909

Vrges primo. Paternitas diuina, & filiatio sũt relationes quasi prædicamentales, sine prędicamẽtales eminentiori quodã modo; & tũ ab essentia diuina ratione differũt; ergo necesse est relationes creatas prædicamẽtales ad illarũ imitationẽ ratione posse distingui à fundamẽto referẽdo ad terminũ. Probas maiorẽ; quia Paternitas petit terminũ actu existentẽ, nempe filiũ, & è conuerso filiatio petit parentẽ existere, quod est propriũ relationũ huius prædicamẽti.

Respondeo distinguendo maiorem Paternitas, & Filiatio sunt relationes quasi prædicamentales comparatæ vt similes, & æquales, vel etiam vt distinctæ, & 910

oppo-

oppositæ. Hoc est vt fundantur *in vnitate & numero*, quo pacto non pendent inuicem, & sunt simul natura; & sic concedo maiorem. vt sunt principium generans, & genitum; hoc est, vt fundantur in originibus, siue *in quasi actione, & passione*, & sic nego maiorem. etenim vt sic non se possunt respicere pure vt terminos, & sine exigentia mutua; iam autem concessimus relationes transcendentales posse formaliter distingui à subiecto.

Vt vero prædictæ relationes diuinæ, siue Personalitates referantur ad inuicem dictis modis, nempe vt similes, vel distinctæ, & huiusmodi aliter, parũ refert quod distinguantur ratione ab essentia diuina, quæ non est ita fundamentum relationis Paternitatis, vt sonat in materia de relatione nomen *fundamentum*, & ita quod essentia diuina, vt referibile fundamentum referatur mediante Paternitate ad filium, siue ad essentiam filij, vt ad alium terminum; quia essentia diuina, vtpote quę vnica est, referibilis ad se ipsam non est, nec se ipsa, neque alia relatione, re ab ipsa, vel ratione diuersa. scio tamen quod in alio longe diuerso sensu dicitur, & est essentia diuina fundamentum relationum, idest earũ quasi basis, sedes, & quasi radix. referret tamen multum distinctio relationum ab essentia diuina, & proinde conduceret ad intentum Recentiorum, si plus quam falso fingeretur habere Filium Dei diuersam naturam, vel affingeretur diuinæ Paternitati v.g. aliquis modulus relatorius magis formaliter, saltem ratione distinctus ab adæquata Paternitate, quo modulo ipsa esset, & referretur vt similis, vel vt distincta, & æqualis filiationi quare sicut diuinæ. istæ personalitates se ipsis sunt extrema similia, ac distincta, & opposita, propter intrinsecas perfectiones suas, vt tradit *S. Thom.* 1. par. quæst. 42. artic. 1. ad 4. & ibi *P. Ruiz*, & omnes alij Interpretes citati supra num. 868. ita oportet esse relata extrema quæuis creata: & ideo diuinæ relationes pro nobis sunt, & eas cęteræ relationes creatæ debent imitari; neque enim tantæ molis, ac difficultatis res est, referri rem se ipsa ad aliam; vt afferendum sit id posse facere, & exercere diuinas relationes, vtpote diuinas, & non posse creaturas. *S. Thomas.*

911 Ad probationem maioris, dico Inferius in Sect. 16. non differre in eo vnam relationem ab altera, quia prædicamentalis petat terminum actu existentem, trascendentalis verò non: quæ doctrina non multum displicet Recentioribus, qui ponunt relationes transcendentales plures petẽtes existere terminos suos, quales sunt actus sensuum externorum, & alij, qui petunt obiecta præsentia..

Vrges Secundo. relatio Paternitatis quęlibet, & quæuis alia relatio transcendentalis non est duorum complexum, sed formalitas ratione distincta à suo subiecto; ergo similiter est relatio prędicamentalis; sed Respondeo, & concedo relationem transcendentalem non esse complexum pluriũ, quemadmodum est prędicamentalis; & ratio discriminis est diuersitas rationum fundandi, nam *vnitas, & numerus*. idest conuenientia, & similitudo, differentia, & dissimilitudo sine dubio dicunt plura; vt supra sępe probatum est, at verò *actio, & passio* licet afferant etiam plura, nempe causã, & effectum, tamen sine dubio causa in ratione potentis causare completa est cum virtute, & perfectione intrinseca, neque virtutem causandi accipit ab effectu. accedit eodem posse distingui in transcendentaliter relatis cum fundamento in re formalitates adæquatè relatorias, non item in prædicamentalibus, vt efficaciter ostendi supra in sect. 9. quare nego consequentiam.

Ad finem dicam breui curiosis, quo pacto hominibus innotuerint diuinę relationes. Habemus, & legimus in sacris Scripturis nomina hæc relatiua, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*. credimus fide diuina eis nominibus significari tres personas diuinas distinctas inter se realiter, sed habentes vnam, eandemque naturam. deinde credimus Patrem generare filium, & Patrem, & filium producere Spiritum sanctum; cum ergo sciamus in diuinis esse Patrem, & Filium, & principium Spiritus sãcti; nominamus personas relatiuas, & relationes habere fundatas in originibus, siue in *quasi actione, & quasi passione*, & meritò sic nominamus edocti a SS. Patribus, & Concilijs, qui præfatas personas diuinas iam olim relatiuas esse dixerunt, ac nominauerunt; quoniam viderunt eis conuenire proprietates, quas diuina prouidentia sic præordinante, posuerat *Aristoteles* pro dignoscendis relatiuis, quas omnes complexus 912 *Aristotel.*

plexus videtur Christus Dominus dicens: *qui videt me, videt, & Patrem meum*, & addere potuit, qui videt Patrem, & me, videt Spiritum sanctum, quoniam vt statuit *Aristoteles*, qui vnum relatiuum nouit alterum necessario cognoscit.

Altera pars Sectionis diluit argumenta reliqua, quæ adhuc prætendunt Relationem non esse absoluta extrema, sed eorum modulos relatores.

Quinto obijciunt, nihil potest intrinsece denominari nisi à forma sibi intrinseca; sed denominatio relati, similis, v. g. est denominatio intrinseca; ergo venit à forma intrinseca. Maior probatur à paritate in materia de relatione præsenti, sic. Pater diuinus est adæquatè, & integrè Pater per quid sibi intrinsecum, vel ad summum ab eo ratione distinctum, ergo nulla relatio creata completur per extrinsecum, præsertim cum hæc illam debeat imitari.

913 Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem; denominatio relati est intrinseca, plerumque ex parte, & sic concedo minorem; omnino, & semper & sic nego minorem: nam *Socrates* denominatur similis *Platoni* à duplici albedine, nempe à propria, & ab aliena; licet enim in genere qualitatis, & albedinis, istæ duæ albedines sint duæ formæ adæquatæ, tamen in genere relationis ex vtraque forma fit vna, quę dicitur similitudo, quæ minus quã è duobus conflari non potest.

Hanc responsionem didici ex S. *Thoma* supra num. 842. scribente proprium relatiuorum esse *denominari non solum ab eo, quod inest, sed etiam ab eo, quod extrinsecus adiacet*, & à *S. Augustino* id ipsum clarius docente à nu. 838. eamque illustrant exempla variarum denominationum. Etenim primo, color quidam dicitur visibilis non solum ab entitate intrinseca, quæ potest terminare visionem, sed etiam ab actu, vel potentia videre potenti; quæ duo colori sunt omnino extrinseca. Secundo obiectum quodlibet dicitur scibile ab intrinseca scibilitate, & ab extrinseca scientia. Tertio animal, & quodlibet aliud vniuersale denominatur prædicabile, tum ab aptitudine intrinseca, tum ab intellectu id prædicaturo. Quarto denique sunt alia, quæ denominantur à forma omnino extrinseca adæquata, sic enim dicitur, columna dextera, color visus, obiectum scitum, & amatum, & fęlix culpa, & huiusmodi aliter, à manu dextra, à visione, scientia, & amore, & Redemptore omnino extrinsecè existentibus, & remotis ab illis obiectis denominatis; Ergo facilius poterunt relata denominari à forma intrinseca, & extrinseca: sed nota caute exempla adducta esse quoque eximias relationes prædicamentales, vt legis infra à num. 939. & alibi frequenter.

914 Ad confirmationem, siue probationem maioris respondent quidam Recentiores concesso antecedenti, negando consequentiam; & reddunt discrimen, quia relationes diuinæ sunt transcendẽtales, huiusmodi verò relationes in se ipsis habent totam suam essantiam, licet quodammodo terminos exigant, & per illos quasi compleantur: secus multo sunt relationes prædicamentales, quæ ex duobus semper constant. Respondent alij in eo esse discrimen, quod Pater æternus referendus sit necessario ad filium per generationem actiuam, quæ nõ potuit non esse Patri intrinseca, vtpotè quæ debuit esse ipsius constitutiua: siquidem hoc est singulare in diuinis, quod productiones non supponant adæquatè constitutas Personas producentes; in creatis vero Pater quilibet antequam producat, existit homo completus, ac distinctus à filio producendo; vnde illum generat per generationem receptam in filio, & Patri ipsi extrinsecam, per quam potuit denominari relatus quomodolibet, hoc est, prædicamentaliter, siue transcendentaliter ad filium, vt patet ab exemplis allatis.

Quare, vt semel dicam, quod sentio, diuinæ relationes quoniam singularissimæ sunt exemplum nõ habent, neque possunt afferri in exemplum, quod possint creatæ relationes æmulari. Paternitas ergo diuina tota est in Patre, quoniam ea constituitur ex principio generanti, & origine actiua, quæ duo identificantur in Patre propter talis Patris infinitum Pelegus perfectionis, & eiusmodi Paternitas sine dubio est relatio transcendentalis ad filium, quem petit quoque existentem, & necessario exigit cum quadã quasi dependentia ab ipso: Pater-

S. Thomas. S. August.

Pate nitas verò creata est quoddam extrinsecum concretum constitutum ex Patris potentia generatiua, & generatione actiua producente filium, & in ipso existēti, modo profecta à Patre creato, modo à Deo vicem Patris supplente, & huiusmodi Paternitatem opinor esse item relationem transcendentalē, vt declarabo infra n. 931.

915 Sextò obijciunt quoduis genus entis, quod naturaliter possibile est, & spectat ad pulchritudinem vniuersi, existere credendum est; sed modus pululans, aut quasi pululans realiter, aut ratione distinctus à subiecto, posito termino, est ens possibile, & spectat ad pulchritudinem vniuersi; ergo talis modus concedendus est.

Respondeo concessa maiori, negando minorem. etenim quod frustra, & inutile est, naturaliter impossibile est, siquidem *natura nihil facit frustra*, quod autem modus ille vterque frustra sit, monstrat illud axioma dicens, *non sunt facienda per plura, quæ possunt fieri per pauciora*. cum autem supra ostensum sit sufficienter extrema ad inuicem referri formaliter, esse inter se conuenientia, & similia, dissimilia, distantia, & distincta, & huiusmodi aliter; ac esse simul natura, & cognitione, se ponere, & perimere, & valere ad conuertentia, per suas intrinsecas perfectiones; superfluit modus, qui ponatur in eum finem, & qui sit ratio formalis referendi. quare ex modulo superfluo, atque otioso non potuit accrescere pulchritudo vniuerso, quod adornatur varietate quidem entium, sed vtilium, & ad ornatum necessarium spectantium.

S.Thomas.

Vltimo obijciunt moderni. *relatio*, saltem secundum esse *ad*, *est cuius totum esse est ad aliud*. ergo adæquate inest fundamento, & nullatenus completur per terminum, secus, si nimirum termino extrinseco compleretur, iam non esset suum totum esse adæquatum ad aliud, siue ad terminum: ex quo vlterius fit relationem debere esse integram formam, & modum fundamenti, medio quo ipsum referatur ad terminum. Sane hoc argumentum non conuincit relationem esse debere modulū fundamenti, licet probare videatur adæquatam, & totam relationis essentiam reperiri in fundamento, contra ea, quæ dicimus infra in vltima Sectione, & ideo ex ibi videndis, ac dicendis.

Respondeo primò. pro Patribus *Lugo*, *Herice*. *Hurtado*. *Arriaga*, & alijs multis, qui me docuerunt relationem ex vtroque extremo in recto, vel altero in obliquo constare, illam definitionem diminutam videri, Hanc vero esse *Aristoteli*, & *SS. PP. Augustino*, & *Thomæ* magis conformem. *Relatio prædicamētalis est habitudo vnius ad alterum per vtrumque constituta*, siue *est ad aliud, & per aliud*. quoniam, vt ait expressius S. *Thomas* 1.2.q.7.artic.2.ad 2. *relatiua denominantur, non solum ab eo, quod inest, sed etiam ab eo, quod extrinsecus adiacet, vt patet in dextro, & sinistro, æquali, & inæquali & similibus*. & ad maiorem abundantiam addo in ista opinione locum tenere illam definitionem, quatenus relationis esse sine adæquate, sine inadæquate sumatur, totum videbitur esse ad aliud, nempe ad illud, in cuius cognitionē nos ducit. nam scientia scibilis, & Pater filij, & seruus domini, & similitudo aliquorum sunt, & cætera relatiua aliorum esse dicuntur.

Aristot. S.Thom.

Respondeo secundo, ex *P. Suarez* in metaph. disp. 47. sect. 2. & 3. num. 22. & 8. n. 9. & alijs allegatis infra, in sect. vltima, qui existimarunt adæquatam formam relationis inesse fundamento, siue subiecto, sed connotari necessario terminum, tanquam requisitum, vel conditionem. putant, videlicet albedinem *Sortis* esse adæquate relationem, qua ipse sit, & dicatur similis *Platoni* parem in gradu albedinem habenti, ita quod *Sortis albedo, sit quoque similitudo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum*; & *albedo si qualitas sumpta seorsim*, & *relatio comparata* cum alia albedine. vt toties supra nobis tradiderunt nostri tres præceptores *Aristoteles*, *SS. PP. Augustinus*, & *Thomas*. Ergo non conuincitur à modernis quod relatio sit modus, licet totum eius esse sit ad aliud, vel insit tota ex parte fundamenti. 916

Aristotel. S. August. S.Thom.

Sed instas, nequit verificari totum esse relationis esse ad aliud, nisi concedatur entitas omnino ad referendum destinata, vel adæquate secundum conceptum *in*, & *ad*, vel inadæquate secundum conceptum *ad*, ergo relatio nequit esse entitas absoluta, neque absolutorum consortium, sed modus physicus, vel metaphysicus, & confirmatur a paritate, quia sicut ponuntur alij modi, nempe vbi, & actiones, vt res constituantur

tuantur in loco, & in exercitio operandi, ita ponenda est entitas omnino seruiens ad referendum, & ad nihil aliud.

Nego antecedens. Sat est adhoc, vt totū esse relationis ad aliud esse dicatur, vt sub consideratione relationis in albedine, v.g. non veniat aliud nisi esse *ad*, idest habitudo, qua conuenit cum socia albedine, cui est similis, vel cum qua facit similitudinē, reliquum enim quod aliunde habet albedo ex alijs capitulis, & titulis, non est esse relationis; & ideo superfluit, & necessaria non est alia noua entitas modalis, quæ solum ad referendum sit destinata, sine alio officio, & à nobis non conceditur, quia non habet sufficiens fundamentum, & cognita non fuit à nostris Magistris *Aristotele*, Sanctis Patribus *Augustino*, & *Thoma*, qui vnanimiter cum alijs compluribus, vbique tradiderunt res huius vniuersi omnes sufficienter, dici, & *esse similes, & magis, vel minus similes, & dissimiles per qualitates: aquales, & inæquales, per quantitates: atque easdem, & diuersas per proprias substantias*, vt abunde monstratum est in superioribus. quod si quid simile nos docuissent de vbicationibus, & actionibus, simili modo modos istos nos negaremus, de quibus tamen tractabimus inferius in quæst.7. vbi *Aristoteles, S. Thomas, S. Augustinus*, & graues alij Doctores videbuntur opinari vbi, Situs, Actiones, & alia prędicamenta, non esse modos nouos, sed extrinsecas denominationes, siue relationes, ex quo patet responsio ad instantiæ confirmationem.

Aristotel. S. August. S. Thomas.

917 Videatur præterea, & consideretur attentius relatiuorum definitio tradita ab *Aristotele* in principio huius quæstionis, vbi definit *relatiua esse, qua hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere*. ad cuius verificationem rigorolam nullo modo cogimur admittere modulum, qui munus aliud non exerceat, nisi referre, siquidem albedines duæ v. g. inquantum relatiuæ, aut similes, non habent aliud esse nisi adse inuicem habere quodammodo, idest conuenire interse, & quandam paritatem, & cognationem habere. Vnde illa definitio, quam effinxerunt conformiter ad suas opiniones, moderni, & nobis obiecerunt tanquam commune principium, Aristotelica non est, & ideo non admittenda sine discreta explicatione, siquidem, & ipsi debent fateri suos modulos accidentia esse, & subiectis petere inhærere, nec totum illorum esse, esse ad aliud se habere.

Tertia pars huius Sectionis II. explicat, & impugnat magis modulos istos Relatores assertos, Physicos seu Physicè à subiectis suis, & terminis, continuo, & incessanter pululantes.

Quamuis hic sit nostra principalis intentio, vt patet ex titulo, refellere modos physicos realiter distinctos ab extremis referendis; Verumtamen nostrę impugnationes contra metaphysicos, & sola ratione distinctos ex parte procedunt. Sic argumentor. Etenim præterquamquod modulus vterque relator superfluit, & necessarius non est ad pulchritudinem varij vniuersi, vt paulo supra dicebam; ex alia parte consideratus est impossibilis propter duo alia impossibilia, quæ secum necessario, & inseparabiliter inuoluit, primum est, quod iam superius tactum est, nempe quemlibet ipsorum concessum simul fore relationem prædicamentalem, & non fore, sed transcendentalem. probo hanc contradictionis partem secundam, nam prima inconfesso est apud omnes modorum fautores. quoniam illa est relatio transcendētalis, quæ non respicit terminum pure, vt terminum, sed ab ipso speciem sumit, ac pendet; Sed vterque is modus ita se haberet; ergo non esset relatio prædicamentalis, sed transcendentalis. Minorem concedunt modulorum authores, & persuadentur efficaciter suis ipsorum rationibus; Siquidem & ipsi confitentur vnanimes, suos modulos esse inter se inuicem differentes secundum differentiam terminorum respectorum; & a terminis respectis in suo esse specifico, ac duratione pendere. Consequentia vero nostra bene infertur.

Ex quo colligitur vlterius, non tantum connaturaliter dependere modulos istos 918 relatorios à suis terminis, & subinde trāscendentales esse, vtpote respectus erga terminos non pure respectos; Verumetiam subiecta, siue fundamenta modulorum eorumdem meritis, & occasione ipsorum, ab eisdem quoque terminis dependere, & cū ipsis connaturalem affinitatem, & connexio-

forent infiniti simpliciter in numero, licet termini, siue obiecta cognita facerent finitum quidpiam, quod si non conuinco, dici simili modo posset non esse infinitas simpliciter perfectiones quasdam diuinas, nempe scientiam & omnipotentiam Dei, ex eo quod non possit illa scire, neque hæc producere infinitas creaturas actu existentes, in quorumdam opinione, qui putant fieri non posse quidquam infinitũ, si videlicet infinitudo rei, & magnitudo à terminis tam extrinsecis desumenda, ac penes ipsos mensuranda foret; & posset eiusmodi, aut similis scientia, & potentia concedi perfectissimæ cuidam creaturæ, quæ non propterea infinita simpliciter putaretur, quantumuis posset plures creaturas, & plures syncategorematice producere, & intueri.

Præterquam quod iam assignaui, in exemplis terminos æquales communicãtes, nempe dimidium illis libri cum vna parte modo, modo cum pluribus, vsque in infinitum. Atque exemplificare possem comparando duas portiones caloris, quarum vna haberet gradus quatuor, altera vnum, procedendo sic, isti calores similes sunt attento primo gradu, deinde excedit alter alterum, ac dissimilis est per partes infinitas existentes in 2. 3. & 4. gradu, vnde si addas supra primum gradum vnam partem solam, & compares cum altero calore, habebis vnam relationem dissimilitudinis; si addas duas, aliam maioris dissimilitudinis, & sic plures in infinitũ.

Tertium exemplum est. Etenim si Petrus referatur ad Paulum per modalem similitudinem, ad hanc quoque referri necesse erit per aliam, vt ab ea diuersum, vel dissimilem, aut perfectiorem, & aliter per alium modum, & ad istum per alium, & sic sine fine, neque enim congruè dicetur Petrum referri vt distinctum perfectiorem, proximum, dissimilem, & huiusmodi aliter per primum illum modum, qui solummodo est ratio similitudinis, seu similefactoria inter ipsum, & Paulum, vnde merito P. *Ruiz.* de Trinit. d. 103. sect. 4. n. 4. non putauit negasse *S. Thomam* 1. p. q. 42. a. 1. ad 4. posse referri vnam relationem per aliam diuersi generis.

922 Propter hæc incommoda quidã alius Recentior, vt ab eis se liberaret in aliud impegit dicens in vnoquoque subiecto ab initio sui esse, inesse vnicum tantum modulum relatorium formaliter assertum, sed tantæ eminentiæ, ac tam variæ, & admirabilis virtutis, vt solus ipse referre possit illud ad quemuis terminum, & quocunq; modo, & genere referendi, nempe vt simile, dissimile, maius, minus, distans, proximum, doctius, indoctius; vt Patrem vt filium, & huiusmodi aliter. Sed nemo non viderit hoc quoque esse impossibile; non secus atque impossibile communiter censetur reddi, ac dici rem albam, & nigram, calidam, & frigidam, & huiusmodi aliter, per qualitatem eamdem. Satius sane erit ingenue fateri cum sacra Scriptura, SS. Patribus, & *Aristotele* referri res inuicem per perfectiones suas, non per modulos istos relatorios superfluos, & impossibiles. Sed Magister *Castelui* d. 6. dub. 8. qui sine scrupulo concessit istos processus infinitos, relinquitur refellendus ad libros Physicorum.

Ad finem nequeo satis mirari, quando video multos Recentiores, quasi agmine facto, impetere sententiam veram; quando illis directè proponitur, cum tamen ijdem eadem veritate vtãtur pro ex emplo præclaro, vt emolliant, probent, suadeãt, ac declarent plures alias opiniones suas: quod mihi non leue indicium est, vt mihi persuadeam vlam, quam inimus, esse planam, facilem, securam; quod si adhuc à paucis hæc via atteratur, id vos cõsoletur, quod curauerimus ire, qua eundum est, non qua ibatur, omnino nobis persuadentes à posteris imitandos fore, si ab eis scripta hæc nostra videantur: id quod iam in multis ingeniosis viris, & qui non quolibet vento doctrinæ mouentur, experimenta comperimus.

SECTIO XII.

Decernit res omnes etiam substantiales posse esse subiecta, & fundamenta, vt vocant communiter, remota, *& terminos Relationis; & vnam relationem posse fundare aliam; vbi de prima ratione fundandi Relationes, idest,* de Vnitate & numero, *tractatur potissimum.*

Rem facilem disquirimus in præsenti, 923 nempe quæ sint, aut possint esse relatio-

stantiæ, sed licet *Aristoteles* in hoc capite videatur sentire primas substantias non esse relatiuas, bene tamen secundas; quia tamen dubitanter procedit; & aliquanto inclinat circa finem capitis, in partem afferentem primas item substantias relatiuas videri, & clarius in 5. libro metaphys. cap. 15. & 2. Phys. tex. 26. & alibi: dicendum puto, quod superius iam dixi num. 881. cum communi Philosophorum, & Theologorum sententia omnes substantias, nulla dempta, relatiuas esse, siue relationum immediata fundamenta, quod tandem fatetur infra S. *Thomas*, & in Commentario super illud cap. 15. metaphysicæ in sua lect. 17. vbi definit *relationem identitatis*. & quæstio. 7. de Potentia artic. 9. ad 4. quem imitantur *Caietanus* 1. par. quæst. 28. art. 1. ad 2. *Zumel* ibidem quæst. 6. conclus. 4. *Ferrara* 4. *contra gentil.* cap. 14. *Soncinas* 5. metaphysic. quæst. 3. *Ianellus* quæst. 22. *Suarez* in metaphys. disput. 47. sectio. 6. & 7. num. 4. & hic in Logica, *Rubius*, quæst. 10. *Auersa* quæst. 25. sect. 4. *Castelui* dispur. 6. de Relat. dub. 7. *Blanch* sect. 7. de Relatione. *Vasquez* 1. par. disput 137. num. 1. Magister meus, & communiter Recentiores contra *Fonsecam* in 4. metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 8. & alibi, *Masium* hic sect. 5. quæst. 6. artic. 5. *Toletum*, & alios negantes substantias referri cum S. *Thoma* aliquando sic opinante, vt habes supra num. 881. quandiu credidit cum *Aristotele* relationem ex *accidentibus* componi, siue *causari*, a qua tamen opinione cum Philosopho discessit, vt sæpe vidisti supra, & videbis infra, & merito; quis enim neget Petrum, & Paulum similes esse, vel eosdem in natura, & item diuersos, & ita esse reliquas singulares substantias multifariam referibiles? vt bene *Damasc.* c. 50. & iterum optimè S. *Thom.* Opusc. 48. tract. 5. c. 4. & alibi cum Philosopho nobis tradiderunt.

Aristotel.

S. Thomas.

Aristotel.

S. Thomas.

925 Secundo duæ quantitates relatiuæ sūt, ex quātitate enim continua, atque discreta petuntur exempla, quæ congerit in suo capite *Aristoteles*, vti sunt Duplum, simplum, siue Dimidium, maius, minus, æquale, inæquale, excedens excessum; paruum, magnum, multiplex; & generaliter docuit *maxime proprium quantitatis esse, vt per eam extrema quāta, æqualia, & inæqualia reddantur, & dicantur*. Vide quo pacto concludat Philosophus caput secundum Prædicamentorum, aut lege nos supra in Sectione 3. §. *Probatur* 3.

Aristotel.

Tertio duæ albedines, aut quælibet aliæ duæ qualitates relatiuæ sunt, & relationes, vt aiebat supra in illa sectione *Aristoteles*, ibi, *proprium est qualitatis secundum eam simile, vel dissimile dici*. Similiter dicendū est de rebus alijs omnibus pertinētibus ad prædicamenta reliqua, comparatis inter se inuicem, & cum rebus eiusdem, vel diuersi prædicamenti; sicut enim nihil est in rerū natura, quod non sit simile alteri, & dissimile, æquale, vel inæquale, remotum, vel proximum, idē in specie, vel diuersum; ita nihil est liberum ab innumeris relationibus: propterea dixisse reor *Aristotelem* in 5. metaph. c. 15. *quodcumque enim contigit, aut æquale, aut nō æquale*, idest, quæcūq; sunt, æqualia inter se sunt, aut inæqualia, in quantitate, in, perfectione, vel, in essentia, aut alijs perfectionibus, & proprietatibus, *species enim rerum sunt sicut numeri*, idest in perfectione se excedentes, & inæquales, quanto magis genera, & prædicamenta, & consequenter omnia relatiua sunt, aliquo modo ex dictis, omnia fundant relationes, vnumquodq; videlicet secundum genus, vel modum suum.

Aristotel.

Infertur Quarto vnā, siue quamlibet relationē posse fundare aliā quampiā, & esse terminū alterius. etenim cū nihil aliud sit in nostra sententia *Socratem* esse formaliter similē *Platoni* in albedine, & similitudinē inter vtrumq; quā pares albedines existentes in vtroque; & præterea esse similē *Ioannē*, & *Antoniū* in sāctitate, nihil aliud sit, quā sanctitates vtriusq; in perfectione æquales; prima duo relatiua similia cōueniunt cū istis secundis proportione sua, nā sicut illi duo homines sunt, aut fuerūt similes in albedine, ita etiā isti similes sunt in sanctitate, ex qua proportionali similitudine, & cōueniētia, vel vnitate, quasi resultat tertia relatio inter ea binaria relatiuorum, quę sunt, & dicuntur inter se similia.

Allud exēplum est quidam homo, qui fit Pater alterius hominis filij, inter quos datur relatio Paternitatis, & Filiationis, & similes relationes dautur inter duos leones, quorū vnus sit Pater alterius. Ecce illi duo homines, & isti duo leones sunt similes in habēdo relationes prædictas, & cōsequē-

926 ter fundât relationẽ aliã similitudinis nouę; possunt ergo relationes aliæ esse subiecta, & fundamẽta, siue extrema aliarũ; neque ex hac clara doctrina sequitur processus infinitus relationum, quia finita sunt entia facta, & facienda, etiã factis cõbinationibus infinitis, neque contrarius est S. *Thomas* 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. sed fauet dicens vnã relationem non referri ad aliã per aliã, sed se ipsa multis modis, & sic Paternitatem, & filiationem per semet esse reales distinctionis, & oppositionis relationes, vt ibi tradũt communiter Interpretes, & *Ruiz* de Trin. disp. 103. sect. 4. num. 11.

S. Thom.

Postremo circa modũ loquendi in hac ratione fundandi aduerto duo, siue reuoco in memoriã ex n. 837. Primũ prius aduerterat *S. Thom.* opusc. 48 trac. 5. c. 4. *de prædicamento ad aliquid* ex mente *Aristotel.* 5. met. c. 15. nimirũ *vnitatem, & cõuenientiã* repertã in substantijs dici *identitatem*, siue Identitatis relationem; repertã verò in quantitatibus, denominari *æqualitatem*; in qualitatibus autem appellari *similitudinẽ*: ibi. *nihil obstat quia relatio possit fundari immediatè in substantia. nã in vno in substantia fundatur identitas, in vno in quãtitate æqualitas, in vno in qualitate, similitudo*, atque in *numero* substantiarũ siue earum disconuenientia fundatur *diuersitas*; in disconuenientia quantitatum, *inæqualitas*, in differentia qualitatum, *dissimilitudo*: quamuis, vt adnotaui in allegata sectione, vocabula isthæc sæpius inuertuntur, & à propria significatione distrahũtur.

927 Secundum est, in vera nostra sententia, quandoque reperiuntur subiecta, siue fundamenta remota relationum, semper autem subiecta proxima, & fundamenta sunt eædem relationes. *Socrates* v. g. & *Plato* comparati, vt consimiles in albedine dici possunt subiecta, siue fundamenta remota relationum, comparati verò, vt consimiles in natura humana subsistenti, ipsi sunt proxime relatio, subiecta, & fundamenta, sicut & extrema relationis identitatis, vt supra n. 819. & alibi dictum est; sed magis conformiter ad rei veritatem, & *Arist.* mentẽ, dicentur relationis principia, & elementa.

Aristotel. S. Thom. sup. n. 878.

SECTIO XIII.

Exponit secundum Relationis genus, quod vocant alij secundã rationẽ fundãdi *quæ dicitur* actio, *&* passio, *& qua mihi tradi videtur pro solis Relationibus trãscẽdentalibus; quid sit formaliter esse Patrem, & filium, seu filiatio, & Paternitas; & respõdet argumẽtis.*

SEcundum relationis genus, siue secunda ratio fundãdi, cuius meminit *Aristoteles* 5. met. c. 15. est *actio, & passio*, quare vbicumq; reperiãtur Actio, & Passio, vel quasi actio, & passio, ibi continuo relatio erit, id est ea omnia, quæ inter se se habent, vt causæ, & effectus, vt producens, & productum, vel vt principia, & principiata; siue eiusmodi causę actu producãt effectus, vel cõseruent, siue olim eos produxerint, & nunc iã cessarit productio, relata dicuntur propter Actionem, & Passionem; & ita referuntur Pater æternus, & Filius eius: vterq; & Spiritus sanctus; Deus, & creaturæ, Sol, & Solis effectus, Patres creati, & eorũ filij, & causæ reliquæ, vnaquæq; cum suis effectis cõparata ob prædictam rationem fundandi Actionis, & Passionis, siue quasi actionis, & quasi passionis; referuntur inquam formaliter tanquam per formam referendi vltimam per eam, quam vocant rationem fundandi. &

Aristotel.

Probatur. etenim per ipsam relata extrema *sunt simul sin minus natura*, quoniam eorum alterum est causa alterius, & subinde prius natura, quam ipsum, *saltem cognitione; & quoduis eorum prius cognitum nos ducit in cognitionem alterius sibi correspondentis, & ambo valent ad conuertentia* ex meritis vi, & ratione huius rationis fundandi; ergo per ipsam formaliter referuntur: antecedens est certum attestante veritate ipsa diuina, Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, vnde si nouisti Patrem, vel creatum, necessariò agnoscis filium, & vice versa; quoniam Pater alicuius filij est Pater; & filius Patris alicuius filius est; ideo sapienter dixit *Augustinus* tom. 10. in serm. 1. de tempore in festo SS. Trinitatis circa finem, *non enim potest appellari filius, nisi habuerit Patrem, quando dicitur Pater, non dicitur nisi habuerit filium*; vbi S. Pater sat putat ad hoc, vt quis dicatur Pater, quod olim genuerit, licet actu non foret filius; sicut vt dicatur filius, quod genitus à Patre fuerit, licet modo non viuat Pater. & ideo loquendo de Patre suo defuncto, dicit tom. 2. epist. 72. *nam cum recordor Patrem meum, id vtique recor-* 928

S. Ioann.

S. August.

recordor, quod me deseruit, & nūc non est.

Sed quoniam causæ omnes non solum, vt considerantur in actu primo, in ordine ad effectus, quos valent producere; verum etiam sumptæ in actu secundo, & quando producunt ipsos, non possunt eos respicere pure vt terminos; siquidem, vt est communis opinio, ab eis dependent, aut quasi dependent; mihi persuadeo istam rationem fundandi traditam fuisse ab *Aristotele* pro solis relationibus transcendentalibus Patet ex dictis; quoniā per actionem, quæ est relatio, qua refertur Pater ad filium, pendet Pater, vt Pater est, idest vt agens, aut generans à filio; & similiter pendet à Patre generante filius per passionem; ergo Pater, & filius mediante ista ratione fundandi referuntur solū transcendentaliter; & confirmatur id ipsum ex *Aristotele*, qui supra nu. 832. vt ibi ante me adnotauit *P. Vasquez*, enumerabat tria genera, & tres classes differentes relationū formaliū, non autē tria genera rationū fundandi, vt vulgo putant Recentiores, inter quas relationes posuit Actionē, & Passionē; sed hę sunt relationes trāscēdētales, vt nemo diffitetur; ergo extrema, quę per eas referuntur, trāscendentaliter referūtur.

Aristotel.

929 Sed contra dicis primo. Pater refertur ad filium, (& idem dicendum de quauis alia causa in ordine ad effectus suos) ac ipsum respicit vt actu existentem, siue vt coexistentem sibi; ergo relatione prædicamentali, & non transcendentali; siquidē Pater a filij sui existentia non pendet, cum superstes soleat esse filio defuncto; ergo in Actione, & Passione fundantur relationes prædicamentales, antecedens probatur; quia esse Patrem quempiā nihil aliud esse videtur, nisi eum, qui genuit coexistentem cum genito, ita quod Paternitas coalescat ex generante, & filio genito coexistentibus, sicut fratres, & sorores sunt duo, aut plures coexistētes, & *fraternitas*, & *sororeitas*, eis pluribus coexistētibus cōponūtur.

Respondetur distinguendo antecedens, Pater refertur ad suum filium actu existentem, siue sibi coexistentem relatione Paternitatis, siue fundata in *Actione*, & *Passione*, & quæ non sit transcendentalis, nego antecedens; Pater refertur ad filium actu sibi coexistentem, alijs relationibus prædicamentalibus fundatis in vnitate, & numero; nempe tāquā ad similē, distinctū, æqualē, vel inæqualē, sibi coexistentē in eodē tempore, aut loco; cōcedo antecedens; quoniā nomen *Pater*, in magis rigorosa acceptione, qua significat genitorē, & innuit filiū, eosq; ambos adhuc viuentes, & sibi coexistentes, indicat duo genera relationū; prima est relatio transcendentalis, quæ est generatio, quæ est, vel fuit; secunda est prædicamentalis, quę est amborum coexistentia: prior illa fundabatur in *actione*, & *passione*, de qua Physice, nil nisi nomina perteneerant, quæ sunt *Pater*, & *filius* Secunda verò hæc fundatur modo in *vnitate*, & *numero*, & ideo negatur consequentia.

Ad antecedentis probationem dic, esse Patrē in diuinis, & creatis esse personam generantem, quæ necessario inuoluit generationem, quæ est ratio formalis generandi, & subinde Paternitas; quæ Patri diuino est intrinseca, & ipsius constitutiua propter rationes Theologorū, Patri verò creato extrinseca, & accidentaria est, vt iam declaro infra. quare dici non debuit Patrē creatū esse generantē, ac genitū simul, neque Paternitatem, aut filiationem ex vtroque sibi coexistente cōstare, quia iste modus dicēdi præterquam quod videtur esse contrarius veritati, quam paulo ante nos docuit *S. August.* dicens Patrem esse, qui genuit, & filius, qui genitus fuit, scandalizat graues viros, qui propterea veram opinionem hanc nostram de relatione reijciunt, ne cogantur admittere Paternitatem diuinam esse monstrosam quamdam quasi compositionem ex prima persona, & secunda, quę nō sit magis prima, quam secunda, & alia absurdissima, quæ inde consequūtur: a quibus absurdis, licet ego me facile expedio, ac libero, dū dico Paternitates omnes esse relationes trāscendētales; quæ proinde nō constituuntur per terminos pluſquā, tāquā per quędā extrinseca cōplementa, & quasi terminos in obliquo requisitos, Amici mei non item: deinde ad id, quod additur de fratribus, & sororibus, dic eas esse relationes prædicamētales, quæ potuerūt coalescere ex extremis: ex eo enim duo fratres tales sūt, ac dicūtur, quoniā sūt duo habētes *vnitatē*, & conuenientiā in generatione orta ex eisdē Parentibus, & idem de sororibus, et nepotibus, et alijs ascendentibus, aut posteris collatis inuicem dicendū est. 930

Consonat his *S. Thomas* in 5. met. lect. 12. lit. C. et pulchrè in 4. d. 45. quæst. 1. art. 1. ad 3. *S. Thom.*

ad 3. declarat eodem modo relationes fraternitatis, & affinitatis, & alias.

931 Contra dices Secundo, accidentale est Petro v.g. Patrem esse Ioannis, siue Paternitas, qua refertur, vel relatus fuit actu ad Filium Ioannem; sicut & accidentalis est, & prædicamentalis relatio, qua quilibet Pater refertur ad generationem, & causa causans ad actionem, qua causat; ergo ea relatio nunquam fuit transcẽdentalis. Respondeo concedẽdo accidentale quidẽ esse Petro Patrem esse, aut fuisse, siquidem generatio actiua, quæ est; vel fuit; & qua ille genuit, & qua est Pater formaliter, eidẽ est valde extrinseca, vtpote quæ licet ab ipso Petro prodijt, transiuit ad filiũ, & filio adhæsit intrinsecè; sed verò non concedo Petro Patri Paternitatem, siue generationem actiuam esse accidentalem, aut extrinsecam, quia Petrus Pater, est Petrus actu generãs, siue complexũ ex substantia Petri, & generatione, quod coniunctum numquam respexit filiũ purè vt terminum, sed ab ipso pependit, saltẽ ratione vnius partis, quæ est generatio actualis, seu Paternitas. quare Paternitas semper fuit relatio transcendentalis, dum in rerum natura fuit; quando autem desijt esse; desijt quoque relatio transcendentalis inter Patrem & filium; perseuerant tamen inter eos, tum nomina relatiua transcendentalia, quæ bene applicantur illis, quæ quondam genuerunt, & geniti sunt; tum etiam relationes aliæ prædicamentales fundatæ id *vnitate*, & *numero*, quibus dicuntur coexistentes, similes, & huiusmodi aliter relatiua; atque eodem genere relationũ refertur quælibet causa ad causationem, siue actionem, qua actu causat effectum quempiam, quatenus ab eiusmodi causatione actuali non pendet. licet ipsa actio causatiua ex parte sua referatur mutuo, non tantum prædicamentaliter vt coexistens, vt dissimilis, & aliter, erga causam sui; verumetiam transcendentaliter, quatenus ab ea sua causa specificatur, ac pendet.

932 *Aristotel.* Ratio huius doctrinæ in sententia *Aristotelis*, quæ ponit relationes formales esse ipsas, quas dicunt alij rationes fundandi, perspicua demonstratio est. Etenim si paternitas non est modulus aliquis, nequit esse inter Patrem & filium actu existẽtes, præterita iam, ac destructa generatione, de præsenti, relatio alia, nisi quę coalescat ex his duobus hominibus, qui coexistentes sunt, eiusmodi autem relatio nõ est actio, neque passio, & sic neque fundata in *actione*, & *passione*, sed in *vnitate*, & *numero*, quatenus in eo conueniunt, quod vterque is homo existat; sed verò nõ dicitur vnus Pater alterius, quia hic illi coexistat, sed quia contigit hunc ab illo quõdam genitum; quamuis ea iam sit communiter persuasio, vt nomina *Pater*, & *Filius* inuoluãt relationes duas, alteram transcendentalẽ, quæ sit, vel fuit; alteram prædicamentalẽ, qua coexistere dicuntur Pater, & Filius.

Contradicis Tertio, Pater, & Filius actu existentes sunt simul natura, & cognitione, & conuertuntur, sicut seruus, ac Dominus, ratione relationis prædicamentalis fundatæ in generationibus actiua, & passiua; ergo non referuntur transcendentaliter tantum. Probas antecedens primo, quia prius est fundamentum, seu ratio fundandi, titulus, & occasio relationis, quam ipsa relatio, ergo Paternitas non est actio, sed quid distinctum ab ipsa resultans, & posterius ipsa, dicente præsertim *Aristotele* 13. metaph. cap. 4. *relationem esse qualitate, & quantitate posteriorem*, idest, rationibus fundandi.

Probas id ipsum Secundo, quia qui videt Patrem existentem necessario videt, & cognoscit filium existentem; & e conuerso, qui videt filium existentem, videt & Patrem suum existere: quia nimirum in Patre videt quẽdã modũ pululãtem perseuerantem in eo, toto tempore, quo filius viuẽdo perseuerat, qui modus veluti index monstrat filium existere, ac si Deo placet, ostendit, quod sit nomen eius; & aliũ modum videt in filio monstrantem similiter existere Patrem, vt ita per istos modos Pater, & Filius sint simul natura, & cognitione, & valeant ad conuertentia, ac respiciant se prædicamentaliter, se ponant, & interimant.

Respondeo negando antecedens. ad eius prioré probationem dic etiam in nostra opinione Aristotelica dicẽte relationes esse ipsas rationes fundandi, non incõgruè adhuc dici posse relationes resultare ex alio præcedente, quamuis finaliter ex ipso præcedente constent; vt patet in homine, qui resultare dicitur ex vnione animæ, & corporis, & partes ipsius hominis quodam 933

modo

modo priores esse toto composito, quatenus illud causant; neque contrarius est veritati Philosophus in lib. 12. metaph. c. 4. siue in lect. 4. S. Thoma dicens, *prius autē est elementum*, siue principiū, *quā quorum est elementum*; cum ergo qualitas, & quantitas sint elementa, siue principia relationum similitudinis, & æqualitatis; vt supra dictum est, meritò dixerit supra *Aristoteles relationis categoriam esse posteriorem qualitate, & quantitate*. deinde actio quoque generatiua, vt est actio generans, & producens filium, est fundamentum, & nostro modo intelligendi prior, quam ipsa vt est Paternitas referens Patrem ad filiū, siue vt relatio est, & ideò relatio item trāscendentalis dici quodāmodo potuit resultare ex aliquo præuio fundamento, titulo & occasione præsente. vnde probatio non concludit ex resultantia admitti debere Paternitatem, vel esse modulum denuo physicè resultantem ex Patre, neque eam conflari ex Patre simul, & filio.

Aristotel. S. Thom.

Secūda Probatio cōtinet doctrinā falsā, & confictā: nā in primis ille modulus index assertus à te fingitur coloratus, vt à te solo videatur, non autem productus vnquā fuit à natura, *qua nihil facit frustra*, vt ait *Arist.* lib. 4. de Partib. anim. c. 13. quare *S. August.* licet lynceos oculos habuerit, videre nunquā potuit modulos istos relatorios in genitoribus erga genitos, audi illum loquentem in rem hanc plusquā appositissimè tract. in Ioan. post init. in tom. 9. ibi *videtis autem fratres quemadmodū gallina infirmetur cum pullis suis, nulla alia auis, qua sit mater agnoscitur: videmus nidificare passeres quaslibet ante oculos nostros, hirundines, ciconias, columbas quotidie videmus nidificare, quos nisi quando in nidis videmus, parentes esse nō agnoscimus; gallina verò sic infirmatur in pullis suis, vt etiam si ipsi pulli non sequantur, & filios non videas, matrem tamen intelligas*; non vtique per modulum affinctum gallinæ matri, sed per indicia quædam, quæ sunt vestigia generationis, siue quæ audientes gallinæ raucitatem, manuducunt in cognitionem filiorum eius.

S. August.

234 Deinde falsò effingitur modulus, qui mōstret præsentē filiū, aut Patrem, quoniā in acceptione communi Pater dicitur, & est, qui genuit, vel semel, etiāsi generatio præterierit, & iam non extet, quinimo etiamsi genitus filius non sit, dummodo fuerit, aut certò futurus sit; & ideo Petrus existens dicitur Pater filij defuncti; & è contra filius existens dicitur filius Patris emortui, vti dictus fuit Christus Dominus *Filius David*, & rursus *Pater futuri sæculi*, & Abraham *Pater multarum gentiū* futurarū, vocatus est. vbi operæpretiū esset, vt aduerterent modulorū authores, & viderent referri Patres existētes ad filios destructos, & vice versa, & quidē in eorū opinione prædicamētali relatione, quę non poterit habere terminum actu existentem, & consequenter modulus non erit, sed ad summum Patris præsentis, & filij absentis complexum.

Sed instas, quid ergo est in Patre existēte, & viuo, causa, ob quā ipso cognito deuenire solemus in cognitionē filij viui, præteriti, vel futuri, si Paternitas nō est modulus indicās in obliquo filiū, neque cōplexū ex Patre, & Filio? bona sane interrogatio, cui respōdendū est eā esse vim nominis *Pater*, vt simul significet, ac repræsentet duas personas, in recto eā, quę genuit, & in obliquo genitā, vnde fit, vt id nomen applicatū Petro existenti v.g. nos cōtinuo faciat meminisse generationis præteritæ, ob quam vtī moraliter adhuc perseuerantē respicit Petrus filiū suū transcendentaliter, vel saltem quod is respectus, quātūuis physicè destructus, & absens, per nomen Patris significetur, & ideo audito nomine Patris, vel cogito homine, qui Pater est, illico deuenimus in cognitionē filij, quē hic homo trāscendentaliter physicè respexit, vel respecturus est mediante generatione, quæ fuit, vel erit.

Quocirca generatio præsēs, præterita vel futura facit, fecit, vel faciet personā, cuius ea fit Patrē actu, & eadē nos facit venire in cognitionē filij præsētis, quādo illa est præsens, præteriti, quādo præteriit, futuri, quādo futura est. quod si cupis curiosius scire quomodo de præsenti Pater quidā referatur transcendētaliter ad quendā filium suū, quē ille actu nec generat, nec cōseruat, annecte, & attribue ei Patri actionē conseruatiuā Dei, qua scilicet Deus vice Patris creati, filiū eius conseruat, & feceris cōcretum, quod filium non respicit pure, vt terminum, siquidem à filio pendet conseruatio, quæ est formaliter generatio, & Paternitas, idest relatio ipsa transcendentalis. 235

Concludo ergo Patrem, & filiū referri

mutuo transcendentaliter medijs generatione actiua, & passiua, & similiter referri causas reliquas cum effectibus suis, & Paternitatem non esse complexum ex Patre, & Filio, licet Pater in recto dicat generantem cum generatione, & in obliquo filium genitum; cum quo stant benè duo; primum est, illos homines, qui sunt Pater, & Filius eius Patris, componere relationes varias fundatas in *vnitate*, & *numero*, sed nulla earum dicetur Paternitas, aut filiatio, sed nominibus alijs congruentibus relationi prędicamentali, quam ambo vt partes, componant; atque illum hominem, qui est Pater, referri quoque ad actualē generationē prędicamētaliter, vt supra declaratū est.

SECTIO XIV.

Explicat mensuram, *&* mensurabile, *tertium Relationum genus secundū Philosophum; quod dicunt alij tertiā rationē fundandi, quā credo traditam pro relationibus transcendentalibus, saltem ex altera parte vbi Aristoteles visus est refellere* scibilitates relatiuas, *quas dicunt,* scibilis obiecti.

936 Tertiū relationis genus, seu tertia ratio fundandi relationū, dicta est *mensura*, & *mensurabile*, qua voluit *Aristoteles* docere nos iŭ esse relatiua illa omnia, quę ita se habent, vt alterū sit mensura perfectionis alterius, seu specificatiuū; quę enim ita se habent, quamuis inter se non videātur esse simul natura, quatenus vnū pendet ex altero, neque dicātur ad cōuertētia, verumtamen si quisquā alterū eorū nouerit, alterū necessario sciturus est; licet nō è cōtra, vnde qui nouit *mensurabile*, continuò scit *mensuram*, sed non qui nouit *mensuram* fertur in cognitionē *mensurabilis*; quia licet illud cum ista connectatur, & ab ea pendeat, hæc tamen cum illo non connectitur, neque ab eo pendet: & propterea communiter dicuntur eiusmodi relatiua non mutua; quo modo sunt illa, quæ enumerabat *Aristoteles*, nempe *scibile ad scientiam*, & *sensibile ad sensum*, in sua metaph. cap. 15. lib. 5. vbi item *S. Thomas* tractat de præsenti genere relationum. *Scibile* ergo dicitur mensura quatenus speciem, & perfectionem iuxta perfectionis propriæ mensurā, tribuit scientiæ, siue actui intellectus versantis circa ipsum, qui dicitur mēsurabilis, siue mensuratus ab obiecto scibili, quia ab eo specificatus, & quasi regulatus euadit; & similiter mensuræ sunt reliqua omnia obiecta potentiarū vitaliū, cōparata cū ipsis potentijs, & ipsarū actibus, & cōsequēter ea omnia relatiua sūt spectātia ad illud genus in quantū sunt mensurę.

Vnde infertur primo, eiusmodi relationes dictę *mensura*, *&* *mensurabile* ab *Aristotele*, a modernis verò fundatæ *in mensura*, *&* *mensurabile*, esse transcendentales, saltem ex parte rei, quæ mensuratur, siue actus, qui versatur circa obiectum scibile, siue circa mensuram; ita docent infra *Aristoteles*, & *S. Thomas*; & probatur, quoniam omnis actus vitalis pendet ab obiecto, quod repræsentat, aut in quod tendit; nequibit ergo id ipsum respicere pure vt terminum, & sic nec prædicamentaliter; sed solum transcendentaliter: quoniam verò obiectum, siue mensura, vt iam dicam ex *Aristotele*, ab actu mensurabili nullo modo intrinseco pendet, poterit dici conformiter ad *S. Thomam*, & *S. Augustinum* statim allegandos, referri prædicamentaliter ad actum eundem relatione fundata adhuc in hoc genere, siquidem mensura respiciat, aut connotet actum mensurabilem, in quantum ab ipsa perficitur, ac regulatur, & mensuratus nominatur. 937

Infertur secundo, Philosophum valde opponi quibusdam doctis Neotericis, qui opinati sunt Mensuram, siue obiectum scibile, v.g. mutuam relationem transcendentalem habere versus scientiam, id quod cū tanta cordis amplitudine audent affirmare, vt in quolibet, vel imperfecto obiecto distinguant infinitos respectus, *scibilitates*, seu *attingibilitates* ab illis nominatos, in ordine ad quoscumque actus, qui possint versari circa tale obiectum; nempe accommodantes actui cuilibet tendenti, formalitatem suam differentem ex parte ipsius obiecti, illi correspōdentem; sed vero quid nos sentiamus circa hāc inutilē formularū multitudinē, pręclare ostēdimus sup. n. 596 & 600. declaremus nūc mērē Philosophi.

938 Ergo *Aristoteles* semper fuit in ea sententia, vt putauerit nunquam *mensuram* plusquam de nomine referri ad *mensurabile*, ac subinde obiectum scibile non referri ad scientiam ex necessitate, & modo,

do, quo scientia ad scibile, hoc est tran-
scendentaliter, siue dicatur id referendum
per suam essentiam, siue per formalitatem,
aut proprietatem illi intrinsecam; quia,
inquit, perire potest scientia perseuerante
obiecto scibili, nam cum docuisset gene-
raliter *relatiua esse simul natura, & co-
gnitione, se mutuo inferre, ac manifestare,
ponere, ac perimere*, capite *ad Aliquid*,
hic in Logica, & sæpe alibi, ita in eo capite
subiungit limitando doctrinã suam gene-
ralem, *non autem in omnibus his, quæ ad
aliquid verum videtur esse simul natura
esse, scibile enim scientia prius* (idest ab
ea independens) *videbitur esse, & scibile
sublatum simul aufert scientiam; scientia
verò simul, aut similiter non aufert scibi-
le, nam si scibile non sit, non erit scientia;
scientia verò si non sit, nihil prohibet esse*
Aristotel. *scibile*; & ideo ipse *Aristoteles* 5. me-
taphys. textu 20. iterum ait hoc relatio-
nis genus non habere mutuum respectum,
sed alterum dici relatè ad alterum per al-
terius respectum, scibile enim tale dicitur
per scientiam, licet ipsum ad scientiam
re vera non referatur, nisi de nomine,
ratio autem cur non detur mutua relatio
inter mensuram, & mensurabile, est abso-
luta independentia, quam ab actibus vi-
talibus habent obiecta ipsorum, fundata
Aristot. S.Thom. in diuersitate ordinis, vt tradit cũ *Aristot.*
S.Thom. 5. met. lect. 17. & 1. p. q. 13. art. 7.
c. & quæst. 16. art. 1. c.

Consonant sibi *S. Thomas* iterum infra
S.August. referẽdus, *S. Augustinus*, & Interpretes an-
tiquiores. Nouiores autẽ præsertim autho-
res modulorũ pululantiũ, & *scibilitatũ*, si-
nistrè, vt ego reor, tẽperant doctrinã Phi-
losophi, & SS. Patrum, quasi ij solum vo-
luerint scibile obiectũ nõ pẽdere ab actua-
li scientia, aut quouis alio actu actualiter
versanti circa ipsũ; sed nihil determinarint
de ea quæstione, an obiectũ pendeat à sciẽ-
tia, vel actibus possibilibus, in qua locũ re-
liquerint varie opinandi, Doctoribus.

Sed verò germana, & *Aristotelis*, &
939 SS. Patrum sententia est relationes funda-
tas in *mensura*, & *mensurabili*, siue
quæ sunt mensura, & mensurabile, hoc est
scientias, vel alios quoscunque actus, &
obiecta sua, non esse mutuas, sed eos qui-
dem actus esse relationes transcendentales
ad obiecta, nõ vero vicissim obiecta, vt eo-
rũ mensuræ sunt, sic referri ad ipsos, nisi ad
summum ratione, de nomine, aut prædi-
camentaliter; vt dixi, & repetam infra
cum *Augustino*, & *Thoma*; & ideo obie-
ctorum scibilitates, seu attingibilitates se-
cũdũ Philosophũ, Antiquos, & istos Patres
tantũ erunt denominationes extrinsecæ il-
lis prouenientes à scientijs potentibus talia
obiecta scire; non secus, ac extrinsecæ de-
nominationes sunt eæ, quibus scita dicũtur
actu, ab actualibus actibus circa ea versã-
tibus; præsertim quando obiecta cõtingat
esse alterius ordinis cũ actibus circa ipsa
versantibus, aut versari potentibus, vti di-
cebat supra S. *Thomas*, & bene pro se de-
claratur à N. P. *Bubalo* de Angelis, q. 54.
ar. 3. quæsito primo; diff. 2. §. 5. pag. 767.

Hæc est doctrina iterũ præclare tradita S.Thomas.
à *S.Thom.* 1. p. q. 6. ar. 2. ad 1. & in dist. 30. Aristotel.
q. 1. art. 3. ad 3. dicente *quod relatio habet
fundamentũ in sciẽtia, nõ in scibili*, & pau-
lo antea ad 2. *scibile est relatiuũ, non quia
ipsũ referatur, sed quia aliud, nempe sciẽtia
referatur ad ipsũ, sicut dicit* Philosophus
5. metaph. tex. 20. eadẽ verba habet in lo-
co *primæ partis*, & in Opusc. 42 cap. 10. &
alibi frequenter. vbi euidenter vides tra-
ctare *Arist.* & Interpretẽ de relatione trã-
scendentali, ac dependentiæ, quã admittũt
in scientia erga scibile, & non in scibile er-
ga scientiã; quia nimirũ hoc ab ea nõ pen-
det, etenim si ij crediderunt in *mensura*, &
mensurabili fundari relationes prædica-
mentales, & pro eis fundãdis id fundamen-
tũ tradiderunt, quid ni dixerũt fundari re-
lationem prædicamentalẽ in obiecto sci-
bili, erga scientiam, si quidem eam respicit
pure, vt terminũ, & sine vlla dependentia;
sed tamen, quod ait S. Pater, obiectum dici S.Thomas.
relatum ad sciẽntiam tantũ penes nomen,
à scientia versante circa ipsum, dico ego
relationem prædicamentalem obiecti ip-
sius erga scientiã & quidem realem, siqui-
dem ante opus rationis, ea duo mutuo cõ-
uertuntur, & sunt simul cognitione, vt
cum veritate, *Aristotele*, & *S. Thoma* con-
ciliem S. *Augustinum*, qui contra *Aristo-
telem* videbitur docuisse relationem hanc
mutuam esse, & non tantum fundari in
mensurabili ad mensuram, sed & in mensu-
ra ad mensurabile.

Sic enim scribit in sua Dialectica c. 11.
de ad Aliquid, *ad aliquid dictum non posse* 940
esse sine altero, cuius esse dicitur S.August.
scibili. enim sine dubio in ipso ortu natura

scientia sociata est, simul namque vt scibile esse cœpit, habuit scientiam sui, sed necdum operatione menstrata est. vult nempe S. *Augustinus* scibile vt tale à scientia aliqua saltem possibili denominari scibile, & sic in re mutuo cum scientia conuerti in eo, quod scibile dicitur, illud autem, quod à scientia scibile dicitur, tanquam ab extrinseca forma, non conuertitur cum scientia, neque in esse suo dependet à scientia. namque Sol, Cælum, ac Deus erunt, & essent illibata, etiamsi eorum nulla creata scientia foret; sed scibilia tunc non compellarentur, si scientia aliqua saltem possibilis non connotaretur; & sic conciliabitur S. *Augustinus* cum *Aristotele* & *Thoma* legendo 1. p. q. 13. n. 7. ad 6. Legatur item *Aristoteles cap.* 12. *de* Priori allegatus infra nu. 991. & 6. Top c. 3. loco 84. vbi docet omnia, quæ sunt *ad aliquid* conuerti.

Aristotel. S. Thom.

Verumenimvero, licet sit verum in eorumdem Magistrorum modo dicendi id, quod obiectum est, transcendentaliter non referri vllo modo ad scientiam sui, titulo *mensuræ*, & vt obiectum merum est, iidem tamen non negabunt obiectum, idem alio titulo referri solere ad scientiã transcendentali quoque relatione, sed fun data in *actione*, & *passione*; quatenus videlicet obiectum per species sui producit scientiæ actus versantes circa ipsum, & sic est eorum veluti causa effectrix; id quod expressè nos item docuit S. *Augustinus* lib. 9. de Trinitate, cap. 12. vbi, *cognitia rei efficitur à cognoscente & cognito*, ab hoc nimirum per speciem sui. de quo legendi sunt *Conimbricenses* in 2. de Anima cap. 6. q. 2. art. 5. §. *Secundo quia.* Ad hæc, quando S. Thomas negat relationem in ijs, quæ sunt distincti ordinis, vt in *Scibili* ad *scientiam*, & in *Deo* ad *creaturas*, negat transcendentalem, vti dixi, non alias fundatas in vnitate de numero, siquidem verbis ipsis suis exprimit relationem prædicamentalem dictam *distincti ordinis*, qua se habet illud obiectũ, & Deus cum correlatis ad conuertentia à parte rei sine fictione. nota hoc diligenter.

S. Aug. *S. Thom.*

941 Quapropter concludendo breui doctrinam huius, & Sectionis præcedentis traditam *de actione, & passione; mensura & mensurabili*; assertis communiter rationibus fundandi, sine præuijs titulis, vel conditionibus: vt inde relationes resultent; asserendum iudico præter eam, qua refertur *mensura* ad *mensurabile*, quam dixi esse secundum dici, & prædicamentalem, cæteras omnes esse relationes transcendentales, & nomina, *ratio fundandi*, & *relatio formalis*, grammaticaliter, ac syllabarum sono solo differre; & hanc fuisse mentem Philosophi, & Sectatorum eius; tum quia exempla, quæ idem congerit ad declaranda eiusmodi relatiua, sunt causæ, & effectus; cognitiones, & obiecta, quæ propterea inuicem collata, neque sunt ad terminos pure vt terminos, aut sine dependentia ab ipsis; neque sunt simul natura, vt docet ipse *Aristoteles*, in cap. de *Priori*, & in præsenti *de ad aliquid*. tum etiam quia relationes prædicamentales, & quæ sunt ad terminum pure vt terminum, communiter dicuntur esse non tantum simul cognitione, sed natura ab ipso Philosopho, qui declarando se, & hos terminos, nempe quid sit res esse simul natura, ita scribit capite *de simul*.

Natura verò simul sunt quæcumque conuertuntur quidem secundum vim, quod est esse consequentiam, sed nequaquam alterum alteri causa est vt sit, vt in duplo, & dimidio conuertuntur enim hæc: nam cum duplum sit, dimidium est, & cum dimidium sit, duplum est, sed neutrum alteri causa est vt sit. Vnde sumit S. *Thomas*, vt declaret 1. p. q. 13. a. 7. ad 6. quæ relatiua sint simul natura, & quæ non, cuius tamen doctrina trahenda est ad terminos istos *Aristotelis*; etenim S. Pater sat putat esse conuerti relatiua extrema, & vnum simul cum alterutro simul cognosci eodem conceptu, vt ea sint simul natura, cum tamen superaddat Philosophus vlterius requiri, quod vnum alterius causa nullo modo sit; vt nimirũ esse simul naturã cõgruat pro prius relationibus fundatis in *vnitate*, & *numero*, scilicet, prædicamẽtalibus, solæ enim hæ sunt, quorum extrema conuertuntur, & quorum nullum est causa quoquomodo alterius, sed vicissim respiciuntur pure, & sine illa depẽdentia, siue ea sit dependentia à causa, siue quæ proueniat à mensura; etenim dependẽtia ab obiecto item impedit quominus duo sint simul natura; siquidẽ obiectũ etiã est causa vt actus versans circa ipsũ, sit; vti dixit *Arist.* in c. de *Priori* ibi, *est autem vera*

Aristotel. S. Thomas.

oratio

oratio nequaquam causa vt sit res; veritas enim rei quodammodo causa videtur vt sit vera oratio, vnde concludit quod *res* non simul, sed prior natura sit *oratione* versante circa rem. quæ vero à me dicta sunt circa istas duas rationes fundandi, licet consona videam *Aristoteli*, & SS. Patribus *Augustino*, & *Thomæ*, subijcio libens iudicio melius sentientis.

Aristotel. *S. August.* *S. Thomas.*

SECTIO XV.

Colligit ex dictis terminum Relationis posse, & solere esse absolutum aliquando, & aliquando relatiuum; & respondet obiectis.

942 Colligo ex superiori doctrina primo, relationes omnes fundatas *in mensura*, & *mensurabile*, quas docuimus non esse mutuas in eodem genere, terminari ad terminos absolutos, & hoc est euidens, quia quando terminus relationis est absolutus, & liber à mutuo respectu, relationem fundamenti, siue rei respicientis illum, terminat vt quid absolutum, siquidem respectus transcendentaliter nō curat de mutuo transcendentali respectu. quocirca omnes actus intellectus, & reliqui omnes vitales, qui omnes sunt relationes transcendentales ad sua obiecta, terminantur ad ipsa tanquam ad quid absolutū. Etenim licet, vt supra nos docuit *S. Thomas* ex Philosopho, *scibile* obiectū dicatur relatiuum, non quia ipsum refertur ad scientiam, sed quia scientia refertur ad ipsum, ipsum re vera non refertur transcendentaliter ad sui scientiam, siquidem ab ea non dependet, vti dicebat *Aristoteles* Sectione præcedenti.

S. Thomas. *Aristotel.*

Ad hæc addunt viri quidam sapientes, qui putarunt fundari in *actione*, & *passione* relationes prædicamentales, indistinctas tamen ab extremis, contingere posse, & solere, quod causa referatur ad effectum suum præsentem prædicamentaliter, tanquam ad quid absolutum, & carens mutua relatione prædicamentali, licet non liberum à relatione transcendentali, quoniam, inquiunt, intellectus v.g. refertur ad suum actum intelligendi, siue intellectionem suam actualem prædicamentaliter, siquidem ab ea non pendet, sed vt quid extrinsecum sibi, & accidentale respicit: licet ipsa intellectio vice versa referatur transcendentaliter ad intellectum, à quo sine dubio pendet, vt pendere solet quilibet effectus à sua causa producente; eiusmodi vero transcendentalis respectus non tollit quominus intellectio dicatur, & sit absolute loquendo quid absolutum iuxta ea, quæ diximus superius in sectio 1. §. *Aduertit*.

943 Sed non placent isti Doctores: quoniam vt est causa causans, & vt est intelligens intellectus, vt nimirum eius relatio fundanda est *in actione & passione*, non concipiendus est nudus, sed quasi vestitus, atque compositus cum actione intelligendi, siue ea distincta dicatur esse ab actu intelligendi, siue indistincta ab eodem; sic autem conceptus intellectus absque dubio pendet, & ipse à sua intellectione, & sic eam nequit respicere pure vt terminum, vt supra num. 928. §. *sed quoniam*, dicebam de Patre respiciente Filium; poterit quidem intellectus respicere intellectionem suam alijs diuersis relationibus prædicamentalibus, & mutuis, sed diuersi generis: nempe fundatis in *vnitate*, & *numero*, nunquam vero in *actione*, & *passione*, vbi non fundantur aliæ nisi transcendentales, vti Sectione illa 13. demonstratum est; vnde relationes fundatæ in *actione*, & *passione* semper sunt mutuæ, sicut semper transcendentales, & sic nulla terminatur ad omnino absolutum.

Colligo secūdo relationē prædicamentalem terminari ad terminū, vel etiā constare termino, vel extremis, quæ semper sunt relationes transcendentales respectu rei alterius, patet hoc in primis, quando relatiua prædicamentalia sunt duo subiecta, quæ conueniunt in aliquibus operationibus, siue qualitatibus similibus, & per quas formaliter referuntur, ad quas ipsa subiecta referuntur transcendētaliter, nimirū vnumquodque ad suas; ita sunt Petrus, & Paulus, qui sunt similes propter intellectus, & voluntates, & alias consimiles potētias, ita quod Petrus dicatur propter eas potētias similis Paulo vt termino, & è cōtra: & aliunde vterque est relatio trāscendentalis ad ipsas suas potentias, quinimo, & ipsę potētiæ, ex quibus forma relatoria com-

componitur mille modis, & ad varios terminos transcendentaliter referuntur, vt planum fiet contemplanti.

944 Collego Tertio, quod è cótrario etiam relatio transcendentalis soleat habere pro termino relatiua prædicamentaliter, vel ipsas prædicamentales relationes, vt apperet in exemplo adducto, vbi intellectus Petri transcendentaliter refertur ad ipsum, & clarius in quodam actu intellectus, qui cognosceret duo extrema similia, vel duorum similitudinem, qui actus est relatio transcendentalis habés pro termino obiectum, quod est relatiuum prædicamentale, & vt tale.

Colligo Quarto, quod, in nostra sententia, non solum relatio prædicamentalis vna terminatur ad alteram, seu habet pro termino alteram, vt probatum est supra nu. 926. sed semper relationes omnes, & sunt mutuæ, & terminantur ad terminos, siue extrema correlatiua, & vt talia referuntur in inuicem; ratio breuis est, quia quando Petrus v.g. respicit Paulum vt similem in albedine, vel dissimilem, non supponit aut respicit Paulum album vtcumque, sed vt album in gradu simili, vel dissimili, id quod est respicere consimilem, & respicientem se, siue vt secum conuenientem in albedine consimili, & consequenter vt correlatiuum suum; & idem dicendum de relatiuis reliquis prædicamentalibus fundatis *in vnitate* & *numero*.

Sed opponis Primo, prius est esse rem albam in se, quam esse similem alteri, sicut prius est præsertim in accidentibus esse *in*, quod aiunt, quam esse *ad*: ergo Petrus albus seorsim, & Paulus albus seorsim prius insunt, quam vt similes referantur ad inuicem; ergo relatio Petri ad Paulum terminatur prius ad absolutum, quam ad relatiuum. Respondeo concessis antecedenti, & prima consequentia, quoniam dixit Aristoteles *relatorum categoriam esse posteriorem natura qualitate, & quantitate*, ex quibus varie collatis quasi resultat, & consequenter posteriorem quoque esse reliquis omnibus extremis, quæ relationem causant per sui exhibitionem, vel dicebam supra in Sect. 10. & 13. S. *Respondeo negando*: & quoniam vt ibi bene notatur in re quauis prius est esse *in*, quam esse *ad*, idest prior est essentia, quæ concipi solet, ac definiri in ordine ad se, & siue respectu ad aliud, præsertim si istud aliud extrinsecum illi est, quá comparatio cum alio, & respectus ad ipsum, vt manet declaratum supra in Sect. 10. sed negatur vltima consequentia, quoniam Petrus albus simulatque incipit conferri cum Paulo albo, se habet erga illum tanquam erga vnum propter vnitatem, conuenientiam, & consimilitudinem; & sic vt cognatum in albedine pari, ac consimili collata, & relata vtrinque; siquidem similitudo non est vna Petri albedo, sed albedines ambæ æqualiter se habentes, & conuenientes, atque reciprocè se quasi respicientes: vnde cum veritate dici solet Petrum respicere Paulum vt similem, non materialiter solum vt album, secus nó forent prædicamentalia relatiua sibi mutuo simul natura, & cognitione, neque conuerterentur: quod adhuc clarius cernitur in Domino, & seruo; in maiori, & minori; quæ vt sunt relatiua formaliter respiciuntur inuicem, & ideo relationis esse non concipitur nisi concipiatur ad aliquid. 945

Opponis Secundo, si albedo hæc respiceret illam vt relatiuam, & conuenientem secum, siue vt mutuo respicientem se, supponeret ipsam vt relatiuam esse priorem se; ergo iam non essent relatiua simul natura, & cognitione; sed concedo antecedens, & nego consequentiam, nam Inter ea, quæ sunt simul natura, & cognitione, non inconuenit dari prioritatem aliquam rationis mutuæ cuiusdam quasi dependentiæ, imò hanc admisit *Aristoteles*, quando dixit relatiua dici ad conuertentia, sic, est Dominus, ergo existit seruus; existit seruus, ergo existit Dominus eius: in quibus argumentationibus necessario prius ratione antecedit antecedens, & cognitio ipsius, quam consequens, & ipsius cognitio: sed verò extrema prædicamentaliter relata dicuntur simul natura, quia simul cognoscuntur de necessitate, & vnum nullo modo est causa alterius, licet ambo coeant necessario ad causationem tertij, nempe relationis, quæ conflatur ex vtroque.

S E-

SECTIO XVI.

Declarat quando Relationes distinguantur numero, quando specie, aut genere; earum proprietates; atque discrimina inter Prædicamentales, & Transcendentales.

946 Facilis est resolutio quæstionis, cum enim relationes sint ipsa relata extrema, dici generaliter potest distinctionem numericam, specificam, & genericam earum petendam esse ex distinctione relatorum, seu complexorum relatiuorum inter se, vnde relatio similitudinis v. g. in albedine, quæ est inter Petrum, & Paulum solo numero distinguitur à relatione similitudinis in simili albedine, quæ sit inter Antonium, & Ioannem; & sic proportione sua de distinctione relationum reliquarum dicendum.

Deinde tres, vel quatuor *proprietates* relatiuorum enumerat Philosophus dicens primo, *relatiua sunt contraria*, & meritò, quoniam aliquot extrema relata naturaliter sunt inter se contrariè opposita, vt calor, & frigus; vitium, & virtus; scientia, & ignorantia; sed aduertunt hic *Ammonius*, & *Simplicius*, quos imitantur Nouiores, relatiua non esse contraria formaliter, sed tantum secundum fundamenta contraria; sed hanc aduertentiam esse omnino falsam, & contra mentem *Aristotelis, Boetij*, & aliorum ostendimus superius num. 835.

Aristotel.

Secundo dicit *relatiua suscipiunt magis, & minus*, quod item verum est intellectum de aliquibus relatiuis, non de omnibus, tùm loquendo morali modo, tum etiam rigoroso, & physico; quia dicere solemus aliqua esse similia quatenus quodammodo similia sunt, licet absolutè & in rigore physico, sine metaphysico dissimilia sint: & ea magis similia nominamus, quando omnino similia reddita sunt, *simile enim, ait S. Augustinus* in capite huius Categoriæ, *cuilibet, & magis simile, & minus possumus dicere*. Sed vero proprietates istæ ambæ enumeratæ, vt obiter superius adnotaui, licet inueniantur in multis relationibus, sed non in omnibus; vt Philosophus in suo capite ante me aduertit dicens *duplum, & dimidium, neque contraria esse, neque suscipere magis, & minus*, & multa alia relatiua sunt similiter, de quibus legendus sum supra num. 834. vel legatur *S. Augustinus* vbi modo allegabatur.

S. August.

S. August.

Tertia proprietas est, *relatiua sunt simul natura, & cognitione, & dicuntur ad conuertentiam, se ponunt, & interimunt*, quæ verè competit relationibus solis prędicamentalibus, quæ solæ sunt simul natura, hoc est earum extrema non pendent inuicem, neque vnum ab altero vt à causa sui, *vt duplum, & dimidium*, ac duæ albedines pares, vel dispares in gradu. sunt etiam simul cognitione; *quapropter palam est quod necessarium est, si nouerit quis aliquod relatiuorum definitè, & id ad quod est definite necesse est nosse*, & ideo *si nouit aliquis ad aliquid, quod melius est, & quo melius est statim necessarium est nosse*, ac dicuntur ad conuertentia se ponendo, & auferendo, nam *cum sit dimidium, duplum est, & cum sit Dominus, seruus est, & cum sit seruus Dominus est*. si Petrus est similis aliquis est, cui similis est; *si autem non sit dimidium, non erit duplum; & si duplum non sit, dimidium non erit. similiter contingit in alijs, quæcumque talia sunt*, idest prædicamentaliter relata. 947

Aristotel.

Relationes autem transcendentales licet sæpe sint simul cognitione, & conuertantur, vt patet in Patre, & Filio præsertim diuinis, siquidem qui videt Patrem, videt Filium, & è conuerso; nunquam tamen in creatis sunt simul natura, quotiescumque extremum vnum pendet ab altero tanquam à causa, vel quasi causa, si ambo extrema non pendeant inuicem in eodem, vel diuerso genere causæ; neque semper conuertuntur, neque se mutuo transcendentaliter relata interimunt, vnde neque semper sunt vtrinque simul cognitione; etenim vt ait ipse Philosophus *scientia, & scibile non conuertuntur, quia scibile prius natura est, quam scientia*, idest res omnis, quæ scibilis est habet naturam aliunde, & omnino independentem à scientia; quare licet bene valeat, est scientia; ergo & scibile, sed non contra, est scibile, ergo est scientia, *amplius scibile sublatum simul aufert scientiam: scientia vero simul non aufert scibile*

bile, nam si scibile non sit, non erit scientia, scientia vero si non sit, nihil prohibet esse scibile. nisi forte nomine *scibile* concludas formam denominantem, idest scientiam, & non tantum loquaris de re specificatiue scibili, vt supra a num. 939. cum *Augustino*, & *Thoma* docebamus.

S. August. S. Thomas.

Quartam proprietatem apponunt alij dicentes relationem prædicamentalem postulare terminum positiuum, & realem actu existentem, & illum esse non posse negatiuũ neque ens rationis, neque actu nõ existentẽ, licet terminus relationis trãscendentalis possit, & soleat esse rationis, & negatiuũ quodlibet, non ens, vel etiã non existens, sed vel præteritũ, futurũ, aut possibile. Sed ego parem facio quo adhoc relationem vtramque iuxta dicta supra pluribus in locis, & conformiter ad S. Scripturam, SS. Patres, Philosophum, & patentem rationem; quoniã sanè ego distinguor à chimæra qualibet, à negationibus, & non entibus, eis sum dissimilis, & rursus sum posterior Adamo; & indoctior multis alijs, qui fuerunt, sunt, & erunt, vel qui tantum possibiles sunt; & sic aliter referor multis modis ad terminos non existentes à parte rei, & sine fictione intellectus, consentiunt, quantum necesse est, in hoc *Capreolus* apud *Hurtado* in metaph. disp. 15. sect. 6. §. 52. *Santin.* 5. metaph. quæst. 27. *Gregor.* in 1. d. 28. quæst. 3. *Vasquez* 1. p. d. 273. cap. 4. nu. 16. & ibi *Aristoteles*, & *Arriaga* hic disp. 12. à num. 30. quæ vero hoc verum esse demonstrant, legenda supra sunt num. 834. & 863. & in sequentibus.

Aristotel.

949 Denique discriminatur primo relatio prædicamẽtali à trãscendẽtali in eo, quod illa refertur ad terminũ pure vt terminũ, quatenus vnũ extremũ ab altero nõ pendet, Hæc vero non itẽ; omnis enim relatio transcendentalis ad minus exigit necessario terminum ad sui durationem, aut persistentiam, & sæpe ad sui specificationem. vt perspicue declarabam supra in Sect. 1. & hoc est præcipuum discrimen inter relationes transcendentales, & prædicamentales. Secundo secundum aliquos, differunt, quia omnis relatio prædicamentalis est mutua, transcendentalis non semper. Sed ego non consentio, quia mensura refertur prædicamentaliter ad mensurabile, & non contra. Tertio relatio transcendentalis, quæ communiter dicitur res absoluta, est semper res vna; prædicamentalis autem plerunque videbitur esse complexum duorum, vt nos docuerunt supra *Aristoteles*, & Sancti Patres. Quarto differunt istæ relationes, quia prædicamentalis sæpe non est ipsa essentia rei, quæ persemetipsam immediatè refertur, aut confertur, sed eius rei, quædam affectio; sic similitudo in albedine, per quam Petrus est similis Paulo, non est ipse Petrus, & Paulus, sed albedides ipsorum; relatio autem transcendentalis semper est ipsa essentia rei relatæ ad terminum, ac respicientis ipsum.

Sed quid dicemus SS. Patribus *Thomæ* in 1. dist. 30. ar. 1. corp. dicenti *quia relatio secundum actum exigit duo extrema in actu existere.* & *Augustino* docenti in tomo 3. lib. 5. de Trinit cap. 6. requiri actu existere creaturam, vt Deus referatur ad ipsam, & actu existere seruum, vt ad eum suus dominus possit referri. & *Anselmo* id ipsum insinuanti supra in Sectione 3. sed tamen

S. Thomas. S. August.

Respondendum est primò ita verum esse, quod ad hoc, vt relatio sit ex omni parte actualis, necesse est existere eius ambo extrema, secus vero est, vt sit possibilis, vel futura, vel mixta ex vno extremo præsenti, alio futuro, præterito, aut possibili. Secundo dic ibi sanctos Patres tractare de quibusdam relationibus, quæ ob suas rationes peculiares non rite concipiuntur, neque tales denominantur, nisi præsentibus actu terminis; non enim dicitur Deus proprie *Dominus* populi, neque *Creator*, quousque Populus, & Creaturæ actu existant: sicut nec quisquã dicitur Dominus si seruus de præsenti non habeat, cuius sit dominus. Sed vero quis neget me similem esse, & posterum Adamo, qui est, vel fuit, & Christum esse hæredem vniuersorum, & Patrẽ futuri sæculi? & me quoque, in hoc officio Pœnitentiarij S. Petri, successorem dici, & esse antecessorum meorum, & antecessorem futurorum. 950

Postremo aduerto singulare discrimen, quod reperio in eo vtroque genere relationum, & in applicatione diuersa, qua per verbum *referendi* significantur; etenim relatiua prædicamentalia vt talia sunt, ipsa de se, & ex ipsorum meritis res absoluta

ta

tæ omnino sunt, & nullo modo se respiciunt, licet inter se habeant aliquam conuenientiam, ac differentiam, & ideo vt se inferant mutuo, & conuertantur, oportet expectare operationem intellectus extrema ipsa conferentis, & comparantis, & congrua vocabula relationem indicantia, ipsis imponentis, vti nos docuit Philosophus in cap. *ad aliquid*. aliquando vero si iam nomina imposita non sint, *fortasse*, inquit ille, *necessariũ erit nomen fingere*, denuo; si autem *sic nomina assignentur, manifestum est, quoniam omnia, quæ ad aliquid sunt, ad cõuertentia dicuntur*. Quare licet albedo Petri non respiciat albedinem Pauli, eo ipso quod eas conferas, & dixeris Petrum similem esse, continuo cognoscam alicui oportere similẽ esse; & sic de cæteris dicendum. relationes autem transcendentales ipsę de se referuntur, ac respiciunt terminos tanquam aliquid sibi debitum, & à quo quodammodo dependent, & complentur, si non specificantur. Denique ex dictis infertur vtrumque genus relationum esse simul cognitione, & præterea solas prædicamentales esse propriè item simul natura, quod est differentia alia valde notanda. vide supra nu. 830. & 887.

Aristotel.

951

SECTIO XVII.

Et vltima declarat tandem, an constituant Relationem prædicamentalem extrema in recto ambo, an alterum veniat in obliquo; & quid putarit Aristoteles esse Prædicamentum ad aliquid; *vbi nonnibil de arbore huius Categoriæ annectit.*

DVm constet Relationem prædicamentalem integrè constare exclusis modulis, ex sola comparatione, aut permixtione absolutorum, contentus essem, nec multum curarem de recto, vel obliquo; sed quoniam terminorum horum, & rerum, quæ per eos significantur explicatus valde seruit vbique in multis occasionibus; idcirco illis explicatis exponam potius Amicorum sententias circa difficultatem præsentem, quam meam; neque enim libet cum eis, verbis forsan contendere, sed rem diiucide proponere, & explicare.

Omissa ergo origine recti, & obliqui, de qua tractabam olim nu. 276. quãdo declarabam termini definitionem; rectum vocamus illud in primis, de quo principaliter occurrit tractare; & obliquum, de quo agimus indirecte, minus principaliter, & quasi per transennam. Deinde illud dicitur pertinere ad rei essentiam in recto, quod verè est de ipsius rei essentia; illud autem in obliquo, quod quidem non est de rei essentia, sed vel de eius integritate, aut complemento, vel aliter, vt terminus, conditio, aut circumstantia ad rei ipsius essentiam perficiendam, vel percipiendam necessario requisitum; & quod propterea res ipsa dicitur respicere, aut connotare, dicere in obliquo, & de connotato.

Exemplum vtriusque dat nobis visio coloris v. g. de qua si velis tractare in recto, & principaliter necesse habes nonnihil dicere saltem obiter de viso colore; & rursus ad essentiam visionis spectant illa prædicata in recto, nimirum esse actum vitalem, esse qualitatem corporeã; & huiusmodi. obiectum vero ipsius, quod est color pertinet ad visionem in obliquo, quatenus est quoddam, quod visio, licet aliunde integre quoad intrinseca sua constituta, necessario respicit, & exigit ac sui persistentiam, & explicatum; vbi animaduerte visionem esse relationem quandam transcendentalem respectu sui obiecti, & huiusmodi relationes tales esse vt nullo modo constituantur per terminos suos, quantumuis necessario requisitos, vti adnotabam Sectione præcedenti §. *denique*, & alibi frequenter. quare quæstio hæc præsens, solum est de relationibus prædicamentalibus. circa cuius resolutionem 952

P.D. Franciscus *Suarez* in sua metaph. disp. 47. sect. 2. & 3. num. 22. & in sect. 8. num. 9. videtur sentire adæquatam formã relationis reperiri ex parte fundamẽti, sed connotari necessario terminum, putà nimirum albedinem *Socratis* esse adęquatè relationem, qua ipse est, ac dicitur similis *Platoni* parem in gradu albedinem habenti, ita vt *Socratis* albedo sit integra, & adæquata forma denominans, sed tamen

men cum exigentia, & connotatione in obliquo albedinis Platonianæ.

953 Sane hæc tanti Patris opinio defenditur à multis Modernis, quorum vnus est *Ioannes Durello* lib. 1. *Categoricos*. cap. 7. §. *Verumtamen*; & opinioni eidē videbitur fauere S. *Thomas* Opusculo 48. cap. 2. vbi ait, *in duobus similibus esse duas similitudines*; quod verum non esset si quævis similitudo ex vtraque extremorum qualitate constaret. imò & Philosophus qui 4. metaph. c. 4. opinari videtur *inæqualitatem dualitatem non esse*. neque facile refelli potest; quoniam verum videtur illud principium, nempe *esse posse, & solere vnicam formam adæquatam respectu alicuius effectus formalis, ac denominationis, sed cum dependentia ab aliqua circumstantia requisita non vt partiali forma, sed tantum, vt conditione, aut quasi conditione*. Id quod bene conuincit doctissimus Magister meus P. *Georgius Hemelman* in Controuersia de Prouidentia, ac libertate Dei, congerens in huius rei declaratione, & robur, complura exempla sub illo suo titulo. *Soluitur obiectio, & varijs exemplis monstratur quomodo totalis forma denominans in subiecto capaci existens non possit illam illi tribuere, nisi accedente connotato*.

Exemplorum alterū est diuina, & æterna volitio, quæ de se est adæquata forma, vel quasi forma Deum denominans liberè volentem creare mundum, & tamen illum non denominabit, nisi accedente creatione, vt connotato necessario. alterum est intellectio creata, quæ quātumuis inhæreat intellectui, illum non faciet, neque denominabit intelligentem, nisi accedat in ipsam concursus intellectus ipsam producentis. tertium est gratia sanctificans Christi Domini, quæ illum nequit denominare filium adoptiuum, quin abscedat vnio hypostatica, siue quin accedat eius vnionis carentia. Similiter in proposito nostro albedo potuit denominare, idest reddere illum hominem similem alteri ad positionē alterius, cum pari albedine, secus non.

Deinde Docti Patres *Valentinus Herice* 1. p. disp. 16 tract. 2. c. 5. n. 30. *P. Hurtado* disp. metaph. 15. sect. 2. & 3 & *Arriaga* d. 12. sect 9. *Ioannes de Lugo*, & ipse Castellanæ prouinciæ Primarius Theologiæ Professor in Collegio nostro, Romano, Hic & de Incarnat. disp. 21. sect. 1. & Alij putarūt venire in recto ad constitutionē relationis extremū vtrumque, & similitudinem prædictam esse albedinem vtramque; vtramque vt formam, & Paternitatem similiter esse coexistentiam duorum hominum, quorum alter genuerit alterum. & quidem huic modo dicendi fauere videntur *Aristoteles* su. pra, & Antiqui quos, sappresso nomine, citat 10. Metaph. c. 4. tex. 19. & SS. Patres, præsertim *S. Augustinus*, & *S. Thomas* quādo dixerunt relationem esse duorū societatem, & permixtionem. & relatum tale esse, ac dici à forma intrinseca, & ab extrinseca, à propria, & ab aliena, vt videre est in sect. 3. legatur præterea S. *Thomas* in 4. d. 27. q. 1. ad 3.

954 Placet ex parte magis hic modus dicendi, quoniam quarundam relationum congrue assignata nomina significant, & afferunt plura extrema in recto, vt formam relationis, qualia sunt hæc, & similia, Consimilitudo, Contractus, Coniugium, Amicitia, Conuenientia, Concurrentia, Consonantia, Comparatio, Correspondentia, Cōtactus, Coexistentia, Oppositio, Dualitas, Trinitas, & huiusmodi prædicamentales relationes, quæ sine dubio ex pluribus quasi conflantur in recto, siquidem denominatio venit ab extremis pluribus, & nō est potior ratio cur ab vno veniat in recto, & ab alio in obliquo: neque obstat quod alterum terminus dici soleat, & aliud fundamentum, quia ista nomina rem non immutant; nā ipsum, quod modo dicimus fundamentum, quia incipimus à cōferendo ipso cum alio, quod appellamus terminum, possumus continuo denominare terminum, incipiendo ab altero conferendo cum ipso, vice versa. & propter hæc nonnulli docti recentiores definiunt relationē sic, *relatio prædicamentalis est respectus vnius ad alterū per vtrumq; consistens*.

Sed verò vt planius dicam, quod sentio neque definitio ista videtur in vniuersum vera, et bona; quoniam reperias aliquot relationes, siue relata taliter dicta propter vnicam formam, qualiter videntur esse relationes Distantiæ, Propinquitatis, Dextri, vel Sinistri, Melioris, Mediatoris, et rerum aliarum præsertim ex his, quæ significantur nomine comparatiuo, aut alio æquiualenti. Etenim, vt manifestum est, forma, quæ denominat, ac facit distare duo extre- 955
ma,

ma, est intercapedo, quæ intereſt inter vtrúque, & ita ſuo modo eſt forma, quæ facit eſſe propinqua; & à manu dextra vna ſola alia dicútur dexteræ ac Petrus nominatur melior alio, in quo nulla ſit bonitas morū, ob bonitatem ſolā Petro inhærentē. quocirca perſuaſum habeo nō omnes relationes cōflari ex pluribus, ſed aliquando relationem adæquatè cōponi ex pluribus collatis, ali quādo ex vno concernente, aut cōparato ad plura; id quod colligendū erit ex forma adæquata denominante: & ideò illa videtur cōgruentior definitio relationis in communi. Relatio eſt *abſolutorū ſiue independentium extremorū erga ſe aliquo modo ſe habentium complexum*. ita colligo ex *Ariſtotele*, SS.PP. *Auguſtino*, *Thoma*, ex Antiquitate tota. Vt videre eſt in tota hac quæſtione. legatur item S. *Thomas* vbi nuper allegatus eſt, & 4. contra Gent. c. 14 verſus finem.

Ariſtotel. *S. Auguſt.* *S. Thomas.*

Atq; ex iſta noſtra ſententia liquet facile intellectus ad præconium ſingulare de B. Virgine Maria, Heſichij Patriarchæ Hieroſolymitani, quod multū negotium faceſſit multis Recentioribus, etenim ille in poſteriori Homilia de laudibus B. Mariæ, quæ legitur to. 2. Bibliot. nouæ appellauit Deiparam *Trinitatis complementum*, quod ex eo verum eſt, quoniā *ipſa eſt filia Patris, Mater filij, & Sponſa Spiritus ſancti*; Vel vt dicit S. Bonau. in Canticis ad B. Virginem, *ea eſt Sponſa Patris, Mater Filij, & templū ſiue Sacrarium Spiritus ſancti*, & conſequenter earum trium relationum, & Perſonarum eſt terminus, & complementum, in recto, vel ſi mauis, in obliquo connotatum. Legat qui volet concionari de hoc myſterio, eruditiſſimum P. *Salazar*, ad cap. 8. Prouer. n. 360. Vbi adducit alias expoſitiones ex P. *Hieronymo de Florentia*, Regio concionatore eximio. Noſtra quidem expoſitio *Heſichij* contextui eſt viſa nobis cohærentior.

Ariſtotel. Poſtremo dicendum quod *Ariſtoteles* (quantum potuit colligi ex eius ſcriptis de relatione, putauit iſtam categoriam eſſe congeriem omniū relatiuorum, tā eorum, quę à nobis prædicamentalia, quam quæ traſcendētalia dicūtur, vt patet ex cōtextu, vbi, vt initio cum *P. Hurtado* notabamus, indifferenter agit Philoſophus de vtroque genere relationū, diuidendo relationes in illas tres claſſes, quas immeritò vocāt alij rationes fundādi, ex quibus plurimæ ſunt relationes tranſcendentales, & quæ nō petunt terminum actu exiſtentem, quod putant Moderni proprium eſſe quarto modo modalis relationis ſuæ prædicamentalis.

Quapropter relatiuorum categoria, aut prædicamentum, conſtrui potuit ex relationibus omnis generis, ſed potiſſimum ex prædicamentalibus: in qua inueniri nō potuerunt genera, neque ſpecies omnino propria, & condiſtincta ab alijs prædicamentis: ſiquidem, vt ſupra toties mōſtratū eſt, relatio prædicamentalis eſt cōplexio; aut quaſi complexio cæterorum prædicamentorum, ab ipſis, quæ incomplexa ſunt, diſtincta ratione termini, quem importat in complexione ſua, vt ſupra nu. 841. tam præclare nos docuit S. *Thomas*: & quia vt ſapientiſsime ſcripſit, n. 844. *Boetius ipſum ad aliquid*, ſiue prædicamentū relationis *præter vllum aliud prædicamentorum intelligere non poſſumus*: quaſi dixerit, intelligere non poſſumus prædicamentum *ad Aliquid*, ita quod ſit quidpiam eſſentialiter diuerſum à reliquis, vel extra reliquorū prædicamentorum combinatorum, & permixtorum eſſentiam; quare, vt vno verbo Ariſtotelico, mentem *Ariſtotelis* circa hoc prædicamentum exponam, illud eſt quæcunque ita ſe habent *vt ſi alterum noſtat & alterum noſſe neceſſe ſit*, entitates verò quæ hoc modo non ſe inferunt, ad alia ſpectant prædicamenta. 956

S. Thom. *Ariſtotel.*

Ex his infertur multas relationes eſſentia per accidens, neque pro omnibus aſſignari poſſe verum genus, & ſic iſtud prædicamentum carere verò, ac perfecto genere ſupremo, ſed nihilominus id poteſt quodammodo aſſignari relatio in cōmuni, ſub qua ſunt hæ ſpecies, aut quaſi ſpecies ſubalternæ, *relatio mutua*, vt eſt ea, quæ eſt inter Socratem, & Platonem, *non mutua*, vt inter ſcibile, & ſcientiam; *æquiparantiæ*, vti inter albedinem vnam, & alteram ſimilem; *diſquiparantiæ*, vt inter Patrem, & Filium; *ſimilitudinis*, vt inter duas qualitates pares; *Diſſimilitudinis*, vt inter duo imparia, *relatio actionis, & paſſionis*, vt eſt inter cauſas, & effectus; *menſura, & menſurabilis*, vt inter actus, & obiecta; rurſus relatio alia eſt corporea; alia ſpiritualis, alia naturalis, alia ſupernaturalis, alia permanens, alia ſucceſſiua.

Liceat tandem mihi concludere quæſtionem 957

stionẽ hanc eisdẽ verbis, quibus quęstionẽ suam de relatiuis finiuit magnus ille *Boetius* concludens primum librum de Trinitate dicens. *sed de proposita quæst. satis dictum est nunc vestri normam iudicij expectat subtilitas quæstionis, quæ verũ recte diuersa sit, an minime, vestra statuat pronunciationis authoritas, quod si sententiæ fidei fundamentis sponte firmissimis, opitulante gratia diuina, idonea argumentorum adiumenta præstitimus, illuc perfecti operis lætitia remeabit, vnde venit affectus; quod si vltra se humanitas nequibit ascendere, quantum imbecillitas subtrahit, vota supplebunt.*

QVÆSTIO VII.

Declarat sex alia Prædicamenta in breui Commentario Capit. 9. & 10. Aristotelis; & quid de his sentiendum iuxta rigorem ipsius, & SS. Patrum Augustini, & Thomæ, & Recentiorum.

DE his vltimis sex prædicamentis tractarunt *Aristoteles* hic in Logica *Aristotel.* in cap. 8. & 9. alias 5. & 6. & alibi sæpe in operibus suis, sed vbique breuissimè, & *Augustin.* in tomo 1. in Categorijs, capi- *S. August.* tibus 8. 13. 14. 15. & 16. sed fusius *S. Tho- S. Thomas* mas tum alibi, tum præsertim in Opusculo 48. per capita plura; ego vero ex ipsorum doctrina describã hic in primis quid ipsi senserint circa ista prædicamenta; deinde eadem abundantius exponam iuxta intelligentiam Modernorum, quamuis dixerit *S. Augustinus* in cap. suo 13. & 14. *S. August. Aristotel. S. Thomas.* *Aristotelem* omisisse declarationem horum prædicamentorum; & *S. Thomas* putarit Aristotelica non esse sic scribens in cap. 2. de situ, *ista prædicamenta non fecit Aristoteles, & ille, qui fecit, non fuit tantæ authoritatis, neque habuit aliquem expositorem alicuius authoritatis, ideo de eis quilibet modernus dicit, sicut sibi videtur.*

958 Sanctus ergo *Thomas* conformiter ad *Aristotelem*, & *S. Augustinum* magistros *Aristotel. S. August.* suos in eo Opusculo 48. cap. 1. *de prædicamentis, & eorum prædicatione.* in 5. Metaph. & 1. p. quæst. 110. a. 3. loquendo *de vbi*, generatim nos docuit sex ista vltima prædicamenta esse extrinsecè denominantia, quæ alij communiter vocãt extrinsecas denominationes, quatenus sunt quædam formæ, & entitates extrinsecæ rebus subiectis, de quibus prædicantur, & quas denominant tanquam formæ rebus eisdem non vnitæ, vt vero facilius se declaret S. Doctor, distinguit in cap. 1. vti supra num. 839. & 844. distinxerunt SS. PP. *Augustinus*, & *Isidorus*; tria prædicatorum genera; primum est eorum, quæ intrinsecè insunt subiectis, vti sunt ea, quæ pertinent ad tria priora prædicamenta; vt vides ibi, *Petrus est substantia, quantus, & qualis*. Secundum genus est prædicatorum, quæ quidẽ intrinsecè insunt subiectis, sed cũ exigentia ab aliquo extrinseco, siue quę partim sunt intrinsecè, partim extrinsecè, vti sunt pleraque relatiua, vt si dicas *Socrates est similis Platoni*, dicitur enim *Socrates* similis ab albedine sibi inhærente, sed cũ dependentia ab albedine *Platonis*, hoc est ab albedine intrinseca, & ab extrinseca. Tertium demum genus prædicatorum est omnino extrinsecum, & hoc tertio modo putat S. Doctor esse sex vltima prædicamenta, & quidquid in ipsis continetur; etenim quemadmodum hæ sunt prædicationes de prædicatis extrinsecis, *Petrus est visus, Paulus vocatur*, & similes, ita videntur esse illæ, *Petrus est in foro: Petrus est in tempore hoc; Petrus stat, aut sedet: Petrus agit; Petrus fuste cæditur; Petrus vestitus est*; & quæ sunt huiusmodi. describamus ergo ista prædicamenta iuxta mentem Philosophi, SS. Patrum *Augu- S. August. stini, & Thomæ. S. Thomas.*

Actio *est forma, per quam agens agit*, 959 & passio *est forma per quam passum patitur, aut fit*. calor v. g. vt fluit ab igne dicitur *actio*, vt vero recipitur in ligno, quod per eum fit de frigido calidum, dicitur *passio*, atque idem calor dum est fieri, & recipi, dicitur *motus*; vnde colligas primo actionem, & passionem distingui per terminos tantum; quatenus enim calor respicit agens operans in passo, dicitur, & est actio, quatenus vero calor idem respicit lignum passum, passio dicitur, & ideo dixit Philosophus 3. Physic. tex. 22. quod *actio sit actus huius, vt ab hoc*, idest huius agentis, in quantum ab eo procedit, *& passio sit actus huius, vt in hoc*, idest

ad

huius passi, inquantum ea in passo recipitur; & quod inter se non amplius differat, quã differt via, quæ ducit *Thebis* ad *Athenas*, à via, quæ ducit *Athenis* ad *Thebas*. collige secundo actionẽ, & passioné esse Aristotel. quasdã relationes, vt nos docuit supra in q. 6. sect. 3. toties *Arist.* præsertim dũ dixit actioné, & passioné esse speciẽ, aut genus secundũ relationũ; & ratio demõstratoria est. Etenim actio alicuius est actio, & pas- S. August. sio alicuius passio est. ideo *August. Hunaus* merito ita definiebat actione, & passioné in lib. 2. suæ logicæ, *actio est relatio agentis ad passũ, passio est relatio patientis ad agens.*

Addit quoque *Aristoteles.* in suo c. 8. ad maiorem notitiam actionis, & passionis, suscipere magis, & minus, & habere contrarium, *calefacere enim*, ait, *ei quod est frigefacere contrariũ est, & calefieri ei, quod est frigefieri, & est calefacere magis, & minus, & calefieri magis, & minus.* quod dictum verum esse de- Aristotel. prehenditur non in omnibus actionibus, S. Thomas vt supra aduertit *S. Thom.* sed in his, quas contingit esse qualitates intensibiles, & remissibiles, & habere contrarietatem; vti sunt calor, & frigus, albedo, & nigredo, & huiusmodi.

960 *Vbi vero est forma, per quam res est in loco, siue per quam res circumscribitur, & continetur.* veluti vas, siue superficies in- Aristotel. terior, quæ locus aquæ dicitur, vnde ab *Aristotele vbi*, siue locus generaliter definitur in 4. libro Physicorũ, *superficies corporis continentis rem locatam.*

Situs autem parũ differt ab *vbi*, & solũ videtur explicare partes diuersas rei locatæ, aut situatæ diuerso modo esse, & sic superficiem corporis continentis diuersimodè circumscribere rem locatam iuxta, variã positioné ipsius, iuxta quã dicimur stare, sedere, cubare, & aliter esse. quare situs formaliter est locus extrinsecus accõmodatus figuræ, aut modo rei locatæ, vel si mauis partes rei locatę taliter dispositę, sed cũ correspõdentia, & debita circũscriptione corporis, seu loci ambientis. Vnde manifeste colliges *vbi*, & *situ* esse quasdã relationes prædicamentales, siquidé locus locati est locus, vel vbi rei vbicatę est vbi, & situs, vel positio, eius est positio; & è cõtra res locata, & vbicata à loco circundatur, & continetur, & res situata, ac disposita; & quidem species *situs* relationes esse expressit *Aristoteles* in cap. *Ad aliquid* in logica dicens. *sunt autem, & accubitus, & statio, & sessio positiones quædam, positiones vero ad aliquid sunt.* Aristotel.

Quando est duratio per quam dicitur res durare; vel in qua durare dicitur, & à qua veluti mensura, rei duratio mensuratur; vt tempus, per quod, & in quo temporalia durare dicuntur, & à quo mensurantur, vt vides, dum dicis, Petrus vixit triginta annos, & in eis multa bona fecit; & dum tibi interroganti quando erat Petrus inter nos, Respondeo anno 1630. vides hoc item prædicamentum esse relationẽ cuiusdã coexistentiæ?

Denique *habitus significat vestem, siue ornamentum hominis*, vt tunica, & 961 arma. vnde habitus formaliter est vestis hominis, seu vestiens hominem; dici etiam potuit *habitus*, vestes, & arma, quibus vestire solemus bestias, nam ornamenta, & quasi vestes, quibus eæ præditæ sunt à natura, potius sunt complementa ipsarum substantialia, quam habitus. quocirca istud quoque prædicamentum complexum, & relatio quædam est; nam habitus habitus hominis est.

Ex dictis infertur primo sex ista prædicamenta, sicut & *ad aliquid* à primis tribus absolute non differre, sed esse quasi congeriem, aut collationem eorum triũ, & ideo ea esse speciales relationes, & ad Categoriam relationis pertinere, docet cum *Aristotele*, & antiquis *Hunaus lib. 2. logices* licet distinctionis, seu claritatis Aristotel. gratia in sex classes communiter diuidantur. nam *habitus* est vestis, quæ substantia est, connotans vestiendum hominem. deinde *actio* est calor, seu qualitas connotans agens, quod solet esse substantia, vel alia qualitas; & ita de reliquis dicẽdũ est. Infertur secundo prædicationes *passionis, situs*, & *quando*, non videri ex omni parte extrinsecas, sed locum, ex parte; siquidem in ijs propositionibus, *lignum frigidum patitur, seu fit calidum, Petrus sedet, Paulus durat hoc tẽpore*; denominãtur lignũ ab agente quidé calefaciente, quod extrinsecũ est, sed à calore quoque sibi inhærente; & Petrus à partibus loci extrinseci, & è proprijs, & sibi coniunctis; & Paulus durare dicitur tum à propria duratione intrinseca, tum ab extrinseca correspõdenti, ac tẽporali: id quod adnotauit

S.Thomas. S.Thom. loquendo de *passione* in suo c.2. sed circa hæc omnia iterum legendus fuit *S.August.* S.*August.*supra n.839. vbi pulchre declarat omnia prædicamenta, seu prædicata.

962 Hæc, quæ super hæc sex prædicamenta dixi, nihil, aut parum distant à mente *Aristotelis*, *S.Augustini*, & *S.Thomæ*, sed vero non placent omnino Recentioribus, qui ea voluerunt esse omnino, & essentialiter, aut quasi essentialiter distincta, tum ab se inuicem, tum ab illis tribus primis, multiplicantes entitates, vel etiam formalitates sine multa necessitate. sed tamen debeo eorũ sententias hic breui exponere, ne tantorũ authoritatem contemnisse videar, remittẽdo fusiorem tractatum ad libros Physicorum, & Metaphysicorum.

Altera Pars Quæstionis definuit ea sex Prædicamenta secundum modum, & mentem communem Recentiorum.

ACtio ergo, vt inquiunt Recentiores, *est ratio formalis, per quam agens actu agit, & producit effectum*, ideft est entitas quædam accidentaria modalis, distincta ab agente producente, & termino producto, & ideo nuncupata via, mediũ, & ratio vltima agendi. ita tradit *Arriaga*, d.9. Phys.a nu.18.& *Castelui* disp 8.d.1. *passio vero est ratio formalis patiendi, siue qua passum, quod recipit effectũ agentis, mutatur, fit, & patitur talem effectum*.

Et quidem actio, & passio censetur esse vnica entitas, actio dicta quatenus est actus agentis, siue propter respectum ad agens, & passio nuncupata quatenus est actus patientis, siue propter respectum ad patiens; sed nihilo minus à plerisque Modernis distinguitur actio à passione, occasione respectuum illorum, & terminorũ, seu munerum diuersorum, essentialiter, vti differt animal à rationale, vel quasi essentialiter, vt differt ens à vero, v.g. actio calefactiua est actio, qua calor vnus alium producit; & eadẽ passio est, vt recipitur in aqua, & est ratio, ob quam aqua mutetur, & fiat calida; & quoniam calor producens est diuersum quid ab aqua, vbi calor alter producitur, idcirco calefactio actiua discriminatur dicitur à passiua, & quia vna est ratio agendi, & alia ratio patiendi, siue fiendi. 963

Actionis species plures numerantur, & totidem fermè Passionis, alia enim dicitur *naturalis*, vt est productio, & receptio caloris in manu, vel ignis in stupa; alia *supernaturalis*, vt productio, & receptio, seu fieri gratiæ in anima; alia *corporea*, vt productio, & receptio formæ corporeæ in subiecto; alia permanens, vt productio, & receptio formæ ignis in ligno; alia *successiua*, vt productio, & receptio caloris, & aliarum dispositionum ad ignem in ligno; actio alia est *creatio*, alia *conuersio*, transubstantiatio, aut transaccidentatio, de quibus singulis alibi agendum.

Vbi autem *est præsentia realis intrinseca, siue ratio formalis, per quam res constituitur immobiliter præsens alicui spatio, siue alicubi*. ideft, est modalis quædã entitas rei intrinseca, per quam res est ibi, vbi est, & non alibi: atque hoc *vbi* nõ est locus ille extrinsecus supra declaratus ab *Aristotele*, sed aliud quid prædicamento diuersum, & realiter à cæteris rebus omnibus. sic tenuit *Arriaga* d.14 Phys.a n.4. & *Castelui* disp.8.d.6. *vbi* multa sunt genera, & species; aliud est *corporeum*, vt equinum; aliud *spirituale*, vt Angelicum; aliud *naturale*, qualiter sunt *vbi* rerum naturalium, aliud *supernaturale*, vt *vbi*, quod habet in Eucharistia Christus Dominus; aliud *permanens*, vt *vbi* rei immotæ; aliud *successiuum*, vt *vbi* rei se mouentis; de quibus agi consueuerunt suis locis Theologi, & Philosophi Doctores. *Aristot.*

Quando, *siue duratio in communi est ratio formalis, qua res durat, ac perseuerat in suo esse*, & ea est modalis quædam entitas rei cuiuis duranti intrinseca, quæ pro munere habet rem, cuius est reddere durantem, sicut albedo reddit albam; & quidem quidam Recentiores opinantur cum *Suarez* d.50.M.sect.1.& 2.durationem rei cuiuspiam realiter idẽtificari cum re ipsa, & ab ea sola ratione differre, sed essentialiter, & prædicamento: Etenim, inquiunt, Duratio Petri v.g. est modus accidentalis, qui non potuit non differre essentialiter à Petro, qui res substantialis est. alij vero credunt modum istum dictũ durationẽ, realiter distingui à re durãte, eũque esse vel actionẽ permanentẽ, vel successiue fluentẽ, qua Deus, vel alia causa, ad quam

quã pertineat conseruatio,rem conseruat; vel modulum alium ab actione diuersum, quo modulo putãt bene se declarare,quo modo Deus precibus alicuius viri sancti allectus, ipsius, vel aliorum vitam elongar, nimirum per noui moduli, vel actionis magis diuturnæ productionem. Hunc modum durationis tenent, & probant cũ alijs *P. Arriaga* disp.15.Phys.a n.5.& *Castelui* cum *Rubio*, & *Plaza* disp.8.d.7.

964 Species quoque durationis multę sunt; alia est *permanens*, vt duratio Angeli, alia *successiua* vt duratio temporis, & cuiuspiã alterius motus, alia *corporea*, vt duratio leonis, alia *spiritualis*, vt angelica, alia *naturalis*, vt terræ, ac rerum naturalium, Alia *supernaturalis*, vt duratio gratiæ; & quidem temporis duratio est magis frequens, & ideo diuidi solet in partes integrantes, dum dicimus, Heri, hodie,cras, in hieme, & vere, in tempore præterito, præsenti, vel futuro, & huiusmodi aliter, dum assignamus annos, & menses varios.

Situs est *modus variè disponens rem in ordine ad locum*, ob quem homo v.g. dicitur,stare, cubare, vel sedere: vt vero differat ab *vbi* aliquo modo, oportet adnotare situm respicere axem Cæli, vel aliud punctum fixum,à quo faciat rem inæqualiter distare, dum rei partes varie inflectẽdo modo, modo dirigendo disponit, hoc prædicamentum videtur proprium corporum, vnde eius species corporeæ assignabuntur à quolibet. Consonat *P. Arriaga* disp.5.met.a n.41. sed dissentiũt *Castelui* dub.8. & ibi *Blanch.* & *Sala* putãtes sine necessitate *sitũ* ab *vbi* realiter discrepare.

Denique *habitus est modus,qui dũ primo homo induitur veste, aut armis resultat in ipso, ac reddit ipsum habentẽ eã vestẽ,aut arma*, ita tradũt *Castelui* in dub.9. *Rub. Didacus à Iesu*,& *Blanch.* ab eodẽ allegati. atque idem modus, si Superis placet,resultat in Simia,dum illã veste adornas,aut ense.ridiculus sane est iste modus, & ideo communiter reijcitur,sicut reijcitur modulus relatorius, vt bene aduertit *Arriaga* d.5. M.a n.44. ac dicitur hoc vltimum prædicamentum denominatio extrinseca hominis, ei proueniens à veste iuxta ea; quæ supra declarata sunt ex mẽte *Aristotel.*& SS.PP. vnde facile colliges quot prędicamẽta ex his,& quo modo sint intrinseca pędicata subiectorũ,de quibus

Aristotel. *S.Thomas.* *S.Augast.*

prædicantur. tractemus nos de Prædicato communi, si quod est omnibus prædicamentis.

QVÆSTIO VIII.

De duplici ratione communi, Entis nimirum, & Accidentis; de earumdem Analogia, vel Vniuocatione; ac deciditur quid sit ens physicè, & metaphysice completum, & incompletum.

Postquam egimus de omnibus entibus, debuimus hic tractare de communitatibus eorum, idest de rationibus ipsis communibus, siquæ sint; ac declarare quales sint. in qua tamen tractatione dicam in primis, & vberius aliorum placita, dicturus ad finem quæstionis, quid de vnaquaque re sentiam, sed breui; nã res est difficillima, & tota metaphysicis anfractibus plena, vbi vix incedas sine casu; & prolapsione, quamuis viam facilem, planam, & securam inire se putent Recentiores. lege tu si libet *S. Thomam* Opusculo 42. vbi suse tractauit de ente, & alijs transcendentibus. 965

S.Thomas

SECTIO I.

Probat abstrahi posse rationem communem entis, per modum formalitatis præcisã à decem Prædicamentis; & item à Deo, & Creaturis; rationem quoque accidentis à nouem Prædicamentis.

Præscindi posse conceptũ vnum obiectiuum entis, siue rationem communem entis vt sic, ab intellectu, quam sic præcisam significet hoc nomen *ens*,& quę conueniat omnibus entibus, docuisse videntur *Aristoteles*, in 3. Metaph. tex.10. & in 4.tex.7. & 8. met. tex.16. & *S.Thomas* tum alibi, & super eos textus, tum 1. par.quæst.5.art.3.ad 1. dicens. *substantia, quantitas, & qualitas, & ea,quæ sub eis continentur, contrahunt ens applicando ens ad aliquam quidditatem, seu naturam*. quod si ea prædicamenta, quæ ibi enumerat S. Pater, contrahunt ens, atque determinant, sine dubio secundum ipsius mentem,ens concipi potest abstractum,

Aristotel. *S.Thomas*

Gg 2 &

& quasi solitarium, & contrahibile a suis illis inferioribus. clarius id ipsum tradunt Thomistæ communiter, & Scotistæ cum Magistro suo; quos refert *Suarez* in met. disp. 2. sect. 2. n. 5. & sequitur n. 8. *Castelui* d. 2. de Prædic. dub. 5. cũ *Blanch.* subscribunt *Hurtado* disp. 9. logica sect. 4. sub sect. 3. *Arriaga* d. 11. sect. 2. licet in modo abstrahendi cum suis Nominalibus dissentiant, & plerique Recentiores.

Prima eorum ratio est, etenim quotiescumque inter aliqua datur conuenientia in aliquo prædicato, talis conuenientia abstrahi ab intellectu potest sola, & sine mixtura differentiæ; sed inter omnia rerum prædicamenta datur conuenientia in ente, vel in esse vt sic, siquidem omnia sunt quædam entia; ergo ab eis potest abstrahi ratio communis entis, per modum generis, aut prædicati alterius.

966 Secunda ratio est, quia licet non possit concipi entis inferius, verbi gratia, Petrus, quin implicite intra ipsum sit, & concipiatur ens, verumtamen è contra, ens solitarie concipi, & cognosci seorsim potest sine Petro; vt vides, quando audis, aut prædicas illud, vt quid superius ad Petrum dicens, *Petrus est ens*, nam sine dubio Petrus, vt supra dicebat *S. Thomas*, aliquid addit supra ens, & quod nõ dicit ens. vnde idem S. Pater conformiter ad locum 1. partis allegatum iterum loquutus est in Opusculo 42. cap. 2. & 4. ibi. *substantia autem, vt dictum est supra, addit supra ens specialem modum essendi.* istud ergo ens, quod non dicit substantiam, nec Petrum, ratione ratiocinata distinguitur à Petro, & à substantia, & cõsequenter ratio abstracta ab eis, atque eis cõmunis est cum reliquis prædicamẽtis. lege *Iauellum* 4. metaphys. q. 4. aut *Suarez* disp. 2. sect. 5. & 2. vbi cum alijs declarant quo modo inferiora entis claudant ipsum, quin inferiora eius ipsum includãt. quemadmodum totum includit suam partem, pars autem non includit totum. Tertia ratio efficacior habetur supra n. 551. §. *confirmatur*.

S. Thom.

Plane nil aliud volunt Recentiores in conclusione præsenti, nisi quod ratio ista secunda euincit; quæ debuit esse conniuens apud omnes Doctores, qui admittũt distinctionem rationis rationatæ obiectiuæ, siue inter conceptus obiectiuos explicitos, vti de facto admittunt plures aduersæ partis Authores; & sane non scio an consequenter procedant, dum admittentes obiectiuas formalitates etiam in Deo, vbi præscindi posse credunt sapientiam diuinam à voluntate, & à reliquis diuinis attributis, acriter negant abstrahi posse rationem entis, vel accidentis à suis vnamquamque inferioribus.

Prædictæ ergo authoritates, & rationes simul probant abstrahi similiter posse à Deo, & Creaturis rationem entis illis communem; quam de illis prædicamus dicentes, *Deus est ens. Petrus est ens*, & insuper aliam rationem communem accidentis vt sic, abstractam à nouem accidentium prædicamentis, vel ab eis, quæ vere sunt accidentia; siquidem ista omnia in aliquo prædicato conueniunt, & supra illud addunt peculiarem modum essendi, & consequenter ab eodem ratione ratiocinata distinguuntur post operationem intellectus, vt tute vides dum dicis, *calor est accidens, quantitas hæc palmaris est accidens.*

SECTIO II.

Doctores graues, qui negarunt abstrahi posse prædictas rationes entis refert, ac reijcit cum suis fundamentis

Sed contra sentiunt Eminentissimi Cardinales *Caietanus* de ente & essentia quæst. 1. *Toletus* in c. 4. Antepredic. q. 1. tract. de analogia. & P. *Vasquez* 1. par. disp. 114. capit. 2. & disp. 121. cap. 2. & alij plures apud *Suarez* in metaph. disp. 2. sect. 2. nu. 4. & docti Recentiores; quorum hæc sunt fundamenta. 967

Primum est, quia ens transcendit vltimas differentias, & modos essendi, & in illis includitur, ergo nequit ab illis abstrahi, & cõfirmãt; quia ens significat, vel dicit cõfuse substantiã, & accidẽs, idest, omnia particularia entia siquidem ens resoluitur per habens entitatẽ, quo pacto sunt omnia collectim entia. ergo ens non est vna ratio communis abstracta; sed entium omnium congeries.

Respõdetur cõcesso antecedẽdi, distinguendo

guendo consequens, nequit ens ab illis abstrahi abstractione, & separatione reali, concedo consequentiam; abstractione intentionali, idest, cognoscente solū, & explicate ens, quantumuis semper imbibitū maneat realiter in vltimis differentijs; & sic nego cōsequentiā. sat est ad abstractionem intentionalem, siue intellectualem, cognoscere vnum sine alio, cognosci autem posse ens vt sic, siue conuenientiam vel similitudinem sine intellectu differentiarum, neque Nominales negant, neque ij, qui formalitates reijciunt; quia est doctrina communis, & quam optime tradit *S. Thomas* in ilio Opusc. 4. c. 2. dicens inferiora entis addere aliquid supra ens, & quod de entis conceptu non sit, quare falluntur, qui credūt substantiā v.g. includi in ente, & inferiora entis ab ipso non differre plus quā definitio, & definitū, quoniam definitio, & definitum, non sunt duo conceptus obiectiui, sed vnus, & idem; substantia vero, & ens sunt duo ratione distincta, vt supra Sect. praecedenti monstratum est.

S.Thomas.

Ad Confirmationem negatur antecedens quatenus Nominalium more supponit praedicatum illud commune, re vera tale non esse, idest, non esse vnum per proprietatem; sed tantum per similitudinem, nempe congeriem omnium entium particularium, similium, & conuenientiū; quare in praesenti, idem valet abstractum, atque concretum; & synonyma sunt ens, & entitas, id quod circumfertur communiter: & sane eo ipso, quod queant cognosci entia particularia secundum quod sunt ens, quis prohibeat praescindi ens, aut entis vnum conceptum obiectiuum, sicut praescinditur animal, eo ipso quod solitarie apprehenditur? neque est specialis difficultas in ente ratione transcendentiae, si tamen haec non impedit quominus ens solitarium concipi valeat, vt fatentur supra *S. Thomas*, & item aduersarij dicentes, quod *ens est habens entitatē*, vbi vides ab eorū cognitione distingui, siue, quod idem valet, praescindi ex parte praedicati formā habitā ab habente, quantumuis id dicant esse substantiam, vel accidens, vel aliud quidpiam magis singulare.

S.Thomas.

968 Secundū fundamentū est. si ens abstrahi posset à singularibus, ipsa singularia cōtraherēt ens per aliquid distinctū ab ente saltem ratione ratiocinata, eique superadditum. hoc fieri non potest. ergo nequit abstrahi ratio entis. minor probatur, quia id, per quod tanquā per superadditū cōtrahunt ens singularia, itē est ens, & cōsequenter idē siue, indistinctum ab ente.

Respondetur ex *S. Thoma* allegato in Sect. praecedenti, dupliciter solere singularia contrahere suam rationē cōmunem: primo per aliquid superadditū essentialiter distinctū à ratione cōmuni, quo modo rationale, & hinnibile contrahunt animal. Secundo modo, per aliquid quasi essentialiter, hoc est explicite distinctum à ratione cōmuni quantumuis implicite afferat ipsam rationem cōmunem; & hoc secundo modo *substantia, quantitas, & qualitas contrahunt ens applicando ens ad aliquam quidditatem, seu naturam*. vnde dicendum ad minoris probationem, singularia entis ipsum contrahere per aliquid explicite, & quasi essentialiter ratione ratiocinata inadaequata distinctum ab ente, & quod proinde explicite sit aliud ab ente, & non ens. nam Petrus, *substantia, quantitas, qualitas, & ea, quae sub eis continentur*, non sunt explicite entia, sed modi entis, siquidem vt aiebat *S. Thomas addunt supra ens specialem modū essendi.* conturbetur nemo, dum hoc audit, nam est communis Theologorum, & certa sententia quod diuina sapientia non est explicite voluntas, neque essentia diuina, neque aliud attributum quantumuis ea omnia includat transcendenter sapientia multo maiori inclusione, & strictiori connexione, quam inferiora, seu modi entis includunt ens.

S.Thomas.

S.Thomas.

Tertium fundamentum est, quod iecit *P. Vasquez.* 1. p. disp. 114. c. 2. n. 6. *nam si conceptus entis aliquis esset communis, totus esset in analogatis; quibus communis esse diceretur: esset igitur vnus conceptus praeter multa, & in multis, ac proinde vniuersalis, & vniuocus.* Conuincor ego hoc argumento P. *Vasquez*, & Respondeo cōsequenter concedendo esse vniuocum ens semel abstractum; sed proprie vniuersale nō esse; vti dicam fusius in Sect. 6. sed Recentiores negant fore vniuocum propter ea, quae dicemus in duplici Sect. sequenti, iuxta ipsorum varias sententias.

Quartum fundamentum est, quoniam ratio entis abstracta ab omnibus oreat 969

turis, & à Deo, deberet esse substantia, vel accidens, creata vel increata, finita vel infinita, naturalis, vel supernaturalis, vel omnibus ijs modis simul; sed ita esse non potest, ergo nec potuit abstrahi. minor patet; quia si ea ratio esset substantia, non conueniret accidenti. & si accidens, non conueniret substantiæ; si creata, & finita, non conueniret Deo infinito, & increato. & ita de cæteris. quod antè debeat esse determinate vnum quidpiam certum, nimirum substantia, vel accidens, vel aliter, manifestum videtur; quoniam nihil esse potest in rerum natura, quod determinatam essentiam non habeat, nempe, quod substantia non sit, vel accidens, creatum quid, vel increatum. Responderet Nominales rationem entis illis omnibus modis esse, quippe qui opinantur eam esse omnium entium singularium congeriem confuse conceptam in ordine ad prædicatum commune, aut simile, quo sunt. Sed ego

Respondeo negando maiorem, & dicendo prædictam rationem entis abstractam, neque esse substantiam, neque accidens, nec creatam, vel increatam, nec determinate alia in argumento enumerata: sed ab illis omnibus essendi modis abstrahere, vt ita expedita conuenienter, & apta sit identificari cum omnibus suis inferioribus, non secus atque animal, quod in abstractione sua neque hinnibile est, nec rationale, nec aliud determinatū animal, sed ab his omnibus abstrahens, & liberū, vt ita conuenienter de omnibus posit prædicari, & cum eis identificari. ad illud quod addebatur, nempe nihil esse posse in rerum natura, quod non sit determinate substantia, vel accidens, creatum, vel increatū, & huiusmodi aliter, dico verū tenere, si sermo sit de rebus, vt sunt singulares, a parte rei, quæ semper & necessario habent determinatam hanc, aut illam entitatem; falsam vero esse in præsenti, quando tractamus de rationibus per intellectum præcisis, & eas concipientem multo aliter ac sunt à parte rei, idest sine modis, seu differentijs, quas habent à parte rei. Dicitur autem communiter prædicta ratio entis substantia, accidens, creata, increata, & huiusmodi aliter *negatiue*, siue in potentia, & aptitudine positiua, vt ego reor, quatenus nō solū illi non repugnat identificari cum eis differentijs, sed etiam quasi appetit identificationem eum Deo, & creaturis, vt sic realiter fit, & quasi fiat substātia, & accidens, Deus, & creatura. est vero prædicta ratio entis in se aliquid positiuum etiam in sua metaphysica præcisione, ac dici etiam posset finita, vel etiam infinita secundum quid; quia est ordo ad terminum infinitum, sine ad differentiam, aut quasi differentiam Diuinam, quasi ad modum, quo dicitur ab aliquibus eum *S. Thoma* 1. p. q. 12. a. 7. ad finem, iuncta doctrina 3. p. q. 10. a. 3. visio beata terminata ad infinitas creaturas, *infinita* non simpliciter, sed tantum secundum quid. vt videre est in *Caietano* 3. p. q. 10. a. 3. § *Sed ex hac litera. Molin.* 1. p. quæst. 12. art. 8. disp. 5. membro 7. § *ad 1. eorum.* S. Thomas.

970 Quintum fundamentū sumitur ex Philosopho dicente in 3. Phys. tex. 4 nihil esse commune decem prædicamentis. sed Respondetur *Aristotelem* tantum velle nihil esse cōmune ita vniuocū, vt sit genus ad decem prædicamenta, quod etiam aduertit in sua parafrasi *Pallauicinus*; non vero negauit rationem aliquam quoquomodo communem, & prædicabilem de decem prædicamentis; quam multi Scriptores, iique sapientes opinātur esse proprie, & intrinsece analogam, alij propter transcēdentiam; alij propter dependentiam; vt videbis in sequentibus. Aristoteles.

SECTIO III.

Enumerat rationes varias cōmunes entis, & accidentis; quas vulgo dicunt cōpletas, & incompletas & ab ijs abstrahentes; & eas omnes transcendentes esse, & ideo neque vniuocas, neque genera proprie, sed analogas, probat ex communi sententia.

Dialectici communiter vocant rationem entis completam, quam abstrahunt ab entibus completis; & incompletam, quam præscindunt ab entibus incompletis; ac demum quam desumunt ex horum, & illorum entium conuenientia, dicunt abstrahere à completa, & incompleta, idest, in se neque completam, neque

que incompletam esse, sed in procinctu ad vtrumque, & similiter philosophantur de rationibus accidentis. quæ verò sint, et quomodo entia completa, aut incompleta, dicturus sum infra in Sect. 5. et 8. his præsuppositis.

Dicunt primo, et merito Recentiores, ens completum in communi, nimirum quod abstractum est à completis prædicamentis, transcendere, si non omnium inferiorum differentias vltimas, saltem immediatiores, et superiores, quæ à communi sententia dicuntur differentiæ minus propriæ, seu quasi differentiæ, et modi entis, nempe *per se*, et *in alio*, quatenus *per se* cum ente, seu additū enti, cuius est modus, facit substantiam completam: et *in alio* cum eodem ente, cuius etiam est modus, constituit accidens completum. Et simili modo dicunt hoc accidens etiā completum transcendere differentias, seu modos nonem inferiorum suorum, si tot sunt prædicamenta accidentalia, à quibus illud abstractum fuerit: nam quemadmodum *per se*, et *in alio* sunt modi immediati entis completi, ita *quantum, quale*, et cęteri dicuntur modi quasi differentiales, vel contrahentes accidentis, modi, inquam, completi.

971 Et Ratio dicti huius est. Etenim illa omnia, quæ sunt entia completa in se, capiunt, et claudunt ens completum; sed isti duo modi *per se*, et *in alio* sunt entia completa, ergo in se capiunt, et includunt ens completum. ens ergo completum eos modos transcendit. Maior, et consequentiæ sunt euidentes. minorem probant Dialectici fere omnes communi sua authoritate, et ab incommodis, quæ ex opposito sequerentur. nā primo, inquiūt, si ens completum non transcenderet modos *per se*, et *in alio*, sequeretur dari genus proprium ad decem prædicamenta, quod esset ens in communi. Secundo capita, aut suprema genera prędicamentorū, non esse simplices conceptus obiectiuos, sed compositos genere, ac differentia; Tertio. Prædicamenta non se totis differre, neque esse primo inter se diuersa. quæ tria communiter reijciuntur ab interpretibus tanquam absurda, et omnino contraria *Aristoteli* in 3. metaph. tex. 10. et 8. tex. 16. et 10. textu 12. et ibidem inter. preti *S. Thomæ*, lectionibus 8. 5. et 4. Hęc omnia latè confirmat *Suarez* in metaph. disp. 2. sect. 5. cum ab se allegatis *Aristotele, S. Thoma, Themistio, Caietano, Soncinate, Soto, Fonseca*, et olim docuit meus in Philosophia Magister.

Aristotel. *S. Thomas.*

Dicunt secundo, prędictam rationem entis esse analogam, et consequenter admittunt analogiam non tantum nominū, et vocum, sed rationis communis, ita expresse tradiderunt *P. Suarez* in metaph. disput. 28. sect. 3. et disp. 32. sect. 2. num: 5. et ibi *Aristoteles. S. Thomas.* & alij. *Abulensis* 1. Phys. quęst. 4. *Iauellus* 4. metaph. quæst. 4 *Fonseca* 4. metaph. c. 2 quæst. 4. *Conimbricens*. cap. 1. Antepædicam. q. 1. artic. 2. ad 3. et plerique Recentiores. quāuis discrepent in assignando titulo, ob quem, ratio entis analoga sit, vt videbimus infra. Solum hic annotarem dicta duo circa rationem completam entis, applicari item debere rationi communi *accidentis completi*, et rationibus quibuscūque alijs entis, et accidentis incompletis, et abstrahentibus à completis, et incompletis. Siquidem, vt nemo non videt, eæ rationes omnes transcendunt inferiorum suorum modos, ac differentias. et subinde analogas fore iuxta sensum Dialecticorū horum; neque enim potest esse ratio vniuoca, aut genus, quæ imbibitur in suis differentijs, et cum ipsis non componit metaphysice. quid autem sit compositio metaphysica perspicue declarabam sup. 742.

SECTIO IV.

Pater Doctor Petrus Fonseca putauit cum multis alijs rationem entis esse analogam, non vniuocam, neque genus, titulo transcendentia.

FOnseca in 3. metaph. c. 3. §. *huic obiectioni. Conimbricenses* cap. 1. ante prædicam. quæst. 1 art. 2. ad 3. et multi iuniores defendunt tituli assertionem, et pro ea se merito allegare credunt *Aristotelem* 3. metaph. tex. 10 et locis allegatis Sectione precedent, vbi clare insinuat ens transcendere, et ideo vniuocum non esse, nec genus, putauerit ergo esse æquiuocū, siue quod nos dicimus analogum, ipse enim nomine *æquiuocum* significat, quoq; 972

Aristot.

quæ sunt analoga, vt superius adnotaui ex Patre *Suarez*, allegans etiam S. *Thomam* dicentem in Opusc. 42. c. 1. *nulla autem differentia potest accipi, de cuius intellectu non sit ens, vnde manifestum est quod ens non potest habere differentias, sicut genus habet, & ideò ens genus non est, sed est de omnibus communiter prædicabile analogicè similiter dicendum est, de alijs trãscendentibus*, & simili modo loquitur ex philosophi mente S. Doctor in 8. metaph. lect. vltima. quod si alicubi S. Pater. inquiunt Iuniores, sentire videbitur ens esse analogum titulo dependentiæ declarandæ inferius, putandus est loqui, de analogia nominis *ens, entis*, non rationis communis entis, significatæ per id ipsum nomen. His consonat *Blanchus* in disp. 6. Antep. sect. 4. cum allegato *Scoto*, loquendo de ente abstrahente à completo, & incompleto.

Et probant ratione, quia illud est analogum, cui conuenit analogorum definitio; sed ea conuenit rationi entis transcendenti; ergo ea analoga est. minor probatur, hæc est analogorum definitio. *analoga sunt, quorum nomen est commune, & ratio per nomen significata partim est in ipsis eadem, partim diuersa*, quæ videtur conuenire rationi entis saltem cum quadam analogia & metaphorica similitudine, quatenus ipsa titulo transcendentiæ, & inclusionis in suis inferioribus partim est eadē, & partim diuersa in eisdem; eadem quidem, quia per eam inferiora conueniunt, & similia sunt; diuersa vero, quia quodlibet inferius per eandem constituitur, & per eandem transcendenter in se inclusam ab alijs distinguitur, ita quod eadem ratio entis sit causa conueniendi, ac differendi. ita quoque me docuit olim anno salutis 1612. meus Magister in Collegio Hispalēsi S. Hermenegildi Regis Hispaniæ, & gloriosi Martyris.

973 Sed quis non viderit præfatam analogorum nominum definitionem violenter extendi, & extrahi à propria significatione, vt quoquo modo conueniret rationi entis. etenim ea definitio apprime quadrat nomini *Principium*. v. g. siue, Vt rectius loquar, eius significatis, quæ sunt plura. nempe *Deus*, quod est principale rerum omnium principium sine principio. *Ianuario*, qui dicitur principium anni. *Ruben* quoq; dictus est principium doloris, quia fuit primogenitus Patris sui. *Timor* Domini dicitur etiam principium sapientiæ. & *cor* vocatur principium Vitæ: & huiusmodi alia dicuntur principia, quibus nimirum nomen solum est commune, & vnum, si. quidem nominis significata sunt multa, siue in multis, quæ tamen dicuntur *eadem* per quandam analogam, & quandoque valde metaphoricam similitudinem admixtam cum maxima differentia. & ita debere esse analoga propria annotaui supra nu. 247. & infra num. 977. ex *Aristotele* exēplificante in *homine*, quod est æquinocum, siue analogum, vt significat hominem verum, & pictum, vt legi c. 1. Prædicamentorum. *Aristotel.*

Quocirca, vt ego reor, non rectè applicatur definitio analogorum, siue analogatorum, quæ proinde semper debuerunt esse plura, siue plurium congeries, vni rationi entis, vniue conceptui obiectiuo, qui non potuit esse plura, quæ forent entia analogicè similia, cum similitudine metaphorica potius, quam vera: Vnde nil conuincunt isti Doctores, si non sunt *Nominales*, qui pro conceptu entis assignant substantiæ, & accidentis, imò Dei, & Creatorum entium collectionem, quæ sine dubio analogata sunt nominis *ens, entis*, non rationis communis. accedit quod videtur impossibile eandem rationem entis esse causam conueniendi, & simul differendi, quoniam ea, eadem ipsa semper est, & nunquam non fundare, & causare conuenientiam potest; neque aliud persuadet illud solemne argumentum, quo promouent. Recentiores suum, de entis analogia, intentum. inferiora entis v. g. *substantia & accidens differunt per suas differentias; sed differentiæ sunt ens, ergo differunt per ens, ergo ens est ratio quoque differendi, nec tantum conueniendi*.

Nihil valet hoc argumentum, sicut neq; alia hæc similis figuræ. primum est. substantia, & accidens, siue modi *per se*, & *in alio* differunt per semetipsos ratione ab ente, & includunt ipsum, sed ipsa, vel ipsi modi sunt ens, ergo differunt ab ente, aut ipsum includunt per ens. mala consequentia. neque melior est secunda hæc. Personæ tres diuinæ differunt ab se inuicem per suas personalitates, hæ sunt essentia diuina, ergo differunt per essentiam

tiam

tiam diuinam, quis hoc ausit concedere? concluditur ergo requiri omnino adhoc, vt inferiora entis differant per ens, per quod conueniunt, esse explicite entia, & non aliud ab ente; nec sat esse afferant implicite ens, vt deprehendis in illis exēplis modo allatis; & ideo licet opinio tituli huius videatur multis probabilis, mihi sæpe non placuit. Videamus aliam, si forte potior erit.

SECTIO V.

Pater Doctor Franciscus Suarez cum multis alijs sibi persuasit rationem entis esse analogam attributionis, seu titulo dependentiæ; quatenus inferiora illius pendent ab vno principali, eique subordinata attribuuntur, ad modum, quo se habent significata nominis analogi attributionis.

974 SVarez In metaph. disp. 28. sect. 3. n. 16. & disput. 32. sect. 2. à n. 9. *Sotus* c. 4. Antepræd. q. 1. a. 1. *Blanchus*, vbi, & modo quo supra nu. 972 & Alij præsertim recentiores, quibus fauet sine dubio *S. Thomas* in Opusc. 42. cap. 1. & in 1. dist. 19. q. 8. a. 2. ad 1. dicens *ens esse analogum quia per prius dicitur de Deo, quam de creaturis, & primo de substantia, quam de accidenti*, dixerunt rationem entis analogam esse attributionis, & dependentiæ, seu titulo dependentiæ, quam inter se habent inferiora illius, & quem illa dum ipsa respicit, & ad ea descendit, attendit. Vnde secundum eos Doctores analoga dicitur ratio entis, quia sub se habens quodammodo etiam Deum, & creaturas, substantiam, & accidens, primario, & magis quasi appetit accedere ad Deum, quam ad creaturas; quia Deus sit principale ens, cui reliqua subordinantur, & attribuuntur, & a quo pendent; ac rursus principalius appetit descendere ad substantiam, quam ad accidens, quia illa est longe perfectior isto, quod propterea dici solet non simpliciter ens, sicut substantia, sed entis ens, idest, ens subordinatum substantiæ, ab eaque dependens. quocirca P. *Suarez* expressius cæteris dependentiam, & subordinationem, quam inter sese seruant analogata voluit etiam attendi ab intrinseca essentia entis vt sic, vt vel sic id faceret simile nomini *ens, entis*, quod analogum est, quia per prius significat ex sua impositione Deum, quam creaturas; per prius substantiam, quam accidens. Vnde concludunt isti Doctores ens in communi principalius, & quasi naturæ entis magis conformius, prædicari de analogatis perfectioribus, de reliquis inferioribus non item. ratio pro præsenti assertione, non est alia, quam similitudo, quam putant esse inter *ens* in communi comparatum cum suis inferioribus, & inter nomen *ens*, aut *sanum* comparata cum suis significatis, atqui *Suarez* omnes alias rationes communes, quæ æqualiter dicantur de suis inferioribus, licet aliunde transcendant, credit esse vniuocas, vt colligo ex n. 2. c. 3. l. 1. de Trinitate.

Opinio tamen ista non placet multis Viris doctis, primo, quia, inquiunt, in oppositam de transcendentia inclinare videntur magis *Aristoteles*, & *S. Thomas* allegati supra, & videndi per otium in *Alamanio* in 1. p. summæ q. 9. art. 2. corpore. secundo, quia necesse non videtur philosophare de analogia rationis communis ad modum analogiæ nominum, cū illa tantū distet ab ista; sed potius philosophari oporteat, de analogia rationis communis modo opposito ei, quo philosophamur de ratione vniuoca, quæ analogæ opponitur. Vnde sicut appellamus rationem vniuocam, non transcendentem, etiam si ea dicatur de vno principaliter, & de alio minus principaliter; ita appellare debemus rationem analogam, trāscendentem. Siquidem *oppositorum eadem est ratio, aut disciplina*.

Tertio, quia ex ea sententia sequitur, quod dicenda sit analoga omnis ratio, 975
quæ prædicatur de vno inferiori principaliter, ac de alio minus principaliter, & ab illo principialiori dependenti. & sic qualitas in communi analoga erit, & non genus, siquidem principaliter prædicatur de intellectu, & minus principaliter de actibus intellectus, ab eo dependentibus, eique subordinatis. Vnde vlterius fiet qualitatem in communi magis appetere,

&

Marginalia: *S. Thomas.* *Aristotel.* *S. Thomas* *Aristotel.*

& propendere ad intellectum, quam ad actus ipsius.ideo quarto displicet istorum opinio, quia pro libito fingit, vel dicit aliquas dependentias analogatorum inferre analogiam in rationem communem, alias non, cum eadem ratio in omnibus esse videatur.

Quinto displicuit, & mihi illud, quod addit doctissimus *Suarez* in illa disp. 32. sect.2.nu.11.& 14. dicens, *unde fit, hanc analogiam non posse in alio consistere, nisi in hoc, quod illamet ratio entis non omnino æqualiter, & indifferenter descendit ad accidens, & substantiam, sed cum quodam ordine, & habitudine, quam per se requirit, nimirum vt prius sit absolute in substantia, & deinde in accidente, cum habitudine ad substantiam*. illud est fundamentum structuræ, siue adstruendi analogiam hanc, in rationem communem entis; quod video esse infirmum, quoniam ille maior, vel prior descendendi appetitus erga substantiam fingitur in ente, si plusquam metaphoricè attribuitur enti emortuo appetitus, & ordo, quem haberet, & seruaret in descensu ad sua inferiora, si illa rationaliter cognosceret, præeligendo nimirum primo perfectiora, vt & nos fingebamus olim num. 576. tractando de vniuersali, *animali*, v. g. quod magis appetiturum esset differentiam *rationale*, & perfectiores si eas agnosceret, dicebamus, desumpto simili à materia prima, quam vulgo dicere solemus appetere formas, & magis appetere meliores.

Quod si adhuc perstat incepto *Suarez*, dicat, si audet, animal esse analogum, quia prius appetat descendere ad hominem, vt pote perfectiui viuens, quam ad quãdam ignobilem bestiam ex illo ortam, & ab illo dependentem. Si quidem dici simili fundamẽto potuit ita à natura constitutas fuisse rationes omnes communes, vt per prius respiciant differentias perfectiores, deinde ignobiliores ordine. iam vero si desiderat, & requirit inferiorum subordinationem connaturalem, & dependentiam vnius ab alio, ponat qualitatem in communi analogam, & asserat eam inæqualiter descendere ad sua, *nempe, vt prius sit absolute in intellectu, & deinde in eius actu*.

976 Sexto reijcitur ista sententia, quoniam in ea, ratio substantiæ incompletæ in communi erit vniuoca, quia licet transcendat, dicitur a qualiter de inferioribus suis, & simili modo erit ratio accidentis completi vniuoca, & genus ad nouem prædicamenta, & consequenter ipsa posita in prędicamento constitueret vnum, quo spectarent omnia accidentia, siquidem in istorũ modo dicẽdi, ratio accidentis æqualiter omnino descendit ad inferiora sua, & æque principaliter ab eisdem prędicatur; ac tandem fieret duo tantum esse prædicamenta, nempe substantiam, & accidens, cum *Aristoteles*, & Peripathetici decem ponant. *Aristotel.*

SECTIO VI.

Ioannes Duns Scotus, Doctor subtilis dictus, opinatur cum multis, rationem entis vniuocam esse, & genus.

Scotus in 1.dist.3.quæst.1.& 3.& in 3. dist.8.quæst.2. *Gabriel* in 1. dist. 2. quæst.4. *Gregorius* 1. dist.8. quæst.3. *Arriaga* hic disp.11. à num.39. *Castellus* de Prædicam.disp.2.dub.vltimo. *Blanch.* disput.6.Antep.sect. 2. *Scotistæ*, & alij tradunt rationem entis completi abstractam esse conceptum obiectiuum vniuocum, non minus, quam animal, aut aliud genus, atque ita debere esse, si semel abstrahatur ratio prædicta entis, asserit P. *Vasquez* 1. par.disp.124.c.2.num.6. & sæpe alibi. & probatur. etenim, vt colligitur ex *Aristotele* in Antepraedicam. & à tota Antiquitate vniuocum est, quod est idem in suis inferioribus, sicut est animal, aut homo: sed ratio entis præcisa est eadem in suis inferioribus, ergo est vniuoca, imo, & genus, vti volunt PP. *Castellus* dub. vltimo. *Blanchus* sect.vlt. *Arriaga* hic disp.7. num. 25. &, vt aliqui credunt, *Scotus* vbi supra. Minor liquet ex eo, quod ens sit ratio conueniendi, & vniformiter se habeat erga inferiora sua, vt monstraui in Sect. 4. contra eos, qui dixerunt analogum fore ens ratione transcendentiæ: & in Sect. 5. contra alios, qui asserebant ratione dependentiæ; addiderunt vero cum *Scoto*, *Blanchus*, et *Castellus* ens non includi in differentijs, quorum rationes non cogunt nos *Aristotel.*

rece-

recedere à sententia *Aristotelis*, & S. *Thomæ*, & communi, & ex dictis, & dicendis facile diluuntur.

Alia ratio est, quoniam ab antiquis non fuit cognita nisi analogia attributionis, & proportionalitatis, de quarum ratione est vt per nomen significentur immediate plura, vt apparet in nominibus *sanum*, & *principium*. Sed in conceptu abstracto entis non afferuntur plura, ergo in eo non est analogia. minor est euidens apud eos, qui præscindunt formalitatem entis, vnam obiectiuam, vt præscindendam docet, & probat *Suarez* in disp. 2. metaph. sect. 2. a nu. 8. vbi dicit *primo enim quod Sancinas ait conceptum illum entis constare ex substantia, & accidente vt sic, est plene falsum*, quod & nos olim probabamus contra *Nominales*, & eorum Fauitores. quocirca *Scotus*, & eius Sectatores non agnouerunt analogias rationum communium, sed tantum nominum, id quod Aristoteli videtur esse magis conforme, vti iam exemplano.

SECTIO VII.

Ratio entis quæcumque semel abstracta intrinsecè est vniuoca, sed non genus, aut aliud prædicabile, quia transcendit, & ideo non componit cum differentijs, dici autem potuit large loquendo analoga extrinsecè tum ratione dependentiæ, tum etiam ratione transcendentiæ.

977 ADmirabile omnino est considerare, inquantum extenderint metaphorã Authores antiqui, & Moderni, vt compellent aliquo titulo, rationem cõmunem entis analogam, cum ipsa vere, & intrinsecè analoga non sit, nisi vel noua analogia effingatur, vel aliunde ab extrinseco, aut per minimam, similitudinem, quã habeat cum analogis ratio analoga nimis large nuncupatur, audi, & vide rem omnem ab initio.

Aristotel. *Risus*, exempli causa, est nomen *analogum*, siue vt vocat *Aristoteles* in prædicament. c. 1. *æquiuocum*, quatenus significat proprie, & principaliter hilaritatem hominis, ac deinde viridantem, ac floridam hilaritatem prati; quæ item per aliqualem similitudinem ad hilaritatem hominis, dici solet risus; dicimus enim prata ridere; cum florescunt, in quo exemplo; & in alijs annotari volo analogiam veram non stare sine metaphora, idest, cum impropria quadam similitudine analogatorum, qualis hic est inter pratum floridum, & lætitiam vultus humani; & defectu huius metaphoricæ similitudinis *risus* non est nomen analogum comparatione risus Petri, & hominis alterius, quoniam ij ambo risus sunt proprie similes, & non habent solam apparentem similitudinem, sed veram. Legatur S. *Thomas* 1. p. q. 16. a. 6. c. & q. 13. a 6. c. vbi bene explicat analogiam *Sanum*.

Hinc ergo desumunt prædicti doctores primo, & affirmant nomen *ens*, esse quoq; analogum quatenus significat Deum, & creaturas, vel etiam substantiam, & accidens, quia, inquiunt, Deus est primum ens, & fons totius esse creati; & substantia item modo suo est origo, & fundamẽtum accidentium: Vnde merito creatura dicitur secundarium ens, & deriuatum à Deo primo ente. Et *accidens* dici solet *entis ens*, idest, ens substantiæ: sane meo iudicio nomen ens deficit à propria analogia, quia creatura; et accidens non sunt entia apparenter metaphorice, aut similitudine, sed proprie, et sine metaphoris, sed concedendum fuit esse quodammodo analogum respectu eorum anagolatorũ, quæ etiam proprie significat, quia sic videtur sentire cum multis authoribus S. *Thomas* in Opusc. 42. in princ. quo fiat vlterius, vt nomen *analogum*; non vniuocum, sed analogum vere sit in actu signato, & exercitu cõparatũ cũ *risu* supra declarato, et *ente*, quorum primum significat proprie, secũdum satis translatitię, & metaphorice. *S. Thom.*

Deinde ijdem Magistri extendunt magis, et ampliant nomen, et rationem analogiæ, eam applicantes rationibus communibus, dicentes ens in communi esse analogum, quia prius, et proprius respiciat Deũ, quã creaturas: prius substãtiam, deinde accidens: vel quia inclusũ in modis, vel differentijs eorum analogatorũ, eisdem sit quid commune, et quoquo modo in eisdẽ diuersum, siue causa conueniendi, et differendi, vt explicarunt supra in sect. 4. et 5. 978

Sed

Sed vero hi authores plus iusto ampliant analogiam, & forsam sine *Aristotele*, & ideo à nobis refutati sunt locis modo allegatis. Vnde solum reliquum est, vt dicamus breui quid sentiamus in punctis controuersis, ac disputatis in tota quęstione præsenti.

Dicimus ergo primo, abstrahi posse rationem, seu conceptum entis communem, vt bene dictum, & probatum est supra in Sect. 1. id quod item persuadet experientia, qua videmus non solum concipi ens, vt sic nudatum differentijs, sed & facilius tale ens concipi, quam particularia entia, *Aristotel.* iuxta doctrinam Philosophi in 6. Topic. cap. 3. initio dicentis magis notum esse, quod magis commune est. fauet quoque *S.Thomas.* *S.Thomas* in 1. dist. 19. q. 5. art. 2. ad 1. c. & 2. dist. 1. quæst. 1. art. 1. c.

Dicimus secundo, eiusmodi conceptũ entis abstractum, quicunque ille sit, siue completus dicatur, vel incompletus, vel ab vtroque abstractus, intrinsece, & absolute esse vniuocum, id quod sufficienter probatum est supra ab *Scoto* in sect. 6. & à nobis in Sect. 4. & 5. vbi obiter ostendebamus non posse esse analogum, nec titulo dependentiæ, nec transcendentiæ. Et ratio hic iterum repetita sic est. Etenim ens in communi de se omnino indifferẽs est, & vniformis vt prædicetur, & contrahatur, & sit in Deo, & in creaturis; in substantia, & accidentibus: neque magis appetit, sublata omni metaphorica loquutione, & concionatoria exaggeratione, diuinam, quam aliam differentiam; nec enim ratio entis habere potest aliquam specialem habitudinem, & propensionem maiorem ad perfectius inferius, quod propterea prius respiciat, aut appetat; Secus, habere conuinceretur intra se aliquid diuinum, vel aliquid, quod non posset identificari cum creaturis. Ergo conceptus entis omnino est idem, & eodem modo se habens æqualiter participandus à suis inferioribus, vt pote eorumdem in esse eodem, & solo, pura, & nuda conuenientia. Sed nec impedit entis vniuocationem transcendentia, vt monstrabam supra in *S.Thomas.* *Aristotel.* Sect. 4. circa finẽ. fauet dicto huic *S.Thom.* 1. p. q. 162. 6. c. sed clarius in 10. metaph. lect. 3. cum *Aristotele* ibidem.

979 Dicimus tertio, nullam rationem entis esse genus, ita dixerunt ante nos. *Aristoteles* 4. Topic. & in 3. metaphys. tex. 10. *Aristotel.* *S.Thom.* S.Thomas 1. p. quæst. 3. art. 5. c. & vterque sæpe alibi, & communiter Doctores, vbi supra n. 971. ratio Philosophi *S.Thomæ*, & cæterorum est. quoniam ens transcendit vltimas differentias, & ideo differentias non habet, neque cum ipsis componit; etenim propria differentia postulat non participare, nec includere genus in se, vt docet iterum ex *Aristotele* S. Doctor in Opusculo 42. fine, cum autem omnis differentia sit ens, respectu entis nequit esse differentia; vnde veniunt dictę *S.Thomas.* à communi sententiæ differentiæ entis, qualiter sunt decem prædicamenta, in quę diuisum est ens, non simpliciter differentiæ, sed quasi differentiæ, & modi entis. quæ vero *Scotus*, *Blanchus*, *Arriaga*, & *Castelui*, vbi supra num 976. nobis obijciunt contra hoc dictum, ad summum probant prædicationes entis reduci ad genus, non autem ens esse proprie genus. sed neque doctus *Blanch.* conuincit cum *Scoto* relato etiam à *Caietano* 1. par. q. 3. ar. 5. illud non transcendere differentias.

Dicimus tamen quarto. Ratio quælibet entis dici potuit analoga extrinsece, siue per extrinsecam denominationem ab inferioribus sumptam, quæ proprius vulgo analogata cẽsẽtur. idest, ex eo quod Deus, & creaturæ, substantia, & accidens sint analogata respectu nominis *ens entis*, & sint inferiora rationis entis, quæ proinde de ipsis prædicatur, & in ipsis includitur, dici potuit ratio entis quodammodo analoga, tam titulo transcendentiæ in ipsis, quam ipsorum subordinationis, ac dependentiæ, quemadmodum dici solet quidam Rex potentissimus ratione multitudinis vassallorum, ac diuitiarum, quæ sunt regi extrinseca. vel etiã nomen *risus*, vel aliud analogum tale dicitur ab extrinsecis suis significatis, analogis analogatis, ac de eiusmodi analogia dicere poterimus loqui, *S.Thomam* dicentem in 3. dist. 19. q. 5. a. 2. *S.Thomas.* ad 1. & sæpe alibi *ens*, & reliqua transcendentia dici de Deo analogice, si tamen S. Pater non loquitur de nominibus transcẽdẽtibus, quæ putat absolute analoga esse, præsertim dum dicit 3. p. q. 11. *S.Thomas.* artic. 5. ad 3. substantiam esse ens, & bonum simpliciter; & accidens secundum quid; quasi *ipsum non habeat esse, & bonitatem, sed quia eius subiectum est ens, &* *bonum,*

bonum, sed vero negandum non est accidens vere esse ens, licet minus perfectum; ac subinde rationem entis ipsi cum substantia communem vniuocam esse intrinsece, non minus quam animal, vel quoduis aliud prædicabile.

980 Ad finem Sectionis huius pro maiori luce superioris doctrinæ aduerterem tria. primum est bene dixisse Patrem *Vasquez* 1.par.disp.114.c.2. num.6. & alibi.forte vniuocum conceptũ entis,si abstrahi posse semel conceditur, licet ipse non ita bene eius abstractionem negauerit in eadem disp.cap. 2. Secundum est, in eo nos dissidere ab *Scoto*, quod ipse non tantum nobiscum ponat ens vniuocum, sed ipsum putasse videatur esse genus, & non transcendere in vltimas differentias, vt refert *Caietanus* super art.5.quæst.3.1.p.& cum *Blancho Castelui* allegatus supra nu.976. Tertium est, Doctores, qui dixerint nil esse commune vniuocum decem Prædicamẽtis, intelligendos negasse quidpiam ita vniuocum, quod sit genus, neque enim putandum est contra *Aristotelem*, S. *Thomam*, & Torrentem Authorum ens genus esse, & subinde vnum tantum entis Prędicamentum, vt putauit olim *Plato* in Sophista, vt refert *Suarez* disp. 39. sect. 2. num.11.& nouissime *Castelui* cum *Blancho* infra referendus, licet diuisio entis in decem Prædicamenta nec plura, nec pauciora, facta videatur ab *Aristotele* pro suo arbitrio, vt vt vero ea sit, dici poterit diuisio vniuoci in vniuocata, non generis in species; quia ob transcendentiam non componit metaphysice cum differentijs, atque ex dictis facile erit respondere argumentis in contrarium. *Aristotel.*

Ad finem tamen aduerto, vt Tyrones tandem comprehendant mentem quorumdam doctissimorum Nominalium huius temporis, quod quidam doctus Modernus ex allegatis supra, dixit Ens genus esse, quia vidit illud incomplete prædicari de pluribus distinctis in specie, in quid substantiue; sed quoniam ille doctus Vir negat formalitates, & metaphysicas compositiones, & consequenter euertit structuram Prædicabilium, & Prædicamentorum *Porphyrij*, & *Aristotelis*, facit genus ad modum suum, etiam illud, quod in se non est vnum, sed tantum habet vnum nomen Ens.

SECTIO VIII.

Tandem declarat quo pacto sint Ens, & Prædicamenta physicè, vel metaphysicè completa, vel incompleta, & iterum pauca de numero Prædicamentorum.

AD breuem difficultatis huius decisionem suppono res, vel entia physice completa dici, & esse illa, quæ à parte rei per se integritatem habent, & per se non ordinantur ad aliud actu componendum: vt Petrus, & hoc scabellum; atque item gutulæ aquæ, aut partes alterius rei homogeneæ; licet per accidens cum alijs socijs soleant vniri; ac propterea dici entia incompleta secundum quid. Colligo definitionem hanc entis completi ex Philosopho dicente in 8 metaph.tex.88. *illud esse in cuius esse nihil facit anima*. idest, illud, quod ita perfectum est in suo genere, & ex se, independenter ab intellectu, vt non petat componere cum alio ente. quoniam vero semper contingit ens physice completum esse rem singularem, ita id definiũt S. *Thomas* in 4.dist.1.quæst.1. ar.4.q.2.c. *ens completum est quod habet esse fixum in natura*. quo modo sunt omnia indiuidua, seu omnes entitates singulares, cum ijs circumstantijs, quibus solent esse in rerum natura. illa vero sunt entia physice incompleta, quæ per se integritatem non habent, sed ad componendum aliquod totum ordinantur. vt sunt anima, materia, vnio, manus, caput, & similia. *Aristotel.* *S.Thom.*

Entia autem metaphysice completa vocãt Recentiores, quę abstrahimus ab entibus physice completis, & significamus terminis substantiuis, & ad modum per se stantium, & quæ de suis inferioribus prædicamus in quæstione, quid est, siue in eo quod quid. quo modo sunt ens in communi, substãtia, animal, & huiusmodi. colligitur ista doctrina ex Patre *Suarez* in metaph.disp.33.sect.1.nu.21.& disp. 39. sect.1.num. 14. Deinde entia metaphysice incompleta vocant ea, quæ sunt opposito modo; nempe quæ licet abstrahamus ab entibus physice completis, tamen ea cõcipimus admodum alteri adiacentis, vel significamus terminis adiectiuis, 981

ctiuis, vt rationale, hinnibile, & similia.

Atque positis his definitionibus decernunt Neoterici ens, ac decē capita prædicamentorum, & reliqua prædicata, siue prædicabilia, quæ sub his continentur, & sunt in recta linea, esse entia metaphysice completa; quæ vero sunt ad latus, esse metaphysice incompleta, fundamenta vero prædicamentorum certum est esse entia physice completa, quia sunt indiuidua, siue entitates singulares completæ, siquidē ad aliud componendum non sunt destinatæ, dici etiam possunt eadem fundamēta, & indiuidua metaphysice cōpleta, quatenus considerari possunt metaphysicis gradibus composita, nempe genere, differentia, & differentia numerali, vt supra n.658. & sæpe alibi declaratum est.

Secundo Alij Magistri, quibus omnino fauet *Fonseca* in 5. metaph. c.7. q.7. sect. 2. tenuerunt nullam rationem entis, vel alterius naturæ, esse posse ens metaphysice completum. Etenim ens metaphysice cōpletum debet esse illud, quod in se integrum est, & nullo modo ad componendum cum alio ordinatum, vt videtur esse Petrus, quem effingas compositum ex gradibus animali, rationali, & Petreitate, siue ex specie, ac numerali differentia, quæ sunt eius metaphysicæ partes componentes ipsum: cum ergo rationes omnes communes ordinentur ad componendum cum suis differentijs, vel modis inferiorum suorum, fit nihil commune esse posse metaphysice completum. Vnde animal licet sit completum principium sentiendi, & completè genus, ens incompletum est: & ita dicendum putant de reliquis prædicatis, seu prædicabilibus etiam rectæ lineæ; neque enim, inquiunt, ea cōpleta entia sunt quantumuis cōcipi dicātur à *P. Suarez* in disp.33. sect.1. n.21. & eius Sectatoribus, vt quædam tota, integritatem habentia, siquidem cōceptio nostra nequit dare rebus conceptis integritatem, quam illæ non habent. quocirca, concludunt isti Præceptores, sola indiuidua, siue prædicamentorum fundamenta esse metaphysice completa, concepta eo modo, quo exemplificabamus supra de Petro; reliqua vero prædicata rectæ lineæ dici completa secundum quid, vel per extrinsecam denominationem à conceptione nostra, illa concipiente ad modum per se stantium, & pro tunc non indigentium aliorum consortio; quo modo concipere solemus significata nominum substantiuorum, ad differentiam significatorum nominum adiectiuorum.

982 Tertio quidam magnus Theologus, cui displicuit opinio prima, quia non probat intentum, secundam sequutus fatetur ingenue neque ens in communi, neq; aliud vniuersale etiam ex his, quæ sunt in recta linea prædicamenti, esse ens metaphysice completum; nam esse ens eo modo completum solum competit indiuiduis; sed vero adhuc esse illa prædicabilia genera, & species, quia componunt cum suis differentijs, neque illas transcendunt: id quod apparet in genere *animal*, quod licet sit ens incompletum, non includitur in *rationale*, aut *hinnibile*, siquidem illud est radix sentiendi, rationale vero, radix ratiocinandi diuidens, seu diuersificans animal ipsum, ac simili modo est genus quodlibet, cuius operationes causare nequit differentia, cum qua componit; quod euidens signum est genus non transcendēre suas differentias. concluditur ergo non esse contra genera, & species, esse entia metaphysicè incōpleta, quinimo ita oportere esse. nota hic diligenter quam ingenue *Suarez*, & *Fonseca*, & communis concedunt in vniuersali inclinationem ad differentias, vt compartes, quæ euidenter est nostra positiua aptitudo exposita à nu. 569.

Circa numerum Prædicamentorū dixi sæpe alibi, & modo dico postquā attente legi *Aristotel.* hic *S. Augustinū* in Categorijs c. 8. *S. Thom.* in 5. metap. lect.7. & 9. & alibi, in rigore loquendo esse tantum tria, nempe substantiam, quantitatē, & qualitatem, reliqua septem aut esse relationes ex ijs coalescentes, vel varias cōsiderationes illorum trium, vel alicuius ipsorum. Vt tute videbis superius num. 957. vbi *S. Thomas* fatetur denarium numerum Prædicamentorum fuisse inuentionem alicuius *non tantæ authoritatis*. & *Hunæus* lib. 2. ad ipsum docet cum Antiquis. Stādū tamē est cōmuni sententiæ, vt à nobis declarata est supra q. 8. & legendus per totum *P. Suarez* d. 39. metaph. sect. 2. vbi fuse de hac materia, quæ tota metaphysica est, non ita Logica. nec mirandum si Do-

Aristotel. *S. August.* *S. Thom.*

si Doctissimi Patres Carmelitani *Castelui*, & *Blanch* cum *Platone* ponant *Ens*, tanquam vnicum Prædicamentum; nam pendere videtur hoc negotium de diuisione rerum, vel reductione ad vnum caput, aut plura, à libero arbitrio.

QVÆSTIO IX.

Declarat Postprædicamenta Aristotelis, vbi pauca de Causis in genere.

Aristotel. TRactatunt de Postprædicamētis nostri Magistri *Aristoteles*, vbi iam dicam. *S. Thomas* in Opusculo 37. vbi *S. August.* *S. Thom.* de Oppositis. & *S. Augustinus* in sua Logica, cap. 17. Categoriar. & sane fusè, & optimè, & ideo legendus per otium, quoniam nos breuitati consulemus.

SECTIO I.

Super Caput II. Philosophi de Oppositis, vbi quid, & quotuplex sit Oppositio, & quæ oppositionum videatur esse maior.

983 *Aristotel.* QVatuor partes habet caput de Oppositis. & in prima declarat *Aristoteles* quatuor species oppositorum. in secunda, eas inter se comparat; in tertia de Contrariorum oppositione magis in particulari tractat; & in quarta quinque has proprietates, eorum veluti totidem axiomata, pronunciat. prima est, *bono, malum*, idest disconueniens, *contrariatur necessario*: *malo autem*, siue disconuenienti, *contrariatur vtrumque scilicet bonum & malum. vt sanitati*, quod bonū est, contrariatur *languor*, & *iustitia iniustitia*. & *defectui*, quod malum est, contrariatur *superabundantia*, quæ mala est, & bona *mediocritas*. aua itiæ item contrariantur liberalitas, & prodigalitas.

Secunda proprietas contrariorum est, *non est necessarium existente vno contrariorum, quod alterum existat in subiecto. sanis enim omnibus sanitas quidem est, languor vero non. & in albis albedo est, nigredo vero non.* tertia; *contraria non possunt simul esse in eodem subiecto*, supple tu, *in gradibus intensis*, quo modo solo sunt incompatibilia. quare *Socratem* non contingit sanum esse, & simul languere; aut manum summe esse calidam, & frigidam; licet posset habere temperatum calorem, & frigus simul. quarta est, *circa idem specie, aut genere nata sunt fieri contraria*. idest contraria reperiuntur in ijs, quæ sūt eiusdem speciei, vel generis. nam sanitas, & languor in hominibus solent esse. & albedo, & nigredo in varijs quoque animātibus, vel etiam corporibus etiam specie distinctis. quinta proprietas est, *contraria sunt in eodem genere*, vt albedo, & nigredo, quæ sunt in, vel sub genere coloris. *vel in diuersis generibus*, vt iustitia, & iniustitia, quæ sunt sub virtute, & vitio. *vel ipsa genera contraria sunt*. vt bonum, & malum. hucusque continet litera, in cuius declarationem

Dico primo, *oppositio in communi est duorum, vel plurium repugnantia se mutuo, & determinate excludentium.* Sermo hic est de oppositione, non vocum, seu terminorum, sed rerum, quæ per terminos significantur. atque eiusmodi præsens oppositio dici solet incomplexa, siue incomplexorum, idest rerum secum pugnātium, ad differentiam oppositionis, quæ inest propositionibus oppositis, de quibus agebamus olim a num. 353. tractamus ergo de oppositione, quæ reperitur, v. g. inter frigus, & calorem, & similes res incōplexas inter se repugnantes. Et quidem in definitione præposita ponitur loco generis *repugnantia*. reliquæ vero partes stant ibi loco differentiæ; quibus edocemur, primo, oppositā debere ad minus esse duo, & merito, quia oppositio relatio quædam est, quæ minus quam inter duo esse non potest. Secundo, vnum alteri determinate opponi, vel pluribus, vt videre est in exemplis, quæ supra adduxit *Aristoteles*.

Quadruplex est oppositio, prima *relatiua*, secūda, *cōtraria*, tertia, *priuatiua*, quarta, *contradictoria*. *relatiue* opponuntur duplum dimidio. Pater filio. *Contrarie*, malum bono. frigus calori. *priuatiue*, cæcitas potentiæ visiuæ. *contradictorie*, ens, non enti. sedere non sedere. adæquata est ista diuisio in quatuor eas species; quia quæcunque opponuntur, aut se habent vt ens, & non ens, vel tanquam duo extrema realia positiua; si primo modo; op- 984

ponun-

ponuntur contradictoriè, aut priuatiuè; si secundo modo, opponuntur relatiuè, aut contrariè, vt patet contemplanti. Declaremus ergo singulas species.

Relatiua oppositio est repugnantia *duorum se respicientium, seu collatorum inter se, ac se ab eodem subiecto determinate excludentium*: qualis reperitur inter quemdam Patrem, & filium suum; quorũ qui Pater est, nequit esse filij sui filius, nec è contra, præsertim elucet hæc oppositio in Personis diuinis, vt notũ est Theologis. *atque eorum quæ sunt ad aliquid, siue relatiuè opposita, si aliunde contraria non sunt, non habent medium*, quod ait *Aristoteles* 10. metap. c. 6. *causa vero est, quia nõ in eodem genere sunt; quid namque scientiæ, & scibilis medium? Verum magni & parui quæ contraria sunt, est medium*, mediocre, videlicet. Hic aduerte duo. Primũ est, relationem omnem, oppositionem habere, siue pertinere ad hanc primam speciem oppositionis. Secundum, oppositiones sequentes item esse relatiuas siue relationes simul, iuxta ea, quæ fuse docuimus supra in q. 6.

Cõtrariam oppositionem sic definio ex *Aristotele* in 10. metap. c. 6. *est repugnantia eorum, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo, & determinate se expellunt*. Sic est oppositio, quæ reperitur inter calorem, & frigus; nigredinem, & albedinem. Duo genera contrariorum enumerat, atque distinguit Philosophus in isto capite, primum est eorũ, *quorum alterum subiecto necesse est esse. Vt ægritudo, & sanitas in corpori animalis; quia necessarium est inesse corpore animalis vel ægritudinem, vel sanitatem*. Et similiter sunt differentiæ numeri, *nam, par quidem, & impar de numero prædicantur, siue in numero insunt; & necesse est horum alterum numero inesse, vel par, vel impar. & inter huiusmodi contraria*, inquit, *non datur medium*. Secundum genus est eorũ contrariorum, *quorum alterum inesse subiecto non est necesse. Vt album, & nigrum* in corpore animalis, atque inter huiusmodi contraria datur medium, quod insit animali, v. g. *fuscum*, aut *palidum*, vt exemplificat vbi supra *S. Augustinus*, & hic quoque *Aristoteles*.

985 Pro luce, & pleniori intellectu definitionis cõtrariorum notandum est primo, hic definita esse contraria physica, & naturalia, quo modo sunt qualitates aliquot, vt calor & frigus; habitus vitiosus, & habitus studiosus naturalis; & similes: non contraria moralia, aut quasi moralia, quæ potius incompossibilia nominari debuerunt; vti sunt Deus, & peccatum. gratia, visio Dei, & vnio hypostatica, & peccatum. Fides, & error pertinax, & similia.

Notandum est secundo, quandoque contraria esse quodammodo sub eadem specie, qualiter dicuntur esse duo habitus, quorum alter inclinet ad actum dormiendi, vel sedendi propter sanitatem, & alter ad deambulandũ propter eandem sanitatem; qui communiter censentur esse eiusdem speciei; quia habeant idem obiectum formale. imò vero ijdem habitus numero secũdum diuersas sui partes potest sibi quodammodo esse contrarius, quatenus videlicet simul inclinare potest ad actus contrarios, talis erit habitus, qui inclinet propter Dei amorem ad eundum hodie in agrum; Et qui simul inclinare possit ad nolendum ire in agrum propter eundem Dei amorem; licet aliquibus videbitur illos priores habitus esse adhuc specie differentes, & hunc posteriorẽ esse causã æquiuocam inclinantem ad istos actus & similes actus contrarios, item specie differentes ratione distinctionis materialis obiecti: de quo dicam ego infra à n. 1204. & de contrarijs plura libris Physicorum & de Generatione, dictorum hic, vbiq; meminisse iuuabit.

Oppositio priuatiua est *repugnãtia duorum, quorum alterum sit forma positiua, alterum carentia, vel remotio eius formæ existens in subiecto capaci habendi talem formam*. Sic opponuntur cæcitas existens in oculis, & potentia visiua absens, & generaliter similes priuationes, quæ à subiectis potẽtibus habere formas, ipsas remouent, priuatiuam oppositionem habent cum formis eisdem. Legatur *Aristoteles* 1. Topic. c. 13.

Oppositio demum contradictoria est, quæ quoque dicitur negatiua, *quæ intercedit inter duo, quorum alterum est ens, alterum negatio eius*. qualis est inter Petrũ, & non Petrum, aut negationem Petri. parũ distat oppositio hæc à præcedenti, nempe in eo solum, quod alterum illius extremũ, nempe priuatio connotat subiectum, siue insit

infit subiecto apto habere formã, cui oppo nitur; negatio nō item. quare carẽtia visus, quam habet quidam lapis dicitur negatio; & quam habet quidam homo dicitur *priuatio*. Et hoc discrimen habent hæ carentiæ, & hæc nomina, quia sic voluere Poe- S.Thom. tæ. lege S. *Thomã* 4. metap. sect. 3. initio. Aristotel. *Aristotel.* 4. metaph. c. 12. & *Suarez* disp. 54. sect. 3. in metaphysica.

Dico Secundo, & vltimo, Omnium maior oppositio, & repugnantia maior est *cõtradictoria*, vt patet, siquidem eius extrema, quæ sunt ens, & non ens, magis inter se distant, & minus conueniunt, sequitur deinde *priuatiua*, & tertio loco videtur esse *relatiua*, & *contraria* quarto, quia ista duo saltem diuinitus poterunt esse si- S.Thomas. mul. Legatur S. *Thomas* in Opusc. 37. In principio c. 1.

SECTIO II.

Explicat aliquot Effata Aristotelis circa Opposita, & adducit mirabilia experimenta, dum tractat de regressu à priuatione ad habitũ.

986 PRimo dixit circa contraria. *existente vno cõtrario in rerum natura, non esse necesse existat alterum.* in quo sibi videbitur cõtrarius, quoniam ipse docet in l. 2. Aristotel. de cælo cap. 3. bene duci argumentum ab existentia vnius contrarij ad existentiam alterius dicens, *aqua existit, ergo ignis existit*, quia aqua, & ignis sunt contraria, & existente vno contrario in rerum natura, alterum existere necesse est. Sed Respõdetur Philosophum hic loqui de contrario attenta sua natura particulari, quę non postulat vt ipsum sit, & perseueret, q uod simul existat suum contrarium, imó id quasi vult abesse, ne sibi noceat; in libro vero de cælo loquitur de contrario, attento ordine naturæ vniuersæ, quæ petit ambo cõtraria existere, tum ad sui pulchritudinem, quæ entium varietate elucet magis, tum ad varias generationes, quas sine contrariorum mutua pugna fieri non contingit. non te conturbet exemplum *Aristotelis* de *aqua, & igne*, quæ non sunt contraria formaliter, sed radicaliter tantum; nam perinde valet in suo proposito aqua, & Aristotel. ignis, atque calor, & frigus.

Secundo dixit *Aristoteles bene opponi contrarie malum, non priuatiue.* quod videtur falsum, quia vulgo dicitur malum priuatio boni. Sed Respondetur malum sumi à Phylosopho, vt adnotabã Sectione præcedenti, pro malo aliquo positiuo, idest, pro qualitate disconuenienti, mala non tam in se, quam respectiuè, idest, nociua alteri, qualiter frigiditas dicitur, & est mala, & disconueniens igni, siue calori.

Tertio dixit *non dari medium inter ægritudinem, & sanitatem.* quod verum est in Aristotelico rigore, quo vocatur animal *sanum*, quando habet optimam temperiẽ, & *ægrum*, quando ab ea aliquomodo deuiat, quia *bonum ex integra causa, malũ ex quocumque defectu.* Sed melius in re medica loquitur magis medicus *Galenus*, qui admittit intermediam conualescentiam; siquidem quando quis conualescit, neque æger dicitur, neque integrè sanus.

Quarto item generaliter magis dixit Philosophus, *non dari mediũ inter aliqua alia contraria, vt inter par, & impar*, Aristotel. & huiusmodi. *Omnino autem reiecit medium ab oppositis relatiue*; vt notabam sect. superior. S. *relatiua* quod vtrumq; falsum videtur; nam aliqui Dialectici medium inueniunt ferme inter omnia opposita, & inter Contraria, inquiunt, medium est, nam cælum mediũ est inter calidum & frigidum, siquidem cælum nec est calidũ, nec frigidum. deinde inter relatiua medius est lapis, qui neque est Pater, neque filius. tertio, inter Priuatiua scabellum neq; est videns, nec cæcum. ac demum inter Contradictoria possent assignare medium, *Laterem*, qui nec est formaliter albedo, nec negatio albedinis, vel non albedo.

Sed Respondetur medium appellari ab *Aristotele* illud, quod vere est mediũ, & 987 quod quodãmodo participat ab extremis, vt est fuscus, aut pallidus color, qui mediãt inter albedinem, & nigredinem, & alij medij, vt vocant, colores; non vero loqui de medijs illis disparatis, quæ adducuntur à Dialecticis allegatis, & quæ mediorũ nomen non mererentur, quia de extremis nil participant, quo sensu vera dixit Philosophus ibi, *quid enim scientiæ, & scibilis medium? Verum magni & parui, quæ cõtraria sunt, mediũ est* mediocre. quasi dicat *Aristoteles*, quid erit illud, quod quasi cõpo- Aristotel. natur, et resultet ex scientiæ, & scibilis cõ. mixtione: seu quod neq; scientia, nec scibi-

 le sit?

le fit? & quid illud, quod quasi fiat ex Patre, & filio, & tamen neque fit filius, aut pater, neque vterque simul? Similiter ego dico, neque inter priuatiua, aut contradictoria dari posse medium, quia nihil potest esse, quod quasi congestum fit ex forma, & priuatione; ex enti, & non enti, siquidem *quodlibet est, vel non est*. de alijs illis rebus disparatis, quæ media vocantur large à Recentioribus, non curo, nec curauit Philosophus; sed neque necessum est illa negare ad tuendum ipsius effata.

Aristotel. Quinto asserit *Aristoteles* contraria multa mutari inuicem, nisi quando subiectũ alterum est innatum; ideo contingit manum calidã, mutari in frigidam, & è cõtra. ignem vero non contingit esse frigidũ; quia calor eidẽ est proprius, & cõnaturalis.

Sexto dixit priuationem, & habitum, siue rem, qua priuat versari circa idem subiectum, idest inesse successiue in eodem subiecto. *priuatiua vero* inquit *dicuntur circa idem, vt visio, & cæcitas circa oculũ*. atqui propter hoc dici potuit oppositio priuatiua minor quodammodo, quam contradictoria, cuius extrema nullo modo conueniunt in eo, quod est habere commune subiectum, vti conueniunt extrema oppositionis huius priuatiuæ.

Aristotel. Septimo dicit, dari quidem transitum de habitu ad priuationem, idest de visu ad cæcitatem; sed vero *non dari regressum à priuatione ad habitum, neque enim*, ait, *cæcus factus aliquis, rursus vidit*. & vt item alter ille cæcus videns asseruit apud Ioann. cap. 9. *à sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati*. neque quod restitueret allum sensum omnino amissum, nisi diuina virtute iuuante, quantauis medicandi arte polleret.

988 Sed contra obijcies experientias varias. nam vespæ suffocatæ, & verè mortuæ, vt experiuntur pueri, sub calido cinere, vel puluere, coram sole præsertim, reuiuiscunt. Et vt accepi à R. P. Floriano Cosinschi Pœnitentiario Polono, hirundines in Polonia ingruente hieme pedibus, alisque intersese inuicem connexis, & quasi colligatis, sese proijciunt in flumina, & lacus, ibique sub aquis frigore, geluque desuper concretis, velut emortuæ iacent in fundo, donec calore, redeunte verè, aquas iterum calefaciente, iterum resurgunt incorruptæ, & emergentes aquis volant. & vt narrat *Aristoteles* in 4. de Histor. animal. c. 6. *si oculi hirundinum recentium pungantur, visum post recuperant grandiores*. denique aer tenebrosus noctu, die lucẽ recipit, & aqua calida, & frigiditate priuata, paulatim redit ad pristinam habitam frigiditatem. *Aristotel.*

Sed respondetur *Aristotelem* solum loqui de formis habitis, quæ rebus, & animantibus congenitæ dicuntur, qualiter sunt in homine quinque sensus, & aliæ potentiæ interiores, quarum si aliqua priuetur quis, eam nunquam recuperare poterit virtute naturali, saltem humana; an vero Angelica, similium potentiarum temperamenta, quæ satis delicata sunt, reparari possint, & consequenter potentiæ deperditæ, non disputo, sed dico Philosophum non hic tractasse de regressu illarum formarum, quæ in argumento adducebantur.

Et quidẽ ad argumentũ de vespis, respõdent Recentiores, eas non emori in aquis, quando post contingit reuiuisci, sed quasi mortificari, & subinde facile, aliquo adhibito calore sanari: atque id ipsũ docebũt de hirundinibus Polonis. quorũ responsũ ex eo videtur persuaderi, quod corpuscula istarũ bestiolarũ, manẽt sẽper sub aquis incorrupta, & sine vllo malo odore. Sed tamen mirabile omnino est tãdiu vinentia volatilia viuere posse sub aquis, & in alieno elemento, sine respiratione necessaria. *Aristotel.*

Ad exemplũ *Aristotelis* respondeo ego, nec potentias visiuas, neque earũ temperamenta destrui illis puncturis; vel nondũ ibi esse, quando oculorum organa pungebantur. Vnde non datur regressus de priuatione ad habitũ in potentijs congenitis; atque itẽ aqua se valet reducere ad pristinã frigiditatẽ, quia semper retinet, etiam quando calidior est, semina frigiditatis, & eius formales aliquos gradus, quibus aquæ forma adiuta, à calore contrario separata, paulatim emanatinè producit gradus reliquos. consonat Philosophus dicens 1. Topic. c. 14. *sensus amissus non potest, recipi benè tamen scientia amissa*. *Aristotel.* 989

Alij vero aliter interpretantur Philosophũ, & putant voluisse generaliter nullam formã amissam posse eandem numero regredi ad subiectũ, licet sæpe multæ formæ,

præ-

præsertim ex his, quæ non sunt proprietates congenitæ, (huiusmodi enim & ipsi nobiscum fatentur nullo modo posse reparari) eædem in specie, idest, similes regrediantur, vt apparet in aëre modo tenebricoso, modo lucido: & in manu, quæ quotidie transit de frigida in calidam, & è conuerso; vt supra docebat nos ipse *Aristoteles*.

Facilis est ista explicatio, & vera maxime tunc foret pro omnibus formis semel destructis, si quoque certa esset illa doctrina, quã videtur tenere *S. Thom.* 3. p. q. 77. art. 5. corp. nempe res annihilatas, siue formas semel destructas, & separatas à subiectis, non posse easdem numero reproduci à suis agentibus naturalibus. Ego sane firmiter credo Deum prohibuisse regressum animarum rationalium ad corpora, à quibus morte intercedente separatæ fuerunt; sed similiter veruisse regressum reliquorum affectuum non scio, nec necessarium fuisse reor, quoniam nulla ratio cõuincens mihi persuadet non posse solem hodie producere lucem eandem numero, quam produxit heri; aut nudius tertius, aut olim; siquidem fuisse iam semel, aut sæpius quemdam effectum, non est intrinsecum impedimentum, ne iterum fit; ni forte dicas videri congruentius, quod causa prima deneget secũdis concursum ad similes reproductiones, quo sic varietas maior fit in vniuerso; dic vt voles, nos hęc fusius prosequuti fuimus ad primum Physicorum; & si iuuat lege Patres. *Suarez* in metaph. dispu. 54. sect. 5. nu. 19. *Hurtado* disp. 2. Phys. sect. 3.

S. Thomas.

SECTIO III.

Illustrat doctrinam reliquorum quatuor Capitum Aristotelis. nempe de Priori, *de* Simul, *de* Motu. *de* Habere.

990 AD maiorem comprehensionem rerũ prædicamentalium, tractat Philosophus de his, quæ sunt in hoc titulo, & primo de Prioritate, qua aliæ alias superant, vel antecedunt, statuit esse quadrupliciter ex sensu cõmuni Philosophorum sui temporis, & ipse quintum Prioritatis modum superaddit; & nos superaddemus sextum ex S. *Augustino*, à Theologis, ac Philosophis communiter receptum, qui omnes illo solemni disticho, quodammodo concluduntur.

Aristotel. — S. August.

Tempore, Natura, prius, Ordine, dic, & Honore:
Causam Causate dicimus esse prius.

Primo ergo dicitur aliquid alio *prius tẽpore*, nimirũ, quãdo est eo antiquius; quomodo dicitur prius Imperiũ orientale, quã occidẽtale; & Parẽtes nostros, & Maiores, priores tempore vocamus, atque hæc temporalis prioritas dicitur ab *Aristotele* maxime propria, tum quia notissima est omnibus, tum quia ad eam significandam in primæua sua impositione impositum est nomen *Prius*, vt hic annotauit quoque *Toletus*.

Secundus modus prioritatis dicitur esse in illa re, quæ præsupponitur ad aliam, & à qua *non conuertitur subsistendi consequentia*. Sic vnum duobus prius est, duobus enim existentibus, vnum est, vno vero existente, & duo esse non necessarium est, illud ergo hoc modo prius alio est, quod quidem ab eo infertur, sed id vicissim nõ infert; & ideo hæc prioritas dici solet prioritas *illationis*. Sed vt vides ea non est mutua illatio, aut dependentia.

Tertio modo dicimus *priora elementa*, siue principia scientiarum, & artium, vel rei alterius cuiuspiam, vti sunt A. B. C. & in Orationibus *exordia*, in Grammatica *declinationes*, & huiusmodi.

Quarto *Priora* vocantur, *quæ digniora sunt*, & magis dilecta, & venerãda propter aliquam excellentiam, seu dignitatem. Vti sunt Superiores, & Prælati omnes, qui ab aliquibus communitatibus absolute vocantur *Priores*; quantumuis *Aristoteles* dixerit hunc modum dicendi, seu prioritatis esse alienissimum, & imperfectum, idest, valde metaphoricè translatum. & quidem quatuor istos modos Prioritatis enumerauit Philosophus secundum communem vsum sui temporis, vt ex *Alberto*, & *Boetio*, notauit Cardinalis *Toletus*.

Aristotel.

Quinto superaddit *Aristot.* illud dicitur *prius natura* alio, quod cũ eo conuertitur in cõsequẽtia, & ipsius causa aliquo modo est. Sic est prius quodcumque obiectum respectu propositionis, quæ circa ipsum est; quatenus quodammodo propositionis causa est, sed aliunde habet naturam 991

Aristotel.

ab ea omnino independentem, licet & obiectum, & proposito mutuo conuertatur. *nam si homo est*; exemplificat *Aristoteles*, vera est oratio, qua *dicimus, quod homo est, & conuertitur*: sic, *nam si vera est oratio, qua dicimus quod homo est*; *homo* sine dubio est. *Sed vera oratio nequaquam est causa, vt sit* homo, aut *res*; *Verùmtamen*, homo aut *res quodammodo causa videtur, vt sit vera oratio: eo enim quod res est, aut non est, vera oratio, aut falsa dicitur*. Vbi vides conuerti, siue mutuo inferri propositionem, & obiectũ eius, & hoc esse illa prius natura, quia illã causat, & aliunde habet naturam ab ea independentem; & hoc modo sunt priora, quæcumque sint eiusmodi. quare ea quæ dicuntur conuertibiliter diuide in membra duo; nempe in ea, quæ mutuo dependent; & in ea, quæ mutuo non dependent, licet vnum pendeat ex altero: sed ea, quæ mutuo pendent dices simul natura, sicut ea item, quæ conuertuntur, vtrinque independentia, veluti prædicamentalia relatiua, vt legis supra num. 940. explicuit istos quinque modos Prioris *S. Augustinus* pulcherrime in sua Logica, c. 19. Categoriarum.

S. August.

Sextum modum Prioris *Originis* expresse nominatum comperi in Præceptore *S. Augustino* to. 1. lib. 12. Confess. c. 29. vt & ipsemet sit causa concordiæ, si re vera discordiæ plusquam verborum, causa fuit inter S. *Thomam*, & *Scotum*, & vtriusque imitatores, vbi affertur ab Angelico Doctore 1. p. q. 42. art. 3. quod propterea debebunt bona prosequi gratia omnes illorum interpretes, qui maxime diuisi videntur in PP. *Suarez* lib. 4. de Trin. c. 15. *Vasquez* 1. par. d. 167. c. 1. & 2. & *Ruiz* de Trinit. disp. 105.

S. August. *S. Thomas.*

Ergo colligendo ex *Augustino*, & Doctoribus plerisque dico illa omnia esse alijs priora origine, quę ipsorum sint principia, & causæ, seu quasi principia & causæ, siue illa præcedant æterno tempore, siue finito, siue cum ipsis coexistant simul in æternitate, aut tempore, vel etiam si cum eisdem sint simul natura, quia PrioritasOriginis solum requirit rationem principij alterius, vnde hoc ducat originem & à quo procedat tanquam à suo primo fonte, & prima origine.

Quocirca causa prima nẽpe Deus E. G. comparatus cum creaturis existẽtibus est prior tempore æterno, atque dignitate, quia dignior & melior, & excellentior est illis; & item natura est ipsis prior, quatenus earum causa est ab eis independens, licet cum eisdem conuertatur sic, est creator, ergo sunt creaturæ; sunt creaturæ ergo creator est. ac tandem ipsis est prior origine; quia est omnium fontale principium primum. & ob similem rationem tradunt *Ruiz*, vbi supra cum *Suarez*, *Vasquez*, *Scoto*, & alijs multis, in Diuinis Patrem esse priorem origine filio, licet ambo sint simul natura; ac re vera non dissentit *S. Thomas*, nam quam dicit *Scotus* Prioritatem originis, vocat S. Doctor *ordinem originis*, siue cum Augustino, *ordinem naturæ, non quo alter sit prius* (duratione videlicet) *altero, sed quo alter est ex altero*; nempe tanquam ex originali, & primo Principio, quod licet simul omnino natura sit cum principiato, valuit ex ea ratione sola, quod principium est, dici prius origine, quam illud. at qui vitra sex istos modos Prioris non videtur superesse alius, qui ad eos reduci non possit.

Nihilominus vulgò, non vulgares Authores addunt duplicem aliam prioritatẽ 992 etiam inter ea, quæ existunt simul tempore. aliam appellant *in quo*. aliam *à quo*. & illud aiunt esse prius altero *in quo*, quod ita est alteri ratio vt sit, vt viciſsim ab eo non pendeat; quo pacto anima nostra est prior materia, quia licet det illi esse, ab ea, siquidem est spiritualis, non pendet. illud autem est prius *à quo*, quod ita est alteri causa vt sit, vt mutuo ab eo pendeat, qua ratione materia est prior forma corporea; quia ita est causa formæ, vt viciſsim ab ipsa causetur, & pendeat. Sed tu tene priorem prioritatem dictam *in quo* esse quidẽ quinti modi, si adest mutua conuertentia, & illatio; sin minus modi secundi. aliam verò prioritatem dictam *à quo*, dic esse prioritatem de nomine, & ea, quę sic pendent inuicem, esse natura simul, vtpote mutua relatiua. & ideo crede in diuinis, Patrem qui dicitur à Theologis Prior origine Filio, non esse priorem natura ipso, sed simul, quia mutuo quasi pendent ab inuicẽ. S. Demũ nota primo, ex *Aristotele*, totidem esse Posterioritates, quot Prioritates; quia omne prius habet correspondens posterius. secundo, eas omnes esse reales,

realis, siquidem nullo intellectu considerante dantur. Tertio, totidem solere fingi, vel partiri à Theologis, & Philosophis, dum præsertim tractant diuina attributa, & essentiam Dei, eiusque decreta, quæ omnia partiri solent per intellectum in varias formalitates, in quibus subinde inueniũt varias prioritates rationis, quodammodo similes præcedentibus.

Aristotel. In Capite 13. tractat *Aristoteles de simultate* rerum, & statuit tribus modis res esse simul. primò, *tempore*. qualiter sunt res, quæ coexistunt in eodem tẽpore. Secundo, *natura*. quo modo sunt simul res, quæ dicuntur conuertibiliter, & mutuo inferuntur, sed neutrum est alterius causa. veluti esse diximus quæst. 6. relatiua prædicamentalia. imo & transcendentalia mutuo dependentia, opinor cum bona licentia Philosophi, esse tantum simul natura, quia in his, quæ dicuntur priora *a quo*, prioritas vnius, alterius prioritate compensatur. ea item, quæ sunt simul natura, sunt simul cognitione, vt supra num. 947. declaraui. tertio, sunt alia simul *in diuisione*. vti sunt species *homo*, *equus* & similes, in quas simul diuiditur genus *animal*. Sed vero prior simultas est proprior alijs.

Aristotel. Denique in cap. 14. ait *Aristoteles motus autem species sex. generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio*. motum autem in cõmuni sic definit 3. Phys. *motus Actus entis in potentia prout in potentia*. vbi docebam motum esse quidquid producitur in subiecto ipsum mutans. Sed de his omnibus alibi agitur congruentius.

Postremo. in capite vltimo enumerat varios modos, quibus solemus dicere rem vnam habere aliam. primo enim dicimus aliquem hominem habere calorem, vel aliam dispositionem. Secundo habere aliquam scientiam, vel artem. tertio habere magnitudinem maiorem, aut minorem. Quarto habere vestem, pallium, vel gladiũ, id quod pertinere diximus n. 964. ad prædicamentũ habitus. Quinto habere annulum in manu. Sexto habere caput, manus, pedem, & cor. Septimo dicimus etiam vas aliquod habere oleum, vel alium liquorem; & horreum triticum, vel aliud simile. Octauo quendam hominem habere possessionem, & diuitias, & paupertatem. Nono dicitur vir habere Vxorem, & mulier, virum; & forte alijs modis dicere possumus nos, vel alia aliud amplius habere. vti vos edocebit obseruatio, & assidua lectio Authorum. legantur ante alios, hic *Aristoteles*, & *August.* tom. 1. in suis Categorijs, c. 16. & S. *Thomas* Opusc. 48. cap. 1. *de Habitu*. & 1. 2. q. 49. art. 4. corpore. Aristotel. S. August. S. Thomas.

SECTIO IV.

Tradit generalem aliquam notitiam solemnium quatuor generum Causarum.

Causa in communi est *principium per se conducens vt alteri communicetur esse*, ita sunt ignis, qui communicat esse calori, aut alteri igni: forma, & materia, & quæ sunt huiusmodi compartes, quæ diuisim acceptæ dant esse per sui exhibitionem composito; & bonitas salutis, quæ est causa finalis mouens voluntatem tum ad actum amoris circa ipsam, tum ad alios actus volentes adhibere media, & remedia, quibus ipsa salus obtineatur. 991.

Quadrupliciter ergo est causa, vt ait *Aristoteles* 2. Phys. cap. 3. prima, *efficiens*, secunda *formalis*; tertia, *materialis*; quarta, *finalis*. *causa efficiens est principium per se influens in aliud sine mutatione sui ex præcisa ratione influxus; esse principium* ponitur in ista definitione loco generis; nam per id conuenit causa efficiens cum cæteris causis, & rebus, quæ principia sunt. per particulas *per se influẽs in aliud*, quæ denotant causas efficientes producere physica actione supra n. 962. declarata, effectus suos, differt causa efficiens à finali, & causis alijs moralibus, quæ intentionaliter tantum operantur, hoc est sine physica productione, aut influentia. per partes illas posttremas, *sine mutatione sui ex præcisa ratione influxus, sine actionis*, differt causa efficiẽs à causis materiali, & formali, quatenus causa efficiens vt talis non mutatur in se recipiendo actionem suam, vel effectũ, quem potius quasi procurat, & appetit semper extra se producere; quod si contingat causam quoque efficienté mutari, intra se immanenter recipiẽdo suum effectum, id fit, nõ quia causa Aristotel.

efficiens sit præcise, sed quia simul quoque sit, tunc causa materialis effectus sui, habent enim hoc proprium sibi causę materiales, & formales omnes, vt dum operantur semper mutentur per receptionem suarum actionum, vti dicam inferius.

Deinde multifariam est causa efficiens, alia est *prima*, quæ solus est Deus, causarũ omnium origo; alia *secunda*, quales sunt creatæ omnes ab illa in essendo, & operando omnino dependentes; alia *vniuersalis*, quæ describitur esse *comprincipium ex se indifferens ad plures effectus specie, vel genere differentes producendos iuxta exigentiam comprincipij alterius particularis, quod illud vniuersalius determinat, vt potius hos, quam alter alius effectus simul ab vtroque cõprincipio fiat per actionem ab vtroque profectam*; ita est Deus, vel cælum cõproducens cum ęquo, æquũ, & cum leone, leonem; alia est causa *particularis, nempe quod est principium determinatum ad certum genus effectuum, & ad id determinat causam vniuersalem.*

994 Alia est *æquiuoca*, alia *vniuoca*. causa æquiuoca est, *quæ valet producere effectus dissimiles sibi in specie*. vniuoca verò, *quæ producit sibi similes tantum*, alia est necessaria, alia libera, libera est illa *quæ positis omnibus requisitis vndecumque ad operandum actualiter potest operari, & non operari, seu cessare ab operatione*, vt Deus, Angelus, & homo; & ideo quilibet homo liber potest currere, & non currere, ponere quamuis suam operationem, cessare ab ipsa, vel etiam oppositam ponere, vt, videlicet, sibi magis libeat, hæc tamen, vt decet, intelligenda *diuisiue*, non *simul*; nam impossibile erit currere simul eundem, & non currere, neque id potuit postulare definitio libertatis.

Causa autem necessaria est, quæ caret dominio actionis suæ, & ideo opposito modo est, nempe illa, *quæ positis omnibus requisitis ad operandum, non potest se cohibere, sed necessario operatur*. vt ignis, calor, Bestiæ, & similes. missas facio alias diuisiones, de quibus fusè tractabam ad 2. Physicorum, & pauca addam infra commodius an. 1022. solum hic addo, & reduco ad istud genus, seu gregem causarum efficientium quasdam causas morales, quę quasi coadiuuant causas efficientes proprias, vt solent esse boni, vel etiam mali Consiliarij.

Causa verò *materialis est quidquid constituit intrinsece, idest, per suæ entitatis exhibitionem compositum, recipiendo nimirum in se, siue in gremio suo formam*. ita est portio materiæ primæ cuiusdam equi, quæ recipiendo formam equi constituit cum ipsa equum; & quantitas, quæ recipit calorem, & cum ipso componit calidum: & similiter materialis causa est, quidquid in se aliud recipit vnione physica copulatum sibi, modo faciat cum ipso ens per se, modo per accidens; siquidem, vt ait Aristoteles lib. 2. Phys. textu 23. causa materialis est *id ex quo aliquid fit, cum insit*, idest illud ex quo veluti ex comparte intimi intrinsece vnita manente aliquod compositum coalescit, accedente denuo alia comparte, nempe forma, materia hæc declarata dicitur, & est prima, et naturalis; est alia dicta secunda, et artificialis, exponenda infra à num. 1025. *Aristotel.*

995 Forma ergo, seu causa formalis, est *quidquid intrinsece, siue per entitatis propriæ exhibitionem constituit compositum actuando materiam, cui vnitur*. ita est anima rationalis, vel equina respectu materiæ primæ: et calor respectu subiectorum, quæ informat. dicitur quoque forma, et merito, à qua sumit res nomen, et propriam peculiaremque naturam, et ab *Aristotele* vocatur causa formalis *quod quid erat esse*. in 2. Poster. c. 11. et vtraque ista causa dicuntur compositi *elementa* ab eodem 1. Phys. cap. 5. *Aristotel.*

Denique causa finalis, vt ait Philosophus 2. Phys. textu 39. est *id, cuius gratia aliquid fit*, vnde causa finalis, seu finis est illud omne, cuius amore, et occasione, & ob cuius assecutionem aliquid facimus; aliqua media, vel remedia adhibemus; et quidem primus ille actus voluntatis, quo volumus finem, dici solet *intentio finis*, vel amor efficax ipsius; alij vero actus, quibus prosequimur, et eligimus media, vocantur *electiones mediorum*, quæ ordinantur ad consequutionem finis.

Finalis ista causa nõ est physica, sed moralis, siue *intentionalis*, ita nuncupata, quoniam operatur cognita, et mediante cognitione sui ducit nos in amorem sui, ac desiderium; ita quod intentio intellectus idest cognitio, qua bonitas, et pulchritudo

do eius causæ cognoscitur, & ponderata æstimatur, fit causalitas, applicatio, & motio, seu ratio formalis, qua finis mouet, & agit in nobis varios motus, à nobis quandoq; quasi extorquēdo varios actus voluntatis, eam solicitando ad media quantumuis difficilia, quibus bonitas ipsa finis tandem obtineatur.

De causa ista finali, quæ sane causa realis est, siquidem causat effectus reales, fuse agebam ad 2. Physicorum; modo ad ipsius classem reduco causas morales omnes, quas vocant obiectiuè, & intentionaliter operantes, qualiter sunt primo, exemplaria, quæ imitantur Pictores, & alij, quæ sese secundum aliorum mores componere, & efformare anhelant. Secundo, merita, & demerita, beneficia, & iniuriæ, & alia eiusmodi, quæ cognita varios in varijs, affectus excitant; etenim hos mouent ad coronas, & præmia tribuenda, illos ad supplicia infligenda, vel vindictam malefactorum; alios demum ad benefaciendum, & mala opera fugiendum, nempe iuxta motiui propositi vim, & exigentiam. & quidem ad percipienda ea, quæ in sequentibus dicenda sunt horum meminisse iuuabit.

QVAESTIO X.

De Locis, & Medijs argumentorum super varios libros Aristotelis, sed potissimum super 8. Topicorum & 1. Priorum: vbi prius pauca de nominibus tracto; de Locorum, quæ est Logicæ principalior pars, obiecto, & materia, ac de Doctrinæ nostræ Cohærentia.

Topos Græcè dicitur, Latine locus, & 996 inde Topica, siue Topicorum libri dicti sunt, in quibus continentur loci ipsi, siue doctrina de locis: loci autem ita dicuntur, quia inibi sunt quasi in loco contenta, & asseruata argumenta, & rationes ad sciendum, vel probandum quidquid: & ideo item nominantur argumentorum, vel rationum *sedes, promptuaria, principia, maximæ, axiomata, dignitates, prouerbia* logica, siue dialectica, & ab *Aristotele* in Rhet. ad Th. c. vltimo *elementa*, quia cum vnicum sit vnumquodque, multorum est origo, vt infra declaramus: vel clarius dici possunt *loci* Præcepta, Documenta, & Logicæ regulæ generales; quæ docent nos scire cum artificio rem quampiam, de qua occurrit dubium, & quæstio: vel quod idem est, quæ nos docent vti medijs iam olim per alias regulas nobis comparatis, & inuentis: vnde deducamus rationes, & argumenta ad quoduis Thema seu propositum, quod *quæstio*, de qua dubitatur, dici solet, cognoscendum, persuadendum, admittendum, scilicet, vel refellendum.

Quoniam ergo loci præsentes sunt, vt præmissum est, regulæ generales versantes circa res omnes, tanquam circa propriam materiam, (vt nemo non videt, si regulas considerat) docentes nos vti rebus omnibus, easque assumere medientibus operationibus intellectus, ad efformandas propositiones varias: idcircò tradi opportune, nec sufficienter capi potuerunt, nisi post tractationem omnium rerū, nempe quinq; Vniuersalium; decem Prædicamentorum; quatuor Oppositionum, atque Causarum; quæ huc vsque in superioribus tractauimus, & pro modulo nostro exposuimus; & quæ contingit esse materiam, & media propositionum nostrarum; & quæ prædictæ regulæ, siue loci docent disponere, subijcere, & prædicare. vnde iterum colligas Logicæ *Aristotelis* partem celebrem magis, & magis principalē esse Locos, idest, Logicæ realis regulas generales, quas dicebamus supra *maximas*, & *axiomata*, seu *dignitates*; quia in eis maxime, & pro dignitate elucet veritas, quasi in receptis prouerbijs, & principijs vniuersalissimus, atque certissimus, vtpotè à magnis viris longa, & attenta obseruatione inuētis, & diuturna experientia comprobatis, vti dicebam supra n. 24. in Præfatione.

SECTIO I.

Declarat quid sit Locus; & generaliter quotuplex; & primam diuisionem Loci in Maximam & in Differentiam Maximam: vbi prius de ijs, qui Locis vtuntur, & alijs, qui fusius scripsere de Locis.

Loci, vt dicturus sum infra, sunt tota 997 logica practica, collectio principalior

lior regularum eius, & ideo repetendum hic est ex dictis in præfatione, locos logicales, seu regulas alias esse naturales, alias artificiales, & subinde ijs vti omnes homines, tam indoctos, & rusticanos, quam doctos, & vrbanos, in suis vnamquemq; materijs, & propositis: sed præsertim locis vtuntur Theologi, Iureconsulti, Philosophi, Oratores, & Poetæ.

Et quidem de Locis Dialecticis, siue Logicis, qui sunt omnibus communes scripserunt *Aristotelis* in 8. lib. Topicorum, & alijs in locis. S. *Augustinus* vbi allegatur infra à num. 1054. *Iacobus Schegkius* in suis commentarijs super lib. Topicorum. *Rodolphus Agricola* & eius Scholiastes *Phrissemius. Ioannes Cæsarius* in Dialectica sua tract. 9 *Augustinus Hunæus* in sua Dialectica lib. 5. *Francis. Titelmanus* item lib. 5. *Encyclopedia noua. Margarita* lib. 2. tract. 5. *Fonseca* in institutionibus, & alij Dialectici cum *Boetio*.

Aristotel. *S. August.*

De locis legalibus scripsit bene *Nicolaus Eueraldus*, qui in suis prænotationibus dignis, quæ legantur, aduertit hoc interesse inter Dialecticum, & iure consultum, quod ille verum, & falsum obseruet, iste æquum & iniquum, siue iustum & iniustum. De locis vero Theologis consulent Theologi doctissimum *Canum* in suo libro de Locis. Demum de particularibus locis Rhetorum, quibus communiter vtuntur Poetæ, tractarunt *Aristoteles* in Rhetoricis: *Cicero* in Topicis, Nostri *Cyprianus* & *Castro*, & alij innumerabiles, ex his ego assumo, & scribam præclarissimis stylo, & dispositione, ne Tyrones à
998 studio arceantur, & Logica abscedent inanes, & vacui.

Aristotel.

Locus ergo definitur à *Cicerone* de *Aristotelis* consensu in Topicis, *argumenti sedes* & Boetius *locus*, inquit, *est vnde ad propositam quæstionem conuenient traditur argumentum*, & Philosophus vbi supra ait, *elementum seu locus est, in quem multa incidunt enthymemata*. Sed ego accommodatius pro captu Tyronum Locum describo sic. Locus est regula generalis Logicæ, quæ docet nos vti medio aliunde iam inuento per ministerium aliarum regularum, & deducere ex eo cognitioné rei nobis ignotæ, vel dubiæ, vel eius rei cognoscendæ trahere argumentum; medium enim est principium, quod nos mouet, & facit scire, quod prædicatum conueniat, vel non conueniat subiecto, quia ipsum medium est antecedens, vnde colligimus consequens, & facimus enthymema, siue argumentum, quod est formata ratio rei ignotæ, aut dubiæ faciens fidem, vel notitiam.

Locus v. g. est ista regula generalis *quidquid prædicatur de superiore, prædicatur de inferiori*, vnde deducimus enthymema illud, *animal quod est superius ad Petrum, est principium sentiendi, ergo Petrus est principium sentiendi*, & inde facile progredimur ad formam syllogisticam, & securam sic; quidquid prædicatur de animali superiori, prædicatur de animalis inferiori; sed de animali superiori ad Petrum, prædicatur principium sensationis; ergo id ipsum prædicandum est de Petro animalis inferiori, Petrus ergo est principium sensationis; Vbi vides quo modo *animal*, quod est medium nos mouendo, ac determinando faciat scire concludendo rem dubiam, nempe Thema, aut subiectum, quod est *Petrus*, de quo quærebamus an esset principium sentiendi, vel de quo hæsitanter prædicabamus esse principium sentiendi.

Duplex in primis est locus; alter dicitur Maxima, quo modo est quæcunque regula generalis logica docens nos vti medio ad aliquam prædicationem faciendam, vt est illa, *cui conuenit definitio, conuenit definitum*, & similes. Vocatur verò locus *Maxima*, vt ego reor, tú quia, est regula generalis, & vnica existés, & simplex (& ideo ab *Aristot.* dicta *elementum*) est principium multarum aliarum regularum minus vniuersaliũ, vel quasi continet sub se alias regulas magis particulares, tum quia est principium multarum cognitionum, & argumentorum, quæ facimus in diuersis materijs, ex illius vnius directione, atque doctrina.

Aristotel.

Alter locus dicitur *differentia maxima*, & est collectio regularum, quæ distinguit, & docet vsum vnius medij determinati, & non curat de altero, vnde omnes illæ 999
regulæ, quæ docent nos vti *definitione*, quæ quidem sunt plures, vt videbitis infra, dicuntur vno nomine *locus differentia maxima*, vel *locus definitionis*, & simili vocabulo nominatur collectio regularum, seu Maximarum, quæ docent vti gene-

genere, vel alio quouis medio differenti. vnde multiplex apparet locus dictus *differentia maxima*, nempe alius est definitionis, idest docens definitione vti: alius locus diuisionis; alius generis; alius speciei; & huiusmodi aliter. Et ideo diuisio ista prima loci magis videtur enumeratio significatorum nominis, *locus loci*, quam diuisæ rei significatæ.

Tertio alius locus dicitur locus intrinsecus, alius extrinsecus, alius medius; & eorum quilibet alijs nominibus nominatur, nempe secundum tria genera mediorum, & generum horum species varias, circa quas loci versantur, & quarum vsum nos docent. vt declarabitur infra.

Denique alij dicunt Locos esse numero viginti duo, iuxta totidem media; atque ex eis viginti vocant *artificiosos*, quia videlicet maiori labore, & industria sunt inuenti à nostris Maioribus; & habent aliquam maiorem connexionem, siue respectum cum quæsito, aut themate, de quo quæstio, ac dubium est, alij verò duo dicuntur ex *Aristotel.* 1. Rhet. ad The. 2. *Aristotel.* artis *expertes*, aut sine arte; quia inuentu, & vsu faciles sunt; vti sunt loci, qui vti docent authoritatibus diuina, & humana. alij autem enumerant locos viginti nouē; alij plures; alij pauciores. videantur *Fonseca* lib. 7. institut. c. 7. vel alius ex superius allegatis, qui de materia ista tractarunt. nos vtiliores seligentes, memores claritatis, & vtilitatis vestræ procedamus vlterius;

1000 tis, & vtilitatis vestræ procedamus vlterius, sed prius cum *Augustino* logizante coram plebe, tomo 10. in serm. 38. de verbis domini orantes dicamus, *faciat* *S. August.* *Deus, vt intelligatis*, præsertim per difficilem doctrinam de Medio, peruetusto ponte, ille mentem illustret, ac doceat nos semper, quoniam, vt ait *S. Leo*, serm. 1. Pentecost. *vbi Deus Magister est, quam cito discitur, quod docetur.*

SECTIO II.

Incidenter explicat quid sit Medium, & quotuplex; & Logicæ regulas circa illius inuentionem; & quo pacto Media differant à Locis; & an Medium dicendum sit quoque Argumentum.

QVoniam tractamus de Locis, siue regulis logicalibus, quæ nos docēt vti Medijs, oportuit breui præmitti tractationem de medio, de cuius inuentione tractauit S. *Thomas*, in Opusculo 50. *Aristoteles* in suis Topicis, & 2. Posteriorum. *S. Thomas. Aristot.* & nos breui egimus num. 478.

Medium ergo est *antecedens aliquod, quod assumimus, & quo prius cognito mouemur, ad prædicandum aliquid de aliquo ignoto*: siue vt communiter definitur, *medium est argumentum, seu ratio idonea ad controuersi thematis cognitionem stabiliendam*. Suppone, exempli causa, ignotum, seu Thema, quod in quæstionem vocamus, esse illud, quod olim in sua Prælocutione frater noster recordationis iucundissimæ *Ioannes Beremans* in Collegio Romano proposuit, & stabiliuit, *Philosophia est nobis diligenter addiscenda*. medium ad id stabiliendum illi fuit, quoniam *Philosophia deseruit maxime conuersioni gentilium*; vnde bene collegit, ergo eam nobis, qui conuersionem eorum procuramus, diligenter est addiscenda.

Sed quia enthymemata nostra, semper desideramus reducere ad syllogismos perfectos, vt firmius concludamus, & probemus intentum, idcirco *medium* lato modo vocamus præmissas ambas, stricto verò modo, & proprie *medium* est, res illa, quæ bis ponitur in præmissis, nimirum, quæ significatur, à termino bis repetito, semel, videlicet, in maiori, & semel in minori, prædicata, in altera præmissa, & in altera subiecta, vel aliter collocata, secundum figuræ syllogismi regulas, & exigentiam, vt dictum est supra num. 460.

Quando verò facimus enthymema, vel 1001 similem imperfectam argumentationem, res, quæ ponitur in antecedente, ex qua aliud deducimus, erit medium, quod dici etiam potuit sedes, seu basis, neruus, & radix argumenti, & initium eius. Dialectici communiter *medium* dicunt argumentū, non illud nude considerantes, sed in propositione integra, sumpta pro antecedenti: quale est illud. *Philosophia seruit conuersioni gentium.* quod facit hanc fidem, vel scientiam, *ergo diligenter nobis est addiscenda*. argumentum enim definitur ex S. *Thoma* 3. p. quæst. 55. ar. 5. c. quoddam *S. Thomas* *inuentum, seu ratio ad faciendam fidem, vel notitiam rei dubiæ*, qualiter sine dubio omne medium est.

Duplex ergo in primis est medium; aliud

aliud remotum, aliud proximum, medium remotum dici potest quodlibet, antequam cognoscatur, vt tale ad aliquid inferendū, vt est *vtilitas* Philosophiæ, & genus *animal* & aliæ res, quæ possunt mouere nos, ac determinare, si tamen nostro intellectui intentionaliter applicentur. proximum medium est, quod vt tale cognitum, & applicatum iam mouet ad conclusionem, vt hæc *Philosophia est valde vtilis conuersioni gentium*, vnde deducis, ergo *disci debet à nobis*; & illud, *Petrus est rationalis*, vnde infertur, ergo *est capax disciplinæ*. medium item remotum est, quod mediate, & remote; & proximum, quod immediate infert intentum.

1002 Deinde medium id vtrumque aliud est accidentale, aliud necessarium. medium accidentale, quod dici etiam solet *Dialecticum*, verosimile, probabile, contingens, & extrinsecum, est illud, quod controuerso subiecto conuenit contingenter, vel solum probabiliter cum illo connectitur: ita est medium, multorum *authoritas*, quando dicis ægroto sume potioné hanc amaram, illi sic persuadendo *multi magni Medici contestantur hoc medicamentum conferre sumentibus sanitatem*, ergo sumere debes illud quantumuis insuaue, magis enim dicitur amara mors. vbi vides authoritatem extrinsecè se habere, & contingenter respectu ægroti, & sanitatis, & multo magis mortem; & ideo eiusmodi media ingenerant in nobis tantum probabiles cognitiones, nō omnino certas, & securas.

Media externa, siue *extrinseca* numerari solent tredecim plus, minus; & item dici solent *disiuncta*, idest separata, & extra rei essentiam; quorum alia *consentanea* adhuc dicuntur, quia quoquo modo rem concernunt, vt similia, maiora, minora, & paria; alia dicuntur *dissentanea*, quia cum re non conueniunt, vt dissimilia, opposita, & incompatibilia, seu repugnantia; de quibus omnibus agemus infra commodius.

Medium verò *necessarium*, quod dici solet *internum*, vel intrinsecum, & demōstratiuum, est illud, quod cum subiecto sciendo connectitur, vt est *animal*, quod est tibi medium, vt probes Petro conuenire sensationis principium sic, *Petrus est animal, ergo est sensationis principium*, & huiusmodi reliqua media interna numerantur quindecim, plus minus, de quibus agemus inferius.

Aliud denique *medium* dicitur *medium* inter intrinsecum, & extrinsecum, nempe illud, quod cum subiecto themate ex parte connectitur, & ex parte separatur, vt est illud *qui iustus est, bonus est*, quod tu assumeres ad probandum iustitiam esse bonam, siue ad concindendum *ergo iustitia est bona*, deducendo argumentum à iusto in concreto ad iustitiam in abstracto, quod concretum ex vna parte conuenit, et connectitur cum abstracto ratione suæ formæ, quæ quoque iustitia est; et ex alia parte ab eo separatur ratione habentis, quod sustentat iustitiam sibi extrinsecam. media ista, quæ mediant inter interna, et pure externa, numerantur tria, nempe, *coniugata*, *casus*, *diuisio*, de quibus infra in sect. 16. 1003

Sed vero Media, Loci non sunt, sed ab his valde diuersa: loci enim sunt axiomata, & Logicæ regulæ, quę nos docent vti medijs, media verò sunt earum regularum obiectum, et materia, circa quam illæ versantur. neque contra hoc facit, quod supra diximus locum, et medium esse argumenti, et probatiuæ rationis sedem; quoniam locus directiue, et formaliter, Mediū verò obiectiue, et motiue nos determinādo causant in nobis rei dubiæ notitiā, vel fidem, et ideo nostræ argumentationis, et conclusionis, ambo bono titulo, & iure dici poterunt argumentationum *promptuaria*, et *sedes*.

Altera pars sectionis producit quatuor, vel sex regulas Logicæ realis ad inuenienda Media, quibus probentur nostra quæuis assertiones.

Circa inuentionem medij ad probandum Thema quoduis dubiū, et ignotum; quod pro tempore occurrat, dico breui, et propono quatuor regulas generales, quas collegi ex Philosopho in 2. Priorum in sect. 2. S. *Thoma* in Opusc. 42. et 50. et alijs Recentioribus, quamuis de hac eadem materia fortasse clarius iā egi supra n. 478. sed vero vt rem omnem iterum declarem vberius, sic incipiam. *Aristotel.* *S. Thomas.*

Quatuor sunt genera propositionū, vel 1004

asser.

assertionum nostrarum, quæ si omnes certo à nobis probentur, idest, ex certis præmissis, seu medijs rite dispositis deducantur, tunc demũ sapientes erimus. ad primum genus spectāt nostræ vniuersales, propositionés affirmatiuæ, vt hæc, *omnis iustitia est laude digna*, vel illa, *omnis regula logica est certa, & secura* ad secundum genus spectant nostræ particulares propositiones affirmatiuæ, vt illæ, *aliqua substantia est viuens; & aliquis actus logicus habet pro obiecto voces.* Tertij generis sunt propositiones vniuersales negatiuæ, vt hæ, *nulla similitudo distinguitur à qualitatibus duabus; nullus lapis est homo.* ad quartum denique genus pertinent propositiones particulares negatiuæ, vt illæ, *aliqua substantia non est viuens; aliquis actus logica non versatur circa voces.*

His suppositis, pro inueniendo medio pro probãdis illis primis propositionibus esto prima regula Logicæ generalis, *quæratur aliquid, quod idem sit antecedens inferens prædicatum, & consequens subiecti, siue à subiecto illatum*, & conficiatur syllogismus in forma & figura; vnde medium ad probandam illam propositionem vniuersalem affirmatiuam, *omnis iustitia est laude digna*, erit *virtus*, quæ est antecedens illius prædicati *laude digna*, & consequens illius subiecti *iustitia*; & sic fiet syllogismus in Barbara, *omnis virtus est laude digna, omnis iustitia est virtus, ergo omnis iustitia est laude digna.* & simili modo probatur secunda illa propositio adhibito illo medio, *sapientum obseruatione inuenta*, sic, *omnis illa regula, quæ sapientum obseruatione inuenta est, est certa, & secura; Omnis regula logica sapientum obseruatione inuenta est; ergo omnis regula logica, est certa, & secura.* Quod si quispiam neget minores, vlterius procedere debemus illas probando inductione, vel alio medio vsque ad syllogismum demonstratiuum, in quo nihil negabit, qui fuerit ex aduerso, nisi forsan malo suo, quia reducetur ad impossibile per artem syllogisticam, de qua dictum est à num. 468.

Secunda regula pro probandis propo-
1005 sitionibus particularibus affirmatiuis secundi generis est hæc, *quæratur aliquid, quod idem sit antecedens prædicati, & subiecti, aut consequens prædicati, & antecedens subiecti*, & sic *animal* medium erit ad probandam illam assertionem. *aliqua substantia est viuens. Omne animal est viuens, omne animal est substantia, ergo aliqua substantia est viuens.* ad probandam vero illam, *aliquis actus logicus habet pro obiecto voces*, medium erit *repræsentatio vocum*; in hunc modum rite dispositum, *Omnis actus, qui est repræsentatio vocum, habet pro obiecto voces, sed aliquis actus logicus est repræsentatio vocum, ergo aliquis logicus actus habet pro obiecto voces*, & quidem prior ille syllogismus videtur esse in tertiæ figuræ modo *Darapti*, posterior vero in tertio modo primæ, idest in *Darij*.

Tertia regula vt quæstiones, vel propositiones vniuersales negatiuæ, quæ pertinent ad tertium genus, probentur, est illa. *quæratur medium, quod idem sit consequens subiecti & repugnans prædicati; aut è contrario, consequens prædicati & repugnans subiecti*, quæ regula te docebit probare illam propositionem, *nullus homo est lapis*, sumpto pro medio *animal*, vt concludas in *Cesare* sic, *nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.* vel sic, *nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.* eadem regula probabis illam propositionẽ, *nulla similitudo distinguitur à qualitatibus duabus*, sumpto pro medio item genere, nẽpe *relatio*, sic, *nulla relatio distinguitur à suis extremis, omnis similitudo est relatio, ergo nulla similitudo distinguitur à suis extremis*: & rursus *ergo nulla similitudo distinguitur à qualitatibus duabus*, quæ dicuntur similes, vel extrema similitudinis, & eius elementa.

Quarta denique regula ad probandas nostras opiniones, seu propositiones particulares negatiuas, sic est, *quæratur medium, quod idem sit antecedens subiecti, & repugnans prædicati*. vnde sic probanda est illa propositio, *aliqua substantia non est viuens*, sumpto pro medio, lapide, *Nullus lapis est viuens, aliqua substantia est lapis, ergo aliqua substantia non est viuens.*

Denique ad pleniorem intelligentiam
doctrinæ præsentis aduerte primo, ex syl- 1006
logismis, qui fiunt iuxta medij regulas,
alios

alios esse demonstratiuos, alios tantum probabiles, quia medium perfectum semper non est applicatum, vnde oportebit aliquando progredi ex alijs vlterius medijs inuentis, & nouis syllogismis comprobare nostras propositiones, vti paulo antea adnotabam; neque enim quia syllogismus sit in forma, & figura, continuo est euidens; multi enim sunt tantum probabiles, vt videre est supra n. 475.

Secundo opus esse habere in promptu doctrinam definitionis, & diuisionis, terminorum pertinentium, & eorum, quæ se inferunt, vel sibi repugnant, idest prædicamentorum, & prædicabilium, & inferiorum suorum, oppositorum, & causarum, & rerum relatarum, præsertim transcendentaliter, & attente in eisdem considerare, & inspicere connexionem, vel dissolutionem, & modos, quibus se inferunt, aut sibi repugnant; ea enim contingit esse media nostrarum argumentationum, & alia nos manuducere in cognitionem aliorum; sed notetur quod plusquam sapienter adnotauit *S. Augustinus* lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 3. dicens, *ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animaduersa est ab hominibus, & notata, vt eam possint vel discere, & docere.*

S. August.

Tertio aduerterem, medium quoduis inuentum secundum regulas prædictas non necessario ita restringendum esse, vt disponatur, vel inducatur in syllogismum hunc, vel huius figuræ determinatæ, sed posse eodem medio mediante fieri varios syllogismos pertinentes quoque ad varias figuras, vt in præmissis exemplis apparet. Quarto demum si non placet doctrina hic tradita de medij inuentione, illis quatuor regulis comprehensa, videantur illæ duæ regulæ generales, quas perspicue declarabam olim num. 478, quæ breuius totam doctrinam continent; quamuis video plerunque tardiores, nedum Ingeniosiores, media, quibus probent asserta sua, facilius inuenire ex ductu naturæ, quam artis, licet non ita securè. Iuuat quippe plurimum ad bene arguendum obseruare, & notare calamo argumenta Sapientum, quæ quotidie audiuntur. nihilominus regrediamur ad tractationem de regulis logicis, siue de Locis.

SECTIO III.

Tractare incipit de Locis internis; definit Locum internum in communi; & diuidit in Locum à substantia, & in Locum à comitantibus substantiam, postquam de nominibus pauca disseruerit.

Vocamus *locos internos*, maximas, & regulas generales logicæ realis, quasi per extrinsecam denominationem acceptam à rebus, siue medijs, quæ sunt illorum obiecta, seu materia, circa quam illi versantur; quia media sola vere interna, vel intrinseca sunt sobiectis rebus, quibus cognoscendis ordinantur, vti dicebam supra n. 1002. §. *medium*, & repetam in sequẽtibus, & quamuis videã ab aliquibus Dialecticis cõfundi locum, & medium in medium vocari locum; verumtamen nos in communiori, vel clariori modo loquendi *locum* volumus esse regulam logicam, seu maximam traditam per modum regulæ vel præcepti versantis circa media, & vsum mediorum docentis; sicut dicebamus num. 1002. §. *sed vero* his positis. 1007

Locus intrinsecus, vel internus *est regula logica seu maxima generalis, quæ nos docet vti medijs, quæ sunt de essentia rei, de qua dubium, vel quæstio est, vel saltem inseparabiliter comitantur rei ipsius essentiam.* loci interni v. g. sunt hæ duæ regulæ generales, prima est, *de quocumque prædicas speciem, prædica quoque genus*. Secunda est, *de quocumque prædicas proprium quarto modo, prædica quoque speciem*. Ecce ex regulæ docent vti medijs, quæ sunt *species*, & *propria*, quæ intrinseca sunt rei, quam scire studes, dum eis regulis instructus dicis, *Petrus est homo, ergo est animal. Antonius est visibilis, ergo est homo.*

Duplex ergo in primis est locus internus, alter dicitur *locus à substantia*, vel essentia; alter à *comitãtibus substantiam*, vel essentiam. *locus internus à substantia est regula generalis, quæ subministrat nobis argumenta, seu media, quæ sunt de substantia, vel de essentia rei controuersæ, vel ignota*; *Locus* autem *internus à comitan-*

tantibus substantiam, est regula generalis, quæ monstrat argumenta, seu media, quæ rei essentiam, aut substantiam circumstant, & comitantur, vt exemplificauimus supra.

1008 Denique Loci interni sunt multi, nempe, tot, quot sunt regulæ generales Logicæ realis, quæ docent nos vti varijs medijs intrinsecis, vnoquoque, scilicet, iuxta genus, & modum suum, vt in sequentibus manifestum erit.

SECTIO IV.

De alia diuisione communissima Loci intrinseci in vniuersalem, & particularem; vbi quo pacto vna Regula, aut Maxima vniuersalis contineat Regulas, aut Maximas particulares; idest iterum tracto de Logica vniuersali, & particulari.

Rursus locus communissime sumptus est duplex. alter est vniuersalis, alter particularis. Vniuersalis locus est regula, vel Maxima Logicæ generalis, quæ monstrat nobis media in generali abstrahens ab omni materia particulari, quibus ignotum generaliter sumptum probemus vt hæ, *quidquid prædicas de superiori; prædicabis de inferiori. quidquid negas de superiori, negabis de inferiori.* & Aristot. illa axiomata logica *dici de omni, dici de nullo*. quæ nos docuit *Aristoteles* 1. Prior. cap. 1. in fine: & declarauimus nos n. 457. vbi aduerte locum eo esse vniuersaliorem, quo magis abscedat à determinata materia ex suo procedendi, ac docendi modo.

Locus vero particularis est *regula, quæ monstrat medium particulare ac determinatum ad thema particulare probandum*; vt hæ, *quidquid prædicas de animali, prædica de Petro eius inferiori; quidquid negas de animali, nega de homine, & Petro inferioribus animalis*, & similes. dici etiam solet locus particularis *proprius*, quatenus versatur circa materiam particularem, & proprium obiectum scientiæ vnius determinatæ; sicut & ille locus vniuersalis dicitur quoque *cõmunis* quatenus versatur circa materiam communẽ multis scientijs; vnde locus proprius dicitur ille, quo vtitur Theologus in Theologia; locus communis dicitur ille, quo communiter vtuntur multarum scientiarum Professores; quia nimirum is materiam non determinat, nec subinde scientiam hanc, potius quam illam.

Deinde duo aduerto. primũ est, quemuis locum vniuersalem sub se continere locos multos particulares, vt tute vides, siquidem illa maxima vniuersalis, *quidquid prædicas de superiori, prædicabis de inferiori*, sub se continet illas Maximas particulares, *quidquid prædicas de animali, prædica de homine. quidquid prædicas de qualitate, prædica de albedine*, & similes complures. secundum est, illas Maximas vniuersales esse partem Logicæ, quam supra in Præfatione cap. 2. nominabamus vniuersalem, & illas Maximas particulares, Logicæ particularis partem, ini-bi vberius declaratam; vt admiranda omnino sit inconsiderantia quorundam, qui nullam partem logicæ putarunt tractare per se de rebus, assignantes eidem logicæ pro obiecto adęquato, quod ipsi sibi pręfigunt tantum, nempe actus intellectus, non facientes reflexionem supra logicales Maximas, quarum principaliores habent pro obiecto formali, & primario res, vt consideranti hos locos, & sequentes, manifestum erit. 1009

SECTIO V.

De vsu septem, vel octo mediorum, nempe Definiti, & Definitionis; Diuisi, & Membrorum diuidentium; Descripti, & Descriptionis; Interpretati, & Interpretationis, & Synonymorum, idest, de Regulis, quæ docent vti ijs Medijs; & communiter dicuntur Loci intrinseci à Substantia.

Quatuor habet locos, vel regulas generales Logica realis docentes nos vti septẽ ijs medijs omnino vniformiter, quarũ duæ docẽt nos vsum eorũ affirmatiuũ, duæ aliæ negatiuũ, idest duæ nos docent facere propositiones affirmatiuas, & aliæ duæ negatiuas; modo ea media subijciẽdo, modo ea prædicãdo, vt iam explicabo. 1010

Aristotel. ficabo. legatur *Aristoteles* in 6. Topico. à c. 1. & 14. lib. 2. Rhet. cap. 30.

Prima regula est, *quidquid affirmatur de definito, descripto, interpretato, synonymo. affirmari potest de definitione, descriptione interpretatione, synonymo, & è conuerso.* vt vides in his exemplis, Petrus est albus, ergo animal rationale est album. Homo est discursiuus, ergo illud animal, quod præclara quadam natura, & conditione generatum est à Deo, & cui ab ipso insita est facultas diuinarum, humanarumque rerum percipiendarum, est discursiuum. Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam; ergo oportuit animarum Seruatorem pati; & ita intrare in gloriam suam. Philippus habet gladium diuinitus illi datum ad coercendos malefactores, ergo ipse habet ad coercendos malefactores ensem sibi datum diuinitus. Vide Aristotel. *Aristotelem* 2. Top. c. 2. in fine.

Secunda regula sic est, *de quocumque affirmatur definitum, descriptum, interpretatum, synonymum; de eodem affirmari potest definitio, descriptio, interpretatio, & synonymum, & è conuerso*, vt rana est animal, ergo rana est viuens sensibile. Petrus est homo, ergo Petrus est animal præclarissima natura generatum, præditum facultate cognoscendi res diuinas, & humanas. Quidam homo dicitur, & est Iesus, ergo quidam homo dicitur, & est Saluator Mūdi. illud instrumentum dicitur, & est gladius; ergo illud instrumentum dicitur, & est ensis.

Tertia regula est; *quidquid negatur de definito, descripto, interpretato, synonymo, negari debet de definitione, descriptione, interpretatione synonymo, & è conuerso.* Sic, Ioannes non est bestia, ergo animal rationale non est bestia. Homo non est aliquod Brutum, ergo illud animal, quod est generatū à Deo cum præcellenti natura, & facultate cognoscendi diuina, & humana, non est aliquod Brutum. Iesus non est peccator, ergo Saluator Mundi non est peccator, *gladius ille non est acutus, ergo ensis ille non est acutus.*

1011 Quarta regula. *de quocumque negatur definitum, descriptum, interpretatum, synonymum, de eodem negari debet definitio, descriptio, interpretatio, synonymum, & è conuerso.* Sic, Leo non est equus, ergo Leo non est animal hinnibile. Simia non est homo, ergo Simia non est animal, cui disciplinarum percipiendarum facultatem natura concessit. ille homo non est Iesus; ergo ille homo non est Saluator Mundi, ille homo non portat gladium, ergo ille homo non portat ensem.

Supponit doctrina hæc illam, quam tradidimus supra num. 424. vbi docuimus quid essent definitum, definitio, descriptū, & descriptio, et similia; et item illam, quam scripsimus à n. 702. ex mente *Aristotelis*, et S. *Thom.* docentes definitum, ac definitionem esse omnino idem re, et ratione: siquidem omnino se inferunt, et cōuertuntur, non minus, atque descriptum, et descriptio, interpretatum, et interpretatio, et synonyma; et merito; quoniam quatuor præfatæ regulæ fundantur in eiusmodi identitate, eamque omnino necessario exigunt, et præsupponunt ad sui certitudinem, et ideo possunt transmutari omnes ad hoc exemplar, *quidquid affirmatur de definitione, affirmari potest de definito*; et sic reliqua de medijs reliquis: id quod significare voluimus illa particula addita regulis ad finem, et *è conuerso*. Lege alios Locos definitionis à nu. 429. et alios pro vsu diuisionis n. 436. ne eadem sæpius repetamus. Aristotel. S. Thom.

SECTIO VI.

De alijs Regulis, seu Locis intrinsecis item à substantia, quæ docent vsum Differentiæ, Generis, Speciei, et Proprij, vbi de Loco à Nominibus, quæ proprie conueniunt rebus.

Circa vsum differentiæ dico primo, illas regulas quatuor traditas pro definito, et reliquis medijs ibi positis, omnino seruire pro vsu differentiæ in ordine ad speciem, quam constituit: sed illic non apposuimus differentiam, ne tot media, vel terminos conglobaremus. Hoc dictū patet ad oculum regulas illas recolenti; Siquidem *quidquid affirmas de differentia, affirmare potes de specie. & de quocumque affirmas differentiam, affirmare potes speciem. & quidquid negas de differentia negare debes de specie. & de quocumque* 1012

cumque negas differentiam, de eodem negare debes speciem. vt tute exemplificabis. sed non transmutes regulas istas, quia non valet argumentum è contra; siquidem differentia, & species non sunt eædem omnino, neque equipollentes, magis enim continet species, quam differentia, vt manifestum est. & lege *Aristotelem* 4 Top. à cap. 1. & 6 cap. 2. *Aristotel.*

Præterea si bene consideras, videbis secundam, & quartam regulam etiam seruire pro Proprio, & vsu ipsius, comparato cum subiecto suo; vnde dicimus bene, illud habet intellectum, ergo est substantia spiritualis immaterialis, & incorruptibilis; & illud non est risibile; ergo non est homo, quapropter *de quo affirmes proprium, affirma eius subiectum, & de quo negas proprium, nega subiectum; & affirmato vel negato proprio, affirmabitur, aut negabitur eius subiectum, & vice versa*, ob mutuam dependentiam eorum inuicem, vt contingit etiam in Locis de materia, & forma Physicis, de quibus infra. Vide *Aristotel.* in 5. Top. à principio. *Aristotel.*

Notandum item est in præsenti materia de Locis, & Medijs ea, quæ affirmanda, vel neganda, subijcienda, vel prædicanda dicuntur à regulis, sumenda non simpliciter, sed personaliter, vt alibi sæpe notabamus, nam manifestum est multa conuenire Differentiæ, aut Generi, quæ nequeunt conuenire indiuiduis; nempe esse quid cōmune multis; esse partes actuales, & potentiales; & huiusmodi alia prędicata simplicia, de quibus regulæ, nec curant, nec loquuntur.

1013 Deinde circa Generis vsum extant quoque regulæ illud considerantes in ordine ad species ipsi subijcibiles, & indiuidua. prima sic est, *quidquid affirmas de genere, affirma de specie, & individuis.* Secunda, *quidquid negas de genere, nega de specie, & indiuiduis.* Tertia, *de quocumque affirmas genus, affirmare potes aliquam speciem, vel species sub disiunctione.* Quarta *de quocumque negas genus, negabis speciem.* Vt vides in his exemplis ordine regularum seruato, dispositis. Animal est principium sensationis; ergo equus, & Brunellus est principium sensationis. Relatio non est entitas modalis, ergo similitudo non est entitas modalis. illud ens est animal, ergo vel homo, vel equus, vel aliqua alia bestiarum species. illud ens non est animal, ergo illud ens non est homo, nec equus, neque alia bestia. Vide *Aristotel.* 4. Topic. à c. 1. & 6. c. 1. *S. Thomas.* *Aristotel.*

Denique aliæ regulæ quatuor nos docent vti specie, illam considerantes in ordine ad genus, cui subijcitur, & in ordine ad indiuidua, quibus imperat, & de quibus prædicatur. prima est, *quidquid affirmas de specie, affirma de genere, particulatim sumpto* sic, *homo est risibilis, ergo aliquod animal est risibile.* Secunda, *de quocumque affirmas speciem, affirma genus particulatim sumptum.* Sic, Petrus est homo, ergo Petrus est aliquod animal. tertia regula est, *quidquid negas de specie, nega de genere particulariter sumpto*; sic, lapis nō est animal, ergo aliquod corpus non est animal. quarta denique, *de quocumque negas speciem, nega genus speciatim, siue particulatim sumptum*; vt ibi, Talpa non habet visum, ergo caret aliquo sensu.

Quod si comparamus speciem cum indiuiduis, *quidquid affirmes, vel neges de specie, affirma, vel nega de suis indiuiduis. & de quocumque affirmabis speciem, affirmare poteris aliquod indiuiduum, vel hoc, aut illud, aut aliud. Sed de quocumque negaueris speciem, nega omne indiuiduum.* quod enim non est homo, nequit esse Petrus, nec Paulus, nec alius. denique Loci prædicti percipientur magis ex dicendis infra, vbi iterum quasi repetendi erunt. Lege *Aristot.* 4. Topic. c. 1. *Aristotel.*

Denique bonus, & fidelis est modus arguendi sumptus à nomine rei, dictus à *notatione*, seu ab interpretatione nominis impositi; si tamen nomen rei impositū sit secundum eius rei naturam, aut proprietatem; qualiter videntur esse nomina Dei, & Angelorum, & alia, quæ Deus, Angeli, Adamus, & alij Sapientissimi, qui rerum naturas perscaluere, imposuere; id quod ex parte colligimus, ex Genesi 2. 19. & alijs Sacræ Scripturæ locis; & bene notarunt S. Efren Hære. 78. & Card. *Baronius* tomo 1. Annalium in principio nu. 6. *Salian.* tom. 1. anno 186. nu. 21. & agnouit alter ille decantans, 1014

Conueniunt rebus nomina sæpe suis.

Ergo pro vsu horum nominum Maxima sic erit, *de quo dicis tale nomen, dices eius significatum*, vt ille homo dicitur Iesus, ergo ipse est Saluator Mundi, illa fœmina

mina est Maria, ergo ipsa est illuminatrix, & alia quæ id nomen significat. scio, & video Poetas & Oratores maximè vti isto Loco valde coniecturaliter, fingentes quandoque mille mysteria, & affingentes Patronis, quos laudandos suscipiunt, ac deducentes laudationes à nominibus etiã per anagrammata cõuersis, quas tamẽ casu cõtingit esse in hominibus, quibus nomina sine tanto mysterio imposita fuere.

SECTIO VII.

De alijs Locis intrinsecis, & comitantibus substantiam; siue de Regulis, quæ nos docent vti Medijs, quæ dicuntur totum, *&* pars; *sed prius declarat breui quid ea sint, & quotupliciter.*

TOtum in præsenti videtur esse quædam res quasi superior, & vniuersalior, continens quasi sub sua potentia, & potestate res alias illi subiectas; quæ propterea dicuntur partes subiectæ, aut subiectiuæ. vt *animal* genus, vel etiam *omne animal*; quod sub se continet omnes bestias, quæ dicuntur partes generis illius, vel complexi.

Sexcuplex dicitur vulgo esse *totum*, nempe totum *vniuersale*, totum *in quantitate*, totum *integrale*, totum *in modo* totum *in loco*, & totum *in tempore*, & respectiuè totidem numerantur partes, nempe pars vniuersalis subiecta, pars totius in quantitate, pars totius integralis, pars totius in modo, pars totius in loco, & pars totius in tempore. pro quibus singulis prædicandis ritè, & ritè subijciendis Regulæ logicales existunt, & cũ hac distinctione producendæ sunt. lege tamen *S. Thomam* in Indice verbo *Prædicari* S.Thomas.

Prima pars Sectionis de Regulis; quæ vti nos docent Toto vniuersali, *& eius* Parte subiecta.

TOtum vniuersale vocatur quodcumque prædicatum commune respectu
1015 inferiorum suorum, & particularium, quę vt iam dixi, partes subiectæ nuncupantur; est autem circa totum vniuersale, & ipsius vsum quadruplex Maxima generalis, duplex docet illud subijcere, & duplex prędicare; & iterum duplex affirmanter, & duplex neganter; sed, ne incidas in æquiuocationem, aduerte eiusmodi Maximas esse locos internos à cõcomitantibus substantiam, idest docentes cognoscere per Totum Partes, & per Partes Totum, & alia quibus totum, aut partes conueniãt, aut repugnent; atque de eis omnibus affirmare, & negare aliqua prædicata, quæ non sunt de eorum essentia, sed ipsam antecedunt, comitantur, aut consequuntur, vt in exemplis adducendis apparebit.

Maxima prima est. *quidquid de toto vniuersali affirmatur, de ipsius parte disiunctiue affirmabitur*, vt elementum est leue, ergo vel terra, aer, aqua, vel ignis est leuis. secunda, *de quocumque totum vniuersale affirmatur, aliqua eius pars disiunctiue affirmabitur*. vt cibus est bonus, ergo cibus est vtilis, honestus, aut delectabilis. tertia. *quidquid negatur de toto vniuersali, negandum est de aliqua parte*. vt animal non est sine consilio, ergo Homo, vel Brutum non est sine consilio. Quarta. *de quocumque negatur totum vniuersale, negandæ sunt singula eius partes.* vt lapis nõ habet sensum, ergo lapis non habet oculos, nec auditum, neque gustum, nec tactum, nec olfactum.

Sed vero quia solet item sumi argumentum à partibus erga totum, assignantur aliæ quatuor Maximæ pro partibus simillimæ quatuor prioribus. Prima est, *quidquid affirmatur de parte subiecta, affirmabitur de toto; vt castitas est amanda, ergo virtus est amanda*. Secunda de *quocumque affirmes partem, affirmabis & eius totum*, vt diligentia est vtilis, ergo diligentia est bona. Tertia *quidquid negas de parte subiecta, negare debes de toto.* vt similitudo non est entitas modalis, ergo relatio non est modus. Quarta demum est; *de quocumque negantur partes subiectiuæ omnes, & totum negandum erit.* vt lapis non est homo, neque leo nec aliud Brutum, ergo lapis non est animal.

Secun-

Secunda pars Sectionis docet vsum Totius in quantitate, & Partium subiectiuarū *ipsius*; *vbi de Regula, pro interpretandis propositionibus quibusdam vniuersalibus sacri Textus.*

1016 Totum in quantitate dicitur prædicatum quodlibet superius affectum signo vniuersali, aut particulari; vt sunt hæc, *omne animal, nullum ens. aliquod viuens*. atque ab eiusmodi medio multipliciter ducimus argumentum, vt probemus ignotum; vt hæ quatuor regulæ edocebunt.

Prima sic est, *quidquid de toto in quantitate vniuersali affirmes, affirmabis de singulis eius partibus*. sic, omne animal sentit, ergo simia sentit, & reliquæ omnes bestiæ sentiunt. Secunda, *de quocumque affirmas totum vniuersale in quantitate, affirmabis singulas eius partes*, sic, leo habet omnem sensum, ergo habet visum. Tertio, *quidquid negas de toto vniuersali in quantitate, nega de singulis eius partibus*. sic, nulla planta caret vita vegetatiua, ergo nulla arbor caret vita vegetatiua. Quarta regula est, de *quocumque remoues totum vniuersale in quantitate, remoue omnes, & singulas eius partes*. sic, saxum nullam habet vitam, ergo saxum non habet vitam vegetatiuam, nec sensitiuam, nec rationalem, nec aliam, si tamen alia vita est.

Extant & aliæ quatuor maximæ, quæ nos docent ducere argumentum à partibus subiectiuis istis erga istud totum. prima est, *quidquid affirmas de omnibus partibus totius affirmabis, de toto ipse vniuersali in quantitate*. sic, aqua est corpus simplex, terra, aer, & ignis similiter sunt, ergo omne elemētum est corpus simplex. Secūda, *de quocumque affirmes omnes partes, affirmabis & ipsum totū*, sic, homo habet visum, auditum, gustum, tactum, olfactum, ergo habet omnem sensum. Tertia, *quidquid negatur de omnibus partibus, negabitur vniuersaliter de toto in quantitate*. sic, homo non caret sensu, simia non caret sensu, nec aliud Brutum sensu caret; ergo nullum animal caret sensu. Quarta maxima est, *de quocumque negantur omne partes totius, & ipsum totum negandum est*. sic, scabellum non habet gustum, nec tactum, nec alios sensus; ergo nullum sensū habet. denique pro particulari, quale erat illud *aliquod animal*, similes regulas quouis afformare poteris; ad alia nos transeamus.

Sed opponis prius, prædictę regulę nec docent, nec continent veritatem, ergo nō sunt certę, vt toties inculcauimus, Logicam tanquam certissimam artem extollendo. antecedens probatur, quia verum non est, quod docent, nimirum, *quod de toto in quantitate affirmatur vniuersaliter affirmetur de partibus singulis*, vt patet ab exemplis desumptis ex Scriptura, Concilijs & Patribus, quæ sunt hæc, & similia. *Omnis caro corruperat viam suā. omnes homines originali peccato fœdati sunt. omnes peccata actualia cōmiserunt. septies in die cadit iustus. Omnes indigent dicere dimitte nobis debita nostra. Iudæi & Græci omnes sub peccato fuerunt*. quarum assertionum prædicata dici non possunt de singulis partibus subiectiuis subiectorum earum; neque enim dicemus Noë, & alios iustos, aut paruulos, & sigillatim omnes corrupisse peccando mortaliter vias suas; neque Christum D. & eius Matrem fœdatos fuisse culpa originali, aut actuali, aut aut aliquando cecidisse in aliquam culpā, indiguisse dicere *dimitte nobis debita nostra*. neque credendum est nullum Iudæum, aut Græcum pro tunc iustum fuisse, quando S. Paulus illam propositionem pronunciauit. 1017

Et ideo communiter Doctores, & signatè *P. Granado* in tractatu aureo de Peccato Originali disp. 3. capit. 23. à nu. 4. respondent nullam esse regulam tam generalem, vt exceptionem aliquam non patiatur, si vel authoritas, aut ratio exceptionem eiusmodi persuadeat. vnde istæ generales propositiones veræ sunt in sensu intento à *Spiritu sancto*, & ab Ecclesia, qui est idem, ac ille, quem significat illa Pauli propositio, *omnes quæ sua sunt quærunt*, idest, vt in plurimum ita contingit.

Rursus Conrius Archiepiscopus Tuamēsis in libello de Cōceptione immaculata, siue de sententia *sancti Augustini* circa ipsam, imitatus ipsum *sanctum Augustinum*, & iste sequutus regulam Ticonij quartam, quam commendat San- 1018 S. Augus.

Ii ctus

ctus Doctor ad intellectum Scripturarum in tomo 3. lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 30. & explicat cap. 34. initio. dicunt veras omnino esse illas assertiones generales S. Scripturæ sine vlla facienda exceptione; ipsæ enim non loquuntur, etiamsi generales sint, de partibus excipiendis, neque eas illæ complectuntur, *sed Scripturæ mos est*, ait S. *Augustinus* to. 2. Epist. 59. ad Paulinum, *ita loqui de parte tanquam de toto*, & Paulus *Corinthios laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum*. Vbi nota marginalis *generalis*, inquit, *sermo partem dumtaxat significat*, dicit vero *Ticonius* in regula sua, quam vocat *de specie, & genere*, intelligi nomine *speciei*, partem significari vniuersalis, nomine vero *generis*, totam vniuersitatem; vnde illa propositio, *omnis caro corruperat viam suam*, est vera, quia facit hunc sensum omnis homo speciatim, qui secutus est appetitus carnis, non generatim omnis, nullo dempto.

S. August.

Vtraque explicatio, si tamen est duplex, est optima, & placet, sed non est contra nos, neque euacuat certitudinem regularum Logicæ, quæ, quia Logicæ sunt, rigidæ sunt, nec patiuntur metaphoras interuenire in artefactis suis; & ideo non se extendunt ad præfatas propositiones sacræ Scripturæ, licet sint tota in quantitate, quia eas Spiritus sanctus, & earum alij Authores voluerunt intelligi cum prædictis exceptionibus, & limitationibus. quod si velis regulas Logicales circa ipsas quoque versari, illas efforma ad huius exemplum, *quidquid de toto in quantitate affirmat, affirma de aliquibus, seu plerisque eius totius partibus*, & videbis semper regulas nostras esse certissimas. non adduco exempla in huius rei declarationem, *valeat*, loquor cum *Augustino* lib. 2. de peccatorũ meritis capit. 35. *aliquid ad se ipsam persuadendam ipsa euidentia, nam nusquam sic non inuenio quid dicam, quam vbi res, de qua dicitur manifestior est, quam omne quod dicitur*.

S. August.

Tertia pars Sectionis de regulis circa Totum integrale, & ipsius partes.

1019 Totum integrale dicitur quidquid ex partibus quantitatem habentibus vnitis, vel simul in vnum congestis compositum est; vnde pars integralis dicetur quælibet ex eis, quæ totum componant. verbi gratia, totum integrale est Domus hæc integra: fundamentum, parietes, cubicula, & reliqua, quibus constat, sunt eius partes integrales; producamus ergo regulas, quibus docemur ducere argumenta ab isto toto ad istas partes, & è conuerso. Sed aduertamus prius, partes integrales esse in duplici differentia, aliæ sunt ita necessariæ toti, vt sine ijs hoc stare non possit; quomodo sunt necessariæ homini cuidam, caput, pectus, & cor, & similes partes principales, ex quibus vita pendet; aliæ vero non sunt ita necessariæ toti, licet illud compleant, & adornẽt, vt sunt aures, nasus, capilli, & similes.

His suppositis prima Maxima circa vsum medij huius dicti totius integralis est, *Posito, & affirmato toto integrali, ponuntur, & affirmari possunt partes necessariæ ipsius*, vt homo existit, ergo habet caput, pectus, cor, & similes principales partes. Secunda est, *ablato & negato toto aufertur, & neganda est aliqua pars necessaria*, vt domus non est; ergo, fundamentum, vel alia principalis, aut necessaria pars eius non est. Tertia Maxima pro vsu partium est, *positis & affirmatis partibus necessarijs totius, ponitur & affirmari potest totum*. Vt sunt caput, pectus, venter, & reliquæ partes necessariæ animalis, ergo animal est. Quarta sic est, *ablata vel negata vna saltem parte sola necessaria, aufertur, & negandum est totum*. vt domus fundamentum non est, ergo domus non est.

Quarta pars Sectionis de vsu alterius Medij, quod dicitur Totum in modo, & partium illius.

Totum in modo est res vniuersalis, quasi comprehendens sub se ipsam aliqua alia re sibi adiuncta restrictam, ita est *omnis, vel nullus homo, & homo* comparatus cum *homine docto*, qui dicitur illius pars in modo. vel etiam *homo doctus* vlterius relatus ad *hominem doctum* Italum, & Hispanum. Sed aduerte neter- 1020

terminus adiunctus termino significanti totum, id extrahat à propria significatione, vel suppositione, vti extrahunt ij termini distrahentes, & diminuentes *homo pictus, homo albus secundum dentes*. qui propterea nequeunt esse partes in modo totius *homo*; nec totius *omnis homo*; neque totius *homo albus*.

Multiplex ergo arguendo modus ab his medijs sumitur, nempe quadruplex à toto ad partem; & similiter quadruplex à parte ad totum affirmanter in vtrisque, & neganter, modo subijciendo ipsa, modo prædicando, vt regulæ generales indicabunt.

Prima est, *quidquid de toto in modo vniuersaliter affirmatur, affirmabitur de parte in modo*. vt ibi, omnis homo scire desiderat, ergo homo rudis scire desiderat. Secunda est *de quocumque totum in modo vniuersaliter affirmatur, etiam pars eius affirmabitur*. sic, Deus fecit animalia omnia, ergo fecit animalia reptilia. Tertia est, *quidquid negatur vniuersaliter de toto, negabitur de eius parte*. hoc modo, nullus homo est odio habendus, ergo neque inimicus homo est odio habendus.

Quarta regula est, *de quocumque totum in modo vniuersaliter negas, nega quoque partem in modo*, in hunc modum. Deus nullos homines vult perire, ergo nec peccatores. vidisti in eis arguendi modis ductis à toto ad partem, semper totũ sumi vniuersaliter, & ita oportet semper fieri, vt legitima euadat argumentatio: sicut è contrario, dum fiat argumentum à parte ad totum, totum sumendum erit particulariter; vti sequentes regulæ circa vsum partium in modo monstrabunt.

1021 Prima, *quidquid affirmas de parte in modo, affirmabis de toto in modo particulariter sumpto*. sic, homines rudes scire appetunt, ergo aliqui homines scire appetunt. Secunda, *de quocumque affirmas partem in modo, affirmabis totum particulariter sumptum*. sic, Deus fecit animalia volatilia, ergo fecit aliquot animalia. Tertia est, *quidquid negatur de parte in modo, negandum est de toto in modo particulatim sumpto*. sic, inimici homines non sunt odio habendi, ergo aliquot homines non sunt odio habendi. Quarta demũ regula sic est, *de quocumque negas partem in modo, nega totum in modo particulariter sumptum*. vt ibi, Deus non vult perire homines peccatores, ergo non vult perire aliquos homines. Hic iterũ ad finẽ aduerte quandoque totũ esse rem simplicem, vel incomplexam, vt *homo* quandoque cõplexam, vt *omnis homo*; est quidem *homo* totum si referatur ad hominem candidum; & *homo albus* totum item est relatus ad hominem album Indianum; & similiter de alijs dicendum.

Quinta pars Sectionis de Toto in tempore, & Toto in loco, & Partibus totius vtriusque

TOtum in tempore est tempus vniuersaliter sumptum, vt *semper, nunquã*, partes eius sunt partes temporis, vt *Dies anni*, aut *secula*. Totum vero in loco item est locus vniuersaliter acceptus, vt *vbique, nullibi, nusquam*. partes eius sunt speciales loci. Argumentorum modos inde ex his medijs desumptos proponent antè oculos hæ Maximæ, quæ sunt quinque Logicæ regulæ generales; duæ docentes nos deducere argumentum à toto in loco ad partes eius: & è conuerso, à partibus ad totum: ad quarum similitudinem facile quiuis poterit efformare alias quatuor circa vsum totius in tempore & partium eius.

Prima ergo regula est, *De quocumque affirmas totam in loco, affirma partem*. sic, Deus est vbique, ergo Deus est in Germania. Secunda, *de quo negas totum in loco, nega & partem* sic, nullibi est chimæra, ergo, non est in India. Tertia, *de quo affirmas partem, negabis totum quatenus oppositum partis, idest totum negatiuum*. sic, Petrus est Romæ, ergo non est nullibi. Quarta, *de quo negas partem, negabis totum affirmatiuum*. sic, Rex non est Romæ, ergo Rex non est vbique. Denique quinta regula potest esse, *de quocumque affirmas omnes partes, affirma totum*. Sic Deus est in isto, & in illo, & reliquis locis, ergo Deus est vbique. Locos istos, seu Regulas inuentas fuisse à *Boetio* suspicatur *Fonseca* libro 7. 1022

 cap. 18.

Aristotel. cap. 18. nam *Aristoteles* docuit tantum vsum totius vniuersalis in genere.

SECTIO VIII.

De Locis à Causis, *& earum* effectibus.

EX dictis supra à nu. 993. oportet meminisse quadruplex esse genus causarum, nimirum, efficientis, materialis, formalis, & finalis, quæ merito media intrinseca dicuntur, quia cum re, ipsis tanquam medijs probanda, magnam connexionem habent; vt liquidum erit ex dicendis: & ideo Regulæ, aut Loci, quæ causis vti nos docent inter intrinsecos numerantur. videatur *Aristoteles* 2. Poster. cap. 11. & 17. Aristotel.

Prima pars Sectionis producit Locos, aut Regulas circa vsum Mediorum, quæ sunt Causa efficiens, *&* effectus *ipsius*.

CAusa efficiens definitur *principium, vnde motus incipit, siue operatio,* vt ignis, qui calefacit aquam, & caloris in aquam intrusi initium est. causa efficiens alia est necessaria, alia sufficiens. necessaria est, quæ ita connectitur cum effectu, vt hic sine illa, & illa sine hoc esse non possint, & ideo mutuo se ponant, & perimant; vti solent mutua relatiua, vt *sol,* & *dies*. causa vero sufficiens est, quæ connectitur semper cum effectu suo, sed tamen effectus æquè bene produci solet ab ista, vel alia causa efficienti, quia determinatam hanc solam causam non petit. vt ignis respectu caloris, quem quoque potest lux producere, vel alter calor, aut piper.

1023 Rursus causa efficiens alia est actu efficiens, seu in actu secundo, & exercitio suæ virtutis, vt ignis comburens, vel ædificans. alia efficiens potentia, siue in actu primo, vt ædificator; & secundum hos quatuor modos causæ efficientis, sunt totidem modi arguendi ducti à causis ad effectus; & ad effectibus ad causas; affirmantes alij, alij negantes; vt ex regulis manifestum erit. legatur *Aristoteles* lib. 4. Topic. capit. 4. & lib. 7. cap. 1. & lib. 3. c p. 3. & 6. Aristotel.

Prima ergo regula sic est. *affirmata causa necessaria, affirmetur effectus, & affirmato effectu, affirmabitur eius causa necessaria*. sic, à priori. Sol lucet, ergo dies est; & à posteriori, dies est, ergo sol lucet. secunda est. *negata causa necessaria, negatur effectus, & negato effectu negatur causa eius necessaria*. non est sol, ergo non est dies. non est dies. ergo non est sol. Tertia. *affirmata causa sufficienti, affirmabitur effectus*. vt ibi, est ignis, ergo est calor. sed non dices contra, est calor, ergo est ignis. siquidem non conuertuntur, potuit enim calor prodijsse ab alio agente. quarta regula est, *negato effectu, negabit causam eius sufficientem* sic, non est calor, ergo non est ignis.

Deinde pro causa potentiali, seu in potentia, & eius effectu est quinta Maxima, *affirmata causa potentiali cū reliquis requisitis ad effectū, affirmabis posse fieri effectum: & affirmato tanquā possibili effectu, affirmare poterit potentiā, quinimo, & possibilitatē causæ*. vt si dicas; ædificator adest cū reliquis operis materialibus, & alijs requisitis, ergo domus possibilis est; & domus possibilis est, ergo adest ædificator cum reliquis necessarijs, vel saltem possibilis est. vbi caute aduerte à causa ad effectum non valere argumentū simpliciter, quando vel causa non est integra, quia concausa, vel illi desunt complementa ad opus requisita; dici tamen tunc poterit effectum possibilem esse secundum aliquam concausam esse sui.

Sexta regula est. *affirmato effectu vt existenti, affirma præcessisse, aut existere eius causā*. vt Domus est, ergo ædificator fuit, vel est. adest filius, ergo pater est, vel fuit. 1024

Septima regula pro vsu causæ actualis, siue actu efficientis sic erit. *affirmata causa operante, affirmabis effectum fieri, & è contra, si affirmes effectū fieri affirmabis causā operantē*. sic, ædificans est, ergo ædificium fit; ædificium fit, ergo ædificans est. Octaua regula est, *negata causa operante actu, negabis effectū fieri, & è conuerso*. vt ibi, non est ædificans, ergo domus non fit; & domus non fit, ergo non est domificans.

Deni-

Denique ad finem aduerti vellem duo, primum est, reduci ad hæc causæ efficientis, & effectus media, causas quasdam morales, quodammodo efficientes, vt sunt Magister, Pedagogus, Consiliarius, & huiusmodi, à quibus ad effectus, & è contra, probabiliter ducuntur argumenta, sic, Petrus est Magister insignis, ergo habebit insignes discipulos ille homo conuersatus
Aristotel. est cum bonis, ergo ipse bonus erit, lege *Aristotel.* 2.Top.c 9.& 3.c.6.

Sed quoniam nos voluimus supra à n.24. actus Logicæ practicos esse certos, & infallibiles regulas, efformamus ad hoc exemplar regulas, versantes circa eiusmodi media, quæ solum aliquando, vel plerunque iunguntur cum effectis, & cum ipsis, vt in plurimum solum conuertuntur, *affirmatis, vel negatis causis; affirmabis, vel negabis probabiliter effectus, & è conuerso.* Secundum est, complura media ex dictis esse relatiua transcendentaliter, & sic plerosque locos, & præcipuos esse à relatiuis hisce, idest, versantes circa res inuicem connexas, quarum aliæ nos ducunt in cognitionem aliarum, iuxta dicta num. 211.

Secunda pars Sectionis de Materia, *&* Materiato *siue de Locis, vel Maximis circa causam materialem, & effectum ex ea, & ea inexistente constitutum.*

1025 Materia, vt colligo ex Aristot. 2. Post. cap. 11. & alibi. siue *materialis*
Aristotel. *causa est illa, ex qua inexistenti aliquid fit*. Sic est ferrum, ex quo inexistente, vt comparte, fiant arma. lapides, ligna, & reliqua, quibus constat, & fit Domus. & est duplex, alia *permanens*, vt illa, quæ in suo composito durat, & perseuerat, vti lignum, ex quo facta est Cathedra. alia est *transiens*, nimirum, quæ transit, & transmutatur. vti sunt aqua, & farina, ex quibus fit tanquam ex materia panis, sed panifacto non inexistunt, nec durant. circa istas causas & effectus.

Est prima regula, *si affirmas esse materiam permanenté vel transeuntem, affirmabis esse possibiles earum effectus.* Sic, sunt ligna, & lapides, aqua, & farina cum reliquis, videlicet requisitis, ergo possunt fieri domus, & panis. Secunda est, *Si negasti materiam permanentem, negabis eius effectum*, Sic, non est ferrum, ergo non sunt arma ferrea. Tertia, *si negas præextitisse antea materiam transeuntem, nega existere effectus eius.* sic, non fuit farina, ergo non est panis, & ideo Iureconsulti dicunt, bene, nomine materiæ non venire materiatum.

Quarta circa effectus materiæ, *si affirmas esse effectum materiæ permanentis; affirma esse materiam*, vt est gladius, ergo est ferrum. Sed non valet negatiue. & ideo *si negas esse effectum materiæ permanentis, non hoc negare materiam*, vt ibi, non est gladius; ergo non est ferrum. Quinta demum regula est, *affirmato effectu materiæ transeuntis, affirma processisse eius materiam*, vt est panus, ergo fuit farina, & liquor, *sed negato eodem effectu, non licet negare vllo modo materiam eius*, vt nemo non videt, quis enim inferat non est panis, ergo non est farina, cum panis effectio sit penes arbitrium Furnarij, nec connectatur necessario cum farina, etiam præsenti.

Materiæ prædictæ, vt vides, sunt artificiale, idest, ex quibus artificialia 1026 fiunt, & solent dici *materia secunda*, quia est alia materia naturalis, ex qua naturalia composita fiunt, & quæ dicitur *materia prima*, vti in libris Physicorum edocemur, habet vero eiusmodi materia cum materiato suo tantam connexionem & dependentiam, vt & mutuo conuertantur, vt contingit proprio cum subiecto, cuius proprium dicitur; & ideo pro ipsis sunt speciales Maximæ. prima est, *si affirmas materiam naturalem, affirma eius materiatũ esse;* vt existit materia equi, ergo existit equus; *& si negas materiam esse, similiter nega materiatum esse*, vt equi materia non est, ergo equus non est; & simili modo efformauis tu Maximas duas docẽtes ducere argumẽtum à materiato, siue ab effectu materiæ naturalis ad ipsam materiam affirmanter, & neganter; & quidem cur materia naturalis, & quæ sunt subiecta naturalia con-

nertantur cum effectis suis, & non item materiæ illæ secūdæ, & artificiata sua, facile aduertet, qui connexionum discrimina, quæ sunt inter ea, attente consideret.

Possunt & aliæ regulæ efformari, quæ doceant de compositis constitutis ea materia varia affirmare proprietates suas, & negare alia, quæ ipsis repugnent; nimirum, quæ doceant efficere has, & similes propositiones, Homo est factus ex luto, ergo fragilis, & corruptibilis est. domus constructa est ex lapidibus, ergo stabilis. panis factus est ex farina, & saccaro, ergo est dulcis. ille gladius factus est ex plumbo, ergo inutilis ad scindendum. regula ergo generalissima pro his arte faciũdis sic erit. *qualiter dixerit materiam materiati esse, taliter dices & ipsum esse*. descende tu, si vis, ad particularia, & effinge regulas logicas magis particulares, neque enim Lectori omnia propinãda fuere ab industria Præceptoris: neque lumen naturæ semper debuit continuis præceptis cohiberi.

Tertia pars Sectionis de Regulis circa Formam; *seu causam formalem, & effectum ipsius, siue* Formatum.

1027 F*orma est, quæ dat esse rei, & à qua formatum habet determinatum esse*. vnde formæ sunt anima rationalis, & albedo. formata vero, vel effectus formæ sunt album, & homo. faciles sunt intellectu modi quatuor arguendi, qui ducuntur à forma, & ab eius effectu, nempe duplex ab illa ad hunc affirmatiue, & negatiue, vt regulæ istæ demonstrant.

Prima est *affirmata forma, affirmatur formatum*, vt est albedo, ergo est album; vel est forma equi, ergo est equus. sed non valet est anima rationalis, ergo est homo, quia anima ista ob sui excellentiã, & immortalitatem potest, & solet esse sola fine materiæ consortio. secunda, *negata forma, negatur formatum*. vt non est albedo, ergo non est album. tertia, *negato formato, neganda est forma, si non est rationalis*. vt non est dulce, ergo non est dulcedo; sed non valet non est anima rationalis. quarta demum Maxima est, *affirmato formato, affirmabitur forma*. vt est homo, ergo est anima rationalis.

Quarta pars Sectionis de Locis, vel regulis docentibus vti Fine, *seu causa finali, & ijs, quæ ordinantur ad finem, quæ* Media *dici solent, aut effectus finis*.

F*inis est cuius amore, & gratia aliquid facit rationale agens*, vt Beatitudo, cuius amore virtutes, operamur; & Sanitas, cuius gratia sumimus potiones amaras, & alia medicamenta; vnde Beatitudo, & Sanitas sunt fines, & virtutes, & remedia sunt effectus finis; vel media ad assequendum finem. locus finis ad effectum eius; & locus effectus ad finem est fœcundissimus, sed facilis, vt sequentes Maximæ demonstrant. Vide quoque *Aristotelem* 2. Topic. cap. 2. & lib. 3. cap. 1. & 6. c. 13. *Aristotel.*

Prima est generalissima, & sic, *qualem dixeris esse finem, talem dices esse effectum finis*. vnde *si affirmas finem esse malum, effectum eius affirmabis esse malum*. 1028
sic, occidere proximum malum est, ergo arma præparare, & insidiari illi, malum est. *sed cum affirmaueris finem esse bonum, affirmabis effectum quoque esse bonum*. vt beatitudo bona est, ergo virtutes bonæ sunt. Excipe quando effectus sit per se, & intrinsece malus, vt est furtum, quod bonum dici non potest licet ad bonum finem, nempe ad subleuandam miseriam pauperum, indiscrete ordinaretur. lege *S. Augustinum* supra nu. 18. *S. August.*

Rursus si dixeris finem esse bonum, optimum, & meliorem, vel bonum mediocriter, respectiue dices effectum eius esse bonum, optimum, & meliorem, vel mediocriter bonum; quod si vituperando finem dixeris esse malum, pessimum, aut priorem, similia prædicata dices de effectu finis.

Maxima secunda est, *qualiter dixeris finem esse intentum ab aliquo, taliter dices ab eodem fuisse applicatas, aut applicari debuisse reliquas tres causas*, nempe efficientem, formalem, & materia-

terialem cum cæteris requisitis ad consequendum talem finem. Sic, Rex vult ędificari Domum pulchram, ergo debet quęrere insignem architectum. Petrus vult construere domum fortissimam, ergo debet adhibere materiam fortissimam; Antonius desiderat in horto suo habere fructus suauissimos, debet ergo aliunde semina similium fructuum asportare, eaq; inserere, aut plantare.

Tertia maxima est; *si dixeris ab aliquo talem finem intentum esse, ab eodem dices adhiberi debere proportionata media ad assequendum finem*; quia qualis est finis, talia debent esse media ad finem. vnde quãto quis procurat superimponere molem ædificij, tanto altius ponit fundamentum.

Quarta demum maxima est, *si affirmas aliquem prætendere talem finem, ipsi per-*
1029 *suadebis remouere extranea media, & quæ nil conducunt ad finem, sed potius retardant, & sunt impedimento*: Sic, qui vult euadere doctus, non debet nimis otiari, & iocari, aut alio diuerti; aut pluribus intentus esse; quia *pluribus intentus minor est ad singula sensus*. totum ergo pectus vacare debet Sapientiæ, non enim se dat in angustias Regia scientia, spatium amplum res ampla desiderat.

Quinta demum maxima docet ducere argumentum ab effectu finis ad finem ipsum sic, *quotiescumq; indicatur posse obtineri omnia media necessaria ad finem, indicandum est finem ipsum posse obtineri*, & ideo valet hoc argumentum, homo habet auxilia necessaria ad Beatitudinem, ergo homo potest obtinere beatitudinẽ. Denique aliæ Maximæ tam circa vsum finis, quam effectuum, aut mediorum, quæ sunt ad finem, faciles sunt, & lumini naturali patentes.

SECTIO IX.

De Maximis, aut Locis à Generatione, *&* Corruptione, *& Vsu ad Generatum, Corruptum, & Vsurpatum, vel Vsitatum.*

Agimus nunc de his locis, quia Generatio, Corruptio, & Vsus sunt cõiunctissima causis, de quibus hucusque tractauimus, est verò *generatio via, & medium, qua causa producit suum effectum*. vt calefactio, qua mediante ignis producit calorem: *corruptio* autem *est rei destructio*: ac demum *vsus est ipsum exercitium, quo re aliqua vtimur*, siue quod dici solet grammaticè ipsum vti, vel ipsum vtendi opus: & ideo generationi correspondet generatum, corruptioni corruptum, & vsui, quod vsu venit, vel illud, quo vtimur, quæ omnia Canones sequentes cum afferendis exemplis illustrabunt vberius. Vide *Arist.* lib. 5. Top. cap. 3. l. 7. c. 1. lib. 3. c. 6. lib. 4. c. 4. *Aristotel.*

Primus à generatione ad generatum sic est, *cuiuscumque affirmaueris generationem esse bonam, ipsum quoque generatum dices esse bonum*, vt Christi generatio bona fuit, ergo ipse bonus fuit. & viciſſim à generato ad generationem, *quando de generato prædicas bonitatem, prædicabis eandem de generatione*, vt Christus fuit bonus, ergo eius generatio bona fuit.

Secundus est à contrario prædicato, aut sensu, *cuius generationem dixeris malam, ipsum quoque dic esse malum*, vt 1030
commiſſio peccati mala est, ergo & peccatum ipsum est malum. & vice versa, *quando de generato prædicas malitiam, eandem prædicabis de generatione*, vt peccatum malum est, ergo eius effectio mala est.

Præfati Canones per se loquendo sunt certi, & infallibiles, licet per accidens videantur quandoque deficere, siquidem non rarò contingit Parentum, & Magistri instructionem fuisse optimam, & filios euasisse tractu temporis pestilentes; & è conuerso. nempe illud prius contingit ob dæmonis, aut causæ alterius prauæ instigationem. secundum ob Dei internam illuminationem, vnde per se loquendo Christi Domini maxima semper verificatur, nempe, *bona arbor bonos, mala autem malos fructus facit*.

Tertius Canon circa corruptionem ad rem corruptam, sic est, *cuius dicis corruptionem esse bonam, ipsum dices esse malum*. vt bonum est suspendi latrones, ergo latrones mali sunt; & è contra, *cuius dicis corruptionem esse malam, ipsum dices esse bonum*, vt impium fuit Christum occidi, ergo ipse bonus, & innocens fuit.

Quartus est ab vsu ad id, quod vsu ve-

nit, vel vsitatum est. & vice versa, ab hoc ad illum sic; *cuius vsum affirmas esse bonum, aut malum, ipsum quoque dices similiter esse bonum, aut malum*, vt vsus vini temperatus, videlicet, secus non vsus, sed abusus dicitur, bonos effectus causat, nimirum exhilarat cor, stomachum confirmat, ergo vinum est bonum; & vsus artis magicæ, malus est, ergo ars ipsa mala est.

Quintus Canon est à contrario, nempe ab vsitato ad vsum sic, *quando affirmas vsitatum esse bonum, aut malum, similiter dices esse eius vsum*, vt confirmatio stomachi debilis est bona, ergo vsus vini est bonus. ars magica est mala, ergo & eius vsus malus est.

SECTIO X.

De loco dicto à Communiter accidentibus; *vbi de Diuinatoribus, & Iudiciarijs, qui abutuntur isto loco.*

1031 Communiter *accidentia dicuntur illa, quorum alterum cum altero coniungitur*, siue vnum antecedat, alterum sequatur, siue simul sint, vt *concepisse*, & *parere*. ea verò sunt in duplici coniunctionis differentia: alia enim sunt, quorū vnum necessario cum alio iungitur, licet non conuertibiliter: ita parere iungitur necessario cum concepisse, sed concepisse non ita iungitur cum parere. alia sunt quorum alterum cum altero iungitur, vt in plurimum, &, vt dicitur, moraliter loquendo; ita coniunguntur Bachanalia, & rixæ, & largæ potationes. ergo circa hæc eo duplici modo accidentia, siue coniuncta, ponuntur hæ duæ Maximæ generales. Aristotel. & videbis *Aristotelem* 2. Top. c. 2.

Prima circa necessario coniuncta sic est. *quando ex communiter accidentibus affirmaueris alterum præcessisse, aut esse, affirma fore, vel esse quod cum illo necessario iungitur*. vt Maria peperit, ergo concepit. *quando verò negaueris illud, quod ad alterum sequitur necessario, negabis & alterum*. sic, illa mulier non concepit, ergo non peperit, siue vt vno axiomate ea complectar, *dum affirmas antecedens, affirmabis consequens necessario connexum, dum verò negas consequens istud, negabis antecedens necessario inferens*.

Maxima secunda est: *quando ex communiter accidentibus, quorum alterum, vt in plurimum coniungi solet cum altero, affirmaueris esse, vel fuisse illud, ad quod aliud moraliter sequitur; verisimiliter quoque, seu probabiliter affirmabis & illud*, vt Bachanalia hodie celebrantur, ergo aliqui inebriabuntur, nec rixæ deerunt. hic homo insignis mente molitur quidpiam magnum, ergo hominum subibit inuidiam. ille habet nasum aquilinum, ergo est ingeniosus, aut erit. Mane rubet cælum, ergo hodie non erit omnimoda serenitas. hoc tempore apparuit grandis Cometa, ergo magnum quidpiam portendit; & quidem Maxima ista docet argumētari à priori, aut quasi à priori, nempe ab eo, quod vel absolutè, vel aliquo modo antecedit ad id, quod posterius illo quoquo modo est.

Maxima autem tertia docet argumen- 1032
tum ducere à posteriori sic. *quando affirmaueris esse illud, quod consequi solet alterum, affirma probabiliter id alterum esse, aut præcessisse*. sic, multi inebriati sunt, ergo Bachanalia sunt, vel fuerunt. Defunctus est magnus Princeps, ergo præcessit aliquod cæleste signum. vbi quoque aduerte eiusmodi argumentationes verisimiles tantum esse, & probabiles, licet regulæ Logicæ ex modo suo procedendi, & prædicandi sint certissimæ, & infallibiles, vt sapienter notat *S. Thomas* allegatus infra num. 1224. S. Thomas.

Scias item oportet Diuinatores, Astronomicos, Chiromanticos, Physiognomicos, Iudiciarios, & huius farinæ Sectarios, solere abuti hoc Loco *à communiter accidentibus*, & nimis fidere regulis suis, si tamen diabolicæ non sunt, easque ampliare, & plus iusto certificare; illi nimirum, qui, ex certis signis, atque portentis, vel alijs stellarum concursibus, & influentijs, temerario ausu futura prædicunt, indifferenter omnia, idest necessaria, & libera, quasi certo euentura. legant Catholici Constitutiones Pontificum, Sixti Papæ V. contra exercentes Astrologiæ iudiciariæ artem, quæ incipit, *Cæli, & terra Creator Deus*, editam anno salutis 1586. & nouissimam Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani VIII. contra Astrologos iudiciarios, quæ incipit, *Inscrutabilis iudiciorum Dei altitudo*

inde. edita anno Domini 1631. & si ad manus eorum peruenerit, videant regulas noui Indicis expurgatorij pro Regnis Hispaniarum, concernentes, & obseruari decernentes decreta in præfatis Constitutionibus; & non finant Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matris nostræ terminos, nec transuersum vnguem pertransiri. carpit istos S. August. zelo;os *Augustinus* tom. 1. lib. 1. contra Academicos, cap 8. & alibi frequenter.

SECTIO XI.

De Locis Antecedentium, *&* Consequentium; *& iterum monstratur Logicæ obiectum esse res, si Logica noua inuentanda non est.*

1033 ANtecedentia vocamus in præsenti res, quæ antecedunt necessario ante alias, & has inferunt, vel quasi inferunt, quæ propterea *Consequentia*, siue quæ ad illa antecedentia consequuntur, nominantur, & sunt. *antecedentia* vero huiusmodi sunt duplicia, & totidem *consequentia*, quæ declarari oportet prius, quam Maximas circa eorum vsum proponamus. Legatur *S. Augustinus*, tom. 1. lib. 3. contra Academicos, cap 13. S. August.

Antecedens ergo primo modo dicitur res, quæ quoquo modo antecedit rem, si eam necessario infert; vt homo antecedit animal; & vulnus in corde mortẽ. & ideo bene infers, est homo, ergo est animal. & item, est vulnus in corde, ergo sequetur mors. Secundo modo antecedens est res illa, quæ necessario danda prius est, si alia danda est; vt est iuuentus, & senectus; fundamentum, & ædificium; ideo bene colligis, erit senex, ergo erit iuuenis. erit ædificium, ergo erit prius fundamentum. ex quo patet consequens quoque duplex; nempe primum, quod absolute, & simpliciter sequitur ex primo genere antecedentis: secundum autem, quod sequitur ex secundo, quod dici solet consequens ex suppositione, vel hypothesi; quia infertur si aliud futurum sit. His suppositis.

Pro primo genere antecedentis, & consequentis, quę simpliciter antecedentia, & consequentia dicuntur, est maxima generalis, *si affirmas antecedens, affirma consequens, & si negas consequens, nega antecedens*, siue, vt communiter dicitur cum Aristotele, *posito antecedente necesse est poni consequens: sublato consequente necesse est, vt tollatur antecedens.* vt Petrus est homo, ergo est animal, non est animal, ergo non est homo, & habet vulnus in corde, ergo breui morietur; non morietur breui, ergo non habet vulnus in corde, neque in alia parte similiter periculosa. Aristotel.

Maxima verò circa vsum antecedentiũ, & consequentium secundi generis est omnino contraria præcedenti, quia sic est, *negato, vel sublato antecedente necesse est negari, aut non poni consequens*. sic, hic infans non erit iuuenis, ergo nec senex. *affirmato vero consequente, vel posito necesse est poni, aut affirmari antecedens*; sic, ædificanda est domus, ergo iacienda erunt fundamenta. conturbetur nemo si viderit aliquot maximas re ipsa coincidere, & indicare eosdem modos arguendi, licet penes nomina solum videantur discriminari; locus enim ab antecedentibus, & consequentibus similis videtur locis aliquibus à causis, & à totis, vt visus, & obseruatio edocebunt. præterea communiter dicitur *valere argumentum ductum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, sed non contra, ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis*. 1034

Sed de his, & alijs huc spectantibus videndus sum superius à num. 449. ne eadem repetere cogamur, legat item, qui volet *Lanellum* tract. 9. à cap. 3. *Sotum* lib. 3. cap. 8. lect. 1. annot. 3. *Toletum* lib. 4. c. 2. *Fonsecam* lib. 6. cap. 5. *Casilium* lib. 3. tract. 1. cap. 3. cuius Introductionis libellus pretiosus sane est, & dignus, qui legatur ab omnibus. exponunt isti Doctores ex professo regulas plurimas pro bona consequentia, quæ omnes sunt logicales; & quod admirabile est, fere nulla non versatur circa res, vt euidens fiet eas contemplanti, & earum repręsentata obiecta; & exempla, quę adducuntur ad cuiuscumque regulæ intelligentiam; & adhuc reprehendemur, quia ponimus pro Logicæ obiecto, res.

Ostendant ergo Domini Recentiores, & scribant in Codicibus suis regulas, vel speculationes Logicas, quas non debent de nouo, ac de suo bono cerebro inuentare, sed antiquas venerari; & tunc attente examinent, quod sit obiectum regulæ ea

iusli-

iuslibet, quod ipsa tangit, ac repræsentat; sed pro tunc, amabo, non curent de obiecto, & fine suo ipsorum, quod fine dubio erit directio actuum intellectus, & sapiẽtia; continuoque deprehendent à se ipsis confundi obiectum operantis cum operis obiecto; & operi, seu Logicæ attribui obiectum, quod non scientiæ Logicæ, sed ipsorum Logicorum est.

SECTIO XII.

De Locis extrinsecis; & in primis de Oppositis, *&* Disparatis; *sed prius de Maxima generali pro vsu Oppositorum omnium.*

1035 Loci extrinseci, vel externi, vt superius dictum est, sunt regulę Logicales, quæ versantur circa media extrinseca, siue quæ sunt quædam res, quæ non sunt de essentia, vel natura, neque de connaturali complemento quæstionis ignotæ, vel rei, de qua quæstio, aut dubium est, vt ex regulis adducendis, quæ docent nos vti eiusmodi medijs, manifestum erit.

Opposita, vt colligo ex dictis num. 983. *sunt, quæ sibi repugnãt, & mutuo se repellunt*, & quadruplicia sunt, nempe, *relata, contraria, priuatiua, contradictoria*, relata quidem, vt Pater, & filius. contraria, vt calor, & frigus. priuatiua, vt cæcus, & videns. contradictoria, vt albus, non albus. pro quorum omnium vsu est generalissima regula, *de quocumque affirmas vnum oppositum, negabis alterum*. Sic, Petrus est Pater Pauli, ergo eius filius non est. virtuosus est, ergo non est vitiosus, habet visum, ergo non est cæcus. est albus, ergo non est non albus. non verò valet negatiue in omnibus, sed in plerisque, vt patebit consideranti, quæ dicemus. videat, qui volet, alias regulas pro appositis omnibus in *Aristotele* 2. 3. 4. & 7. lib. Topicorum. & alumni iurisprudentiæ videant *Euerardum* à pagina 116. *Aristotel.*

Prima pars Sectionis de Locis á Relatiuis, *siue de regulis, quæ docent nos Relatiuorum vsum.*

Prima regula pro relatiuorum vsu sic est, *si affirmas alterum relatiuorum, affirma, & socium; & si negas vnum nega & alterum;* vt si Pater est, etiam est filius; & si Pater non est, nec filius est; *& vice versa*, quoniam relatiua conuertuntur, idest, se mutuo ponunt, & interimunt. valet quippe ea maxima sumptis nominibus *Pater*, & *filius* strictè, prout significãt personas præsentes, & coexistentes, quarum altera genuerit, altera sit genita. iuxta ea, quæ dicta sunt à num. 929. Vide *Aristotel.* l. 2. Top. c. 3. & 4. & l. 5. cap. 3. *Aristot.*

Secunda est, *si affirmas vnum relatiuũ, negabis alterum respectu tertij eiusdem*. sic, Petrus est filius Pauli, ergo non est Pater Pauli ipsius. *sed non valet negatiue, si dicas*, Titius non est Pater Cæsaris, ergo Titius non est filius Cæsaris, vel ergo Titius est filius Cæsaris, quia contingit Titium nec Patrem, nec filium esse Cæsaris. Iurisprudẽs legat *Euerardum* loco à correlatiuis nu. 4. & P. *Sanchez* lib. 1. Consil. c. 6. dub. 2. num. 10. 1036

Secunda pars Sectionis de Locis à Contrarijs; *vbi quotuplicia sint præmitto.*

Vpliciter sunt contraria, vt supra num. 984. adnotabam, alia mediũ habent, vt *album*, & *nigrum*, inter quæ mediat *pallidum*. alia medium non habent, vt *sanum*, & *ægrum*, inter quæ non vult ibi *Aristoteles* mediare conualescentiam, vt volebat *Galenus*. His præmissis, Canones Logici docent vti affirmatiue medijs primi generis; medijs autem secũdi, affirmatiue, & negatiue, vt infra maximæ monstrabunt. Legatur item *Aristoteles* l. 2. Topic. cap. 3. & 4. & l. 6. cap. 3. & lib. 6. cap. 9. *Aristotel.* *Aristotel.*

Ergo circa contraria quæ, medium habent, Maxima est, *quando affirmaris vnum contrarium de subiecto, negabis alterum de eodem*. Sic, Petrus est albus, ergo non est niger, sed non dices negatiue sic, Petrus non est albus, ergo est niger, potest enim esse pallidus, & sic nec albus, nec niger.

Circa contraria nullum medium habẽtia, est altera maxima, *si negaueris vnum contrarium esse in subiecto capaci, affirmabis ibi esse alterum*, & è contra, *si vnum affirmaueris negabis alterum*. Sic, Petrus non est sanus, ergo est æger, & Paulus est sanus,

sanus, ergo non est æger, necesse enim est vt ex contrarijs hisce alterum occupet subiectum, vti docuit nos *Aristoteles* supra nu.984. Vltima maxima est, *contraria de cōtrarijs prædicabis, quia* vt vulgo, dicitur *sicut se habet propositum in proposito, ita & oppositum in opposito, vt* ibi Prudentia est virtus, ergo imprudentia est vitium. Calor calefacit, ergo frigus frigefacit. atq; istum modum arguendi vocant *à contrario, vel consequentiam à contrario, & in ipso*, & quandoque contingit in alijs etiam oppositis, vt docebit vsus, & experientia. Sed in Iudicijs argumentum à cōtrario est fallax, vt notat *Laiman* lib.3.tract.3. p.3. c.7.nu.6. Legant Iurisperiti *Euerardum* ad istum locum pagina mihi 117. & *Coninc.* de Censur.d.18.d.9.

Aristotel.

Tertia pars Sectionis de vsu Priuatiuorum, *siue de Locis* à Priuantibus.

1037 LOci à Priuatiuis similes sunt Locis à Contrarijs medio carentibus; & ideo pro illorum *vsu* est vnica Maxima generalis, *de quocumque vnum affirmas, negabis alterum*, & è contra, de *quocumque vnum negas, affirmabis alterum*, & ideo bene arguis, Petrus habet visum, ergo non habet cæcitatem. Ioannes non habet visum, ergo habet cæcitatem supponit, iste Locus opposita priuatiue prædicanda de subiecto capaci habere formam priuandā, vt videre est in exemplis, & alibi declarant *Aristoteles, Augustinus, & Thomas* allegati supra, nu.984. Legatur item *Aristoteles* lib.2.Top.c.3.& 4.& lib.5. c.3.

Aristotel. S. August. S. Thomas.

Quarta pars Sectionis de vsu Cōtradictoriorum, *siue de Locis à* Contradicentibus.

COntradictoria declaraui n.985. pro quorum vsu est prima maxima generalis, *de quo vnum affirmatur, negatur alterum*, vt equus est lapis, ergo equus nō est non lapis. & è contra, *de quo vnum contradictorium negatur, oppositum affirmabitur*, vt equus non est lapis, ergo equus est non lapis.

Maxima secunda est, *contradictorium subiecti affirmabis de contradictorio prædicati*, v.g. posita ista propositione, *homo est animal*, rite affirmabis, non animal est non homo; vnde *est sidus arguendi à cōtradictorio prædicati, ad contradictorium subiecti*, sic, illud est non animal, ergo illud est non homo, & si non animal est, nō homo est. Sed hæc Maxima parum vtilis videbitur. recolantur, quæ dicebamus à nu.354. vbi de Contradictorijs, & earū legibus, & à n.468 vbi de Reductione syllogismorum, & inde deducentur aliæ Maximæ ad sciendum vtiliores, & legatur *Aristoteles* l.2.Top.c.3.& 4. & lib.5. cap.3.

Aristotel.

Quinta pars Sectionis de vsu Disparatorum, *siue de Locis dictis à* Differentijs.

DIsparata vocamus in præsenti ea, quæ neque se inferunt, nec sibi determinate repugnant propriè, quamuis inter se sint aliunde incompatibilia, vt sunt Homo, Leo, Planta, Hispalis, Roma. & ideo Maxima generalis tradita pro oppositis competit *disparatis*, nempe illa, *de quocumque affirmas vnum disparatorum negabis alterum quodque*. Sic, illa bestia est Leo, ergo non est equus. est Hispali, ergo non est Romæ. sed non valet negatiue, idest à negatione vnius ad affirmationem alterius, nisi inutiliter procedas in infinitum per disiunctiones; neque enim infertur illa bestia non est Leo, ergo est equus, aut determinate alia, sed illa, vel illa, & sic in infinitum. modos alios arguēdi, qui fundantur in Disparatis & Oppositis dictabit lumen naturæ, sine Logica naturalis, & leges supra n.260. 1038

SECTIO XIII.

Proponit, & exponit Locos à Maiori, Minori, Pari, *&* Simili, & Proportionem *habentibus, &* Dissimili.

MAius est, ac dicitur propositio, quæ habet maiorem probabilitatem, & verisimilitudinem, quam alia, quæ ex illa colligenda est. Minus; quæ minorem; Par, quæ parem; Hæc omnia illustrabunt exempla adducenda, & Maximæ Dialecticæ sequentes,

Ergo

Ergo pro Maiori extat hæc Maxima, quæ docet ducere argumentum negatiuè sic, *si id, quod verisimilius videtur, dixeris non esse verum, similiter dices verum non esse, quod minus verisimile videtur*. Vt arx hæc non fuit expugnata à centum millibus robustissimus, ergo expugnari nō poterit à viginti millibus, præsertim imbellibus. Legatur Philosophus l. 2. Topic. c. 4. & l. 3. c. 6. Aristotel.

Pro Minori extat Maxima, quæ docet ducere argumentum affirmatiuè sic, *si id, quod minus verisimile videtur, verum esse affirmaueris, similiter affirmabis esse verū, quod magis verisimile apparet.* vt arx ista semel expugnata fuit à decem millibus imbecillis, ergo expugnari poterit nunc à centum millibus robustissimis. vel sic; solus Poloniæ Rex potuit Turcam reprimere, ergo Christianorum Principum omniū copiæ multo magis reprimere poterunt.

Hoc loco vsus est P. Gazæus in illis Carminibus Piorum Hilariorum in Elegia lacrymarum Adami ibi,

Quam dispar rerum facies, quam discolor hora!
Quam nocuit, subdi non voluisse Deo!
Qui fueram rerum dominus; Princepsq; ferarum,
Ipso etiam cælo iudice, pænè Deus:
A putri vespa, culicisve proboscide vexor,
Tam properè oderunt Principio ora sui.
Quid non audebis Leo? quid non Vrse rebellis?
Si mecum vilis prælia musca gerit?

1039 Pro Pari, aut paritate est ista maxima. *Si propositam propositionem veram affirmas esse, vel falsam, similiter affirmabis esse aliam æque probabilem*, idest, *similem, aut parem*. Sic, Parricida deijciendus est in flumen, ergo & matricida. vel sic, ille iudicauit, & condemnauit, ergo & ipse iudicabitur, & condemnabitur, dimisit proximo suo, ergo dimittetur ei. vel negatiuè, non dimisit, ergo non dimittetur ei. quia vt dicunt Iureconsulti, *paritas rationis inducit paritatem dispositionis*. l. Tit. ff. de Stipul. Vide *Aristotel.* 2. Topic. c. 4 & l. 5. c. 3. Aristotel.

Rursus *Similia* hic intelligimus, quę habent inter se aliqualem conuenientiā, aut proportionē, vti sunt duæ albedines, duo animalia, oculi, & intellectus: vt enim intellectus se habet ad animam, ita se habēt oculi ad corpus; ergo Maxima pro vsu similiū sic erit, *quod de vno similiū affirmas, affirma de cæteris, & quod de vno negas, nega de cæteris*, vt oculi gubernāt corpus, ergo intellectus gubernat animā. Nauclerus diligenter gubernat nauem, ergo Pontifex diligenter debet Ecclesiam gubernare. Nauclerus optimus quærendus est, ergo Pontifex optimus eligendus. Lege *Aristotel.* 2. Top. c. 4. & 7. c. 3. Aristotel.

Proportionē habentia dicuntur ea, quæ comparationis, & rationis habent similitudinem, ita Nauarchus, & vrbis Moderator, nam sicut ille se habet ad nauē, ita hic ad ciues; & ideo sicut ille debet esse peritus, ita & iste. deinde illa dicūtur habere permutatam proportionem, quæ comparata cum quibusdam terminis erga ipsos simili modo se habent, vt octo cōparata ad quatuor, & duodecim ad sex; nam quēadmodū se habent octo ad quatuor, se habent duodecim ad sex, nimirū quoad partitionem in eos duos numeros, siuè portiones, quas item vnusquisque ille numerus maior cōplectitur. Vide *Aristot.* 5. Top. c. 7. & 4. c. 4. Aristotel.

Hic aduerte primo, media Paria, Similia, & Proportionem habentia parum, aut nihil distare inter se, & ideo pro eorum omnium vsu seruit ista sola regula generalis, de Paribus, Similibus, & Proportionē habentibus idem ferendum est iudiciū probabiliter, idest, *quidquid de vno pari, aut simili aut proportionē habēte affirmes, vel neges potes probabiliter affirmare, vel negare de reliquis*, vt vides in adductis exēplis. 1040

Aduerte secundo, ad ea Media reduci exempla, Apologos, Fabulas, & Parabolas, & ea deseruire magis Rhetoribus, præsertim ad amplificationem, & ornatum orationis, quam Dialecticis ad efficaciter persuadendū, & probandum Thema propositū, & ideo Mediorū horū vsus illis est frequentissimus, & quidem permixtus varietate maxima, quæ delectationē afficiat in audiētibus, vti monstrat vsus, & experiētia.

Aduerte tertio, in Regula de industria addidisse nos aduerbiū *probabiliter*, vt faceremus regulam certā, secus probabilis tantum erit, siquidem argumenta, quæ trahi solent à Simili, Paritate, & Proportione, plerunq; verisimilia tantum sunt, vtpote, quæ trahuntur ab exemplis, quæ, vt volgo circūfertur, nō tenētin omnibus, nā similia similia sūt nō eadē, vt ideo oporteat aliūde disceri.

discriminari in pluribus, & ideo bene notauit inter alios P. *Laiman.* lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 7. quod Iudices cauere debent *argumento à simili* in iudicijs ferendis, quia fallax est.

Dissimilia tandem sunt, quę comparata cum re alia tertia, diuerso modo se habent ad illam; ita sunt dissimiles anima hominis, & anima bruti comparatæ ad immortalitatem, qua illa gaudet, hæc non; & ideo bene arguitur, dissimiles sunt istæ animæ, ergo mirum non est, quod vni cōueniat immortalitas, alij autem non. Maxima ergo pro Dissimilium, & Disparium, & Proportione carentium, quæ fermè eodem recidunt, hæc est *dissimilium dissimile est iudicium*.

SECTIO XIV.

De Locis ab Authoritate, *vbi prius quid ea sit; & quotuplex.*

1041 Authoritas, celebre medium extrinsecum, *est testimonium fide dignū*. alia est diuina, quæ quidem à vero deuiare non potest. alia humana, quæ fallibilis ex natura sua est; sed in securitate, & probabilitate crescit, & minuitur secundum qualitatem personæ testificantis. omitto nunc authoritatem angelicam, & authoritatis tum diuinæ, tum humanæ varias diuisiones, de quibus tractant Theologi ipsi videantur in *mat. de fide*, & *Hunæus* Logices lib. 5. sub titulo de *Authoritate*, vbi mira congessit diuidens Dei authoritatem in *scriptam*, & *traditam*, & humanam in *scriptā*, *voce expressam*, & *consuetudine receptam*, & aliter.

Tres Maximæ traduntur pro Authoritatis viu. prima est *vnicuique erudito in scientia, vel arte sua credendū est, & dicendū, prout ipse dicit, ac sentit.* Secunda, *quod omnibus vel pluribus, aut maxime sapientibus videtur, id esse probabile tenendū, nec ab eo sine magna ratione recedendū.* Tertia, *quidquid Deus dicit omnino credendum est, & dicendum.*

Sed quoniam, vt superius adnotabam humana authoritas pura est obnoxia fallentijs, ideo licitum est quādoque & magnis viris non credere, & ab eorum testimonijs, et authoritate recedere, quando ratio vrgentissima præpondetat. vnde licet dicat *Aristoteles, indubitatam fidē habere, seu credere oportet eū, qui addiscere velit*, tamen prouectiores rationis pondus examinent, et eius ductum sequantur, nam, vt inquit *S. Augustinus, quāuis imperitis videatur authoritas accōmodatior, ratio tamen aptior est eruditis.* et *S. Thomas* dixerit 1. p. q. 46. art. 1 c. quod non est *Demonstratoris, sed probabiliter persuadentis allegare authoritates Antiquorū*. quamuis *Seneca* asserat in Epist. 117. circa principium, *veritatis argumentū esse, aliquid omnibus videri*.

Aristotel.

S. August.

S. Thomas.

Adde quartam legem communiter notatam in Scholis, et habetur in P. *Montoya* de Trinit. disp. 16. sect. 3. n. 12. et *Sanchez* lib. 3. consil. c. vnico, dub. 12. nu. 22. nimirum, *argumentū ductū ab authoritate negatiuè parū valere, aut nihil; & tunc mineris momenti esse, quando in contrariū extant positiuæ authoritates, & efficaces rationes*, et ideo nihil valent eiusmodi argumentationes. Hoc, vel illud non dixere illi Authores, vel Scriptores, ergo re vera ita non est. Moyses non expressit in Genesi elementū ignis esse supra aeris regionem supremam, ergo ignis ibi nō est, sed in Inferno, vel nullibi est.

Fatendum tamen est istum modum arguendi esse probabilem, quando illi Authores, quorum testimonio negatiuè vtimur, non potuerunt ignorare, quod nos enunciamus, nec debuerunt subticere, et ab omni affectu contrario erant liberi. nihilominus tamen *S. Thomas* 1. par. q 1. artic. 8. ad 2. locum istum fundatum in humana authoritate infimissimum appellat, et merito propter ordinarias hominum fallentias, et ignorantias, quibus vel inuiti seipsos fallunt, et nos, quandoque scienter, aut fraudulenter, quandoque cum bona, quod aiunt, intentione.

S. Thom.

SECTIO XV.

De Locis docentibus vti Translatione, *&* Transumptione.

Transumptio est, quasi transitio, aut transitus de vno in aliud, vt aliquid melius 1042

melius; ornatiusue dicamus, vel probemus; & contingit tripliciter; primo, quando loco nominis minus noti, sumimus aliud magis notum, & circa istum modum Transumptionis versatur illa Maxima, *de quo dixeris, vel negaueris nomen minus notum, dices, vel affirmabis magis notum, & è contrario*; sic, homo est quidpiā susceptiuum disciplinæ, ergo est animal rationale. qui loquitur inconsiderate, sophos non est, nec sapit, ergo neque prudens videantur Maximę, quæ supra in Sect. 6. docebant nos vsum synonymorum, quæ item proposito conuenire videntur, & *Aristot.* 6. Topic. cap. 2.

Aristotel.

Secundo contingit *Transumptio*, quando ex consensu arguentis, & defendentis, transitur de vno subiecto themate in aliud simile, vel simili modo probandum. Vt si dum tractamus de probando, quod virtus sit honesta, atque laudabilis, loco virtutis in genere sumamus castitatem, iustitiam, aut aliam speciem virtutis particularem; & tunc seruient Maximæ, quæ nos docér, vti genere, & specie; & in præsenti ista Maxima erit vtilis, *in argumentando non rarò expeditius est vti nominibus notioribus relictis obscuris, & relicto generali Themate, aut obscuriori, assumere magis speciale, & facile, illudque probandum* secundum Maximas supra in tota quæstione traditas, prout occasio postulauerit.

Tertio Transumptio dici quoque potuit omnis *translatio*; metaphora, siue allegoria, quæ definitur *verbi à propria significatione ad impropriam, propter rerum significatarum similitudinem, accommodatio*. cuius vsus frequentissimus est in sacra Scriptura, Poetis, & Oratoribus. pro cuius vsu est prima regula, *quandoque expediens est vti metaphoricis loquutionibus, seu terminis, sed Logica eis rarò vtatur*. Secunda *quod affirmas de aliquo sub nomine translatitio, idem affirmabis sub nomine proprio*; & è contra, *quod negas de aliquo sub nomine translatitio, negabis sub nomine proprio*, vt leo rugiens timendus est, ergo Diabolus est timendus. ille homo non est leo de Tribu Iuda, ergo ille non est Christus. Vide *Aristotel.* 4. Topic. cap. 3.

Aristotel.

SECTIO XVI.

De Locis medijs inter intrinsecos, & extrinsecos, Vbi de Coniugatis, Casibus, Comparatiuis, Superlatiuis, Positiuis, Diuisione, & Appositione.

Circa dicenda videndus est *Aristoteles* 5. Top. cap. 3. & 7. & 3. cap. 3. & 4. cap. 4. & 6. & 6. cap. 6. & 9. & 10. ergo *Coniugata*, ita dicta, quia quasi adstricta sunt sub iugo significationis eiusdē, sunt vox abstracta, & alia ab ea deriuata, vt *iustitia*, & *iustus*, quæ dicebamus olim denominatiua, & denominata. 1043

Aristotel.

Casus item sunt multæ voces eiusdem significationis principalis deriuatæ ab abstracto, vt *iustus, iustè*, quæ deriuantur à *Iustitia*. dicuntur verò hæ voces *casus*, quia quasi per deflexionem variæ terminationis veniunt à suo fonte, qui est vox abstracta. ergo *casus*, & *coniugata* inter se parum, aut nihilo differunt, & quia ipsorū vna, eademque solet esse natura, illa sola generalis maxima seruit pro amborū vsu, *quidquid conuenit vni coniugatorum, vel casuum, alteri conuenit, & quidquid vni non conuenit, alteri non potest conuenire*, vt ibi, Iustitia est laude digna, ergo iustus est laude dignus. & iustus est laudandus. ergo, & iustitia. Castitas non est vituperāda, ergo castus non est vituperandus. & aliter rite ducitur argumentum à concretis ad abstracta, & vice versa; vt vsus facile monstrabit. lege *Senecam* in Epist. 117. differentem contra *Stoicos*, qui dicebant sapientiam bonum esse, sapere non item.

Vox Comparatiua est, quæ significat excessum supra Positiuum, & pro eius vsu vario seruit hæc Maxima, quæ solet dici *locus à magis simpliciter. de quo affirmatur comparatiuum, affirmabitur positiuū*. sic, *Aristoteles* fuit doctior alijs, ergo fuit doctus; *sed de quo negatur positiuum, negetur comparatiuum*. sic, Petrus non est doctus, ergo non est doctior Paulo. simili modo in argumentis vtimur Superlatiuis, & Positiuis, dum dicimus, Petrus est doctissimus, ergo Petrus est doctus; Ioannes non est doctus, ergo nec doctissimus.

Solemus etiam producere à duplicato Com-

Comparatiuo ad suum duplicatum Positiuum, & à duplicato Superlatiuo ad suū duplicatum item Positiuum, & è contra; Sic, v. g. quod est honestius est laudabilius, ergo quod honestū est, laudabile est; & quod est; & quod est turpissimū, maxima vituperatione dignum est. ergo quod turpe est, magna vituperatione dignū est. Huc spectat illa solemnis maxima, *per augmētū forma, per quam aliquod dicitur simpliciter tale, dicitur magis tale*; quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, se habet magis simpliciter ad magis simpliciter, & ideo quia per calorem dicitur quis calidus, per maiorem calorem dicitur magis calidus. Vide S *Thom* 3. contra Gentiles cap. 27. nu. 7. & *Aristotelem* 2. Topic. cap. 10.

Aristotel. S. Thom.

1044 Appositio, quæ dicitur quoque *adiectio* perspicue intelligetur ex regula ista, *quando affirmas aliquid applicatum alteri, ipsum facere tale, dicas id, quod applicatū est esse tale aut magis tale*. Siquidem nemo dat nisi quod habet, *& propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: si tamen est capax prædicati, quod dedit alteri, iuxta quod dicemus infra nu. 1176. exempla sunto, paries est albus propter calcem, ergo calx est alba. Sed non valet est albus paries ratione albedinis, ergo albedo est alba, quia non est capax eius prædicati albedo. de *Diuisione*, qui est alter Locus medius iam alibi dictum est sufficienter n. 436. legatur *Aristot* 2. Rhet. cap. 29. & Top. lib. 3. cap. 6.

Aristotel.

SECTIO XVII. & vltima.

De Maxima optima, quæ quodammodo vniuersæ Logicæ regulas cōprehendit: vbi quid sit Quæstio Dialectica, & quotuplex; & iterum Logicæ obiecta esse Conceptus, & Voces, sed principaliter Res, monstratur euidenter.

PRimo *quæsitio*, vel quæsitum est id, quod in quæstionem venit, quod alijs nominibus dici solet subiectum, thema ignotum, vel dubium; vti sunt Angelus, sol, relatio, & huiusmodi, de quibus, quærere solemus an sint, quid, & quotupliciter? Deinde *quæsitio* est interrogatio, qua disquirimus aliquid de aliquo subiecto themate ignoto nobis, aut dubio; vt sunt illæ, vtrum Angelus sit? vel an sol noceat in autumno; & quid sit relatio similitudinis?

Quæstionem huiusmodi colligo ex *Aristotele* 2. Perih. c. 7. & 1. Poster. tex. 2. & 23. & lib. 2. c. 1. & 2. & 1. Elenc. cap. 1. l. 7. metap. fine. ex Patribus *Augustino* to. 1. lib. de Rhetorica cap. 4. & 5. & Retract. lib. 1 c. 7. 8. & 9. S *Tho.* 7. metap. lib. 17. & 2. Post. l. 1. esse quadrupliciter, videlicet, *quid nominis, an sit, quid sit, & propter quid*, quasi putarint isti Philosophi ad comprehensionem cuiuscumque rei, sat esse scire quod sit nomen eius, quod sæpe indicat, aut *sæpe rei naturam*, vel proprietatem, si tamen congrue impositum est. an sit ea res producta in rerum natura. quæ eius definitio sit. & quis finis. & quæ aliæ causæ. ita quoque declarant istas quæstiones Docti Iuniores.

Aristotel. S. August. S. Thomas.

Ego autem iterum attente considerando capita 1 & 2. lib. 2. Poster. inueni verba hæc, *quærimus autem quatuor, quia, propter quod, si est, & quid est*? quas omnes volo applicare defectui lunæ, sic, quæritur ergo primo, *verū sit defectus lunæ*, & respondet Aristoteles *quod est*, vel *quia est*, vt experientia constat: vnde *quia*, non quæstio est, sed quæstionis, vel quæsiti scientia. Secundo quæritur *quid est* defectus lunæ? & respondit ille cap. 2. *Priuatio luminis à luna à terræ obiectu*. Tertio quærit *propter quid est defectus, aut propter quid deficit luna*? & Respondet *propter defectū luminis obiecta terra*, & ideo quæstio *propter quid* non solum inuestigat vt notat S. *Thom.* 7. met. l. 17. causam finalem; sed reliquas omnes. *Contingit itaque in omnibus quæstionibus*, ait Philosophus ibidem, *quærere aut si est mediū, aut quid est mediū, causa enim est medium*; quod est verum, quia dum quæritur an homo sit? quid sit? propter quod sit? simul obiter quæritur an eius causa extrinseca, & intrinseca sint, & quæ eius omnes causæ intrinsecæ constitutiuæ sint, & quę extrinsecæ, in quas ordinatur vt in finem, & ideo causa *propter quid* parum distat à quæstione *quid est*? quatenus dicit illa, & quærit totum, quod hæc, & addit causas extrinsecas, quod item est conforme Philosophi doctrinæ. tandem notat *Aristotelis* vtendum esse quæstionibus non semper omnibus 1045

Aristotel.

S. Thomas.

Aristotel.

bus, sed quibus è re nata opus sit. Vel quatenus nobis ignotæ sint res.

Sed Recentiores alij recensent decem quæstiones, quæ sunt hæ. Prima, *quid vocabulum significet?* Secunda, *an res sit?* Tertia, *quid ea sit?* Quarta, *quæ sint rei partes?* Quinta, *quæ sunt eius species* Sexta, *quæ causa?* Septima, *qui effectus?* Octaua, *quæ adiacentia?* Nona, *quæ cognata?* Decima, *quæ pugnantia*, & alij aliquando quæruut, *vbi res sit?*

Vtiles sane sunt istæ quæstiones omnes, & iuuant plurimum ad sciendum, vt nemo no videt, & videbit clarius, quando eas reducamus ad praxim: solum obiter hic aduerto eas appellari *Dialecticas* etiã à *S. Thoma* 2. Post. lect. 7. l. 6. quia sunt obiecta principalia, circa quæ regulæ Dialecticæ versantur, & præsertim illa, quæ est optima, & vniuersalissima, *de quacũque re proposita inuestigabis quod sit nomen eius? an sit? quid? quotuplex? & propter quid? & cæteras enumeratas quæstiones*, quas item appellat *S. Augustinus* supra *rationales*, & *Logicas* ex *Hermagora*. S. Thom. S. August.

1046 Quapropter studiosus Philosophus, siue amator sapientiæ, qui scire desiderat aliquid, exempli causa, hominem, in primis examinet nomen eius, & videbit forsan dictum ab Humo, quia de Humo, & lutea materia homo sit conditus, iterum sub terra reponendus, humandusue, & in ipsam conuertendus, iuxta illud, *memento homo, quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris*; ac demum concutietur timore Domini, qui dicitur Initium sapientiæ.

Deinde an homo sit, discet quilibet ab experientia, ab effectis, & alijs signis, quæ bene perspecta de hominis existentia, quempiam, vel Rusticanum certiorabunt, nam ad quæstionem *an res sit?* est regula alia Logica, quæ dicit sumendam responsionem ab authoritate testificantium, ab experientia, ab effectibus, & alijs signis, quæ plerunque oculis, & alijs sensibus vsurpantur: neque temere præsumendum fuerit de Diuina Prouidentia, quod homines, & eorum sensus perpetuo per artem, ac dolos Diaboli eludi permittat, quasi res, quas sentimus, fucatę solum sint, & apparentes; vt in libris de Anima fusius prosequebar.

Tertio quærat *quid homo sit?* & instructus ab alijs regulis logicis inspiciat an sit substantia, vel accidens, inueniat, & efficiat eius genus, & differentiam, ac tandem definiat dicens, homo est animal rationale: atqui hominis natura elucescit maxime ex fine altissimo, ad quem destinatus est, quippe qui est Deus, siue visio clara Dei, in qua consistit fęlicitas æterna. secundum illud Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te Dtũ verũ:* vti explicauit *S. Augustinus* lib. de spiritu, & litera cap. 33. S. August.

Vltimo seruit ad hominis maiorem notitiam considerare eius partes physicas, quæ sunt anima, materia organica, & vnio; & integrales; quæ sunt, caput, os, pectus, brachia, manus, lingua, cor, & reliqua corporis humani membra, & vitales potentiæ. Species homo non habet, quia vnica est species nostra, & infima, seu vltima; sed aliquando per abusum diuiditur homo quasi in species varias in doctum, & indoctum, in Hispanum, Italum, Gallum, & Germanum, & alios.

Considerandæ quoque sunt hominis causæ, & admiranda effecta, & partus ingenij sui, & adiacentia; vt robur, ingeniũ, memoria, & aliæ dotes naturales; homini etiam cognata, siue cognatam proportionem, & similitudinem, quam habet cum mundo, nam communiter dicitur Microcosmos; cum creaturis corporeis, & spiritualibus ratione diuersarum proprietatum, aut partium; quæ item illi aduersentur, vt sunt tempora, & variæ bestiolæ, & bestiæ: & simili modo applicabit Tyro reliquis dubijs suis, & ignotis rebus suas quæstiones, & responsiones, memoria retinendo regulas Logicas, quæ proposito congruant; neque enim semper opus est regulis omnibus vti, sed neque ire per locos omnes, vel quæstiones. denique locus optimus est hic. *quærat studiosus hominẽ doctũ, & ipsũ interroget de omnibus dubijs suis, & alienũ, & notet responsiones, & eorũ modũ*. instruitur vero interrogans, & respondens ab *Aristotele*, 8. Topic. 1047 Aristotel.

Qui verò attente legerit Locos *Aristotelis*, & eius Maximas, quas hucvsque exposuimus; et exempla, quæ pro maximarum declaratione produximus, manifeste comperięt duo: primum est, eas esse, vel Logicam omnem, vel partem Logicę magis principalem. Secundum est, earũ obiecta per se, et primaria esse potissimum res

omnes,

omnes, voces item et conceptus, nam aliquæ ex dictis regulis versantur circa vsum vocum: aliæ circa vsum conceptuum; sed pleræque directe magis circa res, vt eas omnes legenti manifestum est: siquidem obiectum per se, atque primariū Regulæ, et Artis, est quod illa tangit, præscribit, repræsentat; vt toties alibi demonstratum est.

Sed dices Logica tota intendit remotè, et mediatè res, et mediatè docet rerū vsū; ergo res non sunt primarū obiectum eius. probas antecedens, quia Logica intendit, et tangit res mediantibus actibus intellectus directis, sine directe res cognoscētibus; ergo remote, et mediatè eas intendit, actus vero solus immediatè, et proximè.

Nego toto ore antecedens, quia vt præ se ferunt in fronte pleræque regulæ, res immediate tangunt, atque immediate in se ipsis sine alio intermedio repræsentant, vt patet regulas contemplanti, et earum ordines ad propria obiecta. vnde ad probationē dico, et concedo Logicæ aliquot satis paucas regulas, quas dicimus Mentales, per se intendere, et immediatè conceptus, et sic quodammodo mediate solum res; sed innumeras alias regulas immediate versari circa res, negandum non est; si Logica ferme tota *Aristotelis* destruenda non est.

1048 Fateor tamen regulas ipsas, quę versantur proxime circa res, item tangere conceptus quasi indirecte, et ex quadam necessitate naturæ; etenim impossibile est pręscribi vsum rerum, quin præscribatur instrumentum, et medium, quo res assumere, et quo rebus vti debemus, quod medium sunt conceptus, siue actus intellectus; sed non propterea actus intellectus, aut sunt obiectum primarium earū regularum, aut desinunt esse tale, res.

Exemplum artis argentariæ rem illustrat. etenim regula eius artis docet fieri calicem ex argento, vel auro; et simul præscribit, et assignat medium, quo faciendus ille sit; nempe manus, et alia artis instrumenta, quæ propterea dicenda non sunt obiecta primaria artis, sed quædam requisita quasi indirecte intenta ab arte, cuius adæquata materia primaria est solum argentum, et aurum. ita in proposito contingit. res solæ sunt obiecta materies primaria regularum multarum Logicæ, non conceptus, licet ipsi quoque immediate tangantur; tanguntur enim vt media, et instrumenta et quasi materialiter, et per accidens, attento appetitu, vel imperio regularum; quidquid sit de fine, et intentione Artificis, et logici Hominis docentis, vel addiscentis. Si enim rebus possemus vti mediantibus alijs actibus corporeis, isti ad earum vsum æque bene deseruirent. Sed circa hæc recolenda sunt, quæ diximus in Præfatione cap. 5. per plures Sectiones; et tandem aliquando credendum maiorem Logicę *Aristotelis* partem esse Aristotel. Realem, siue versantem principaliter circa res, sub eis rationibus, quibus sæpe dictum est, et distinguendum obiectum scientię ab obiecto talem scientiam habentis.

APPENDIX I.

Ad Quæstionem de Locis exponit tres regulas Logicæ generales collectas ex Raymundo Lullio, & Lullistis, quæ item seruire poterunt ad sciendum dubiam quāque rem; & ignotam.

Raymundus Lullius Doctor *illuminatus* nuncupatus, scripsit vulgari 1049 sermone suo Maioricæ, *artem*, quam dicunt *paruā*, et *magnā*, quam aliqui viri docti in latinum verterunt, et illustrarūt; de ipso autem, et scriptis eius videantur Card. *Bellarminus* de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Decanus* de *Tarazona*, et M. *Augustinus Delgadillo*, qui duo scripta Lullij commentarijs illustrant, quoniam satis obscurè tradita sunt ab homine ignorante Scholasticos terminos; ex eius tamen doctrina, quæ in hac parte contemnenda non videtur, deduco tres regulas Logicæ generales præsentes.

Prima est, *de re quacūque nobis ignota debemus procurare scire tria, nempe eius esse, posse, & operari*, quibus cognitis perfecte, res quæcumque perfecte scitur; siquidem cuiusque rei ferme nihil remanet vlterius sciendum, his tribus scitis, vt manifestum est.

Secunda regula tradit idem, quod prima, sed fusius, et per plures terminos, et

sic est, in re quacumque, quæ occurrat, sunt consideranda decem & octo elementa, principia, siue prædicata, & diligenter inspiciendum, & examinandum an in ea re illa sint, nec ne; ex quorũ consideratione, & examine non mediocrem notitiam hauriemus de dubia re: prædicata verò sunt 1. *Bonitas* rei, idest perfectio eius 2. *Magnitudo siue Plenitudo*, idest nullius rei ad suam perfectionem conducentis defectus, vel indigentia. 3. *Duratio*, idest actualis, & præsens existentia. & ea tria prædicata concernunt esse rei, & si à re possidentur valde eam extollunt, & manifestant, sin minus, res ipsa vilescit eorum defectu.

Deinde 4. Prædicatum est *potentia tam actiua, quam receptiua. 5. Ordo ad agendũ. 6. inclinatio, & appetitus ad agendum. 7. sufficientia ad perfecte agendũ. 8. actualis potentia actio. 9. esse potentiã inquieto, siue satiatio eius*, gloria eius, & fruitio, & requies in effectu, vt in suo fine; atque prædicata illa concernunt, & manifestant rei posse, & operari, ex quibus quoque rei ipsius essentia venãda erit, & cognoscẽda.

1050 Rursus veniunt in vtilem considerationem, vt magis, & magis penetretur essentia rei, alia hæc principia nouem, nempe *differentia, conuenientia, contrarietas, vel oppositio, principium, medium, finis, maioritas, minoritas, æqualitas*; valde enim innotescet tibi rei essentia, si scias ipsius differentiam, conuenientiam, contraria, principia, & causas, media, quibus obtineatur, vel quibus ipsa vtitur in acquirendo fine suo; finem, ad quem ordinatur, & illa sibi præfigit; ipsius excelentiam supra alias res, vel etiam æqualitatem, aut minoritatem, quibus æqualis est alijs, vel inferior est ipsis.

Tertia demum regula sic est, *de re quacumque quærendum est verum sit? quid? de quo? quare? quantum? quale? quando? vbi? quo modo? cum quo?* explicant, & ampliant, siue multiplicant Lullistæ quæstiones istas exemplificando in homine sic, quæritur

Verum homo sit? idest an homo sit possibilis, vel non? & si possibilis est, an sit res necessaria, vel contingens? & an de facto iam sit? *quid homo est?* idest quæ eius essentia? quę eius principia, & elemẽta ipsi constituentia? siue ea sint physica, siue metaphysica. *de quo homo sit?* idest ex quibus principijs nascatur, vel etiam ex qua causa descendat? & cuius sit? *quare homo sit?* idest quis sit finis eius? *quãtus sit?* duas itẽ quæstiones complectitur, prima quanta est hominis magnitudo molis corporeæ, atque virtutis, & perfectionis, quæ dici solet *quantitas virtutis, & materiæ*. Secunda est, quotuplex est numero, & an sit multiplicatus iã, vel saltẽ multiplicabilis? *qualis homo sit?* idest quæ sunt hominis qualitates propriæ innatæ, acquisitæ, vel aliunde ipsi datæ, vel infusæ? *quando sit homo?* in quo tempore, & quanto. *vbi sit?* in quo, videlicet, loco, & in quanto spatio? *quomodo homo est?* idest quẽ modum seruat in esse, posse, & in modo operandi? *cũ quo tandẽ operatur?* quibus, nimirum, medijs, potentijs, & instrumentis.

S. August. S. Thomas

Et quidem quicũque rectè responderit ad istas quæstiones Logicas, quæ fiunt de homine, & de alijs omnibus rebus sapiẽs sine dubio erit, & rerum multarum notitiam habebit. oportet verò ad rite respondendum instructum esse doctrina tota Aristotelica præcedenti, & subsequenti, & bene meminisse prædicamentorum, prædicabilium, causarum, & cæterorum, quæ *Aristoteles* nos docuit, quibus sine dubio non inutiliter consonãt principia Lullij, à quo nos pauca hæc accepimus, consentanea logico instituto, omittendo artificium eius, quoniam obscurum est, et quia magis seruire videtur ad copiosè dicendum, quam ad sciendum, et intentum conuincendum iuxta logicum rigorem. legat doctissimum Delgadillo Carmelitanum illustrem, qui plura volet de Lullij doctrina. 1051

APPENDIX. II.

De aliquibus alijs Regulis Logicis, quas exponit Pater Vasquez in varijs locis suorum operum. vbi tandem coronidem apponit Logicæ Augustinus eximio regularum eius, & muneris encomio, atque compendio.

Pater *Gabriel Vasquez* 1. p. disp. 70. c. 2. num 3. et 4 pagina mihi 443 in tomo 1. sic scribit, regula illa logicorum *talia sunt subiecta, qualia permittuntur* ab

ab eorum prædicatis, intelligitur quando talia sunt prædicata, vt eo ipso indicent subiectum in alia significatione, quam communi vsurpari, veluti cum dicimus *homo est nomen*, ex parte subiecti *homo* non pro re, sed materialiter pro voce ipsa ponitur. Sed si dicamus, *homo est animal*, prædicatum hoc non extrahit subiectum à communi sua significatione, qua rem ipsam, quæ est homo, vox illa *homo* significat; similiter cum dicimus *homo est species*, subiectum *homo* non significat singulos homines, sicut si diceremus *homo est animal*, sed naturam communem.

1052 Ergo, vt dicam clarius pro captu Tyronum, quæ tantus Pater Theologis sapienter tradit, sic expono regulam illam iuxta sensum ipsius, et doctrinam à nobis supra traditam, num. 335. videlicet, quando subiectum habet varios vsus, et acceptiones multas, quia impositum est ad significanda multa, et subinde est quasi æquiuocum, vt est homo, quod impositum est ex prima intentione ad significandos homines; et ex intentione secunda significat naturam communem pluribus differentibus numero; in eo igitur euentu tale erit subiectum, qualiter permittat, et indicet prædicatum, quod solet æquiuocationem subiecti tollere, illud determinando ad significandum hoc, potius quam illud.

Et sic regula intelligenda est, nec putandum tantam esse vim prædicati, vt extrahat subiectum ab omni sua anti. qua significatione, vsu, et acceptione communi, et ideo plusquam falsæ sunt istæ, et similes propositiones, et non vsurpandæ. *Deus est creatura*, *Deus est lapis*. quamuis prætenderet quis ratione prædicatorum ita esse frigide interpretandas, *Deus eminenter est creatura*, *aut lapis*, quatenus hos effectus potest producere, et ideo secundum S. *Thomam* 3. par. quæst. 16. artic. 8. corp. non sunt vsurpandæ istæ propositiones simpliciter, et sine additamento, *Christus est creatura*, *Christus est seruus*, *& subiectus*, et multo minus illę, *Deus est creatura*, *Deus est seruus*. Secus multę propositiones hæreticæ, et male sonantes, condemnatæ à SS. Patribus, possent excusari. ergo ista regula logica notanda valde est ab omnibus doctis, et indoctis; vt in omnibus materijs sciant rectum proferre sermonem; et quando opus fuerit vitare, & censuris inurere assertiones minus catholicas aliorum. lege supra vbi me citabam num. 335. & S. *Thomam* ibidem, vel loco citato dicentem, *quod sicut Hieronymus dicit ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis; vnde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia; ne eorum errori fauere videamur*.

S. Thomas.

Secundam regulam exposuit idem Pater in 3. par. disput. 68. cap. 2. num. 9. & 10. ibi. *Aristoteles* 1. Posteriorum c. 4. in vniuersum dixit *idem esse per se prædicari de aliquo, & secundum quod ipsum de illo dici*, nec vllam exceptionem huic regulæ addidit; Vnde secundum sensum *Aristotelis*, & Patris *Vasquez*, sic efformabis clarius regulam generalem, *quotiescumque conuenit subiecto necessario, siue per se prædicatum, eidem conuenit secundum quod ipsum est, siue reduplicatiue. vel quidquid necessario prædicas de subiecto, prædicare potes de eodem reduplicatiue*. quare perinde est dicere *homo est animal*. *aut linea inest punctum*, ac dicere *homo inquantum homo est animal*. *linea inquantum tali inest punctum*. lege *Aristotelem* loco citato, & supra nu. 610. §. *Tertia*. & Patrem *Ruiz* de Trinit. disp. 15. sect. 8. 1053

Aristotel.

Tertiam regulam explicat 1. p. d. 61. c. 1. n. 1. dicens atque hac ratione intelligitur illud *Arist.* 1. Poster. c. 2. *quod non est, non scitur*, hoc est quod apparet non esse, non cognoscitur ab intellectu per assensum, vel ei, quod falsum apparet, intellectus nō præbet assensum; alioqui si de assensu, & dissensu loquamur, intellectus est veri, & falsi, sicut voluntas boni, & mali; veri per assensum, falsi autem per dissensum. quare regula sic clarior traditur. *de eo, quod est, & verum videtur, poteris multa affirmare, de eo vero, quod non est, non affirmes quod sit, aut quod tale sit, si errare non vis*. quia quod non est, sciri non potest secundum prædicata, quæ non habet, licet cum veritate dicere possis quod non sit, vel quod nihil sit: neque enim Philosophus prohibuit secundum prædicata negatiua cognosci etiam id, quod non est, aut quod nihil est, vt præclare à

nobis supra à num. 256. dictum est.

Sed quoniam fas non est omnia scribere, obseruet reliqua studiosus Tyro, disputet, scribat, consultet. *Circuitus, & calamus fecerunt me doctum*, dixit Caietanus. & quia donum sapientiæ, vtpotè optimum, & perfectum de sursum est descendens à Patre luminum, diuinum Numen imploret, vti admonet *S. Iacobus*, 1. dicens, *si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, postulet autem in fide nihil hæsitans*. ac illa verba diuinæ Sapientiæ 9. sæpe iterando repetat, *mitte illam de Cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te. scit enim illa omnia, & intelligit; cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*.

1054 Verumtamen non debui, nec potui sine magna iniuria Præceptoris nostri *Augustini*, & vestri omnium multo detrimento, præterire silentio sancti huius, ac Sapientissimi Doctoris perillustre compendium Logicæ huius totius, quod posuit in tomo 1. lib. 3. contra Academicos, cap. 3. dicens.

S. August. *Restat Dialectica, quam certe Sapiens bene nouit. nec falsum scire quisquam potest. Si vero eam nescit, non pertinet ad sapientiam eius cognitio, sine qua esse sapiens potuit, & superfluo verum vera sit, possitve percipi, quærimus. Hic fortasse aliquis mihi dicat: solet prodere tu stulte quid noueris. an de Dialectica nihil scire potuisti? Ego vero plura, quam de quauis parte philosophiæ. nam primo omnes illas propositiones, quibus supra vsus sum veras esse me docuit. Deinde per istam noui alia multa vera. Sed quam multa sint numerate si potestis. Si quatuor in mundo elementa sunt, non sunt quinque. si sol vnus est, non sunt duo. Non potest vna anima & mori, & esse immortalis; non potest homo simul, & beatus, & miser esse. non hic, & sol lucet, & nox est. Aut vigilamus nunc, aut dormimus; aut corpus est, quod mihi videre videor; aut non est corpus.*

Has, & alia multa, quæ connumerare longissimum esset, per istam didici vera esse. quoque modo sese habeant sensus nostri in se. Ipsa vero docuit me, si cuius eorum, quæ per connexionem modo preposui, pars antecedens assumpta fuerit, trahere necessario, id quod annexum est. Ea vero quæ per repugnantiam, vel disiunctionem à me sunt enunciata, hanc habere naturam, vt cum auferuntur cetera, siue vnum, siue plura sint, restet aliquid, quod eorum ablatione firmetur. Docuit etiam me, cum de re constat, propterquam verba disuntur de verbis non debere contendi. Et quisquis id faciat, si imperitia faciat, docendum esse: si malitia, deserendum. Si doceri non potest, monendum, vt aliquid aliud potius agat, quam tempus in superfluis, operamque consummat, si non obtemperat, negligendum.

De captiosis autem, atque fallacibus ratiunculis breue præceptum est: si male concedendo inferuntur, ad ea, quæ concessa sunt esse redeundum. si verum falsumque in vna conclusione confligunt, accipiendum inde, quod intelligitur: quod explicari non potest, relinquendum, si autem modus in aliquibus rebus, latet penitus hominem, scientiam eius non esse quærendam. Hæc quidem habeo de Dialectica, & alia multa, quæ commemorare non est necesse. Neque enim debeo ingratus existere. Verum ille Sapiens, aut hoc negligit, aut si prefecto dialectica ipsa scientia veritatis est, sic illam nouit, vt illorum mendacissimam calumniam si verum est, falsum est: si falsum, verum esse, contemnendo, & non miserando enecet. hæc de perceptione satis esse propterea puto. &c. 1055

Hactenus *Augustinus* contra *Academicos*, qui negabant scientiam rerum, nedum modum, & præcepta sciendi, idest, *Dialecticam*, in quibus verbis aliqua adnotanda fuerunt ad eruditionem nostram.

Ergo in præmissis supponit, aut clare indicat Sanctus Pater *Augustinus Logicam existere, eamque esse certa documenta*, quæ nos docent scire, id quod luculentius tradiderat tom. 1. lib. de ordine, c. 13. allegatus supra in nostra Præfatione dicens, Dialectica *hoc docet docere, & docet discere. Sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest*. deinde clarius tradit hic, & alibi Logicā esse *scientiā*, *S. August.*

& ar-

& artem, atque eius obiectam materiam, esse Voces significantes Conceptus qui recte concipiunt res, atque res ipsas assumendas vti antecedentia, & media ad alias ignotiores sciendum, per ministerium ipsorum conceptuum instrumentorum sciedo, qui propterea modi sciendi dicuntur.

1056 Vnde deducebat S. Doctor Valde necessariam esse Logicam ad scientias comparādas, sint qua nullus sapiens esse potest, quia sine Logica non pertinet ad Sapientiā vlla cognitio, quod verum putamus, & prolatum à S. August., quia putarit nil sciri posse sine logica naturali, ac valde difficile aliquid sciri sine artificiali, vt explicabamus olim n. 277. & ideo S. Pater merito attribuit Dialecticæ suam sapientiam, idest, complures artes, ac scientificas cognitiones, & conclusiones innumeras, quę Logicæ documentis instructus habuit, & collegit in tam vario genere rerum, ac scientiarum. quis verò fuerit Logicæ inuentor, ipse dixit in illo cap. de ordine, fuisse HumanamRationem vel intellectū, qui notando, & reflectendo super suas operationes, tandem peperit, prodidit ipsam disciplinā disciplinarū, quam Dialecticā vocant. quam quoque ibidem innuit esse nō posse vnā simplicē qualitatem, sed multitudinem præceptorum, quæ vocat Ipse rationis inuenta machinamēta, & instrumenta distincta, imo & precepta item compellat legendus lib. 2. de Doctr. Chr. c. 37. in 3. tomo.

S. August. Legatur idem Augustinus eodem lib. 2. de Doctr. Christ. a cap. 31. vbi incipit: Sed disputationis disciplina (Dialectica nimirum) ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris Sanctis sunt, penetranda & dissoluenda plurimum valet, tantum tibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quēdā ostentatio decipiendi aduersariū, &c.

APPENDIX III.

Producit alias regulas valde vtiles Theologis præsertim, atque Philosophis, ex SS. Patribus Augustino, & Thoma depromptis, & communiori Theologorum.

QVo facilius Regulæ Logicales hic producendæ, ac declarandæ capiantur, sunt reuocanda in memoriam, quæ olim n. 312. docuimus circa terminos cōcretos substātiuos, & adiectiuos, & numerales, quomodo sunt Deus, Homo, Compositū, Persona, Principiū, & Aeternus, Sapiēs, Spirans, & duo, tres, quatuor, & similes.

Prima ergo regula generalis est aliquanto longior, quia continet tria egregia documenta Logicæ Vocalis, estq; circa congruum vsum terminorum concretorum substantiuorum, & adiectiuorum, quibus annecti solent Termini numerales, eamque didici ex SS. PP Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 14. S. Thom. 1. p. q. 36. a. 4. c. Patre Granado tract. 5. de Incarnat. d 2. & Interpretibus ibidem. & hic explanare volui, quia eius ignorantia retardare solet Theologos Tyrones. S. August. S. Thom.

Primum documentum hoc est. non debes multiplicare terminū concretum substantiarum adiungendo illi numeralem, nisi forma significata per illū sit multiplex, & non vna sola. Exempli causa, non dices, loquendo de diuinis, vbi credimus tres esse Personas in vnitate essentiæ, esse tres Deos, sed vnum tantum, quia licet terminus concretus Deus resoluatur, ac sit veluti habens Deitatē, & sint tria habentia, nempe personæ tres; est tamen vna sola forma, aut quasi forma habita, nempe vna Deitas, atque ob eandem ratio nem cum SS. PP. Augustino, & Tho. Locis allegatis, dices tres diuinas personas esse vnum tantum principium creaturarum, quia licet id habentes sint tres, creatrix potentia est vna sola. & similiter vnicum tantum est principium spirandi, siue producendi Spiritum sanctum, & nullo modo duo Spiratores, quamuis sint duæ personæ Spirantes ipsum, nempe Pater, & Filius; quia nimirum vnica sola est in ipsis Virtus spirandi, vti docent ijdem SS. Doctores. 1057

Præterea casu, quo tres diuinæ personæ assumerent immediatè vnam solam humanitatem, non tres homines, sed vnus solum dicerentur. Vti docuerunt S. Thomas 3. p. q. 3. à 6. ad 1. & a. 7. ad 2. & PP. Suarez & Granado, ille in disp. 12. sect. 3. & hic de Incarnat. Tract. 4. disput. 2. quia, inquiunt, concretum substantiuum non multiplicatur nisi formæ, & habētes multiplicentur, habet enim terminus concretus substantiuus eum modum significandi, vt terminus numeralis adiunctus non possit multiplicare eum, nisi multiplicetur in re forma habita. S. Thom.

Secundum documentum est. *Sed neque multiplicabis terminum concretũ substantiuum etiamsi forma significatæ, & habitæ sint plures, si habentia saltem partialia, non quoque fiat plura, aut pluſquã vnum*. & ideo licet Petrus habeat plures artes, & beneficia plura, non illum nominamus plures artifices, aut Beneficiarios, sed vnum tantum. Deinde si filius Dei assumeret plures humanitates, adhuc dicendus esset vnus homo, quantumuis humanitates habitæ essent plures, vti tradũt. S.Thomas. cum S.*Thom.* 3.p.q.3.ar.6.PP. *Suarez*, & *Granado* superius allegati. quando ergo habentia multiplicantur, & formæ habitæ, tum rite multiplicabuntur termini concreti substantiui; vnde quia Petrus, & Paulus sunt duo habentes duas humanitates, congrue dicuntur duo homines, & personæ diuinæ vere dicuntur tres, quia re vera sunt in re tria habentia tres personalitates, quasi formas, differentes inter se realiter.

1058 Istud documentum secundum, non videtur omnino certum, sed topicũ, & solũ probabile, quia non desunt graues Doctores, qui putarint Filium Dei fore quatuor homines, si assumeret humanitates qua- S.Thomas. tuor, inter quos, id quoq; tenuit S.*Tho.* in 3.d.1.q.2.a.5.ad 2.& 3. Vt vero reddatur magis securum, cum ea limitatione, & grano salis intelligendum est, vt nimirũ, forma habita, siue significata à termino concreto substantiuo, sit distincta realiter à suo subiecto ipsam habente, & à reliquis formis, seu quasi formis in eodẽ subiecto commorantibus, & nullatenus cũ ipso, aut cum istis identificata; quare ob defectũ huius distinctionis docent cum S. *August.* S. August. docti Theologi non esse in Patre æterno triplex principium, aliud gignendo filio suo; aliud spirando Spiritui sancto; tertium producendis creaturis; quia nimirum ea sunt vnum, & idem in Patre Deo. Videãtur S.Thomas. S.*August.* 5.de Trin.c.14.S.*Thom.* 1. par. q.56.a.4.& ibi *Vasquez* disp.149.

Ex isto documento deduxi olim ad 1. Physicorũ, ex vnione triplici triũ formarũ substantialium cum vna sola portione materiæ primæ tria cõposita resultare, & vere dici ibi esse tria habentia tres cõpositiones differentes. nam sine dubio materia mea cum anima mea; & eadem materia cũ forma Leonis; & eadem cum alia quauis forma, sunt tria habentia cõpositiones, siue vniones tres, & quidem inter se distincta saltem partialiter ratione animæ, aut formæ diuersæ: quod sat esse ad diuersificãda composita, nemo non videt, & manifeste continget in me, qui modo sum compositum humanum, & postmodum quando sic non ero, erit corpus meum compositum cadauerosum valde diuersum; etiã si perseueret in composito vtroque eadem portio materiæ; nempe occasione formæ diuersæ superuenientis.

Tertium documentum traditur circa vsum termini adiectiui, *ad cuius multiplicationem sat est in re multiplicari significata habentia, licet persistat vna forma habita sola.* vnde catholice dicimus, & prędicamus in Trinitate sunt *tres æterni*, & *sapientes*, quia sensus est, inibi esse tres habẽtes vnam, & eandem æternitatẽ, & sapientiam, quod si videbitur negari in symbolo S.*Athanasij*, vbi dicitur, *nõ tres æterni, sed vnus æternus, sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus.* aduerte ibi sanctam Ecclesiam vti his terminis, substantiuorum more, & ideo vlterius adnotabis Concilia, Patres, & Doctores Scholasticos non raro vti terminis adiectiuis adinstar substantiuorum; quasi efficiendo illos substantiuos, neque enim Grammaticorum regulis semper adstringi, aut teneri voluerunt, Legantur circa istas regulas S. *Thom.* 1.p.q.39.a.3.& ibi PP. *Ruiz*, *Granado*, & *Vasquez* disp.155 à c. 1. vsque ad 8. qui nonnihil dissentit à nobis in earum intellectu; sed noster videtur conformior vsui communiori, & primæuæ impositioni, & significationi eorum terminorum, vt vides item supra n. 312. 1059 S.Thomas

Circa finẽ subaecto regulas alias duas Logicæ realis, nam præcedentes, vt cõpertum est, ad Logicam Vocalem pertinent. priorem me docuerũt S.*Tho* 3.p.q.16 a.4. *S Damascenus* & *S Bernardus*, quos allegat, & imitatur P.*Granado* tract 1 r.de Incarnat.disp.1.& sic est, *nõ rare poteris prædicare de eodem supposito, vel subiecto prædicata valde opposita, etiam cõtradictoriis, verificanda ratione variarum formarum, aut quasi formarum existentium in eodem subiecto, vel supposito.* quare rite prædicamus, Christus est Deus, est homo; est infinitus & finitus, immortalis & mortalis; est calidus, & frigidus, albus, et doctus; et huiusmodi S.Thom.

iusmodi aliter. quo modo loquendi solũ significare volumus idẽ esse suppositum habens eas formas, aut quasi formas tã differentes; quod quia verum est, veræ quoq; sunt nostræ propositiones intellectæ in eo sano sensu, quem admittit cum allegatis communior Theologorum, vti plane fatetur *P. Vasquez* 3. p. d. 63. cap. 4. n. 21. quamuis ipse discordet, & aliam viam tenuerit.

S. Thomas. Regulam aliã nobis tradiderunt *S. Thomas* 1. p. quæst. 39. a. 1. ad 2. & sæpe alibi. PP. *Suarez. Vasquez. Gilius. Montoya. Granado*, relati supra numero 627. & alij complures, ea vero sic exponitur. *bene possunt prædicari de subiectis sola ratione diuersis, opposita prædicata*. & ideo recte dicimus, essentia diuina est communis tribus; Pater vero, aut paternitas, non item. Petreitas non est apta esse in multis, natura Petri est apta esse in multis. quia nimirum essentia Dei, & paternitas, Petreitas, & natura humana differunt secundum intelligentiæ rationem, quæ distinctio sat esse ad verificanda opposita prædicata, docuerunt isti Doctores, & nos cum ipsis, vbi modo me citabam.

1060 Dialectici ergo Nouiores cum gratiarũ actione agnoscant, & accepte nt regulas suas, quas vident valde vtiles, atque iucũdas; eas, vti norunt, magis illustrent, & tradant discipulis, nec sinant eos scientias alias adire, præsertim Theologiam, & multo minus, cõcionandi ministeriũ, illarũ auxilio destitutos; ne ipsos exponant periculo errandi manifesto. neque vereãtur Nouatorum nomen, quia deinceps eant, qua eundum, & non qua frequentius itur; tum quia ista præcepta noua non sunt, sed antiquissima Logica, quam ex officio tradere debemus; tum etiam, quia licet noua essent, aut nouantiqua, tradi deberent propter euidentem vtilitatem iuxta axioma Iureconsulti l. in rebus, ff. de constit. Princip. nempe *ad noua constituenda, & a discedendum ab eo, quod diu æquum visum est, debet esse euidens vtilitas*. qualem in proposito esse experti sunt plurimi.

DISPVTATIO VI.

Metaphysica de fictionibus, entibus fictis, vel metaphoricis, quæ Entia rationis *Vulgo solent nominari. Vbi prius pauca de doctrinæ cohærentia.*

Post tractatus Prædicabilium, & Prędicamentorũ, & aliorum, quæ vera entia sunt: congruo ordine procedimus ad agendum de entibus rationis, siue metaphoricis, ita nominatis, quia fiunt ab intellectu, siue à ratione plerũq; e ad similitudinem verorum entium prædictorum. Quare habita notitia istorum entiũ rationis pro libito nostro decem alias Categorias ex eis effingere, & coordinare poterimus, abstrahentes, vti iam edocti fuimus, ex Logicæ directione à singulibus entibus rationis quinque alia prædicabilia; quibus prædictæ decem categoriæ fictæ componantur.

Vnde vlterius infertur entia isthæc rationis esse quoque obiectum per se Logicæ realis, quæ illa considerabit tanquam abstrahibilia, & prædicabilia, siue secundũ conditiones abstrahendi, & prædicandi passiue.; licet nos cum Metaphysica ea nunc consideremus secundum conditiones essendi, ea nimirum definiendo; non sane extra rem, & propositum, sed eo fine, vt materiã etiam fictitiam habeant discipuli in prõptu, ex qua quælibet artificia Logica, docente ipsa, & regulis eius, valeãt efformare, prout occasio tulerit iuxta dicenda n. 1067. & 1040.

Et quoniam vt me docuit Philosophus in Sect. 22. Problemat. & alibi *Contraria simul collata maxime apparent*. idest opposita iuxta se posita magis elucescunt: vt apparet, & elucet albedo iuxta nigrediné, idcirco iuxta disputationes entium realiũ, propono disputationem hanc de entibus rationis, vt melius vtrorũmque naturæ penetrentur, maxime, quia dixit quoque *Aristoteles* supra n. 482. *eiusdem est agere de eo; quod est, & quod tale videtur*. Aristot. Aristotel.

QVAESTIO I.

Declarat quæ nominibus Entis rationis, Primæ, & Secundæ Intentionis significentur, & tollit occasionem æquiuocationis, & fallentiæ.

Inprimis nomen *ens rationis* est nomen æquiuocum, significat enim imme- 1061

 diatè

diatè plura, vt plura apud probatos Authores. nam primo significat actus intellectus, qui dicitur *ratio*, vt notat S. *Thomas* in Dionys.c.7. lect.5. licet ab ipso in Opusculo 48. tract.2. cap.1. actus intellectus dictus sit ens rationis *subiectiue*, idest, subiectatum in anima, ad differentiam entis rationis, quod est magis extra animam, & tantum est *obiectiue* in intellectu, siue obiectum intellectus; & ideo, hoc esse ens rationis perfecte; illud vero largo modo, dixit ibidem S. Doctor.

S. Thom.

Secundo significat nomen illud res, quæ ab intellectuali Agenti fiunt cum artificio, & ingenio. Vnde bene arthitectata, & composita dici solent opera rationis, idest, ingeniosa, & digna quæ processerint ab homine ratione vtente.

Tertio significat quidquid aliquo modo fit à *ratione*, siue ab intellectu præscindente. & ideo vniuersalia entia rationis Logica nominantur, quia quasi denuo fiunt ab intellectu, ea ex Logicæ regulis, ac directione, à suis singularibus abstrahente. vt habes supra in Præfatione n.77. & 78. & alibi sæpe. sed præsertim dicitur communiter ab Antiquis, & Modernis plurimis *ens rationis* appendix, respectus, siue relatio, quæ affingitur ab ipso intellectu vniuersalibus abstractis, vt ea respiciant inferiora sua, cui modo dicendi multum fauet S. *Thomas* 1.p.q.28.a.1.c. & vbi allegatus est n.78.

S. Thomas.

1062 Quarto significare solet *ens rationis* extrinsecas denominationes, & nomina, quę rebus imponuntur, siue, quæ vulgo resultare dicuntur ex nostris actibus, & eorū obiectis, vel aliunde ex alijs circunstantijs appositis. dupliciter vero sunt eiusmodi denominationes; aliæ sunt, quæ quasi necessario, licet non sine nostra libera impositione, resultant in rebus, posita earum aliqua cognitione, aut volitione, aut alio connotato: quomodo sunt denominationes, quibus dicitur res cognita, visa, volita, natura, genus, species, & huiusmo. di aliter; vel etiā esse ad dexterā, vel sinistrā, vel aliter relata. vbi nota diligenter, aliud esse rem esse cognitam, aut volitam, relatā, dealbatam, cognoscentem, amantem, referentem, dealbantem, & huiusmodi aliter; aliud taliter dici ac denominari; & primū esse posse sine secundo (licet multi *denominare* accipiant pro *esse*, *facere*, & *reddere*, & sic dicunt albedinem denominare album, idest, facere) Aliæ vero denominationes videntur rebus suis imponi ex maiori consilio, aut deliberatione, quomodo sunt nomina, quæ Deus, Angeli, Adamus, & alij linguarum Inuentores imposuerunt rebus ab initio; vel quæ quotidie Parentes imponunt filijs in Baptismate.

Vtrumque autem id genus denominationis, vt adnotabam, pendet, & fit ab intellectu reflectente, quoniam quælibet nominis impositio est opus consilij, atque rationis, sed tamen absolutè loquendo ens reale est, licet exiguæ entitatis, & extrinsecum. vt bene tradunt *Vasquez* 1.par.d.115. num. 2. *Suarez* in metaph. d.54.sect.2.num.10. *Hurtado* disp.1. Logica, sect.4.§.22. & alij apud ipsos. ex his vero nominibus, quæ imponuntur Logicæ obiectis, vulgo dici solent entia rationis Logica, vt nomina *genus*, *species* & similia.

Quinto, non pauci Doctores putarunt significari eodem nomine chimeras reales quas ipsi vocant impossibilia obiecta, siue monstrosa. quomodo sunt varia monstra, quæ cognoscit intellectus quasi ex varijs animantium membris attracta, atque congesta in vnum, idest, per vnum actum repræsentata. sed sane congruentius vocarent similia figmenta, impossibilia quædā realia, & quæ sic esse neque sint saltem cōnaturaliter, quam entia rationis, vt infra conuinco contra Concretorum Fautores

Sexto, plerisque Doctoribus significat nomen *ens rationis* entitatem omnino fictam, & apparentem confictam ab intellectu ad similitudinem verorū entiū; quare illud nomen iam videtur in scholis vniuocè significare eiusmodi entitatē metaphoricam, quam fusè infra declaramus; nos enim putamus entia reliqua, quæ diximus significari per illud nomen, omnia esse vera entia, præter illam relationem dictā supra à *S. Thoma*, *intentionem & ens rationis*, quæ species quędam est entis rationis; reliqua non item, sed de nomine tantum.

Deinde nomen *intentio* nō minus æquiuocum est. nam primo significat actum, 1063
quo volumus finem nostrarum actionum, siue in quē omnia nostra dirigimus, quod nobis viri spirituales inculcant, dum nobis suadent habere rectā intentionē, idest, actum

actum voluntatis voleatis,&ordinâtis nostra omnia opera in Dei à nobis amati, & intenti, vt finis vltimi, gloriam, & honorem, de qua intentione videri possunt S.Thomas 1.2.q.12.a.1.& ibi, & alibi sæpe S. *Augustinus*. & Magister meus in Spirituali & religioso Tyrocinio R.P. *Alphonsus Rodriguez* p.1.tract.3.a.c.7.

S.Thomas. S.August.

Rursus *intentio*, vt colligunt doctores communiter ex S. *Thoma* Opusc.4. c.12. &Opusc.48.c.1.& 2.&in 1.q.2.a.3.c.significat non solum actus intellectus intendétes obiecta, sed etiã obiecta ipsa.vnde dicunt, quadruplex est intentio; duplex formalis,& duplex obiectiua. intentio formalis prima est cognitio rei secũdum prædicata, quæ ipsi conueniunt secundum suã essentiã. vti sunt hæ. *Petrus est animal.animal est principiũ sensationis.* & similes. intentio formalis secunda est cognitio rei quoad prædicata, quæ illi conueniunt post operationem intellectus præcedentem, versantem primo circa ipsam,& ideo dici solet intentio secũda,cognitio reflexa,idest, quæ reflectitur supra rem iam primo aliter cognitã,vti sũt istæ. *homo est species. animal est genus, homo subest animali, vt species sub genere. animal prædicatur de speciebus, siue species respicit vt inferiora sua.*& huiusmodi aliæ Logicales prædicationes,& considerationes.

S.Thomas.

Ex quo facile colligas intẽtiones obiectiuas primas, & secũdas esse,quæ respectiuè obijciuntur primis & secundis Sed ex communiori modo loquendi colligas secundas intentiones formales item esse cognitiones fingentes aliquas relationes,siue alias chimæras id quod videbitur aliquibus docuisse S. Thomas initio sect. allegatus & 4.met. l. 4. vbi appellauit *ens rationis intentionem generis & reliquorũ prædicabilium*,& fieri ab intellectu,& ad necti vniuersalibus, siue eorum inferioribus per actũ cõparantem, vt leges itẽ 1. p. q.28. a.1. c. & similiter eiusmodi relationes, siue fictiones cõgrue dici posse secũdas intentiones obiectiuas;quæ solæ sunt vere entia rationis, reliquæ enim supradictæ intentiones,vere sunt entitates reales. legat qui plura volet de istis intentionibus, quæ nos scripsimus supra nu.249. & *Toletum* in Logica quæst. 1.de primis & secundis intentionibus & S. *Thomam*

S.Thom.

S.Thomas.

de potentia q.7.a.9.c.quæst.de *simplicitate diuinæ essentiæ*.

1064 Denique obseruandum fuit ab aliquibus Recentioribus nomine *intentionis primæ formalis* significari quemuis actum, qui cognoscat rem sicuti est à parte rei. nomine vero *secundæ intentionis item formalis*, actum quemuis cognoscentem rem aliter atque est à parte rei. siue ea sit vera aliqua formalitas præcisa ab intellectu, siue sit aliqua entitas fictitia, vel chimærica denuo fabricata ab intellectu. & respectiue, & proportione sua sentiũt de intentionibus obiectiuis primis & secundis. hæc meminisse iuuabit ad intelligentiam Dialecticorum.

QVAESTIO II.

Decernit an sit? quid sit? Vbi sit? quotuplex, & propter quid Ens rationis? & tractat de Causis ipsius.

SECTIO I.

Statuit Ens rationis existere obiectiue in intellectu fingente: & ex præclaro Testimonio S.Augustini definit id esse Entitatem, *quam vocant*, metaphoricam; *pro ea allegat multos, & graues Authores; & enumerat varia eius attributa.*

Assertum totum tituli præclare tradit S. *Augustinus*,in tomo 2.Epist 100. ad *Euodium* ab illis verbis. *& vigilat homo, & dormit homo, quotidie & cogitat homo, dicat vnde fiant ista similia formis, similia qualitatibus, similia motibus corporum, neque tamen materia corporali, dicat si potest; si autem non potest, quid se præcipitat de rarissimis & inexpertis quasi definitam ferre sententiam, cum continua, & quotidiana non soluat? ego autẽ quomodo fiant illa veluti corpora,sine corpore, verbis prorsus explicare nõ possũ.* hactenus S.P.vbi non solum fatetur entis

S. August.

rationis frequentissimam existentiam, verum etiam essentiam illius iuxta nostram opinionem expressit, vt infra magis expendemus. id ipsum confitentur cum *Aristotele*, & S. *Thoma* communiter Doctores per totam hanc disputationem referendi.

Aristotel. *S.Thomas.*

1065 Essentiam ergo entis rationis secundū *Augustinum*, ita definio, siue describo. *Ens rationis est quædam entitas metaphorica, idest conficta ab intellectu ad similitudinem verorum entium, percipiente rem aliter, ac est, aut esse potest in re: cuius esse tandiu durat, quādiu ipsius cognitio, qua deficiente, illa item euanescit, atque disparet.* quo modo sunt mons immensus auri. Angelus instar alati iuuenis. cæcitas cognita instar nebulæ. hypocentaurus, & Horatiana illa chimera congesta non ex partibus realibus ex diuersis animantibus quasi dissectis, & attractis, coniunctisue intentionaliter, sed ex alijs partibus metaphoricis, idest, ad similitudinem illarum denuo confictis ab intellectu. ita quoque est filius ille diuinus, quē credebat, & fingebat Arius Patre Deo minorem. & alia figmenta, quæ nusquam sunt, neque secundum aliquam partem sui possūt existere, nisi obiectiue in intellectu; de quorum numero sunt illa, quæ dicit supra Augustinus *esse veluti corpora, sed sine corpore. Similia corporibus sed sine materia corporali.* nimirum apparentia, & vana entia, & solum sic dicta per metaphoram, siue per quandam analogiā, & largam similitudinem, quam videntur habere collata cum veris entibus.

S. August.

Isto modo esse Ens Rationis opinantur præter meos Authores locis allegatis, & allegandis, PP. *Suarez* in metap. disp. 45. sect. 1. num. 6. cum *S. Thoma*, & in sect. 2. num. 15. *Vasquez* 1. p. to. 2. disp. 114. c. 3. disp. 115. c. 2. num. 6. & disp. 118. cap. 4. *Fonseca* lib. 5. c. 7. quæst. 6. sect. 5. *Tannerus* 1. p. disp. 2. q. 9. dub. 5. num. 2. *Amicus* in Logica tom. 1. tract. 3. q. 2. dub. 2. ar. 2. *Conimbricen* in Præfat. Porphyr. q. 6. ar. 1. *Rubius* tract. de ente rationis. *Hurtado*, disp. 9. met. sect. 3. *Arriaga* disp. 6. Metap. à num. 8. *Zanardus* lib. 6. met. lect. 17. q. 12. *S. primo notandum. Colleg. Compl* in Logica, disp. 2. quæst. 1. cum *Aristotele*, & *Thoma* allegatis ibi. *Castelui* disp. 2 dub. 2. *Blanch* disput. 1. quæst. de vniuer. sect. 2. *Magister meus* in M. S. & communiter Recentiores, qui pro se afferunt *Auerroem, Scotum, Soncinatem, Aureolum, Caietanum*, alibi, & 1. par. quæst. 48. artic. 2.

Ratio prima nostræ opinionis est. quia *ens rationis est illud, cuius totum esse est obiectiue in intellectu*; siue in actibus intellectus; sed hoc modo est entitas metaphorica *Augustini*; ergo ea est ens rationis. Maior est definitio entis rationis communiter tradita à Dialecticis, quam ipsi didicerunt ab *Aristotele*, & *S. Thoma*; nam ille in 5. metap. tex. 14. distinguit ens duplex, alterum, nimirū, quod vere est in re, vt *Plato*, alterum quod tantum est in apprehensione, vt *chimæra*. Vnde bene dixit *Auerroes* in 6. metaph. comment. 3. *ens rationis solum posse habere esse apprehensum*, vel obiectiue in intellectu. et clarius S. *Thomas* in Opusculo 42. cap. 1. dicens *tunc effici ens rationis quando intellectus nititur apprehendere, quod non est & ideo fingit illud aliquo modo vt ens*, et se magis declarando subdit 1. 2. quæst 8. ar. 1. ad 3. *illud, quod non est in rerum natura, accipitur vt ens in ratione*. vel intellectu, qui ratio dicitur. Minor certa videtur; quia entitas metaphorica nullum aliud esse habet, nec habere potest nisi in Intellectu, et ab ipso; vt constat ex supra posita descriptione. et ideo dici solet ens *prohibitum*, vt infra declaro. consequentia bene infertur. Consonat sibi S. Doctor in 1. d. 2. quæst. 1. ar. 3. vers. *ex hoc patet*, dicens fingi quædam, quæ in re non habent fundamentum, nec proximum, nec remotum, vt bene aduertit vbi supra *Hurtado*. 1066

Aristotel. *S.Thomas.*

S.Thomas.

S.Thomas.

Secunda ratio est, quoniam illud est ens rationis, cui ad amussim quadrant attributa, et proprietates, quæ á probatis authoribus attribuuntur enti rationis; sed ea huic entitati metaphoricæ quadrant ad amussim; ergo hæc entitas est ens rationis. Maior est euidens, minorem ostendo discurrendo per attributa singula. primum est, *quod totum esse suum sit obiectiue in intellectu, & alibi nusquam*. quod conuenire entitati fictæ iam probatū est. Secundum: *quod ens rationis non sit verū ens, sed quod tale appareat*, quod apprime quadrat huic entitati, quæ propterea iure dicta est metaphorica, & apparens; quia conficta, & confecta est ad similitudinem

veri

veri alicuius entis, & ideo *similis est formis, & qualitatibus & corporibus*, vt aiebat S. *Augustinus, & veluti corporea sine materia tamen corporali*. atque sicut ens reale est radix suarum passionum, ita dicemus infra ens rationis esse suarum. S. August.

Tertio attribui solet enti rationis, *quod sit medium inter ens reale, & nihil*, inter quæ medium quodammodo est entitas nostra, quia neque est ens verum, neque pure nihil; sed aliud tertium chimæricum. quarto dici solet ens rationis *ens prohibitum*, tum quia esse a parte rei, & posse esse omnino prohibetur; siquidem solum permittitur esse obiectiue in intellectu, & dum intelligitur, tum præsertim, quia sæpe fingitur sine præuio fundamento.

1067 Omitto alia minutiora attributa, & concludens dico me non inuenisse apud Authores vllum aliud ens rationis, quod vobis afferrem tam proprie ens rationis, tam fictum, inane, vacuum, futile, ac diminutum, quam est hæc entitas metaphorica, & similitudinaria, quæ propterea præferenda erit reliquis aliorum entibus rationis, quæ, vti videbitis, multum habent realitatis, & veræ entitatis.

Vltima probatio veræ doctrinæ sumitur ex eo, quod plerique doctores entitate metaphorica vtuntur, adducentes eam in exemplum. nam primo ferme Theologi omnes ad varias difficultates Theologicas explicandas frequenter vtuntur exemplo entitatis huius. deinde eandem entitatem agnoscunt *Iureconsulti* non raro, quando tractant, & vtuntur fictionibus Iuris, sæpe enim fingunt res, vel rerum circunstantias, quæ nō sunt, nec tunc possunt esse, vt videre est in *Sanchez* lib. 1. Cons. cap. 1 dub. 3. num. 9. vbi iura fingunt culpam in Bestia. Tertio Magistri etiam Spirituales interdum docent Tyrones efformare pro cōstructione loci, vt vocant, in suis meditationibus varia figmenta, vt sic facilius vaga imaginatiua firmetur, nec animum distrahat. quarto, Christus etiam Dominus videtur vsus quibusdam parabolicis figmentis, quo sic felicius erudiret plebem, ac declararet mysteria doctrinæ suæ. vt bene ante me aduertit P. Doctissimus *Maldonado* super cap. 16. Lucæ n. 19 sed vero tota hæc nostra doctrina iterum magis confirmatur Sect. sequenti.

SECTIO II.

Monstrat putasse S. Augustinum *intellectum posse communicare obiectis suis, præter extrinsecas denominationes, non aliquid reale diminutum, sed fictum omnino, eius entitatem de nouo fingendo; cui suffragantur* S. Thomas, Aristoteles, *nobiles alij Doctores, & rationes efficaces.* Aristotel.

DVo inprimis supponenda sunt. primum est, posse nostrum intellectū per actus suos reflexos imponere nomina, siue denominationes extrinsecas, rebus à se prius cognitis, modo explicato superius in quæst. 1. secundum est, actus intellectus non posse communicare obiectis suis præter eas extrinsecas denominationes, aliquid esse reale, quantumuis diminutum, vt aliqui commenti sunt, & attribuunt bono Authori *Scoto* in 1. d. 35. & 36. sed immerito, vt ostendit P. *Molina* 1. p. quæst. 14. art. 15. quare in vniuersum verum est, quod docuerunt *Aristoteles* in 1. Prior. cap. 6. dicens *res non immutari propter nostrum affirmare, vel negare*, siue per nostrum cognoscere. & *S. Augustinus* t. 1. de Principijs Dialecticæ c. 5. scribens, *si non cogitarentur non ideo tamen sit, vt non fuerint*. ideo vulgo dici solent actus intellectus *steriles*, quia, videlicet, non possunt efficere aliquid reale præter habitus. Aristotel. S. August.

Ratio huius est, quoniam illud ens reale diminutum, quod intellectus positurus erat in obiecto, neque potest identificari cum ipso obiecto, ab eo distingui; ergo nihil est. patet antecedens quoad eius priorem partem, tum ex testimonijs *Aristotelis*, & *Augustini* citatis; tum etiam quia impossibile videtur obiectis multo antea productis, præsertim existētibus ab æterno, vti sunt Deus, & diuina, aliquid reale de nouo attribui a tua cognitione, identificandum cum illis, vt de se patet & probat *Augustinus* tom. 10. de verb. D. Serm. 38. circa principium. rursus intelligibile non est istud ens reale diminutum, additum obiectis à cognitione cognoscente ipsa, siquidem illud nullus 1068 Aristotel. S. August. S. August.

homo

homo intelligit, nec amat, nec posuit vnquam in aliquo prædicamento; ergo ponitur sine fundamento. Relinquitur ergo difficultas valde vtrinque controuersa, nimirum, an possit intellectus communicare obiecto suo aliquid fictum, quod antea obiecto non inerat, vel quod idem est, an possit fingere obiectum, illud denuo producendo.

In qua difficultate exploratum mihi est, & experientia compertum posse, quod dixerim bona pace recentium Dialecticorum. sed facile verum esse persuadebitur vel illis, qui somniarunt, præsertim dum febri ardenti laborarunt, aut alio morbo humores, & dispositiones cerebri disturbanti, ante quorum imaginatiuas, & intellectus obuersantur modo in somno, modo quasi in vigilia, tot monstra, tot figmenta, tot chimæræ tam futiles, subtiles, & euanescentes, vt eas verbis explicare fere nunquam possint, imo nec earum bene meminisse. Legantur circa eiusmodi figmenta *Hippocrates* lib. de insomnijs, & in 6. Epidem. *Galenus* libro de Præsagijs in somnijs. & *Aristoteles* libro de Diuinatione per somnia. cap. 1. vbi dicit inter alia. *in dormiendo motus parui, magni videntur esse; frequenter arbitramur fulgura cadere, ac tonitrua fieri, cum paruus sonus in auribus fit, & melle, & dulcibus saporibus perfrui, minima pituita defluenti, & ambulare per ignem*, &c. & infra. somnia siue figmenta *plurima accidentibus assimilātur, maxime autem, & transgredientia omnia, & quorum non est orige in nobis*. Vbi satis indicat Philosophus plurima figmenta vana denuo ab imaginatiua, vel intellectu somniantis fieri, & effingi.

Aristotel.

1069 Non negauit experientiam hanc S. *Augustinus*, sed plane eam confessus est illis suis aureis verbis, hic iterum repetendis. *& vigilat homo, & dormit homo quotidie, & cogitat homo. dicat vnde fiant ista similia formis, similia qualitatibus: similia motibus corporum, nec tamen materia corporali. dicat si potest, si autem non potest, quid se præcipitat de rarissimis, aut inexpertis quasi definitam ferre sententiam, cū continua, & quotidiana non soluat? ego autem quomodo fiant ista veluti corpora sine corpore, verbis prorsus explicare non possum.*

S. August.

Pondero testimonij huius aliquot verba, & peto ab amicis aduersæ partis, vt dicant nobis, & explicent *Augustino* forsan audentiores, vnde fiant in nobis ista figmenta similia formis veris, similia qualitatibus, similia motibus corporum, nec tamen materia aliqua corporali congesta? quo pacto fiant ista apparentia corpora, aut veluti corpora sine corpore, quæ toties fiunt in nobis vigilantibus, & dormientibus, vel etiam de industria cogitantibus, aut præ tristitia cogitabundis.

Respondere audebunt Recentiores quidam, qui testimonia *Augustini* non viderint, figmenta ista, vel monstra fieri ab intellectu, non quidem ea de nouo fingente, sed tantum hinc inde quasi trahente partes reales diuersorum animantium, & quasi adunante in structuram hippocétauri, vel alterius horribilis monstri. Sed verò responsum hoc contradicit *Augustino* dicenti continua, & quotidiana mōstra, siue figmenta nostra similia quidem esse rebus, & formis veris corporeis, non tamen esse vera corpora, sed veluti corpora, & sine vero corpore, tam vana, & euanescentia, vt verbis explicari vix possint. quod sane non dixisset S. Pater si imaginatiua nostra, & intellectus vim non haberent de nouo fingendi noua figmenta euanescentia, & explicatu difficilia, sed tantum adunandi membra realia disecta à diuersis animantibus, in cuiusdam realis chimæræ Compositionem, quæ nec factu, neque explicatu difficilis erat, vel Rusticanis hominibus, nec dum *Augustino*. præterquamquod S. Pater sæpe docet sæpe fieri monstra, quorum species nunquam habuimus. id quod supra insinuabat *Aristoteles*.

S. August.

S. August.

Aristotel.

Quapropter iuxta mentem *Augustini* non solum potest intellectus concipere chimæram realem, & impossibilem, cognuscendo simul membra diuersorum animalium, quasi horrendum monstrum simile Horatiano, componentium; verum etiam potest fingere alia membra similia veris membris, & veluti vera membra, ac tandem chimæram omnino fictam, ex ijs membris quasi congestam, ad similitudinem chimeræ realis per modum cuiusdam impossibilis, & repugnantis rei, existentis à parte rei, non solum secundum eius partes, & membra, sed etiam, vt mēti 1070

objici-

obijcitur; vnde qui asserit chimæram fi-ctam constare ex membris realibus inten-tionaliter a: ractis, & vnitis, non cogno-scit verum ens rationis, sed fallitur, quia vera dicit, atque cognoscit.

Probant istud manifeste verba S. *Augustini* citata, & adhuc manifestius illa, quæ scripsit contra *Arium*, qui plus quam falso credebat Filium Dei esse Patre minorē, & creaturam, vrgens eum, & obijciens ipsi, tract. 26. in Ioan. sic, *non considerat Patrem, qui Filium non credit æqualem, quid dicis ò Ari? quid dicis Hæretice? quid loqueris? quid est Christus? non*, inquit, *Deus verus, sed quem fecit Deus verus; non intellexisti Patrem, cuius Filium negas aliud cogitas, non est ipse Filius. aliud enim Filius, quod tu dicis.* S. August.

Falso putabat, & hæretice peruersus Arius se cognoscere filium Dei verum, sed quia eum faciebat Patre suo minorem etiam secundum diuinitatem, & naturam eius, non Patrem verum, nec Filium verū cognoscebat, sed alia ementita, & à se conficta numina habentia quasi aliqualē similitudinem cum Deo Patre, & Filio, quos Catholici confitemur æquales. potuit ergo intellectus Arij de nouo aliquid fingere, & quod antea nuspiam erat, efficere: nam ridiculum est asserere Filium suppositicium, & ex creatis quempiam filium Regis, aut imperatoris ab Arij intellectu intentionaliter assumptum, ac Deo Patri, vt Filium attributum, qui à dexterā eius assideret in cælis; id enim Arius, si audiret imputari sibi, rideret, irrideretq; & aspernaretur vt imposturam. ac simile quid fingebat *stultus* ille, qui *dixit in corde suo non est Deus*, vt optime aduertit *Suarez* lib. 1. de essentia Dei c. 1. n. 8.

1071 Rursus forsam clarius intentum nostrū docuit S. *Augustinus* in tom. 1. lib. 6. de musica cap. 4. circa finem dicens, *nec quia ipsa anima est corpore melior, melius putandum est omne, quod in ea fit, quam omne quod fit in corpore. credo enim tibi videri verum falso esse præponendum. num vera est arbor, quam videmus in somnis? nullo modo, at eius forma in anima fit. huius autem, quam nunc videmus in corpore facta est. Verum in corpore melius est, quam falsum in anima; sed & hoc inquantum verum, non inquantum in corpore fit, melius est. ita illud, non inquantū falsum, non inquantum in anima fit, fortasse est deterius & inferius:* clarius loquitur S. Pater epist. 72. to. 2.

Ponderandum est in ea præclara authoritate S. *Augustinum* opinari arborem, quam in somnis quandoque videmus, non esse veram arborem, sed futilem, vanam, & apparentē, ab intellectu nostro, eiusq; speciebus denuo confictam: id quod ostēdunt illa verba, *num vera est arbor, quam in somnis videmus?* quibus respondet Discipulus *nullo modo*, licet sit veræ similis, ficta ergo est arbor; id autem sensisse S. Doctorem, adeo verum est, vt addubitet in vltimis verbis, an cognitio spiritualis falsa, qua repræsentatur, atque cognoscitur arbor falsa, seu ficta, sit perfectior visione vera corporea, qua repræsentatur, & videtur arbor vera. quæ dubitatio habet suum fundamentum in eo, quod cū actus vitales mensurentur, & sumant perfectiones suas ab obiectis suis, perfectior videatur visio, licet corporea, quæ terminatur ad arborem veram, quam cognitio spiritualis, quæ terminatur ad arborem falsam, fucatam, & apparentem. Legatur S. *Augustinus* vbi paulo supra in illa Epistola ad Nebridium, vbi item ex professo declarat, & fingit varias chimæras, & ait, *vnde ergo euenit vt quæ non vidimus, cogitemus? quid putas esse nisi vim quandā minuendi & augendi animæ insitam.* S. August.

Altera pars Sectionis probat authoritate S. Thomæ, & Theologorum, & rationibus, posse intellectum de nouo fingere entitates metaphoricas.

CVm *Aristotele*, & *Augustino* consentit *Sanctus Thomas* vbique docens intellectum aliquid ponere in obiecto, quod nequit esse sola denominatio extrinseca, vt infra ponderabo; & quia denominatio extrinseca est, quid omnino posterius ad cognitionem directam intellectus, illud vero, quod ab eo fingitur, ponitur à S. Doctore quasi quid præuium in obiecto positum, vt melius deinde possit apprehendi; vnde sic loquitur in Opusculo 42. c. 1. *neque oppositum eius intelligere potest intellectus non ens scilicet, nisi fingendo ipsum ens aliquo modo, quod cum intel-* S. Thomas.

intellectus apprehendere nititur, efficitur ens rationis; de quo modo entis dicitur in 5. metaphysicæ, quod ens vno modo dicitur, de quo possint propositiones formari, etiam si essentiam non habeat. Subintellige veram. & 1. par. q. 16. ar. 3. ad 2. ait *dicendum quod non ens non habet in se vnde cognoscatur, sed cognoscitur inquantum intellectus facit illud cognoscibile. Vnde verum fundatur in ente, inquantum non ens est quoddam ens rationis, apprehensum, scilicet, à ratione.* & 1. 2. q. 8. art. 1. *ad Tertium dicendum, quod illud, quod non est ens in rerum natura, accipitur vt ens in ratione. Vnde negationes & priuationes entia dicuntur rationis.* Consonant Doctores allegati supra n. 1065.

S. Thomas. Secundo S. Thomas in 4. metap. lect. 1.
1072 lit. D. tractando de esse, quod competit non entibus, scribit *vnum* esse *eorum, quod est debilissimum, est tantum in ratione, scilicet, negatio, & priuatio, quam dicimus in ratione esse, quia ratio de eis negotiatur, quasi de quibusdam entibus, dum de eis affirmat, vel negat aliquid.* & ideo *Conimbricenses* super Præfation. Porphirij q. 6. art. 2. allegantes S. Doctorem dicunt ipsum putasse effingi quidquam dum dicitur *Petrus est cæcus*, nempe cæcitatem cognosci per modum, fumi, vel atræ nebulæ Petri oculis offusæ, & adhærescentis. præclare item loquutus
S. Thomas. est S. Doctor. 1. par. q. 13. 2. 7. corp. dicēs *quandoq; relatio ex vtraq; parte est res rationis tantum, quando scilicet ordo non potest esse inter aliqua nisi secundum apprehensionem rationis tantum, vtpote cum dicimus idem, eidem idem.* vt Petrus est Petrus, *nam secundum quod ratio apprehendit bis aliquod vnū, statuit illud vt duo: & sic apprehendit quamdam habitudinem ipsius ad se ipsum, & similiter est de omnibus relationibus, quæ sunt inter ens, & non ens: quas format ratio inquantum apprehendit non ens, vt quoddam extremum.*

Tertio visum est *Caietano*, & *Conimbricensibus*, loco citato, & alijs multis opinatum fuisse S. Doctorem relationes vniuersalium erga inferiora, & horum erga illa, esse quasdam fictas superioritates, & inferioritates, quas in Opusculo 42. c. 4. de natura generis, & in metaphys. lib. 4. lect. 4. vt allegabam nuper q. 1. appellabat S. Pater *intentiones* & *entia rationis*; & 1. par. q. 28. art. 1. c. ita se declarat, *aliquando respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri; & tunc est relatio rationis. Sicut cum comparat ratio hominem animali, vt speciem ad genus.* Vbi *Caietanus* dicit eiusmodi relationes non esse actu, sed dum intelliguntur, & non habere esse nisi in intelligi. Lege quæ dicebamus interpretando Sanctum Doctorem supra num. 580. Vbi dicebamus fingi quidem posse eiusmodi relationes, idque esse multorum opinionem, sed nobis videri fictionem illam necessariam non esse, eam tamen ponunt quoque P. *Vasquez* 1. par. disput. 115. cap. 2. num. 5. *Blanchus*, & *Castelui*, & alij complures.

Quarto Angelicus Doctor putauit intellectum posse fingere, dum opinatus est Deum non habere relationes transcendentales veras erga creaturas, sed à nobis affingi, & Deo quasi applicari, vt sic melius diuinam omnipotentiam, cognoscamus, & ideo ait 1. par. q. 45. art. 3. *ad primum ergo dicendum quod creatio actiuè significata, significat actionem diuinam; quæ est eius essentia cum relatione ad creaturam; sed relatio in Deo ad creaturam non est realis, sed secundum rationem tantum, relatio vero creaturæ ad Deum est relatio realis, &c.* sibi consonat quæst. 13. art. 7. corp. & alibi frequenter.

Hanc veram opinionem gratanter acceptant multi Scholastici Doctores illi 1073
præsertim, qui acriter defendunt Deum non habere veros ordines, aut relationes transcendentales erga creaturas, quātumuis Deus ipse sit earum principium, & causa; quo sic melius de Deo, & honorificentius sentiant; ac Dei naturam *Saddai*, idest, á nullo dependentem, sed seipsa sufficientem magis extollant, concedunt tamen in Deo ipso posse ab intellectu poni, & quasi affingi relationes Causæ, ac dominij erga creaturas; quas relationes imperitum vulgus non sine aliquali fundamento, concipit veluti quędam fila à Deo vsque ad creaturas etiam inferiores deducta longo tractu, vtrinque

Deum,

Deum, & creaturas quasi connectentia, ad instar catenularum Herculis, quibus nimirum os eius, & audientium aures constricta teneri, quidam Antiqui fabulantur, vel ipsius vim in dicendo, & persuadendo declararunt; quo vero modo fiant eiusmodi fictæ relationes ab intellectu, docuerunt inter alios P. Vasquez 1. par, disput. 115. cap. 2. super allatum Testimonium S. Thomæ quæstionis 28. & Suarez in metaphys. disput. 54. sect. 1. n. 8. & Sect. 3. n. 5.

Tunc sic argumentor, & sit prima ratio pro conclusione nostra, intellectus humanus Deum apprehendens nulla re extra se indigentem, & simul dantem omnibus esse, comparans eum, & conferens cum creaturis, atque considerans ipsum quasi referri ad ipsas, easque respicere, vti respicere solent causæ reliquæ effectus suos, & Reges, ac Domini, subditos, fingit in Deo, ac ponit fictas relationes erga creaturas; sed eiusmodi relationes non sunt extrinsecæ denominationes, neque actus puri intellectus, nec relationes reales aliunde quasi assumptæ, & applicatæ Deo; ergo intellectus humanus potest communicare obiecto plus quam denominationes extrinsecas.

Maiorem & minorem præter experientiam, videntur docuisse omnes illi Doctores, qui putant Deum esse omnino absolutum, & liberum à respectu reali, & vero erga creaturas, sed erga ipsas referri respectu rationis. hi sunt Sanctus Thomas vbi supra, & 1. par. q. 6. art. 2. ad 1. q. 15. art. 3. ad 3. q. 28. ar. 1. ad 3. q. 8. de potentia art. 1. c. q. 4. de veritate art. 5. corp. & alibi. & Scholastici complures, qui videri possunt apud Ruiz de Trinit. disputat. 63. à sect. 1. Vasquez 1. par. disputat. 104. cap. 6. & disput. 143. & 144. & Suarez lib. 3. de attrib. cap. 25. num. 22.

1074 Quocirca non solum Scotus in 1. d. 30. discipuli eius, & Sectatores, qui mordicus negant connexionem, & veram relationem transcendentalem Dei ad creaturas etiam possibiles; sed etiam S. Thomas cum suis; qui vbi citatus est superius, negat similem relationem. licet admittat connexionem 1. par. q. 25. art. 3. & alij graues Authores, qui concedunt & connexionem Dei cum suis creaturis necessarijs, & consequenter, vt credo, relationem realem ad illas, communi consensu videntur asserere posse ab intellectu nostro ex abundantia effingi in Deo, & eius omnipotentia relationes fictas, erga creaturas suas, quatenus non putant inconueniens, quod dicatur Deus relatus ad ipsas relatione rationis.

Denique Doctissimus quidam Theologiæ quondam Professor mihi à me de hac re consultus respondit ita sentire se indubitanter cum S. Thoma 1. par. q. 13. art. 7. c. & Antiquis multis, qui tradunt in Deo, & eius omnipotentia, & in obiectis actuum vitalium, nempe in Scibili, Sensibili, & huiusmodi, quæ dicuntur diuersi ordinis respectu Creaturarum, Scientiæ, & Sensus, opus esse affingi relationes rationis, de nouo, cum fundamento in re producendas ab intellectu; si Deus, eius Omnipotentia, & illa obiecta vicissim referenda sint ad terminos respectiue suos, à quibus illa realiter respiciuntur siue transcendentaliter, siue prædicamentaliter; de quo modo non curamus, curabimus infra num. 881. & à num. 936. S. Thom.

Ego vero sic probo minorem colligendo ex S. Thoma in illo art. ad 4. nempe primo, relationes rationis non esse meras denominationes extrinsecas; quia Omnis denominatio extrinseca est appellatio, & nomen, quod supponit rem, cui imponatur, & quæ eo nomine nominetur; si ergo prius non fingitur in Deo, vel in obiecto alio, relatio erga aliud, falso id diceretur relatum ad aliud; sicut falso dicitur modo, Sanctus Michael est similis mihi in albedine. Secundo nequit Deus denominari relatus per actum intellectus, quoniam nulla forma dat, quod non habet, & ideo nigredo non potest dealbare; ergo cognitio, quantumuis comparatiua dicatur, nequit denominare relatum, sed tantum cognitum, siquidem ipsa relatio non est. Tertio, multo minus potuit Deus referri ad creaturas per relationem creatam, illi quasi applicatam, propter eandem rationem; quia nimirum relatio Petri v. g. erga filios suos, vel alterius causæ erga effectus, vel Regis erga subditos, non possunt extrahi à propria sphæra, vt denominent causam primam relatam ad suos effectus, quare si dicimus cum

cum præcitatis Doctoribus Deum referri relationibus rationis erga creaturas, necesse est, fateamur fingi ab intellectu relationes nouas tanto Domino quasi accommodatas.

Secunda ratio sic est. intellectus noster potest cõfingere de nouo aliquid chimæricum, cuius antea non habuerit proximũ fundamentum, quod aliunde traheret, & applicaret in structuram nouæ chimæræ; ergo potest communicare obiecto aliquid præter nomen extrinsecum. Probat antecedens primo *Aristoteles*, allegatus supra dicens plura effingi, *quorum non est erigo in nobis, & transgredientia omnia*, quæ vidimus. & experientia Augustiniana, & quotidiana; fingimus enim quotidie *multa similia formis veris, similia qualitatibus, similia corporibus*; quædam alia *veluti corpora, sed sine corpore*. fingimus noctu *arbores apparentes* & alia figmenta. fingebat olim Arius filium Dei chimæricum, dum putabat esse creaturã, & Patre minorem; & potuisset alius quispiam Hæreticus, vel otiosus fingere alium Filium Dei, qui sederet ad sinistram Dei Patris; & qui volet, fingere poterit infinitum montem auri, vel argenti, vel etiam
1075 hominem statura procera, capite cælum lunæ pertingentem. fingentes autem eiusmodi phantasticas, & vanas chimæras, non credunt, quod putant Recentiores, nempe eas fieri ex varia quasi applicatione fundamenti, quod defacto est, nempe rerum realium, vel variarum partiũ eiusmodi rerum; sed rident, dum sibi obijcitur similis impostura, credunt enim illas ab intellectu de nouo fieri ad similitudinem aliqualem saltem eorum, quæ aliquando nouerunt, quorum tamen origo vera non est in natura; idest, non sunt res, aut partes veræ in re, quibus intentionaliter coniunctis chimeræ constẽt & componantur. his consonat S. *Thomas* 1. d. 2. q. 1. a. 3. v. ex hoc patet.

Tertia ratio est. quoniam pertinet ad excellentiam intellectus creati, vel etiam ad ipsius imperfectum, & tardum modũ cognoscendi, vt possit intimius penetrare non tantum negationes, & priuationes, verumetiam res positiuas, easque alijs declaret, in eis fingere aliqua, quæ non habent illæ in se; & ideo fingit in Patre æterno venerabilis senis canitiem, & barbam, & Spiritum S. apprehendit instar Columbæ, quia non potest, dum est in hoc mortali corpore, spiritualia, & maxime supernaturalia apprehendere proprio conceptu illorum, & vt sunt in se: Vnde Magistri, & Concionatores multa mysteria soliti sunt declarare plebi medijs quibusdam suppositis figmentis, quibus tamen audientes non falluntur, nec decipiuntur, quoniam aliter esse vera, quæ edocentur, admonentur, & figmenta claritatis, & exẽpli causa adduci, vt per exempla rudiorum intellectus refricentur, & per cognita surgant ad incognita facilius penetranda; id quod fecisse Christum D. dum erudiret plebem in concionibus supra n. 1067 notabamus.

Quarta ratio colligitur ex verbis *S. Augustini*. & *Suarez* citatis n. 1070. & sic est quoniam iudicium falsum solet fingere identitatem, vel vnionem prædicati cum subiecto, vt patet dum dicis, *Deus est iniustus*, quod blasphemum iudiciũ pręter *Deum*, & *iniustitiam*, quæ sunt vera entia, tangit aliud, nimirum vnionem eius prædicati cum eo subiecto, quæ non potest non esse ficta, & afficta ab intellectu extremis veris, ergo intentum. antecedẽs videtur experientia compertum, & ad mentem multorum, præsertim *Augustini* vbi supra. & *Suarez*. & S. *Thoma* 8. Phys. lect. 8. maneat ergo inconcusa veritas asserti nostri, nempe posse intellectum aliquid de nouo fingere, & fingendo facere; licet negandum non sit illum item posse, quod volunt quidam Recentiores, concipere qualibet chimęram ex partibus realibus quasi congestam, qualis videbitur esse illa Horatiana.

Humano capiti ceruicem Pictor equinam.
Iungere si velit, & varias inducere plumas.

Quas partes, & membra quasi trahat intellectus à varijs animantibus terræ, & 1076
volucribus cæli, simul ea omnia cognoscens, vt ex eis intentionaliter coagmentet chimæram, seu monstrum horrendum, sed quod verum ens reale sit constans ex partibus realibus, & quod saltem diuinitus creari posset, & foret grande terriculamentum puerorum; vel si non posset, erit quoddam impossibile reale, existens à parte rei, vt inferius magis explano, non vero

vero ens rationis Augustinianum ; nam hoc fit, non quando membra chimæræ, & monstri aliunde petitæ trahuntur eadem in propria specie corporali, sed quando alia quasi corporea ad illorum similitudinem ita de nouo finguntur, vt totum eorum esse, & totius, quod componant fit obiectiue in intellectu,& alibi nuspiã. Hæc nos habuimus, quæ offerimus videnda, & examinanda Doctioribus, idest omnibus, qui ea legere dignabuntur, qui plura volet, legat Interpretes sacræ Scripturæ, dum exponunt visiones varias Prophetarum, & Theologos, & Philosophos tractantes spatia sua imaginaria, seu imaginata.

SECTIO VI.

S. Augustinus, S.Thomas, Aristoteles, *& graues alij Doctores opinari videntur ens rationis fieri ab intellectu ad modum causæ efficientis. Vbi de reliquis causis illius, & vtilitate fictionum.*

Aristotel. S. August. S. Thom. Tituli resolutionem tenuisse videntur supra *Aristoteles*, *Augustinus*, & *Thomas* dum dicunt entia ficta, siue figmenta fieri ab homine cognoscente in vigilia, siue in somno, dum *arbitramur*, inquit Philosophus; & S. *August.* dum *cogitat homo*, dum *intelligit*, dum *videt*, eaque subiungit *in animo fieri*, & S. *Thomas* *offici* ait *ens rationis cum intellectus apprehendere nititur*, *& ab intellectu fieri cognoscibile, & esse ens apprehensum*, quæ verba indicant, ens rationis fieri ab intellectu in genere causæ efficientis. Consonant *Scotus* qu.4. Vniuers. ad 3. *Aureolus* in 1.d.9.ar.1.titulo, *quod intellectio. Amicus* in Logica tom.1. tract.3. quæst.2. dubio 2. articulo 2. *Suarez.* tom.2. metaph. disput. 54 sectione 2. numer. 4. & 15. *Conimbricens.* Præfat. in Porphyrium quæst.6 art.1.S.ex dictis. *Castelui* dub.5. *Blanch.* disputatione 1. sectio.4. & communiter Recentiores.

Ego autem quamuis fere certo sciam entitatem metaphoricam fieri de nouo ab intellectu, atque ab eius cognitione fingenti, sed tamen non satis capio quo pacto cognitio eadem repræsentet illam, & simul efficiat; quocirca satius esse, & consultius iudicaui fateri cum *Augustino* ignorantiam meam in præsenti difficultate, repetendo verba Ipsius, *Ego prorsus explicare non possum quo modo fiant ista veluti corpora sine corpore*. neque de modo, quo efficitur ens rationis, licet continuo, & quotidie fiat, audeo definitam ferre sententiam. referam tamen libentius explicationes aliorum, qui potest capere, capiat. illud vero vos, & me consoletur, quod parum intersit scire modum, quo fit ens rationes, si tamen fieri, & quid fit, quod fit, quodam modo nouerimus.

Sed quod admirabile est, Authores nonnulli nostræ factionis, qui vidisse *Augustinum* non videntur, rem hanc putant factu, & explicatu facilem, eamque his exemplis explanant. quia, inquiunt nouum non est, quod eadem res exerceat simul duplex munus, & sit repræsentatiua simul, & effectiua eius etiam, quod repræsentat, id, quod, ne longius abeamus, conspicias in ipsa apprehensione, & intellectione quacunque, quæ simul est repræsentatio obiecti, & effectiua habitus, & si intellectio, vt fieri possibile est, cognoscat vt obiectum, habitum, quem producit, ipsa intellectio erit simul repræsentans obiectum suum, & efficiens ipsũ. ita in proposito erit. cognitio cognoscet chimæram, & efficiet ipsam. 1077 *S. August.*

Secundo id ipsum proponit clarius ante oculos exemplum desumptum à forma Eucharistiæ, nempe verba consecrationis, quæ & Christũ D. significãt, & ipsum efficiunt. ergo bene poterit cognitio fingens, siue secũda intẽtio formalis fingere, & efficere id ipsũ obiectũ, quod simul cognoscit, ac repręsẽtat, efficiẽdo nimirũ de nouo entitatẽ metaphoricã quasi in genere causæ efficientis, & illam repræsentando in genere causæ formalis extrinsecæ.

Exemplum tertium affert *Aureolus*, vt declaret modum, quo fit ens rationis ab intellectu, quod sane aptissimum videbitur, timeo vero ne non capiatur, quoniam altissimum est, ac desumptum à Diuinis processionibus. nempe Diuina Intellectio, formalissime vt talis, & vt cognoscens, siue intelligens, duo quasi munera exercet; alterum quasi in genere causæ formalis, & repræsentatiuæ; alterum

rum quasi in genere causæ efficientis; & per primum reddit Patrem æternum cognoscentem omnia, & inter ea filium suū vnigenitum; per secundum vero, eadem Intellectio connotando Paternitatem reddit Patrem eumdem generantem filium suum. vnde fit quod Pater intelligendo generet filium,& generando intelligat ipsum,quod vtrumque præstat media eadem intellectione,quæ est in Patre ratio repræsentationis,& ratio generationis actiuæ?

Simili ergo modo, si licet magna componere paruis, nostra intellectio est simul repræsentatiua, & cognoscitiua obiecti ficti, & simul eius effectiua, simul practica, & speculatiua; ita quod id munus vtrumque præstet vna sola cognitio, & reddat intellectum simul cognoscentem, & efficientem ens rationis. ita, vt reor, procedit iste Doctor.

1078 Solum ego aduerterem absolute loquendo dicendum esse intellectum nostrum causam efficientem proximam entis rationis; quoniam opinor cognitionem eius esse actionem, seu medium, quo fit ab intellectu ens rationis. Vnde non placent Recentiores quidam, qui putant produci entitatem metaphoricam per actionem fictam, & metaphoricam; quia iste modus dicendi falsus videtur, præsertim quando non fingitur plus quam vnum ens rationis, nempe terminus, & obiectum cognitionis fingentis. quia etiam si effingas duo entia rationis, & alterum efficias ad similitudinem actionis,& alterum ad similitudinem realis termini cuiusdam, adhuc respectu huius secundi, non potest esse actio producens illud primum; quia id vtrumque ens rationis, vt manifestum est, prodit à causa differenti, nimirum vnumquodque à sui cognitione, & varia applicatione intellectus, tanquam à sua actione fingente. & ideo dicendum secundo est, posse idem ens rationis conseruari, etiam si pereat hæc, vel illa sua cognitio, si tamen vna vel altera persistat fingens. tertio, posse quoque idem ens rationis fieri, & conseruari à pluribus cognitionibus,tanquam ab actionibus adæquatis successiue fluentibus, vel coexistentibus simul, si plures actus possunt esse simul in eodem intellectu, circa idem obiectum.

His ita positis, probatur, & explicatur magis conclusio; etenim quidquid de nouo fit, habere debet aliquam causam efficientem sui; sed entitas metaphorica de nouo fit; ergo habere debet aliquam causam efficientem sui; non potest habere aliam, nisi intellectum. ergo eam ipse producit in genere causæ efficientis: producit ergo eam intellectus, ait P. *Suarez* in illa sect. 2. num. 4. efficiendo cognitionem, ratione cuius dicitur ens rationis habere esse obiectiuum intellectus & ideo intellectus dicitur causa efficiens entis rationis lato modo, & iuxta capacitatem materiæ,inquantum scilicet producit cognitionem illud fingentem,& habentem pro obiecto.

Dici etiā potuit efficienter prodire ab intellectu ens rationis per metaphorā, & quandā analogā similitudinē,quam habet in ortu suo cū entibus, quæ vere efficienter producūtur à causis suis:quoniā quemadmodum dicimus effici calorē, vel effectum fuisse, quando vidimus eū resultasse ex applicatione, & opere alterius caloris,vel ignis; ita commode dicere poterimus effici quoque, siue effectum fuisse ens rationis, quando videmus resultasse ex applicatione ad operandum, vel ex operatione intellectus; & addimus efficientiam hanc reduci ad genus causæ efficientis, quoniam effectum est extra causam, vel est ipsi valde extrinsecum, neque postulat vniri cum ipsa.

Ad finem de reliquis causis entis rationis, nempe formali, materiali, finali, 1079
seu propter quid,& exemplari, dico generaliter opus esse, vt facilius causæ chimæræ cuiuslis dignoscantur, habere attentionem ad res illas, ad quarum similitudinem chimæræ finguntur; quot enim, & quales causas habuerint eæ res, totidem, & tales censebuntur illæ habere, vel denuo erunt confingendæ, vt habeant. & in primis causa exemplaris chimæræ erit res, ad cuius imitationem chimæra fiat: quod si confictus fuerit aliquis homo staturæ proceræ *transgrediens omnes* magnitudine,cuius pedes premāt hoc commune solum, caput vero efferat super altitudinem nubium, illico adeundus est homo verus,qui erit illius causa exemplaris, & veri huius hominis materia, & forma, & finis inspicienda; & aliæ similes causæ conficta tamen denuo, dicātur *Aristotel.*

esse

esse gigantis illius chimærici; nempe materia prima ficta, anima item ficta, cum reliquis fictis ornamentis, & complementis; ac demum Deus alter chimæricus assignandus erit tanquam finis illius. quæ omnia confingenda erunt, vt integra fiat & absoluta chimæra. Et sua proportione dicendū de reliquis entibus rationis, quãdo ea contingat habere prædictas omnes causas, vel pauciores, quãdo vero eas omnes habeant, vel non, indicabũt eorum exemplaria, ad quorum similitudinem efformentur.

Propter quid autem, & ob quam proximam vtilitatem, & finem à nobis intentum fabricemur entia rationis, est alia quæstio diuersa, cui bene, ac breui respondit *Suarez* in disp. 54. sect. 1. nu. 8. sub titulo *cur entia rationis excogitata sint.* dicens triplicem esse causam cur intellectus fingat. primo enim siquidem intellectus obiectum est ens, nequit cognoscere non entia, nempe priuationes, & negationes, nisi eas fingat, & apprehendat, vt ens, vt supra dicebat *S. Thom.* secunda causa est itẽ imperfectio nostri intellectus, qui nõ potest plura cognoscere, nec alijs sufficienter declarare sine fictionibus; & ideo fingit in rebus, quæ re vera non referuntur, relationes erga alias, & sic in Deo ponit respectus ad suas creaturas, vt illius Dominium, & illarum subiectionem, ac dependentiam ab illo, melius cognoscat. fingit item alia quasi similia rebus altioribus, quæ Rudioribus declarare intendit, vti adnotabam supra ad finem sect. 1. & optime declarat *Augustinus* Nebridio in Epistola 72. in tomo 2.

S. Thomas. S. August.

1080 Tertia causa est, quædam veluti fœcunditas intellectus, qui quasi pro libito fingere valet varias fictiones sumpto fundamento ab alijs rebus, quæ olim agnouit, & quarum retinet species, fingendo, & fabricando chimæras, quæ vulgo solent dici *torres de Viento, impossibilia, & entia prohibita*, ad similitudinem verorum entium, siue realium, existentium à parte rei, vel eorum partium, & membrorum combinationis variæ, & concinnationis arbitrariæ. quamuis his etiam vocabulis rite quoque significare solemus quæcunque entia rationis, & quæuis figmenta de nouo effecta per intellectus nostri fingentes actus, vel intentiones secundas. vt vides supra in Sectione 2. § *Tertio*. licet & aliquando figmenta etiam fieri sine fundamento dixerit supra Sectione superiori *Aristoteles*; quæ tamen non poterunt non habere aliquam analogiam ad res, quas aliquando cognouimus, licet sine harum recordatione fabricata à nobis fuerint.

Aristot.

SECTIO IV.

Diuidit ens rationis in tres species solemnes, & subinde in decem Prædicamenta, contra quosdam opinantes omnia entia ficta fore relationes; ac demũ declarat cur illæ Priuatio, Negatio, & Relatio vulgo nuncupantur.

Triplex circumfertur esse ens rationis, nempe *priuatio, negatio, relatio*, & diuisio illa colligitur ex *S. Thoma* quæst. 21. de Veritate artic. 1. & ex *Aristotele*, vt ostendit *Suarez* in metaphys. disputat. 54. sectio. 3. & *Vasquez* 1. par. disputat. 115. capit. 2. numer. 6. nomine *priuationis* significantur entia rationis, quæ finguntur quasi adhærentia subiectis aptis ad habendas formas priuatas. vt vides quando dicis *Petrus est cæcus*, si tunc apprehenderis cæcitatem veluti caliginem positiuam, & huiusmodi. nomine vero *negationis* poterunt etiam quandoque significari figmenta quasi adhærentia subiectis, sed ineptis ad habendas formas negatas. vt ibi, *S. Michael est cæcus. vel habet alas*; si tamen finxeris, & apprehenderis cæcitatem instar caliginosæ nebulæ, & alas fictitias illi adiunxeris. plerunque tamen, vt omnino discernamus negationem à priuatione, nomine negationis volumus significare chimæras, & portentosa figmenta quasi per se subsistentia, quæ negationes vocant, quia sunt quædam impossibilia asportantia secum negationes veri entis. quod item docuit *Vasquez* 1. parte disputatio. 114. cap. 3. num. 14. & 15.

S. Thom. Aristotel. S. August.

Nomine demum *relationis significamus* 1081

fictos respectus, quos ponit intellectus inter ea extrema, quæ sic referri ipse, vel fingens homo vult, siue illa extrema nullo modo realiter referantur aliunde, siue iam olim referantur per veros respectus mutuos, vel non mutuos. nec enim possumus prohibere, ne faciant, superflua otiantibus; Vnde colligas necessarium nō esse effingi istiusmodi tria figmentorum genera, sed ea pro libito fieri ab intellectu, quandoque cum aliqua vtilitate, & falsitate nulla, vt dicam infra Sectione sequenti; quandoque pro mero libito nostro. quoniam quæuis entia, siue positiua, siue negatiua, aut priuatiua cognosci possunt, vt sunt in se a parte rei. Legatur *S.Thomas* supra num.1076. & *Ruiz* de Trinit. disputat. 9. section. 7. numer. 5.

S.Thomas.

Cur autem nomina *Priuatio*, *negatio*, & *relatio*, quæ imposita videntur ad significanda ea, quæ re vera non pendent ab intellectu, quo modo sunt cæcitas, tenebræ; negatio albedinis in Michaele & alijs subiectis; similitudo in albedine inter Socratem & Platonem, & reliqua, significēt fictiones, postulabit aliquis? Et ego respondere, ea nomina extrahi a propria significatione, qua significant ea, quæ enumerata sunt, vt quoque significēt figmenta, quæ ex occasione propriorum significatorum finguntur: Vnde caligo, qua conuoluitur cæcitas Petri, vel quæ loco cæcitatis substituitur, dicta est *priuatio*, & eadem applicata lapidi, vel Angelo, *negatio* dicitur: ac denique relatio ficta, quæ affingitur inter extrema non relata, quia facta est ad similitudinem alicuius alterius veræ relationis, dicta est *relatio*. atque vt vno verbo dicam, nomina fundamentorum ad fingendum, applicata sunt significandis item figmentis.

Diuisio vero ista trimembris non officit quominus ens rationis diuidatur in decem prædicamenta. quis enim prohibeat effingi substantiam cōpletam, vel incompletā? substantia quidem cōpleta physice foret monstrū horrendū, quod quis quasi coagmentaret fingendo ex capite tauri, pedibus asini, colo ciconiæ, cauda leonis, brachijs humanis, auriculis visi, & reliquo corpore Elephantis, atque alis grandibus ex plumis multarum auium deductis. & proportione sua possunt fingi quantitas immensa: qualitas infinitè intensa; & cætera prædicamenta *transgredientia creata omnia*, quorum *originem*, vel similitudines non *habemus*, vt aiebat *Aristoteles*, sed vero eiusmodi omnia figmenta facile quis reducet, si volet, ad tres illas classes generalissimas entis rationis. Etenim perinde est diuisisse ens rationis in istas tres species, ac diuisisse in prędicamenta decem, quæ illæ complectuntur, vt consentit *Caietanus* apud *Vasquez* 1. par. disp. 114. cap. 3. num. 13.

Aristotel.

Sed contra stat quidam vir doctus, cui propter multos titulos respectum debemus, qui imitatus *P. Didacum Ruiz* in de Trinitate disputat. 9. sectione 7. numer. 4. & alios modernos, quos suppresso nomine allegat *P. Vasquez* 1. par. disput. 115. cap. 2. num. 6. defendit fictiones omnes reducendas esse ad solum prædicamentum relationis, quod in primis videtur aduersari *Augustino* dicenti supra, plura figmenta fieri *similia qualitatibus*, &c. sed fundamentum eius erat. Etenim quoduis figmētum, siue simplex, siue compositum, siue ad modum substantię, siue ad modum accidentis effingatur, refertur necessario ad aliquid extrinsecum, quatenus si habet partes, eæ necessario referuntur inuicem, vti compartes; si vero partes non habet, vel vt totum concipitur, saltem refertur ad causam productiuam sui. quod fundamentum solidum non est; quia multum probat, probat enim non esse plus quam vnum prædicamentum relationis, etiam entium realium: Siquidem Petrus, quantitas, qualitas, & reliquæ entitates referuntur inuicem, vel saltem ad earum causas efficientes; neque enim est aliqua creatura libera ab omni respectu. quare noster Amicus debuit distinguere relationem transcendentalem, & prædicamentalem; & docere omnia entia siue vera, siue ficta, esse relationes transcendentales; & iterum legere Patrem *Didacum Ruiz*, qui loco allegato in nu. 6. & sæpe alibi, nos docuit res simpliciter absolutas esse, & pertinere ad varia, seu propria prædicamenta, quātumuis sint aliunde transcendentaliter relatæ; nā huiusmodi relatio trascendentalis neque facit prędicamentum relationis, neque destruit, aut incompatibilis est cū reliquis prædicamentis: quinimo ideo tran-

1082

S. August.

transcendentalis item vulgo dicitur, quia transcendit, vagatur, & reperitur in omnibus prædicamentis, quo verò sensu dixerit S. Thomas 1. par. quæst. 28. a. 1. c. sub solo genere relationis esse ens rationis, declarat P. Vasquez 1. par. disp. 104. cap. 3. num. 16.

Ad finem aduerto præfatam diuisionē trimembrem adæquatam videri; quoniam nihil fingitur, quod non sit priuatio, negatio, vel relatio, vti declaratum est, S. August. eamque diuisionem proprie non esse generis in species, sed cuiusdam rationis communis entis rationis vniuocæ transcendentis in sua inferiora; etenim idem dico de ente rationis in cōmuni, quod dicebam olim numer. 917. de ente reali in communi.

Legantur quæ ibi dicta sunt in fine Sectionis, & applicentur proposito, & quia sæpe diximus, & dicemus aliqua figmenta fieri sine recursu ad fundamentum, quod sit in re, & aliter, generalius diuidi potest ens rationis in id, quod habet fundamentum; & in id quod caret fundamento. ad primam classem spectant tres dictæ species. ad secūdam omnes chimeræ, quæ dici solent etiā prohibita, & facient speciem quartam dictam quoque fictionem, sed, vt opinor, reducibilem ad negationem, nisi tu ne vis, dic vt voles, & fac.

SECTIO V.

Probat authoritate, & rationibus omnes intellectus nostri Operationes, & Imaginatiuam corpoream: Angelos item, & Beatos in Patria; ac Deum ipsum efficere posse entia rationis, & respondet Aduersariorum argumentis.

1083 Disputamus de Potentijs, & Agentibus, quæ efficere possint entia rationis, in qua disputatione dico primo, primam intellectus nostri operationem, scilicet, apprehensionem efficere entia rationis frequenter, non tamen semper. Probatur prior pars dicti. quoniam, vt experientia constat, sæpe apprehendimus res aliter ac sunt, aut esse possunt in re, nimirum quando simplici modo, idest non affirmando, aut negando cognoscimus priuationes, & tenebras admodum fumi, vel caliginosæ nebulæ, & relationes inter extrema libera ab omni respectu reali; & alias multas chimeras vanas, apparentes, & continuo euanescentes; ergo apprehensio nostra frequenter fabricatur entia rationis.

Quod vero non semper ea fabricetur, quod erat dicti pars secunda, patet ex eo, quod plurima apprehendimus vt sunt in se, & sine vlla fictione; vt quando apprehendimus Petrum, hominem, animal, caput leonis, membra diuersorum animantium, & quæcunque alia entia realia, seu vera, quæ vel existunt à parte rei, vel sunt veræ formalitates quasi factæ, idest, præcisæ ab intellectu; sed vero nūquam apprehensio fallitur, *quia apprehendentium non est mendacium*, vt dicemus infra num. 1121. Aristotel.

Dico secundo, secunda mentis operatio, nempe iudicium nostrum potest, & solet efficere entia rationis, in quorum efficientia, & cognitione aliquando fallitur, aliquando non. totum dictum patet exemplis. etenim si quando iudicas *Pater æternus est Venerabilis ad instar senis. Angelus est veluti iuuenis pulcher alatus: tenebræ erant super faciem Abyssi*. fingas canam, & oblongam barbam in Patre, & corpus pulchrum alatum in Angelo; & caliginem offusam per medium aerem, & adhuc ipsa ipsis subiectis conuenire pro priè putes, omnino falleris, seu falsum dicis; si vera ea dicas per aliquam similitudinem, & metaphoram, vt significes Patris æternitatem, vel antiquitatem sine principio; Angeli semper florentis pulchritudinem, & velocitatem; & aeris obscuritatem; vera dicis; & similiter verum dicis dicendo, *Chimæra est ens rationis. ens rationis fit ab intellectu*. & dum sua prædicata alicui figmento attribuis. & quidē iudicium fingere nos docuit S. Thomas in Opusc. 42. cap. 3. *dum illud quod in se est non ens, intellectus accipit vt ens*, dicens *Petrus est cæcus*, intelligēdo cæcitatem quasi caliginem positiuam. S. Thom.

Dico tertio. Discursus etiam, tertia intellectus operatio, potest efficere ens rationis, tunc, videlicet, quando ex chi- 1084

mæricis præmissis, vel quæ fictionem continent, elicit conclusionem cognoscentem chimæram. vt si dicas fingendo. *Omnis cæcitas est nebula caliginosa; hæc Petri carentia visus, est cæcitas; ergo ea est nebula caliginosa*, intelligendo per eam nebulam, quandam quasi corpoream nubem, & obscuritatem positiuam; apparentem tantum, & subito, cessante cognitione ipsius, euanescentem. atqui circa veritatem, vel falsitatem discursus, eodem modo philosophandum est, atque de iudicij, dicebamus superius.

Deinde *P. Suarez* in metaph. dispu. 54. sect. 2. num. 18. & alij dixerunt entia rationis fieri item ab imaginatiua. & probatur à nobis primo, experimento, & au-
S. August. thoritate *S. Augustini* dicentis supra in sect. 2. arborem apparentem fieri a sensu corporeo, idest, ab imaginatiua. Secundo, ratione. etenim, vt docuimus ex cómuni, in libris de anima, imaginatiua semper comitatur intellectum, & quodammodo imaginatur, atque modo suo cognoscit, id, quod intellectus intelligit; imo vero ipsa prius plures chimæras imaginatur, & fingit, quas ingerit intellectui; quoties enim ægroti, Somniantes, Pictores, & aliarum artium artifices, ne dicam Philosophi omnes, & Theologi, dum attentius solito aliqua inuenta, aut captu ardua, ac difficilia perscrutantur, imaginatione sua sibi effingunt impossibilia, vt possibilia? id quod verissimum esse experti sunt nonnulli malo grandi suo irremediabili, qui nimirum chimæras imaginantes suas, inciderunt in dementiam, priusquam eos opere complerent.

Quinto dico. præter eas potentias, quas enumeraui, nihil est in homine, quod efficiat ens rationis. non voluntas, vti docuit *P. Vasquez* 1. par. disp. 115. cap. 2. contra *Scotum*, qui putauit fieri ens rationis non solum ab Imaginatiua, sed à voluntate, vt refert *Caiet.* 1. par. quæst. 28. art. 1. quoniam obiectum, quod amat, non facit sibi præsens, aut facit, sed supponit aliunde præsentatum, & factum ab intellectu, *quia nihil volitum, quin præcognitum*. ideo licet voluntas amare soleat montes aureos, & ambire turres ventorum, & affici erga alias chimæras, & figmenta, numquam ea fabricatur. Sed neque aliquis ex sensibus quinque potest fingere, & ratio generalis est pro ipsis, & voluntate, quia nec ipsa, aut illi possunt versari circa obiecta sua, ea cognoscendo vel amando aliter, ac sint in se ipsis, ex vi causarum præcedentium.

Sexto dico. Beati, siue ij sint Angeli, 1085
siue homines, possunt efficere entia rationis. Probatur quoniam ij formare possunt has, & similes propositiones, vel apprehensiones, *ens rationis est cuius totum esse est obiectiue in intellectu. ens rationis non existit ante opus intellectus. id est ens apparens, & metaphoricum. distinguitur ab ente reali. Deus non est chimæra. Filius Dei non est illo modo, quo fingebat Arius. homines viatores fingunt varias chimæras.* vnde colligas euidenter duo. primum est huiusmodi entia rationis fieri, siue cognosci à Beatis directè, nec solum indirectè, quod aiunt, & quatenus videant fieri à nobis. Siquidem possunt illi formare illas propositiones veras, antequam fiant à nobis entia rationis, vel tempore, quo non fiunt. Secundum est, etiam ex vi visionis Beatæ illos posse entia rationis cognoscere; nam credibile est ea mediante cognoscere Deum esse verum ens, & non fictum, & huiusmodi prædicata chimærica, quæ diuinæ maiestati non possunt conuenire. Vnde obiter aduerto, quam alienæ sint prædictæ assertiones à falsitate, & ab omni imperfectione indigna statu Beatifico, & quam dignæ, quæ etiam à Beatis eliciantur?

Dico Septimo. Deus O. M. & omniscius facit entia rationis directè, & indirectè. Probatur euidenter. qui cognoscit ens rationis sibi illud præsentando denuo, quando alibi nuspiam est, facit ens rationis; sed ita Deus cognoscit ens rationis; ergo Deus facit illud. Minorem ostendũt, vt semper ratus sum, istæ propositiones, quæ cognoscunt, & Deo præsentant entia rationis ab æterno, & quando illa non existebant. Dicit enim Deus ab æterno, *ego non sum chimæra. ego distinguor ab omni fictione. Pater æternus, & Filius eius non sunt, sicut finget Arius. ens rationis est cuius totum esse est obiectiuè in intellectu. multæ sunt opiniones hominum circa ens rationis; alij credunt esse ens metaphoricum; alij concretum ex partibus impossibilibus; & alij alio modo opinantur.*

ho-

homines, vti ait *Augustinus*, sæpe effingũt multa *similia qualitatibus*, & quædam figmenta *veluti corpora sine corpore.* & vt ait *Thomas, dum nituntur apprehendere non ens, illud fingunt sibi vt ens.* & *insuper mihi appingunt relationes chimericas, erga creaturas meas.* atque si veræ non sunt quædam opiniones Theologorum, Deus quoque dicit, *in me non est subsistentia absoluta, quam multi fingũt, & in me putant esse; nec habeo relationes trãscendentales ad creaturas, quas item alij fingentes dicunt me habere.* ac demum dicit Deus, homines facere posse, & sæpe solere fabricari varias chimæras, nempe priuationes, negationes, & relationes, siue figmenta, quæ ijs nominibus significantur. & huiusmodi aliter versatur sciencia Dei circa entia rationis, & quidem practicè, siquidem illa sibi repræsentando præsentia facit. Deus ergo facit ens rationis: quinimo id necessario facit, vti dicam inferius.

1086 Conclusionem hanc expresse tradunt *S. Bonauen.* in 1. dist. 35. quæst. 3. *Henricus* in Summa, quæst. 5. art. 68. *Capreolus* 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. *Scotus* in 1. dist. 35. quæst. vnica. P. *Gilius* 1. par. lib. 2. tractat. 6. cap. vlt. *Mairon.* 1. dist. 46. quæst. 2. & ibidem *Durandus*. P. *Arrubal.* 1. par. disp. 34. cap. 7. *Aegidius Lusitanus* lib. 5. de Beatit. quæst. 6. art. 10. §. 6. num. 6. *Toletanus* 1. dist. 8. quæst. vnica, art. 4. ad 1. *Scoti. Argentin.* dist. 6. quæst. 1. art. 2. ad 3. & 5. *Clypeus Thomist.* quæst. 10. artic. 1. ad 2. *Sarsanus* quæst. 9. *Valentia* 1. par. quæst. 14 puncto 7. §. hoc autem. *Molina* ibi ad art. 9. & 10. *Fonseca* lib. 4. cap. 2. quæst. 6. sect. 14. *Vallen.* in formalitatibus fol. 41. *Amicus* tract. 3. quæst. 3. dub. 5. & apud *Alarcon Henriquus*, & *Canariens.* M. *Castelui*, disput. 1. d. 6. et fauet *S. Thom.* 1. par. quæst. 14. et 9. c. et quæst. 15. art. 2. corpore.

Altera Pars Sectionis, refert graues Authores, qui opinati sunt Deũ non facere entia rationis; & satisfacit ipsorum rationibus.

SEd contra stant cum multis Neotericis Doctissimi PP. *Suarez*, et *Vasquez*, quorum ille in met. disp. 54. sect. 2. nu. 23. docuit Deum non facere ens rationis. Licet id speculatiue cognoscat tam factum, aut factibile à creaturas quatenus ille cognoscit actus intellectus creati fingentes varias chimæras; fieri enim non potest, inquit *Suarez*, vt Deus cognoscat cogitationes nostras fingentes, siue intentiones formales, quin cognoscat obiectiuas, siue fictiones, quia illæ referuntur ad istas. et ideo bene addit cognosci eiusmodi fictiones, quasi mediate, indirecte, secundario, et in obliquo. Sentiunt cum *Suarez*, *Hurtado*, disp. 19. metap. sect. 2. *Durelle* lib. 1. Categor. cap. 13. quamuis ipse *Suarez* in n. 24. inclinat ad veritatem. *Tannerus* 1. p. disp. 2. quæst. 9. dub. 3. n. 4. absolute negat fieri à Deo entia rationis. et *Rubius* Tract. de natura entis rationis. *Blanchus* d. 1. sect. 2. *Cornejo* 1. par. q. 14. dub. 2. nu. 8. *Maior* Quodl. lib. 6. art. 18. *Albertinus* tom. 1. Princip. 7. Philos. Corol. 1. *Alarcon.* tract. de scient. d. 3. cap. 6. pag. 124. et ibi PP. *Ruiz*, *Herice*, et *Turrianus*.

Vasquez autem licet afferat 1. par. disput. 118. cap. 4. num. 10. à Deo non effici entia rationis, quia nimirum *Deus*, inquit, *cognitione sua rebus nihil addat, sed illas omnino apprehendat sicut in se sunt;* in numero tamen 12. reputat impossibile esse, Deum cognoscere ens rationis, quin id efficiat; & ideo subdit Deum illud nullo modo cognoscere, quantumuis cognoscat cognitiones fingentes. Sane iste Doctor bene conuincit Deum facere ens rationis, si illa cognouerit, etiam in ordine ad nostras possibiles cognitiones fingentes, siquidẽ posita diuina cognitione versanti, circa aliquod ens rationis, id habet actu esse obiectiuum, & non à causa creata, quæ tunc non est, vel tunc non fingit; sed non debuit dicere à Deo non cognosci saltem mediate, & in obliquo, cognoscendo cognitionem fingentem, vel quæ illud posset fingere, propter rationem Patris *Suarez*. vnde colligas entia rationis multis vijs, & modis à Deo cognosci in nostro modo dicendi, nempe directe, & immediate in se ipsis; & mediate, & indirecte in sui ipsorum causa, vt manifestum sit considetanti propositiones diuinas superius propositas.

Sed tamen prædicti Patres, & eorum Sectatores, licet in præsenti in alijs discor- 1087

dent, conueniunt in eo, quod absolute dicendum sit Deum nō efficere entia rationis propter rationes sequentes. prima est, efficere entia rationis, vel fingere in nobis prouenit ex imperfectione, & limitatione intellectus, qui sæpe nequit cognoscere res, vt in se sunt, & ideo vt faciat sibi cognoscibile non ens, apprehendit vt ens: et vt cognoscat Dei dominium supra creaturas, ponit in ipso fictos respectus, vel fictam superioritatem: ergo Deus, qui perfectissimum habet intellectum, non potest efficere entia rationis.

Respondeo fingere in nobis partim prouenire ex limitatione nostri intellectus, partim ex ipsius fœcunditate, et quasi perfectione, quatenus arte conatur scire, quæ naturaliter non ita commode scire potest. Sed quidquid de hoc sit, effectio entis rationis, seu fictio non est alligata causæ limitatæ ita, vt nequeat oriri à causa perfectissima, etiam à Deo, in quo contingit et prouenit fictio ex immensa perfectione suæ scientiæ, quam oportet cognoscere omnes veritates, siue reales, siue apparentes, siue bonas, siue malas; præsertim quando secum inuoluunt aliquid diuini, vt illæ, et similes. *Deus non est chimera. Deus, vel chimera est quid infinitum.*

Secunda ratio est. etenim Deus nequit cognoscere res aliter, ac sunt in se: ergo non potest efficere ens rationis. Respondeo distinguendo sic, Deus nequit cognoscere res aliter, ac sunt in se cum falsitate, siue illis attribuendo prædicata, quæ illis non conueniunt, et sic concedo antecedens; nequit cognoscere res aliter, ac sunt in se cum veritate, siue illis attribuēdo prædicata conuenientia, et sic nego antecedens. Vnde Deus, qui verax est, et mentiri, aut falli non potest, nunquam dicit, *cæcitas est nebula, aut caligo: mihi conuenit habere relationem erga creaturas: siue inter me, & creaturas esse relatio.* dicere tamen potest, *cæcitas solet, aut potest cognosci ad modum metaphorice nebulæ, vel habet analogiam quandam cum caligine ficta, et relatio quæ fingatur inter me, & creaturas esse merum figmentum.* Vbi vides Deum cognoscere quidem res non tantum vt sunt in se, sed aliter ac sūt, vti nimirum possunt, et solent à nobis cognosci, sed vero modo, et nullatenus obnoxio falsitati, aut orto ex imperfectione, aut necessitate, vt in nobis contingit, qui non possumus aliquando penetrare res, vt sunt in se, nisi prius quasi per ambagas cognoscamus aliter, ac sunt ipsæ. cognoscit autem Deus illo suo modo res aliter, ac sunt propter infinitudinem scientiæ suæ, quam non decet latere aliquam veritatem scibilem, vt paulò ante adnotabam.

Tertia ratio est. qui fingit fallitur semper, & necessario, ergo Deus non potest fingere. ita procedit *Hurtado*, qui ideo negat Deum fingere, quia si fingeret, falso iudicaret aliquando. Respondeo negando antecedens: neque enim fallitur nisi aliquis rusticanus homo, qui audiret cæcitatem esse apparentem caliginem, vel Historiam parabolicam & confictam enarrationem, si tamen crederet ita esse, quæ illi dicuntur, ante parabolæ, vel similitudinis applicationem: vel ita esse non tantum apprehenderet, sed iudicaret; homo enim Doctus, & Sapiens non semper fallitur, vel etiam si sæpe effingat; vel quia fingit media apprehensione, in qua, nec falsitas, nec mendacium est; vel quia si fingit iudicando, & intelligendo cæcitatem vt nebulam, non putet vere esse nebulam, sed instar nebulæ caliginosæ, quæ remouet lucem aeris; quemadmodum cæcitas remouet lumen oculorum, seu virtutem videndi. Sed quidquid sit de hominibus, quos falli, vel vera dicere, colligemus ex suo modo enunciandi suas propositiones, certe Deus etiamsi fingat, nunquam falli poterit; semper enim profert propositiones veras, licet versantes circa entia rationis, eaque fabricantes; vt ex dictis manifestum est. vnde non est verum, fingentem debere semper, & necessario falli.

Quarta ratio. Dedecet Deum fingere. 1088 probatur primo; quia est superfluum, & inutile: si quidem omnia, vt sunt ipse comprehendit. secundo quia videtur otiosum exercitium, & proprium munus ægrotū, & dormientium. Respondeo decere maxime Deum fingere, idest cognoscere figmenta; quinimo necessarium, & excusari non posse à cognitione figmentorum, præsertim conuoluentium aliquid diuinum; siquidem necesse est Deum omnia scire, & omnibus modis, quibus possunt sciri. Vnde non erit inutile fabricari entia rationis, sicut neque illa cognoscere; neque hoc impedit, quod aliunde etiam

Deus

Deus comprehendat negationes, & priuationes,& reliqua vt sunt in se,quod si in nobis otiosum quandoq; esset fingere,qui non tenemur omnia scire,sed nobis vtiliora, in Deo non item, quem nosse oportet omnem veritatem.

Vltima ratio contra nos est, quoniam Deus speculatiuè tantum cognoscit entia rationis: ergo ea non facit, sed aliunde facta supponit. antecedens probat *Vasquez* vbi supra dicens Deum nihil addere rebus cognitis cognitione sua: & item *Suarez* loco superius allegato asserens à Deo cognosci sufficienter entia rationis indirectè,siue mediatè, quatenus, videlicet, cognoscit nostras fictiones formales, quæ habent pro subiecto fictiones obiectiuas, quæ sunt entia rationis fabricata ab intellectu nostro.

Respondeo negando antecedens, quod non probant Patres nostri, quinimo *Vasquez* falsum putat, si semel concedatur Deum entia rationis cognoscere, id quod ego credo probasse me ferme euidenter,& Pater *Suarez* tandem concludit in illo suo numero vigesimo quarto, entia rationis habere esse suum exile, & obiectiuum actu, ex eo quod actu cognoscantur ab intellectu diuino: & merito tandem inclinat in veritatem Doctissimus Pater; siquidem ab æterno cognita entia rationis, etiam vt obiecta alioqui factibilia,seu fingibilia à cognitione creata,iam habuerunt existentiam præsentem, & esse suū obiectiuum,ante existentiam cognitionis creatæ. Sed vero negandum non est, posse etiam Deum quasi indirectè, & mediatè, & speculatiuè cognoscere entia rationis, vel reflexè in sua scientia illa fabricante; vel in nostra cognitione actu fingente. Damus etiam hæc doctioribus corrigenda,& quæ sequuntur.

Sed ad finem aduerto nil proficere Doctissimum *Corneje* dum respondens ait Deum non fecisse ab æterno vllum ens rationis, quoniam ab æterno viderit factum à creatura, cum ipsa præsentiam habens in æternitate, quoniam,vt ego nūc me abstineam ab eiusmodi præsentia, recurro ad absentia, & quæ in æternitate non sunt, nec erunt ex meritis alicuius creaturæ,nempe ad entia rationis possibilia, siue quæ fieri possunt à creatura, Et dico, sic dicere, ac sic dicendo fingere Deum,*Chimæra quam fingere potuit Adamus, non est Deus. Multa sunt entia rationis, quæ homines non cognoscent. Franciscus potest fingere in me relationem erga creaturas. Idolum quod aliqui Hebræi possunt considerare, & fingere vt vnum Deum, excludendo Trinitatem personarum,non esse verus Deus, sed verum figmentum.*& huiusmodi aliter,vt prosequebar superius in hac sectione,§.*dico septimo.* 1089

Adde prætereadato quod creaturæ futuræ præsentiam habeant in æternitate, vti perspicue declarabam olim à nu. 160. non sufficienter responsum esse à *Corneio*, efficacissimo, argumento Patris *Vasquez*. Etenim non tantum in æternitate, sed ab æterno existunt illa entia rationis, nimirum,quæ facta, & scita sunt à Deo ante omnem creaturam, & ideo tempore infinito, & æterno præcessisse ante creaturasficturas,siue fingentes. Quare concedere debemus loquendo de entibus rationis futuris, siue faciendis a creaturis,ea fieri,aut fore, vt fiant à duplici causa adæquata, nimirum à Deo solo ab æterno, & à creatura in tempore suo, & eiusmodi entia ab æterno habere præsentiam realem, & obiectiuam, idest, practice cognita esse, & speculatiue. Vnde tandem colliges Deum quoque vniuersalia fabricari, & præcisiones. Siquidem ita dicit ab æterno, *possibilis est intellectus creatus, qui præscindat animal à suis inferioribus. Thomas creabitur maximo bono Ecclesiæ, & Reipublicæ Scholasticæ, & præscindet formalitates*. & huiusmodi aliter. ac tandem à fortiori vniuersalia posse effici ab Angelis, & Beatis per similes saltem enunciationes.

SECTIO VI.

Proponit opiniones aliorum circa essentiam entis rationis, & earum fundamenta ab authoritate, & rationibus, & inquantum veræ sententiæ opponuntur, reijcit, & efficaciter impugnat.

Qvatuor inter alias, sententias inuenio circa materiam præsentem, quas debeo breui, ac dilucide hic proponere, & inquantum fieri possit cum

cum nostra sententia conciliare; sin minus, impugnare. qui vero volet rem omnem fusius videre, & item plures aliorum opinationes; adeat Patres, ambos satis doctos, & eruditos, *Vallium*, & *Amicum*.

Prima pars Sectionis exponit opinionem Antiquiorum aientium ens rationis consistere in denominatione extrinseca; *& eorum sensum: & cũ veritate conciliat.*

1090 PRima ergo opinio est multorum Antiquorum, qui opinati sunt entia rationis esse denominationes extrinsecas, seu nomina, quibus intellectus reflectens supra res à se ipso iam antea cognitas, vocat eas cognitas, & alijs nominibus diuersis; videlicet, iuxta rerum primo cognitarũ exigentiam. ita sunt denominationes, quibus *Petrus, animal, viuens*, & similia dicuntur *cognita, abstracta, comparata, subiecta, prædicata, species, genera*, & huiusmodi aliter, & ita procedere videntur graues, & multi Doctores, nempe *Caietanus* 1. p q. 14. a. 5. circa finem. *Scotus* q. 3. vniuersal. ar. 1. dub. 2. *Durandus* in 1. dist. 19. q. 5. lit. H. *Scotus* in 1. dist. 36 q. vnica, ad 3. *Capreol. Maior.* & alij, quos sequitur *Vallius*, 1. p. Prolog. q. 1. c. 6. & *Themista*, vt refert *Hurtado* dist. 18. met. sect. 1. & illi, qui addunt quascumque denominationes, vti sunt illæ, quibus res dicuntur, *media, fines, visæ, auditæ, amatæ, dextera, sinistra*, & huiusmodi alias omnes, similiter esse entia rationis.

Sed ego ad euidentiam huius opinionis animaduerto duo, primum est, istas denominationes solere communiter dici entia rationis logica, id quod intelligendum est de illis, quæ imposita sunt obiectis Logicæ, vti sunt nomina *genus, species, differentia*, & huiusmodi. & verum videtur, tum quia Logica considerat res, quæ ijs nominibus insigniuntur, tum etiam, quia inuentari etiam poterunt regulæ logicales, quæ doceant fabricari ea prædicabilia, & fabricatis nomina imponere, vnicuique secundum essentiam suam. vt patet consideranti. Secundum est, non significari nomine denominationũ extrinsecarum concreta extrinseca quasi coalita ex cognitionibus cognoscentibus, & rebus cognitis, sed pura nomina, quę intellectus reflectendo imponit rebus prius cognitis, vt bene aduerterunt ante me Doctissimi Patres *Vasquez* 1. part. q. 115. cap. 2. & *Fonseca* lib. 4. cap. 7. q. 6. sect. 3. fine, & nos declarauimus supra in quæst. 1. quod si aliquis bonus Author vocet denominationem extrinsecam aliquod concretum, intelligendus est loqui de denominationis fundamento; quam dicunt denominationem fundamentalem.

Vera sane est præfata opinio inquantũ dicit denominationem extrinsecam esse 1091 ens rationis, idest opus rationis, sine intellectus, atque consilij; siquidem ita esse diximus & nos cum alijs superius in quæstione prima, neque video huius opinionis Authores existimasse, aut asseruisse, præter eas nullum aliud esse ens rationis, quin potius supra in Sectione 1. q. 2. videbuntur nobiscum cõcessisse entitatem metaphoricam, quod si aliquis eorum putarit omne ens rationis debere necessario esse denominationem extrinsecam, & nihil aliud, deferendus, & refellendus est propter fundamenta, quæ supra iecimus in confirmationem veræ sententię, vbi quoq; diximus denominationes istas esse entia realia extrinseca.

Secunda pars Sectionis explicat opinionem secundam quorundam Iuniorum, qui dicunt ens rationis consistere in concreto *constituto ex cognitione fingenti, & ex chimærico, siue impossibili obiecto.*

SEcunda sententia est quorundam Recentiorum, quam sic speciose compositam exponunt dicentes, ens rationis consistit in concreto, vel coniuncto ex duobus, nempe ex cognitione ex vna parte componente tanquam forma, vel existentia entis rationis; & ex obiecto cognito, non quolibet, sed impossibili, & chimærico, ex parte altera. dupliciter autem contingit obiectum esse impossibile, primo, quia eius partes, & membra repugnent esse à parte sei, & vniri eo modo, quo ab intellectu cognoscuntur, quo modo est impossibilis chimæra Horatiana, & illa

quæ

quæ consideraretur compacta ex capite tauri, corpore elephantis, pedibus leonis, & anima equi, vnitis vnione vrsi; & similia figmenta ex partibus realibus ab intellectu quasi attractis congesta. Secundo modo dicitur obiectum esse impossibile illud, quod quia truncatum est, ac defectu alicuius connaturalis complementi, nequit esse à parte rei. vt Petrus sine capite. quocirca in horum opinione entia rationis sũt cognitio repræsentans illam chimæram primam, & cognitio repræsentans istud Petri fragmentum, & alia huius farinæ. & item obiectum illius falsi actus nihil fingentis, *Petrus est lapis*, quia nimirum ex modo tendendi quasi vult coniungi Petrũ, & lapidem contra eorum exigentiam.

1092 Authores huius figmenti sunt multi Iuniores, qui pro se allegant, nescio quo Iure Antiquos omnes, quotquot dixerũt ens rationis esse extrinsecam denominationẽ, quasi perinde sit concretum extrinsecum, quod est fundamentum denominationis extrinsecæ, atque ipsa extrinseca nomenclatura. Et ideo allegatio ista semper fuit mihi suspecta. sane expediret attentius cõsiderare in Patribus *Vasquez*, & *Fonseca* paulò ante allegatis. in *Suarez* in metaph. disp. 54. sect. 2. num. 8. & *Hurtado* disp. 1. Logica sect. 4. §. 22. aut supra in quæst. 1. nostra, quid sit nomen extrinsecum, siue denominatio extrinseca, & quantum differat à suo fundamento, cui imponitur, & quo sensu sit ipsa ens rationis, & reale. vel legatur P. *Arriaga* disp. 6. met. sect. 1. rationes huius opinionis afferam post relationem quartæ sententiæ.

Tertia pars Sectionis producit ens rationis, quod sui Authores appellant obiectum fictum.

Quidã Docti Iuniores, quibus non placuit entitas metaphorica *Augustini*, neque concretum ex cognitione, & obiecto ficto, tenent ens rationis integrum esse illud obiectum, nempe chimæra Horatiana, aut alia similis, quin intret cognitio fingens, vt pars constituens in recto entis rationis, licet connotetur in obliquo quasi causa talis entis. quare in horum modo dicendi ens rationis adæquate consistit in obiecto illo impossibili quoquo modo ex dictis supra; quod tamen, vt ens rationis sit, considerandum est, non vt iacet in re, sed vt est obiectum cognitionis illud ex modo suo tendendi componentis contra partium eius connaturalem exigentiam, & modo indebito, idest, in modum cuiusdam chimæræ, quam videtur explicasse S. *Augustinus* in gratiam horum authorũ, *S. August.* tom. 2. in epist. 7. dicitur autem hoc ens rationis Obiectum fictum, vt ita distinguatur á Concreto, quod præter id obiectum includit cognitionem realem, vt partem sui. Inclinat in hanc opinionem P. *Martin. Smiglecius* in Logica à disp. 1. ad 9. dicens multa entia rationis composita esse ex varijs partibus animantium ab intellectu quasi coniunctis.

Quarta pars Sectionis explicat opinionem illorum, qui dicunt ens rationis constari ex varijs membris realibus, *sed quæ vniuntur vnione ficta omnino, & metaphorica in structuram Chimeræ.*

Quarta demum opinio, non multum distat à duabus precedentibus, quãuis 1093
ad nostram veram non parum accedat; ea vero asserit ens rationis esse quodlibet concretum, seu quasi compositum, obiectiuum totum, compactum ex partibus quidem realibus diuersorum animantium, quæ alioqui repugnant in compositionem venire, vnitis tamen media vnione fictitia denuo producta ab intellectu fingente, & cognoscente simile monstrum illis partibus, aut alijs repugnantibus vniri, congestũ. ita procedunt aliqui docti Recentiores, quibus expresse fauet Doctus *Castelui* hic, & probant duplici ratione, qua vsi fuerunt Authores duarum opinionum præcedentium, ob similitudinem suorum entium rationis.

Prima est petita à communi definitione. etenim illud est ens rationis, cuius totum esse est obiectiue in intellectu; ita est quodlibet ens ex enumeratis tribus vltimis; ergo eorum quodlibet est ens rationis, saltem ex parte quæ est obiectiue in intellectu, & alibi nusquam potest esse: vti est obiectum Concreti, quod totum dicitur malum ens, sine imperfectum, & absolute ens rationis, quia *bonum ex inte*

gra

gra causa, malum ex quocumque defectu.

Secunda ratio est. quoniam concreto ex cognitione, & suo obiecto impossibili; & obiecto ficto asserto; ac denique chimæræ intentionaliter conflatæ ex partibus diuersis vnitis vnione ficta, & metaphorica, cōueniunt omnes proprietates, & attributa, quæ communiter attribui solent entibus rationis, & enumerabamus nos supra nu. 1066. sunt ergo ea tria entia rationis. Sed nihil aut parū probare istas rationes ostēdam inferius. Solum animaduerto hic, dici posse istam vltimam chimæram ens rationis ex parte, nempe secundum vnionē, quæ tota metaphorica dicitur, & titulo ipsius vnionis, totum compositum; iuxta axioma illud paulo ante allegatum; quamuis reuera extrema vnita sint realia, & vera entia; vt iam ostendo.

Quinta pars Sectionis impugnat opiniones de Concreto; de Obiecto ficto, *&* Chimæram vnitam vnione metaphorica, *non omnino refutat.*

1094 Sic argumentor contra prædictas opiniones. Ens rationis est illud solum, cuius totum esse est obiectiue in intellectu, & alibi nusquam: sed Concretum neque obiectum fictum, neque illud aliud, quod vniri dicitur vnione fictitia, habent totum suum esse obiectiue in intellectu, & alibi nusquam. Ergo ea non sunt entia rationis. Probo minorem incipiendo à Concreto, quia cognitio, quæ dicitur eius forma habet esse non obiectiue, sed subiectiue in intellectu, siquidem est actus ipsius.

Respondent statim Concreti assertores concessa minori inquantum loquitur de cognitione, quam ipsi vocant ens rationis tantum subiectiue, & formam entis rationis *quidditatiuè* sumpti, seu *concretiuè*: aiunt tamen saluari, & reseruari meliorem partem entis rationis in Obiecto eius cognitionis, quod vocant ens rationis *denominatiuè*, cuius esse totum absque dubio, inquiunt esse tantum obiectiue in intellectu, & ratione, ac titulo eiusmodi Obiecti, totum Concretum dici merito ens rationis propter commune prouerbium dicens, *bonum ex integra causa; malum ex quocumque defectu.* Vtuntur etiam hac responsione asserentes ens rationis conflari ex partibus realibus, sed vnitis vnione ficta, propter idem axioma; & qui tenent *Obiectum fictum*, illud totum dicunt esse obiectiue in intellectu, & alibi nusquam.

Sed tamen contra illud ens rationis partiale denominatiuum, & contra hoc integrum fictum assertum, sic instauro argumentum. Etenim illud obiectum, quod dicitur chimæra, congestum ex varijs partibus, & membris, nō habet suum esse obiectiue in intellectu, & alibi nusquam. patet, quia sunt reales partes diuersorum entium cognitæ per vnam cognitionem simul; & quæ secundum authores partis aduersæ nil habent denuo communicatum ab intellectu, quod ante cognitionem non habebant, nisi cognosci, aut dici cognosci, aut cognitas simul per vnam cognitionem; ergo illud obiectum denominatiuè nuncupatum, non est ens rationis; quemadmodum non est ens rationis Petrus, & Paulus cogniti simul per vnam cognitionem.

Respondent Iuniores partes illas chimæræ, vt iacent in proprijs vnaquæque locis, vel etiam, vt essent in vno loco simul à Deo diuinitus collocatæ, esse quidem entia realia, & partes reales, & sic simpliciter cognitas, & vt à Deo cognoscuntur, & ab alijs, qui illas cognoscerent, vt sunt in se, non esse, aut facere ens rationis; sed vero re vera esse partes entis rationis cognitas aliter, ac sunt, & esse possunt in se, nempe cum respectu ad vnionem, vel vt vnitas, & constituentes chimæram; vniri enim repugnant, & constituere chimærā, & ideo merito dici possunt partes impossibiles, & quæ mille cōtradictionibus prohibentur facere chimæram, etiam dictam, prohibitum ens, & impossibile, vtpote quasi congestum ex partibus impossibiliter venientibus in compositionem, ex vi solius intellectus ita pro libito fingentis. 1095

Contra sic argumentor, partes reales istius chimæræ, etiam postquam circa ipsas negotiatus est intellectus, & cognouit illas vt vnitas, vel, vt inquiunt, vt vnum impossibile compositum ex modo cognoscendi, si nihil illis denuo addidit, neque affixit, sed tantum traxit quasi ex proprijs sedibus, simul eas repræsentando, solum habent denuo simul cognosci, aut simul cognitas esse; & ad summum denomina-

minationem extrinsecam, qua dicantur fuisse cognitæ, vt vnitæ. ergo eæ partes non faciunt ens rationis.

Antecedens est manifestum in Aduersariorum opinionibus, quorum plerique putant nihil denuo posse communicari obiecto ab intellectu, præter nomen extrinsecum; & probatur, quia illa cognitio, quæ partes illas cum vnione, vel vt vnitas cognouit, non se conformat cũ obiecto suo, sed egregie mentitur, radicaliter, si fuit simplex apprehensio, & formaliter, si fuit iudicium, & compositio, quia videlicet partes chimæræ, & vnio post cognitionem perseuerant intrinsece, vt erant ante talem cognitionem, & cognitę minus monstri haberent, quam haberent coniunctæ in vno loco, si id fiat diuinitus siquidem cognitæ solam habent præsentiam simul in imagine sua, idest, cum ipsæ sint distantes, & vnaquæque in loco suo, ab vna cognitione repræsentantur simul, sicut ab eadem pictura solent repræsentari, non solum varia monstra; sed multæ longe diuersæ, ac dissitæ regiones, ac gẽtes, quis vero ausit dicere picturam effecisse entia rationis? & quod mirabile est, non video maiorem efficientiam in intellectu erga einsmodi chimæras, neque alia differentia est, nisi quia is est tabula, & spiritualis imago.

1096 Et confirmo, quoniam ad summũ concedere possemus cognosci ab eiusmodi cognitione chimæram quandam realem, impossibilem tamen, & vt talem existentem, aut quæ non possit existere a parte rei, & ante omnem cognitionem chimærizantem, siquidem partes, & membra diuersorum animantium, omnino repugnant in re vniri, præsertim vnione extranea, & cum partibus, & membris alijs extraneis. Vnde qui dixerit *caput Leonis vnitum est cum corpore aselli vnione elephãtis*, cognouerit quoddam monstrum reale existens in re ante suã cognitionem, præsertim si Deus miraculose ea membra in vno loco coniunxisset, & reddidisset præsentia. Etenim impossibilia item suo modo existunt à parte rei, idest, sine dependentia ab intellectu; vti existit negatio alterius Dei, & aliæ similes. & ideo qui iudicauerit eiusmodi partium collectionem esse chimæram, iudicabit de re, vt ipsa est a parte rei; & consequenter non finget ens rationis; quia eiusmodi chimæra est quoddam impossibile reale.

Est hæc doctrina veritati conformis, & his, quæ docet P. *Vasquez* in 1. p. dis. 114. c. 3. n. 13. ibi. *Porro autem entia obiectiua solum existentia in intellectu, non sunt dicenda entia rationis, sed existere solum per rationem: nam ens rationis non dicitur, quod habet veram essentiam possibilem, & vt tale apprehenditur. sed id cuius tota essentia est per solum intellectum apprehensa, nec re ipsa vllo modo potest esse*. Ergo ens impossibile, quod ab illis Modernis vocatur ens rationis, tale non erit, siquidem, vt ab eis ponitur, non tantum existit obiectiue in intellectu; sed re vera modo suo impossibili, & repugnanti existit à parte rei independenter ab intellectu.

Sed ad rei huius maiorẽ intelligentiam notandum est partes, & membra quarumcumque rerum, habere à parte rei duos ordines proprios, & quasi essentiales ambos. primus ordo est positiuus, & naturalis; talis est respectus, quem habet caput equi, v. g vt cum ceruice, & equi corpore vniatur, & quæ vice versa habẽt ceruix equi, & corpus erga proprium id caput, & quem generaliter habent ad inuicem omnia membra, & partes physicæ, & integrantes, vt sua tota componant. Ordo secundus est negatiuus, repugnans & quasi violentus, & impossibilitatem tedioleos, qualis reperitur in ipso capite equi, vt vniatur cum corpore Visi, quoniam eo ipso, quod petat proprium corpus, repugnat, & nequit vniri cum alieno, præsertim aliena quoque vnione: qui ordo, qui potiori iure dicitur repugnantia, impotentia, & impossibilitas vniendi se, sine dubio existit à parte rei, & omnino independenter ab intellectu, & videtur esse relatio prædicamentalis.

Hinc fit esse à parte rei omnino impossibile figmentum quoduis monstrosum, 1097 ad quod componendum quasi trahantur ab intellectu prædictæ partes, & mẽbra, quæ in talem compositionem veniunt quasi violenter, & inuita, quis enim non videat hæc impossibilia esse, nempe, *Deũ album, mendacem, & sine sapientia. hominem hinnibilem, hircecernum*, aut aliud monstrum ex exquisitissimis membris cõgerendum? & quis non videat eadem impos-

quæ resultant ex cognitionibus & obiectis præsertim logicis, siue quæ obiectis cognitis imponuntur, esse entia rationis. & alios graues Doctores, qui generaliter tradũt ita esse omnes denominationes etiã visi, dextri, amati, Dominij, Creatoris, atq; illas, quibus dicuntur rei, & monetæ tantum valere, & tanti æstimari, & huiusmo. di alias omnes. ergo ens rationis non consistit in entitate metaphorica, siue quæ fit entitas per similitudinem.

S.Thomas. n.1061. Respondeo eos omnes Doctores voluisse eas denominationes esse entia rationis, id est, intellectus, qui *ratio* quoq. dicitur, & qui imponit nomina rebus, vt dictũ supra est in q.1. qui tamen propterea non negarunt aliud ens rationis, quod magis proprie sit tale, & magis alienum ab enti reali, qualis est sola entitas metaphorica *Augustini*. Siquidem denominationes extrinsecas esse entitates reales de genere qualitatis certum est; quæ quia extrinsecæ sunt rebus, quibus imponuntur, dici consueuunt entia realia extrinseca, vt vides apud *Vasquez, Fonsecam, Suarez, Hurtado* allegatos numer. 1062. & apud *Smiglecium* in Disputat. 1. de nominibus Dominij, & Creatoris, idem dico, sed de titulis, & fundamentis, supra quæ ea nomina fundantur, & cadunt, dicam aliquid amplius in sequentibus.

S.August.

Secundo objicis SS. Patres, & *Ciceronem*, apud quos Verbum *fingere* solum videtur significare, coagmentare aliquod monstrum ex varijs membris realibus iam alibi existentibus, non autem denuo aliquid efficere. Sed occurrendum, ac dicendum est verbum fingere significare apud SS. Patres, & apud Latinos, non tantum id, quod contendis, sed vlterius, quod nos dicimus; nimirum de nouo aliquid efficere. Consulantur ergo *Calepinus*, & *Thesaurus* de verbo hoc. imo vero Docti iuniores nostrę factionis vim huiusmodi, & efficientiam significatã per verbum *fingere*, colligunt ex sacræ Scripturæ locis, quæ videre quiuis facile poterit percurrendo proprietatem, vel vsum verbi *in Concordantijs sacra Bibliæ* præsertim Patris *Zamora*, verbo fingere.

1100 Quamobrem ritè vtimur nos simili verbo, cum pronunciamus cum *Augustino* ab intellectu fingi entitatem metaphoricam, id est, de nouo effici nouam quasi rem, siue rebus veris similem, & nouum figmentum, cuius nec fundamentum vllum, nec remotum reperiri à parte rei aliquando, existimarunt olim ante me *Aristoteles* allegatus supra in quæstione 2. sectione 2. SS. *Augustinus* epist.72.& *Thomas* in 1. dist.2. qu.1. art. 3. ver. *quantum ad primum*. ibi. *aliquando vero id, quod significatur per nomen, non habet fundamentum in re, neque proximum, neque remotum, sicut conceptio chimæra, quæ neque est similitudo alicuius rei extra animam (id est, existentis in re) neque consequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturæ, & ideo eius conceptio est falsa*. vbi nota diligẽter docere S. Doctorem chimæram denuo fieri, nec ex rebus adunatis resultare, sed in his diutius immorandum non fuit, de quibus supra dictum fat est. Aristotel. S.August.

Solum aduerto, quod si alicubi SS. Patres dixerunt intellectum nostrum fingere idolum, dum membra diuersorum animantium in vnum quasi conflat, vti dixisse videbitur *S. Damascenus* in sua Dialectica capitulo 64. scribens solere nostram cognitionem ex *materiebus fingere idolum*, nimirum dum *totorum partes assumens, & ex partibus aliquid componit*, qualis *fuit Centaurus, & Sirena, & Tragelaphorum fabulosa fictio*, d. pliciter esse intelligendos, primò, vt significari velint vocibus, *fingi, fictio, & figmentum*, idolum, & monstrum, ex varijs partibus aliunde quasi attractis conflatum, quia eas voces similibus monstris imponere quoque solemus; sed non propterea ea figmenta entia rationis proprie loquendo erant. Siquidem sunt quædam impossibilia realia, & negationes existentes in re ante operationem intellectus.

Secundo & melius, vt velint appellare *figmentum, fingi, & fictionem*, monstra, & chimæras quasi compositas ex varijs animantium partibus non veris, sed quasi veris, & de nouo ab intellectu ad similitudinem verarum partium conficis, vt insinuare ibi videtur *Damascenus* dicens *effingi ex his, quæ sunt, ea quæ non sunt*. quasi intellectus manuductus ex membris cognitis, quæ sunt, efficiat, & proprie fingat alia membra metaphorica, id est, veris similia, & appa.

apparentia entia, non vere corporea, *sed quasi corporea. Similia corporibus, sed sine corpore, similia qualitatibus, similia formis*, propter solam apparentiam, vel fingi solere aiebat supra *S. Augustinus*, & vlterius procedendo ex his partibus, & accidentibus denuo conficiat, & perficiat chimæram, quæ erit verum ens rationis, vtpote quod totum esse suum habeat obiectiue in intellectu, & quod alibi nuspiam sit, nec secundum totum, nec secundum aliquas partes.

1101 Tertio obijcis. monstrum sine chimæra composita ex partibus, & membris realibus diuersorum animalium, ab intellectu considerata, est eximium ens rationis, quamuis à parte rei sit quidpiam impossibile; ergo ens rationis non est sola entitas metaphorica. probas antecedens, quoniam tale monstrum constat ex partibus cognitis aliter, ac sunt, aut esse possunt in re; & consequenter ipsum monstrum nullum esse habet nisi esse obiectiue in intellectu.

Respondeo negando antecedens. ad cuius probationem dico partes illas, & membra cognita quidem esse aliter, ac sunt in re, aut esse possunt præcisiue, seu negatiue, non positiue, & effectiue, siue, vt alij distinguunt præcisiue speculatiue, non practice effectiue. declaro me explicando magis distinctionis huius terminos. Tunc dicimur cognoscere aliquid præcisiue solum, seu negatiue, & speculatiue, quando ex pluribus cognoscibilibus, quæ sunt simul in vno toto, aut vna re, vnum, aut vnam partem cognoscimus, de alijs pro tunc nil curando; sic pomi colorem (vt vtar exemplo S. Thomæ) cognoscere solemus nihil amplius tangendo de pomo colorato; & item sic cognoscimus Dei Sapientiam, caput Petri, corpus eius, aut animam, & alias aliorum viuentium, aut non viuentium partes, aut quasi partes, non curantes de alijs prædicatis, aut partibus, quæ solent esse coniuncta cum obiectis ijs cognitis.

S. Thomas.

Tunc vero dicimur cognoscere positiue, & practice rem, seu effectiue, quando in re cognita ponit aliquid intellectus, quod sit plus quam denominatio extrinseca, vel quia rem illam totam efficiat, vel quia eidem addat aliquid denuo à se productum; sic cognoscimus chimæram omnino fictam ex membris omnino fictis fabricatam: vel cæcitatem, quando eam veluti atra nebula ficta conuestitam cognoscimus; vel quando Angelo fictas alas, vel etiam Deo Patri barbæ longæ vnionem fictam affingimus, vt denotemus ipsius æternam longitudinem dierum, & illius summam velocitatem.

Ergo tunc fit ens rationis, quando scilicet cognoscitur res aliter, ac est in se positiue, & effectiue, seu cumulatiue, vt aiunt Iureconsulti in *Sanchez*, to. 1. conf. l. 2. c. 3. d. 65. non autem quoties cognoscitur aliter, ac est in se, præcisiue solum, & negatiue: & quia partes, & membra realia quasi attracta à diuersis animantibus solum negatiue, idest sine socijs, quibus cum bene se habent in re, cognoscuntur aliter, ac sunt in se, non sunt ipsa entia rationis, neque possunt constituere ens rationis, sed quoddam reale impossibile, vt supra declaratum est; quod si pinxeris, vt cognoscis, effeceris non absimile ens rationis, secundum sensum tuum, sed aliunde verum monstrum apparebit, & reale, quod vsurpetur oculis, & aptum subinde fit ad puerorum, simpliciumue terrorem. 1102

Sed instas importune, partes huius terriculamenti cognitæ aliter, ac sunt in se, negatiue solum, non possunt sic seiunctæ esse à parte rei, sed solum obiectiue in intellectu, ergo sunt entia rationis. antecedens videtur certum, quia caput leonis separatum à corpore suo viuere non potest, saltem diu, & ita de reliquis membris viuentium perfectorum dicendum, quoties considerantur quasi dissecta in ordine ad componendas chimæras.

Respondeo satis ridiculam instantiam esse, quæ si concludat, re vera conuincet omnem cognitionem cognoscentem partes præsertim viuentium, fingere, & facere entia rationis. imo vero imagines omnes, siue ex ære fuso, siue sculptas, & pictas, quæ non integra exemplaria repræsentant, quales sunt illæ, quas vulgus vocat *Veronicas*, aut *vulto Santo*. & similes alias, fingere, quatenus repræsentant partem exemplaris, & rei, quæ sic esse non potest in re, & consequenter eam repræsentant aliter ac est, aut esse potest in re. nec vero hoc simile meum displicere debuit, quia est de rebus, ac repræsentatio.

rationibus non vitalibus, quoniam in repræsentando rem suam aliter, ac est in re, pares sunt icones externæ, & item voces significatiuæ, & Scripturæ, vt supra quoq; adnotabam, & cognitiones internę; quamuis hæ sint spirituales, & illæ corporeæ.

Quocirca, sicut dicendum non est cognitionem repræsentantem caput hominis seorsum, fingere ens rationis, ita similiter asseri non debet id fingere cognitionem repræsentantem simul caput hominis, vnionem Capteæ, corpus Leonis, & animam Equi; quia repræsentare plura, vel pauciora obiecta, aut membra, nihil conducit ad ens rationis fabricandum, si nihil denuo efficiatur, vel si nihil prædictis membris productum denuo affingatur; & ideo non sat erit cognoscere rem aliter, ac esse potest in re; ad hoc vt resultet ens rationis cuius totum esse debuit esse obiectiuè in intellectu, et alibi nusquam in re; secus non minus finget illud pictor, quam intellectus, vt supra dictum est.

1103 Quarto argumentaris ex absurdis, & inconuenientibus, quæ sequi tibi videntur ex nostra sententia, primo enim sequitur communicare posse obiecto nostram cognitionem aliquid præter nomina extrinseca, quod inauditum videtur, præsertim cum dicantur communiter actus intellectus steriles, & virtus eorum exhausta ex sola obiectorum suorum repræsentatione. Secundo sequitur debere Deum concursu suo ad minus generali concurrere ad ens rationis, simul cum intellectu nostro, sicut concurrit cum causis reliquis; siquidem non decet quidquam, siue magnum, siue paruum fieri sine Deo. Tertio, quod Deo immutabili appingamus entitates metaphoricas, quãdo in illo consideramus venerandam Senis canitiem, & barbam, & fictas relationes; quod Deo maxime indignum videtur.

Quarto sequitur, quod noster intellectus agat in remoto, quin agat in proximo; vt quando fingit apud Indos montem immensum auri, vel *hominem imaginarium*, vt ait *Caietanus* apud *Vasquez* 1. p. d. 119. cap. 3. n. 13. nihil fingendo in mari, aut spatio intermedio, id quod est extra, vel supra vi tutem causarum, quæ numquam producunt effectus in parte aliqua distanti, quin in loco interiacenti, simul aliquid operentur. Quinto sequitur dicendum quod ens metaphoricum, quando compositum est, debeat habere suas passiones physicas, & metaphysicas, etiam fictitias, & farinæ eiusdem cum radice & ideo, si imaginarius homo v. g. staturæ prægrandis effingatur, habebit quinque sensus, tres potentias spirituales, & alias corporeas, & reliqua complementa, nempe decem prædicamenta, vti de vero homine dicebamus olim. Sexto demum sequitur posse à nobis excogitari, & fingi plus quam decem alia prædicamenta, & quinque alia prædicabilia? quatuor genera causarum, & oppositorum, & vlterius alium Deum, vnum tantum, vel trinum, & vnum: & ab his abstrahere rationem entis rationis in communi. ac demum sequitur intellectum specificari à chimæris, quas efficit; atque cognoscit, quæ absurditatis plena esse cuique philosopho videbuntur.

Sed Respondeo ad primum, sufficienter probasse nos supra posse ab intellectu communicari obiectis suis plus quam nomina extrinseca, neque tam steriles putandos esse actus intellectus, vt nihil fictum producere possint, præsertim cum aliunde habitus reales producant, & si practici sint practice concurrant ad artefacta. ad secundum dico sat esse si Deus concurrat ad ens rationis Indirectè, quando ipse illud non fingit, nimirum efficiendo cognitionem fingentem, quam supra dicebamus esse actionem; qua fit ens rationis; neque necessarium est, vt alio modo magis immediato influat in nostra entia rationis: neque alium Dei influxum admittent, qui stant ex aduerso erga eorum chimæras. & ratio pro nobis, & pro ipsis est, quia Deus concurrit ad effectus iuxta eorum capacitatem, & exigentiam, at effectus fictus non exigit ad sui effectionem alio diuino con cursu magis directo; neque alterius præter eum, qui declaratus est, capax ille est.

Ad tertium aio non esse Deo indignum illi quasi appendi, vel affingi ex nostro 1104
modo cognoscendi tardo, & rusticano, aliquot fictas relationes, & alia figmenta, cum id fiat non re vera, sed ex sola nostra cognitione simul Deum cum relatione, barba, vel alia re, repræsentante, vt il-

 lum

lum deinde per vlteriores cogitiones, & perfectiores pro captu, & modulo nostro cognoscimus, & illa declaramus rudioribus; assueti enim sumus nos homines res spirituales, præsertim tam altas, tã supernaturales, & tam à sensibus remotas, cognoscere ad modum corporis sine vlla quidem indecentia, ac prorsus sine vlla Dei mutatione, aut variatione, aut temeritate nostra licentiosa; neque eiusmodi figmentis nostris irascitur Deus.

Præterquam quod postquã Deus Opt. Max. propter nos, & propter nostram salutem assumpsit re vera formam serui, in similitudinem hominum etiam peccatorum factus, nihil est timendum, nisi fierent, eiusmodi figmenta in Dei contemptum, aut sanctarum Imaginum ipsius: vt fecisse quondam memini quosdam impios hæreticos appingere solitos plus quam impijsisme Dei genitricem monoculam, ac deformem, vt sanctarum Imaginum vsus sacratissimus ab animis fidelium abraderetur: qui ergo vteretur figmentis in hunc, vel alium sinistrum finem, damnandus quippè esset, & igne torrendus. addo præterea, quod si in opinione argumentantis non est indecentia Deo affingere barbam realem, & vnionem fictam, vel item realem; ac declarare similibus chimæris Diuinitatem: nulla committitur indecentia in nostro modo dicendi, appingenti illa eadem, sed ficta. Omitto monstrosas illas & mysteriosas figuras animalium, de quibus sæpe fit mentio in Scriptura, quæ sane, saluo meliori iudicio, tam extraordinariæ sunt, vt possint credi fuisse pleræque, aut multæ, fictiones, & entitates solum apparentes, symbolicæ tamen, & vmbræ futurorum, vel absentium, mecum consensit *P. Cornelius à Lapide* coram à me consultus, præterquamquod S. *Thomas* S.Thomas. 1. par. quæst. 33. art. 7. & sæpe alibi ponit relationes rationis in Deo erga creaturas, quem imitantur eius Interpretes.

Quartum argumentum ingens est, & soluendum potiori iure ad aduersarijs difficilius enim multo est, quod causa formalis operetur in distanti; quin in proximo: & tamen ipsi concedunt cognitionem fingere posse entia rationis existentia in India, quorum cognitio est velutí forma, quæ propterea vniri debet cum suis obiectis chimæricis. quare respondeo pro me, & pro ipsis, posse intellectum fingere in remoto; quin in proximo simul agat quidquam; quia fictio ista, & efficientia est metaphorica, & fictitia, & exercita ex sola obiecti repræsentatione; repræsentari autem potest obiectum à nostra cognitione vbique terrarum existens, quantumuis absens, & à nobis remotum; vt manifesta experientia compertum est.

Ad quintum dicendum, quod si integre fingatur ens rationis, & cum totali analogia ad entia realia, ad quorum similitudinem sæpius efformatur, debent confingi simul cum eo omnes potẽtiæ, & proprietates connaturales ipsius, sicut prætendit argumentum: atque quod sexto loco objicitur non est inconueniens, sed veritati et nostris opinionibus conforme iuxta dicta in tota hac disputatione, præsertim q. 2. sect. 4. quibus fauet *Caietan.* quẽ allegat, et imitari videtur P. *Vasquez* 1. par. disp. 114. c. 3. à n. 13. dicẽs *Caietanus vero bifariam respondet, primum concedit non solum in genere relationis inueniri aliqua, quæ solum habeant esse rationis; sed etiam in genere substantiæ, quantitatis & qualitatis: est enim in genere substantia, homo imaginarius, quantitas etiam, aut qualitas omnino conficta esse potest.* & num. 15. subdit, *natura intellectus talis est, vt pro hoc statu nequeat hæc duo*, nimirum, *negationem, & priuationem apprehendere, nisi admodum alicuius substantiæ, aut qualitatis.* Denique non est indecorum specificari intellectum ab omni intelligibili, et à se factibili: licet inter ea sint multæ chimæræ, quas immediate attingit, quidquid dicat *Alarcon* tract. 1. disp. 5. cap. 5. n. 7. pag. 61. 1105

Quinto arguis. Causa realis facit effectus reales, sed cogitio est causa realis, ergo semper faciet effectus reales, et non fuciles, et apparentes. Respondeo concessis maiori, et minori, negando consequentiam; potest enim cognitio propter suam eminentem perfectionẽ efficere vtrumq; genus effectuum, Sed nota, quod licet cognitio repræsentando faciat ens rationis, magis dicit *facere* illud, quam *repræsentare*, et ideo bene potest repræsentatio esse realis, et eius operari metaphoricum.

Sexto

1106 Sexto arguis. Si ens rationis fieret ab intellectu, daretur aliquod ens rationis, cuius totū esse nō esset obiectiuè in intellectu, quinimo nō esset obiectū intellectus; sed hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur, maior patet, quoniam actio metaphorica, qua fieret entitas metaphorica esset ens rationis, et non esset obiectiue in intellectu; quia ea non solet cognosci. Respondeo negando maiorem, et antecedens, quo probatur maior. Primo, quia dici potest eiusmodi actionem esse realem cognitionem fingentem, vti praeclare diximus supra n. 1978. Secundo, quia item probabiliter potest defendi actionem metaphoricam non distingui ab entitate, siue effectu metaphorico producto; sed actionem, & effectum esse omnino idem, licet nostra consideratione possit distingui in ea entitate ratio actionis, & ratio termini producti, nempe ens rationis consideratum vt in fieri, & via ad esse, est actio intellectus efficientis; vt vero consideratum in esse quieto, est terminus, & effectus productus ab intellectu: & ideo non est necesse, quod inter cognitionem fingentem, & obiectum fictum, sit alia actio ficta, nisi quis velit multiplicare fictiones sine necessitate. reliqua argumenta diluentur in sequentibus.

SECTIO VIII.

Dari aliquot entia rationis propria ante operationem intellectus opinati sunt multi & nobiles Doctores; sed eorum fundamenta, vel cum veritate concordantur, vel refutantur: & abundantius veritas illustratur.

1107 PEnultimo loco relicti sunt Doctores, qui opinantur aliqua entia rationis, proprie dicta habere suum esse, non tantū fundamentaliter, vt dici solet, sed formaliter, ante operationem intellectus fingentis. hi sunt *Scotus* in 1. distinct. 26. q. vnica in respons. ad argumenta. *Iauellus* 10. metaph. quæst. 10. fine. *Canariens.* 1. par. quæst. 42. art. 1. in 2. part. *Molina* ibidem disput. 2. in respons. ad 4. vbi allegat *Torrens.* seu *Canariensem* ipsum. *Medina* 3. parte quæst. 5. art. 5. ad 7. & *Bañes* 1. par. quæst. 13. art. 7. §. ad 2. testimonium; multum fauent huic opinioni Recentiores, qui supra in Sect. 6. existimarunt entia rationis esse Concreta ex cognitionibus, & obiectis impossibilibus; vel sola eiusmodi obiecta: siquidem ea ab ipsis simpliciter creduntur esse entia rationis, & nos coniicimus esse à parte rei.

Illorum primum fundamentum est: quoniam à parte rei, & seclusa operatione intellectus, multæ relationes, negationes & priuationes, & impossibilia existunt; sed ea omnia non sunt entia realia; ergo sunt entia rationis. Maior est clara, quoniam à parte rei est negatio imperfectionis in Deo, in Angelo negatio albedinis, & in Homine priuatio visus. Rursus à parte rei Deus non est corpus. Petrus non est Asinus, aut Lupus. & noctu existunt tenebræ. Existuntque alia sexcenta impossibilia nuncupata chimæræ. præterea posita cognitione comparatiua, qua quis conferat Deum cum creaturis, sine alia fictione noua, dicitur Deus habere relationem rationis ad creaturas. Dantur ergo multa entia rationis à parte rei, & ante fictionem intellectus.

Respondetur concessa maiori, negando minorem, vel eam sic distinguendo: Sed ea omnia non sunt entia realia, vt vocant *positiua*, & sic concedo minorem; non sunt entia realia *negatiua*, & sic nego minorem: & quidem negationes, & priuationes entia realia negatiua, vel remotiua appellant cum P. Petro *Hurtado* disput. 9. metaph. sect. 3. §. 66. Nobiles quique Magistri, & quæ suo modo reperiuntur à parte rei independenter ab intellectu, & fuit doctrina *Aristotelis*, qui loquendo de *priuatione* 1. Physic. text. 48. eam dicit principium generationis. & in text. 66. ait *materiam* & *priuationem* esse quasi duo. & textu 60. distingui à materia. & lib. 2. cap. 1. dicit quod *priuatio* est quodammodo forma, & in lib. 5. Metaph. cap. de *priuatione*, declarat varios modos priuationis, & modum, quo ipsa differat à negatione, quia inest subiecto nato habere habitum, seu formam, qua priuat, quæ omnia innuunt in re, & existere priuationem, & ens rationis non esse. *Aristot.*

Id ipsum nos docuit *Sanctus Thomas* 1. par. quæst. 49. art. 2. & tom. 8. quæst. 2. de malo art. 1. ad 19. & 20. dicens interroganti an *priuatio* sit in re ante opus intellectus, respondendum esse, quod sic, sicut cæcitas est in re interroganti vero quid *priuatio* sit? respondendum esse illam non esse aliquid, sed nihil, idest nihil positiuum, sed negatiuum, aut priuatiuum, vel si nihil intellige carentiam entis existentis in re, non ens rationis, atque ista doctrina *Aristot.* & *S. Thomæ* applicanda est reliquis carentijs, & impossibilibus, quæ sunt à parte rei, quæ deinceps vocanda non erunt entia rationis formaliter, & proprie, sed ad summũ, vel nihil, vel entia rationis fundamentaliter, siue fundamenta, quatenus intellectus sæpe quasi volens ea apprehendere apprehendit vt entia; vt declarabamus supra in sect. 2. ex *S. Thoma*, & forrasse nihil amplius volunt *Molina* supra, & *Canariensis* dicentes *negationes & priuationes cum non sint modi reales, sunt tamen modi habentes fundamentum in re, qui per intellectum apprehendi possunt, eaque ratione entia rationis dicuntur*. vbi quæstio videtur esse de nomine, quo abutuntur ipsi nominantes ens rationis ante fictionem, id quod futurum est, aut potest esse tale propter intellectum, & post ipsum; et quod nos nominamus ens rationis fundamentale. ad illud, quod additur de cognitione comparante dicam infra.

1108 Vnde fit nullo modo fieri, aut cognosci entia rationis quando cognoscimus varia impossibilia, negationes, & priuationes, vt iacent in re, v. g. varia membra realia quasi componentia hippocentaurum, aut aliam chimæram; Dei alterius negationem; tenebras; cæcitatem: & huiusmodi; quæ tamen dupliciter cognoscere solemus. Primo quasi directe, et per proprium conceptum, quomodo eo noſſe videntur istæ cognitiones, quibus dicat aliquis, *Hippocẽtaurus est impossibilis, negatio alterius Dei existit, tenebræ sunt noctu, cæcitas, & mors sunt mala, & horribilia*. Secundo modo ea entia negatiua cognoscimus, quasi indirecte, & per discursum, siue vt dici solet, & indicat sæpe *Sanctus Thomas* speciatim in 10. metaph. lect. 4. per habitus, seu formas negatas, siue quibus, illa opponũtur. Vnde, inquit, *Iauellus*, 10. metap. q. 10. *per speciem soni cognoscimus silentium, per speciem lucis cognoscimus tenebras. per speciem recti cognoscimus obliquum, hoc quidem quasi quodam discursu, sic arguendo. Hoc est ens, ergo non est non ens. appetibile est bonum, ergo quod est inappetibile est malum hic est lux, ergo non sunt tenebræ*. & ita à Deo cognosci priuationes ait *S. Thom.* 1. p. q. 14. a. 10.

Quando vero eiusmodi negatiua entia cognoscimus aliter, ac iacent in re, nec contenti cum illis, & similibus assertionibus. *Hic non est lux. Petrus non habet visum, seu caret auditu*. vtimur illis dicẽtes, *tenebræ inhærent aeri*: *Petrus habet cæcitatem*, & huiusmodi alijs, plerumque fingimus, vel formam habendam, vel saltem vnionem ipsius cum subiecto, de quo illam prædicamus; quia apprehendimus non entia, vt entia, vt aiebat *S. Thomas*, v. g. tenebras veluti quasdam nebulas caliginosas & similiter cæcitatem, & adhærescere hanc, & illas putamus aeri, & loco potentiæ visiuæ, per quasdam vniones de nouo confictas ad similitudinem verarum vnionum, quibus veræ formæ inhærere solent subiectis suis. Ergo quando ita procedimus in cognitione non entium, sine dubio facimus entia rationis.

Hæc item videtur esse doctrina tradita à *Sancto Thoma* in quæst. de malo iam allegata, vbi dixit malum, vel boni priuationem, duplici modo posse cognosci: vno modo secundum propriam rationem non entis, & sic non esse ens rationis, altero modo secundum rationem entis, quam habeat beneficio intellectus, & sic illam esse ens rationis. Verba illius sunt *ad vigesimum dicendum quod malum quidem est in rebus: sed vt priuatio, non autem vt aliquid reale*, (nimirum positiuum) *sed in ratione est aliquid intellectum, & ideo potest dici quod malum est ens rationis, & non rei; quia in intellectu est aliquid, non autem in re*. dixerat autem 1. par. quæst. 14. art. 10. C. *malum esse priuationem boni*. & q. 16. art. 3. ad 2. & Opusculo 42. & *effici ens rationis cum intellectus apprendere nititur, non ens, fingendo ipsum aliquo modo vt ens*. lege nos supra n. 1071. à *S. cum Aristotele*, & Patrem *Suarez* in metaph. disp. 1109 1110

disput. 54. sect. 2. num. 15. qui nobiscum quoque consentire videbitur.

Secundum fundamentum aduersariorum est. quoniam à parte rei Deus habet rationem creatoris, & gubernatoris, atque dominium supra creaturas; sed ea sunt entia rationis, vt communiter docent Theologi cum S. *Thoma* 1. p. q. 13. a. 7. ergo aliquot entia rationis dantur sine fictione intellectus. & confirmatur; nam postquã paries à te visus est, diuerso modo se habet ac antea; modo enim dicitur visus: antea vero non; sed modus ille non est realis; ergo est modus rationis. Simili modo affirmat *Medina* citatus columnam dici dexteram, nullo intellectu fingente, quia animal illam habeat ad suam manum dexteram, vel sinistram, quod dici, relatio rationis est.

S. Thomas.

Respondetur negando antecedens, etenim vt bene docet Pater *Molina* 1. par. q. 45. art. 7. ratio creatoris, & Dominij est diuina potentia æterna comitata cum actione tẽporali, qua Deus omnia creat, atque gubernat, & habet sub imperio suo: & ideo ea non possunt esse minus, quã cõtra realissima; sed quia ex eo, quod Deus creaturas in tempore creauerit, de nouo earum nominetur Dñs, & Creator, inquit, S. *Thomas* eiusmodi nomina illi venire ab extrinseco, nempe à subiectis, & creatis creaturis; & per ipsa denominari relatum relatione Domini, & Creatoris erga creaturas: quia est impossibile Deum mutari recipiendo in se aliquid reale denuo, per quod diceretur Dominus, nisi fingamus aliquid relatiuum in ipso, quo mutuo respiciat, vt Dominus creaturas, quæ vice versa ipsum suspiciunt, vti ancillæ, & subiectæ. Sed nusquam dixit S. Pater esse in Deo aliquam relationem rationis sine fictione intellectus: imo vero oppositum expressit dicens ad 4. *non est inconueniens quod Deus denominetur, secundum quod cointelliguntur per intellectum nostrum appositæ relationes in Deo, vt sic Deus dicatur relatiuè ad creaturam.*

S. Thom.

Ad confirmationem dic parietem aliter se habere extrinsece solum, quatenus post quam visus est, dicitur visus, qui modus aliter se habendi non est aliquod ens rationis proprium, sed merum nomen extrinsecum, quod tamen quidpiam reale, suo modo est. Et similiter dic esse denominationem dextri, vel sinistri, quam non bene putauit *Medina* esse ens rationis simpliciter, atque perfectum, si tamen taliter esse putauerit.

Denique ex Doctrina totius præsentis Disputationis fit primo, ens rationis propriissime, & formaliter esse solam entitatem metaphoricam *Augustini*, productã, de nouo ab intellectu fingente; & consequenter non esse ante operationem intellectus, sed post ipsam, per ipsam, & in ipsa, & alibi nusquam; nisi solum velint isti Doctores multa entia rationis fundamentaliter esse à parte rei, & ante opus intellectus; quod non negabimus, si sic nobiscum velint concordari.

Fit secundo, entia rationis esse, idest, intellectus opera, vel ad eius consideratio. nem consequuta, omnes extrinsecas denominationes; quatenus eæ omnes pendent, & fiunt ab intellectu, tales denominationes, & nomina rebus iuxta ipsorum capacitatem, & exigentiam, imponenti, cum aliqua differentia, & discretione: etenim aliqua nomina imponit rebus expectatis, & positis aliquibus alijs circumstantijs, quæ non sint actus intellectus; qualia sunt nomina dextri, sinistri, Domini, Regis, visi, voliti, & similia; alia vero ponit positis solis actibus intellectus, qualiter sunt nomina cogniti, abstracti, generis, speciei, & huiusmodi.

Omitto pro nunc denominationes, quas vulgo vocant intrinsecas, quamuis ipsæ etiam, quoad nominis impositionem, re ipsa sunt extrinsecæ, & ab intellectu dependentes, & rebus intrinsecè vnitis impositæ, non minus, quam præcedentes: quas tamen vocare solemus per abusum intrinsecas, quando videmus fundamenta, quibus eas imponimus, esse formas intrinsece inhærentes subiectis; ita sunt denominationes albi, nigri, intelligentis, & amantis, & similes: id quod valde notandum est ad intelligentiam Scriptorum, qui non raro inuertunt modum loquendi, & nomine denominationis extrinsecæ, significant fundamenta, idest, esse res non inter se vnitas, & conuenientes, sed in inuicem extrinsecas, & diffidentes, præsertim dum tractant de prædicamento relationis. III

Nm 3 Fit

Fit tertio. Concreta extrinseca ex cognitionibus, & obiectis impossibilibus, vt ponit vna opinio suum ens rationis; atque ipsa obiecta impossibilia seorsim; quod secunda opinio voluit esse ens rationis: & item membra realia vnita vnione metaphorica, quod fuit ab aliquibus assertum ens rationis; ac demum, vt toties dictum est, extrinsecas denominationes omnes, dici quodammodo posse entia rationis, idest, quodammodo fabricata ab intellectu, qui ratio dicitur, vel etiam ea omnia esse entia rationis fundamentaliter: quatenus præbent ansam intellectui ad fingenda alia quoque similia ipsis, omnino fucata, fictitia, & apparentia.

Quoniã ergo ea tria consectaria, quæ compendiose colligunt Doctrinam omnẽ præcedentem, conformia valde sunt dictis, & assertis præsertim à *S. Thoma*, & P. *Francisco Suarez*, qui locis allegatis docent nomen *ens rationis* significare primo ens omnino fictum, quod vocamus entitatem metaphoricã, seu similem vero enti. Secundo negationes, priuationes, & relationes, quæ libenter vocamus entia rationis fundamentaliter, vt explicuimus supra in Sect. 4. ac demum tertio significare extrinsecas denominationes, quæ sine dubio à ratione, & consilio pendent; equum videbatur, si ita placeret Recentioribus, vt in vnam bonam concordiam veniremus; & illi vltra sua entia rationis, & inter ipsa, entitatem *Augustinianam* numerarent, intercedentibus ipso Patre *Augustino*, & illis tantis Doctoribus doctissimis plane, ac meridissimis; vt ita pace composita, ac iunctis viribus, ad difficultatum maiorum aciem; & arcem expugnandam, superandamque fælicius adiremus. Sin minus pax arriserit, & tractatus; magnum, sed amicum nobis cum illis dissidium perpetuo futurum erit.

S.Thomas.

S. August.

SECTIO vltima.

Respondet argumentis negantium omnino omnia entia rationis existere ante, & post operationem intellectus: declarat quo pacto detur, & quo pacto non detur ratio communis enti reali, & rationis; & concludit ab omnibus hominibus viatoribus sæpissime fieri entitates metaphoricas complures per eorum pleraque falsa iudicia, & falsas opiniones.

Miror quenquam inueniri, qui negarit entia rationis: etenim eo ipso quod illa neget, conuincitur eadem effecisse, vel saltem agnouisse, si tamen scit, quod negat. Siquidem, *quod non est, non scitur*. Et ideo nisi ego hallucinor, impossibile mihi videtur negare aliquid, quin eius prius efformarit, qui negat aliquod idolum, quod tangat, vel repræsentet tanquam subiectum sui iudicij dicentis v. g. *ens rationis siue entitas metaphorica non existit ante, nec post operationem intellectus*. Veruntamen pro parte *Bernardini Mirandulani*, qui in expositione Prædicamentorum negasse fertur existentiam entis rationis ante, etiam post operationem intellectus, cum *Vallesio* Medico peritissimo, Controuer. 6. & *Maironio*. quodlib. 7. 1112

Aristotel.

Obijcitur primo, ens rationis non potest esse obiectum intellectus; ergo esse, aut existere non potest probatur antecedens; quia obiectum intellectus debet esse cognoscibile, & verum; sed ens rationis non est cognoscibile, & verum; ergo non potest esse obiectum intellectus. Respondetur negando antecedẽs, & ad eius probationem concessa maiori, negatur minor. etenim ens rationis est quoque cognoscibile, & verum, quantum sufficit, vt possit esse obiectum intellectus, quamuis eius cognoscibilitas, & veritas sint omnino fictæ: quemadmodum entia ficitia, & vana solent esse obiecta voluntatis, quæ sæpe fertur ergo chimæras, quas vt bonas nobis fingimus, licet earum bonitas, & amabilitas solidæ non sint, sed tantum apparentes.

Obijcitur secundo, ens rationis non est ante opus intellectus: ergo nequit esse obiectum eius. probatur consequentia, quia obiectum debet esse prius actu circa ipsum versante, vt manifestum est. Respondetur negando consequentiam, ad cuius probationem dico fat esse si obiectum præcedat, & sit prius actu ratione, vti declarsui supra in casu simili nu. 100.

Obijcitur tertio, axioma illud *nihil est in* 1113

in intellectu, quin prius fuerit in sensu, quia, vt recte ait S. *Augustinus, in homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi*, ita exigente nostra humana conditione: sed ens rationis non fuit in sensu; ergo nequit esse in intellectu. Respondetur id duplex axioma explicatum fuisse à nobis in libris de anima. ad præsens pro solutione argumenti adnotamus ex dictis ibi fusius, sat esse ad hoc, vt res sit in intellectu, quod præcesserit in sensu, sin minus ipsum, quod intelligitur, quod sæpe non potest, maxime quando est quid spirituale, vel remotum à sensibus, aliquid tamen illi simile; ex quo fit, vt intelligamus Deũ, & Angelos, quos tamen nusquam vidimus, aut sensibus vsurpauimus, ad similitudinẽ eorum, quæ vidimus, nempe venerandi senis, & pulcherrimorum iuuenum. Similiter in proposito, licet nunquam tenebras veras, vel fictas viderimus, tamen quia vidimus nigredinem, fumum, & atras nebulas, quæ sunt illis quodammodo similes, intelligere possumus tenebras ipsas veras, & fictas admodum nigredinis, fumi caliginosi, & nebularum nigratum.

S.August.

Obijcitur quarto, & vrgenter. nullus intellectus potest cognoscere obiectum, cuius non sunt propriæ intelligibiles species; sed entis rationis non sunt species; ergo id nequit esse obiectum intellectus. Maior est certa propter axioma sumptum ex *Augustino* dicente *ex obiecto, & potentia paritur notitia*. idest cognitio est quidam quasi filius, qui paritur a potentia intellectiua fœcunda cum specie obiecti, cuius ea est quasi semen receptum in potentia, velut in vtero: minor etiam demonstratur. quia entitas metaphorica, cum sit chimæricum ens, & apparens, nequit producere speciem veram, ac realem ad intellectum, vt cum eo vlterius efficiat, & generet cognitionem realem; siquidem dicit aliud axioma, quod *nemo dat, quod non habet*. qui ergo dabit effectum, aut semen reale entitas non realis? forte propter hoc argumentum dixit *Alarcon* vbi supra, ens rationis esse obiectum per accidens, & ab intellectu non tangi.

S.August.

Respondetur communiter huic argumẽto, negando maiorem. sæpe enim, vt edocemur in lib. de anima, contingit rem cognosci per alienas species, vt supponit Pater *Vasquez* 1.par.d.115.cap.2. num.5. & d.62. super artic.10. cum S. *Thoma*, & Interpretibus docentibus priuationem cognosci per speciem priuatę formæ, siue per ipsam formam, v. g. tenebras, per lucem. & ideo in proposito dicendum, ens rationis cognosci per species rerum illarum, ad quarum similitudinem efformatum fuerit. eiusmodi enim species sunt quasi causæ æquiuocæ, quatenus producunt actus versantes circa propria obiecta, & circa illis quodammodo agnata, siue similia: sed vero circa huiusmodi species, circa quas multa licet diuinari, legat, qui volet Patrẽ *Suarez* lib.3. de anima cap.2. num.18. vbi tractat de speciebus, quibus impossibilia, entia rationis, & priuationes cognoscuntur, vel P. *Granad.* de scientia tract.3.d.r.

S.Thom.

Obijcitur quinto. Si daretur ens rationis, hæc duo contradictoria darentur simul vera. nempe. *ens rationis est ens rationis; non ens rationis, siue negatio eius, est ens rationis*, primum est verum, siquidem est prædicatio identica. secundum item verum est casu, quo negatio entis rationis cognitum fit ad modum entis metaphorici, & ficti. Respondetur negando antecedens, vel suppositum eius; quia illæ propositiones non sunt contradictoriæ; quoniam non sunt eiusdem subiecti. nam subiectum primæ est ens rationis, subiectum vero secundę est negatio entis rationis, quæ numquam fieri potest ens rationis, sicut neque mutari circa intrinseca sua, quamtumuis cognoscatur ad modum entis rationis, & ficti, vt manifestum est. tenebræ enim semper tales perseuerant, licet cognoscantur, vt caliginosæ nebulæ, vel ipsis obuolutæ. 1114

Obijcitur sexto. quando cognoscimus extrema, quæ non se referunt, v.g. Deum, & creaturas tanquam relata, ea non contingit referri per fictas relationes; sed per nostras cognitiones, siue comparationes relata dicuntur, & sunt; ergo superflue fingetur relatio in Deo, qua respiciat creaturas. Respondetur, quod dato, quod verum sit posse dici ea extrema relata ratione comparationis, vt videtur insinuare P. *Vasquez* 1. p.d.114.c.3.nu.16. de quo multum ego dubito, quoniam cognitio solum denominat cognita obiecta, & ad summum cognita comparate, & relate, supponendo in obiectis aliquam conuenientiam, vel respectum, saltem rationis, vt bene quoque aduertunt *Tannerus*, & *Caietanus* cum S.*Thom.* 1.p.q.13.a.7. ad 4.

quis prohibere poterit intellectus fictiones, licet eæ superfluæ forent, inutiles, & sæpe non necessariæ? siquidem, vt probatum est, potestatem habet fingendi.

Obijcitur vltimo. Si existeret ens rationis: posset deinde abstrahi ratio communis ipsi, & enti reali, hoc est falsum; ergo illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequellam, siue maiorem; sicut negarũt P. *Suarez* in metaph. disp. 45. sect. . . u. 3. *Vasquez* item in metaphysica, disp. 1. c. 4. & alij, quorum ratio est, quia inter ens rationis, & reale nulla est vera conueniẽtia in ente, cum illud sit ens apparẽs, & vanũ, hoc vero verum & solidum. quare solum habent similitudinem in nomine, quod solum habeãt commune: & sic ens erit respectu eorum nomen analogum.

1115 Propterea non placet Doctus *Nazarius* qui super q. 28. S. *Thom.* a. 1. Controuer. vnica, concessit dari rationem entis communem enti reali, & rationis, si tamen hoc ens rationis sit vere, & metaphoricum ens rationis, veluti est nostra entitas: nã si alio modo ponitur ens rationis, & qua ratione multum habeat realitatis saltem extrinsecæ, consentiam cum *Nazario*. Rursus dari posse prædicata communia plura enti rationis, & reali, hic item concedo libenter, & in simili probaui supra n. 780. nẽpe *vniuersale, cognoscibile, amabile*, & huiusmodi, quæ non solum sunt nomina communia, sed re vera significãt rationes communes entibus realibus, & rationis, vt patet dicenti, *chimera est genus, vel species, & cognoscibilis est, non minus, quam homo, aut animal.*

Postremo, si Recentiores partis aduersæ, ij nimirum, quibus fastidium peperit entitas metaphorica, quam, quia *Augustinus* eos præterijt in hac parte, risu excipiunt, & paruipendunt, attentius solito dignentur reflectere supra se, & supra suas opiniones tam philosophicas, quam Theologicas, vel etiam ad quascumq; scientias, & artes spectantes, deprehendent sine dubio seipsos quotidie de nouo fabricari noua figmenta, & innumeras entitates, quas reijciunt, metaphoricas; easq; sæpe Deo ab ipsis affingi, nedum creaturis, quotiescũq; proferunt, afferunt, defendunt, & scribunt, vel scribendas dictãt opiniones suas, quas non credunt omnes euidẽtes esse, sed probabiles tantũ, & falsitati obnoxias, & forsan falsas cõplures, quis enim homo semper cognoscit res, vt sunt in se, *quisquis* autẽ ait, *August. l. 83. qq. c. 32. vllam rem aliter, quam ea res est, intelligit, fallitur.*

Quod vt palã fiat, & euidenter demonstretur, produco exempla à Theologis. dicunt isti, *Deus habet subsistentiã absolutã,* S. Augu st. *Deus habet intellectiuã potentiã distinctã ratione ab eius intellectione. Deus habet transcendentalem respectũ ad creaturas necessarias.* Dicunt alij Philosophi. *possibilis est infinita quantitas. possibile est infinitum pondus argenti, & auri. anima rationalis habet tres, vel duas potentias Spiritualis realiter distinctas a se ipsa. Petrus habet modum vnum, qui sit in loco, alterũ, quo referatur ad Paulum.* & Alij diuersarũ scientiarum dicunt aliter, vnusquisque in sensu suo, in quo abundat, scientes opposita edoceri ab alijs innumerabilibus.

Ad punctum ergo. Et quid dicent isti Doctores, si forte illorũ afferta falsa sint? Si nimirũ illa attributa in Deo non sunt? neq; possibile est aliquod infinitũ, neque potentiæ ab anima, nec relationes à fundamẽto distinguũtur? dicã ego, & pro illis respondebo, quia aliquanto perturbatos cõsidero; illos effinxisse chimæras plures, & varia figmenta; & eorũ varias vniones, vel identitates cum subiectis; de quibus il la sua prædicata asseuerabant. probo euidenter, quoniã eorum assertiones, mentalesque enunciationes attingunt proprędicatis quædam attributa diuina, & eorum identitatem cum Deo; & quasdam potentias distinctas ab anima, & quosdã modos distinctos à Petro, & huiusmodi alia, quæ prætermitto; sed ea omnia prædicta non sunt in proprijs subiectis, vt supponimus, neq; aliunde intentionaliter attracta subiectis adnexa sunt, vt ipsi Magistri confitentur, sunt ergo ab ipsis excogitata, ficta denuo, & ab ipsis imaginata, vel inuitis, & suo bono ingenio conficta. Ergo tãdem ingenue fateãtur entitates metaphoricas posse fingi, & quotidie per pleraque præsertim affirmatiua iudicia falsa fingi, neq; enim iudicia quãtumuis falsa carere possunt obiectis, quæ tangunt, & repræsẽtant, necesse enim est ea esse, aut vera, aut veris similia, & apparentia. Credant ergo melius sapientes post hanc experientiam, *Augustino* dicẽti figmenta fieri à dormiẽti homine, & vigilanti, & ab *Arij* iudicio plusquã falso asserenti FiliũPatre minorẽ, suppositũ, & effectũ fuisse insigne figmẽtũ. S. August.

Laus DEO, Beatæq; Virgini MARIAE.

COMMENTARIVS TERTIVS.

In tertiam Logicæ partem Ariſtotelis, & Sacrorum Interpretum Auguſtini, & Thomæ, quæ directe tractat de Actibus Mentis, ſiue Rationis dirigendis, nẽpe, de Triplici Operatione Intellectus, Quam Logicam Mẽtalem, vel Philoſophiam Rationalem communiter appellant.

Sed prius nos de noſtra, cum Philoſophi Doctrina, Cohærentia, pauca præmittimus.

QVAMVIS vnicuique Logicæ parti ſit ſuum certum, ac determinatum obiectum, circa quod ea directe verſetur, & quod primario intendat, & aſſequatur ſuis vnaquæque pars regulis, & ſpeculationibus; quemadmodum in Logicæ vniuerſæ Præfatione à num. 34. demonſtratum eſt, verumtamen finis principalis, & obiectum, quod dicitur finis *operantis*, ideſt, *Ariſtotelis*, & Dialecticorum in tota Logica eſt veſtra omnium rerum notitia, & ſcientia, & quod habeatis directas tres operationes intellectus: in quem quoque finem ego vobis tradidi omnes Logicæ regulas, & præcepta, nec ſolum ea, quæ directe docent formare directas apprehenſiones, iudicia, atque diſcurſus; ſed illa etiam, quæ docent abſtrahere à rebus omnibus prædicabilia, eaque de ſuis inferioribus prædicare, & efficere modos ſciendi vocales, atque reales; quas item regulas ſufficientes eſſe ad dirigendum ſaltem obiter, concomitanter, & indirecte prædictas tres mentis operationes, animaduerti ſæpe in cap. 5. Præfationis, & alibi frequenter.

Atque ita procedere in tradenda Logica me docuerunt *Ariſtoteles*,
1117 *S. Auguſtin.* & *S. Thomas*; nã ille in prima Parte Logicæ ſuæ, ideſt in libro Prædicamentorum agẽdo de rebus ſimplicibus, & incomplexis, quo modo ſunt prædicamenta, quæ ſunt obiectũ directum eius libri, conſequenter obiter, & indirecte docuit nos recte apprehendere; ſiquidem ea, quæ ibi potiſsimum tractat, ſunt prædicabilia, quæ ſecundum ipſorum fabricam, & coordinationem, quo pacto ibidem conſiderantur, ſunt obiecta apprehenſionis plerunque. *Ariſtotel. S. Auguſti. S. Thomas.*

Deinde

Deinde in Parte secunda suæ Logicæ, qui sunt duo libri ***Perihermenias***, siue de, ***Interpretatione***, licet eorum directa materia, & obiectum primarium sint voces, & vocum significationes; tamen docendo nos eas rite disponere exterius, obiter interius nos illuminat, ac docet formare directe mentales propositiones, siue iudicia. Demum ipse Philosophus in tertia Logicæ suæ parte, nempe, in libris *Priorum & Poster.* & reliquis, vbi mixtim agit de vocibus, rebus, & conceptibus, quæ tria sunt materia eorumdem librorum, secundum varias ipsorum partes, principaliter sine dubio intendit dirigere nostros discursus; quod est breui dixisse alium esse ***finem operis***, idest, Logicæ, ***alium operantis***, seu Logicæ Magistri, qui ad finem, & obiectum *Logicæ mentalis* huius assequendum ordinare potest, & solet Logicas *Vocalem*, *& Realem*, (vt dixi sæpe supra,) idest ad directionem trium operationem intellectus, quæ propterea merito obiectum attributionis, seu principaliter à Logicis intentum, Logicæ vniuersæ nuncupabitur.

Sed vero licet hæc vera sint, & ***Aristoteles*** aliqua obscuritate processerit in ijs tradendis, nos vti decet Interpretes, clarius, ac distinctius procedere debuimus, ac seorsim loco primo ponere ***Logicā vocalem***, idest, exponere voces quascunque, & regulas pro ijs disponendis, & artificiose componendis. secundo tradere regulas docentes adaptare res omnes in varias prædicationes. Tertio tandem loco dictare regulas pro directione trium operationum intellectus, quod quidem præstamus his tribus Logicæ Commentarijs, quemlibet eorum dedicando non vni soli, sed triplici operationi intellectus dirigendæ, cuius directionem passiuam primus, & secundus in obliquo, & secundario, aut quasi præter intentionem intendunt, tertius tandem hic, & vltimus immediatius, & in recto, vt capite illo 5. allegato sæpe ostensum est, atque in hunc modum, & non aliter conciliari meditationem nostram cum Aristotelica, nobis plus quam probabiliter persuademus; quam & accepisse nos credimus à SS.PP. Præceptoribus nostris ***Augustino, & Thoma.***

1118 (margin)

Aristotel. S. August. S. Thomas. (margin)



Com-

Compendium Doctrinæ traditæ supra in vniuersa Logica Præfatione pertinentis ad partem Logicę Mentalis præstitem; vbi iterum pauca de nomine ipsius.

Logica mentalis actualis, de qua in præsenti tractamus, formaliter loquendo, est collectio regularum in mense residentium, quæ nos docent formare directe apprehensiones, iudicia, atque discursus, definitiones, diuisiones, & argumentationes mentales, qualiter sunt illæ, & similes, *Omnis definitio mentalis debet repræsentare genus, ac differentiam definitæ rei. Omnis actus qui factorus est vniuersale genus, debet præscindere, & repræsentare rationem communem pluribus distinctis in specie, vt eorum partem essentiæ in eo quod quid.* & alij quoque actus speculatiui; qui artefactos actus prædictos reflexe considerant, & inter alia examinant, & iudicant eos regulis Logicæ euasisse, vel non euasisse conformes. Vt fusius prosequebar in cap. 5. Præfat. sect. 2. & alibi frequenter.

1119 Vnde inferebamus Logicæ mentalis obiectum materiale esse omnes actus intellectus, factu possibiles, sed potissimum antequam fiant (Si de regulis practicis logicalibus loquamur) omnes inquam, actus ad quasuis scientias, aut artes spectantes; formale vero obiectum eorundem actuum, repræsentationem obiectorum, nimirum, quæ cognoscunt, elicitam, atque directam secundum regulas, & ideo dicebamus supra à n. 125. Logicã in actibus considerare tanquam obiectum proprium, atq; formale, ipsam illorum essentiam, quæ est prędicta repræsentatio obiecti facta conformiter ad regulas. ad eiusmodi vero actus, eorumque repræsentationes regulis conformes efficiendũ, eædem regulæ concurrunt cum intellectu, non coefficienter, sed solum directiue sine in genere causæ dirigentis. Sed quoniam actus intellectus multi sunt, & varij, operæ pretium erit, imo & necessarium eorum hic notitiam generalem, petitam ex Philosophia, & metaphysica, Tyronibus tradere; tum vt videre incipiant quam pulchra sit Logicæ huius materies, tum potissimum, vt materia cognita aliqualiter, Logicæ regulas possint exequutioni mandare.

Et quidem quia materia, circa quam ista Pars Logicæ versatur, sunt actus intellectus, siue Rationis, ipsa congru enter dicta est à *Seneca* Epistola 89. ad *Lucil.* S. *Augustino* lib. 8. de Ciuitate Dei capitulo 4. cum *Platone*. à S. *Thoma* Opusc. 70. cum *Boetio* 2. Ethic. & 1. Post. in principio *scientia*, & *Philosophia Rationalis*, & à nobis *Logica mentalis*, siue *Rationalis*, vt legis item supra num. 88. S. August. S. Thomas.

DISPVTATIO VII.

Ex parte maiori Philosophica de Apprehensione *prima, scilicet, Operatione intellectus; ac de regulis Logicalibus, quibus ea dirigitur, super librum Prædicamentorum.*

Qvoniam *Aristoteles*, vt scribit S. *Thomas* in principio libri 1. *Piriher.* 1120 Aristotel. S. Thom. sectione 1. *de his, quæ pertinent ad primam operationem intellectus, idest, de his, quæ simplici intellectu concipiuntur, determinauit in libro Prædicamentorum*, præsens hæc nostra disputatio erit eius libri secundus Commentarius, ibi enim Philosophus ipse, licet indirecte, de dirigenda apprehensione tractauit, vt superius adnotabam. sed vero ne actum agam, in præsenti non considero Prædicabilia, & Prędicamenta *obiectiue*, vt considerabam supra in Commentario secundo, sed tantum *subiectiue*, & formaliter. Hoc est, acturus sum de actibus simplicibus intellectus, qui prædicata, prædicamenta ve simplicia, & incomplexa repræsentãt, cognoscunt, præscindunt, & tanquã obiecta propria respiciunt; De illis nempe actibus, qui neque affirmant, nec negant, sed simpliciter rem apprehendunt; quos non obscure innuit *Aristoteles* dicens ad finem capitis 4. Prædicamentorum, *eorum autem, quæ incomplexa dicuntur, nullum neque verum, neque falsum est*. Sed clarius, vti explicat Aristotel.

S. Tho-

S.Thomas. S. Thomas in 3. de anima lect. 1. lit. E. dicens conceptus simplices, siue apprehensiones incomplexa cognoscentes, licet nec affirment, aut negent, & subinde propriè veræ non sint, esse tamen suo modo veras, si illa repræsentent, vt re vera sunt, & secundum quod quid eorum est.

Quia ergo vera nostra iudicia multum dependent ab apprehensionibus præuijs, *qualiter, enim quisque apprehendit, taliter solet iudicare*, idcirco bono consilio prius agimus de apprehensionis notitia, & directione. Sed vero quoniam conceptus mentis internos ad scholas adducere, neque in eis visendos producere potuimus, dum sumus in hoc mortali corpore, vtimur vocibus pro illis. *illorum enim voces signa sunt, & notæ*; nullus tamen putet nos hic iterum tractare, & considerare prædicamenta *instrumentaliter*, siue voces simplices ea significantes; id enim iam olim præstitimus in 1. par. Logicæ, & disp 1. quare in sequentibus plerunque ad verba, & vocales terminos non attende, sed ad conceptus, quorum illi sunt vicesgerentes. Aristotel.

Quæstio vnica declarat Apprehensionem *in communi, proprietates eius, & obiecta; sed præmittit triplicem esse Operationem intellectus.*

1121 S.Thomas. S. *Thomas* initio sui Commentarij super duos libros Perih. succincte, & præclare definit tres tantum esse operationes intellectus dicens. *sicut dicit Philosophus* in 3. de anima, cap. 6. *duplex est operatio intellectus. Vna quidem quæ dicitur indiuisibilium intelligentia per quã, scilicet, apprehendit essentiã vniuscuiusque rei in se ipsa: alia est operatio intellectus, scilicet, componentis, & diuidentis*. idest, enuncians aliquid de aliquo. *additur autem, & tertia operatio, scilicet, ratiocinandi, secundum quod ratio procedit à notis ad inquisitionem ignotarum. harum autem operationum prima ordinatur ad secundam, quia non potest esse compositio, & diuisio, nisi simplicium apprehensorum: secunda vero ordinatur ad tertiam, quia, videlicet, oportet quod ex aliquo vero cognito, cui intellectus assentiat, procedatur ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis*. quibus verbis complectitur breui S. Pater fere doctrinam vniuersam, quam tradunt Philosophi, circa numerum trium operationum intellectus. Aristotel.

SECTIO I.

Determinat an sit, quid sit, quotuplex, & propter quid Apprehensio: *vbi de Orationibus, quæ in ea reperiuntur. & iterum ostenditur* Definitionem Apprehensionem non esse, sed actum enunciantem.

Apprehensionem existere supponit, vbi supra cum *Aristotele S. Thomas*; & eam esse simplicem rerum intellectum, siue conceptum, atque propter secundam operationem intellectus, idest, propter iudicium, ad quod apprehensio ordinatur, vt medium ad propriũ finem; nos vero quoniam de veritate istius doctrinæ nihil dubitamus, respondebimus paucis, quatuor, vel quinque tituli quæstionibus. A ristotel. S.Thomas.

Respondeo ergo, & dico primo: *in rerum natura existit apprehensio*. ita est cõmunis sententia: & probatur. etenim apprehensio est cognitio simplex obiecti sine vlla affirmatione, aut negatione; sed in nobis sæpissime est eiusmodi cognitio, vt monstrat quotidiana experientia; ergo apprehensio existit. dicitur propterea apprehensio puerorum propria, & incipientiũ intelligere, non quia non item reperiatur in grandioribus, & doctioribus, sed quia pueri, & incipientes raro iudicant, contenti rerum simplici apprehensione. deinde appellatur prima operatio intellectus, & imperfectior cognoscendi modus, quoniã per eam incipit, vt ad perfectiores notitias progrediatur, sed tamen necessario, ita exigente nostro modo intelligendi, & natura, qua ita constituti sumus, vt prius res apprehendamus, ac deinde ab apprehensionibus illuminati, ac determinati de rebus apprehensis iudicemus.

Dico secundo. *apprehensio est simplex cognitio nil enuncians de alio formaliter*, ita tradunt expresse *Aristoteles*, & *S. Thomas*, supra num. 118. & in 3. de anima, lect. 11. lit. E. & *Communis*. Idest, est actus intel- Aristotel. S.Thomas.

1122 intellectus simpliciter repræsentans obiectum suum, sine compositione, aut diuisione, seu non affirmans, vel negans, cui propterea respondere non possumus mentiris, aut verum dicis; vnde dixit 2. Physicor. c. 2. *Aristoteles apprehendentium non est mendacium*, dicitur apprehensio *cognitio obiecti*. per quod generice conuenit cũ cæteris operationibus, seu cognitionibus intellectus; per id autem, quo dicitur *nil enuncians*, differt à cognitionibus iudicatiuis. dixi apprehensionem nihil enunciare formaliter, quia vere nunquam enunciat, licet non raro contingat simpliciter, & quasi materialiter apprehendi obiectum complexum integrum alicuius iudicij; vti quando puer quidam apprehendit simpliciter, quod viderit, nempe Ioannem interfecisse Parentem suum, & alia huiusmodi complexa, quæ frequenter, & nos simpliciter apprehendere solemus.

Aristotel.

Dico demum tertio. *Duplex in primis est apprehensio simplex*. alia est complexa; incomplexa alia. incomplexa dicitur, quæ vnum solum obiectum repræsentat, vt est illa, quæ repræsentat *animal*, aut *Petrum*. complexa vero est, quæ duo, aut plura obiecta simul repræsentat. atque hæc cõplexa apprehensio adhuc est duplex, aut quadruplex. Prima, quæ repræsentat duo, vt bene inter se cohærentia, vel, vt aiunt, vt vnita, quo modo sunt apprehensiones, quæ præcedunt determinantes intellectũ ad iudicia affirmatiua. Secunda est illa, quæ repræsentat duo, aut plura, vt inter se repugnantia, vel vt diuisa, qualiter sunt apprehensiones, quæ præcedunt determinando intellectum ad iudicia negatiua. quod si apprehensio complexa repræsentet significatum nominis, & verbi, erit mentalis oratio; sin minus oratio non erit.

Vnde infertur primò, semper, & necessario ad quoduis iudicium nostrum anteire apprehensiones iudicandę rei; quoniam, vt alebat supra S. *Thomas, non est enuntiatio nisi simplicium apprehensorum. & prima operatio intellectus ordinatur ad secundam*. per quam facta est tanquam propter finem; licet addi etiam possit, esse apprehensiones propter obiecta, quæ apprehenduntur; & propter animi, cui inhærent ornamentum, & profectum. necessitas autem, & officium apprehensionis ex dicendis præsertim quando agemus de Præmissis, plenius capientur.

S.Thom.

Infertur secundò; Orationes complures in apprehensione reperiri, quales sunt ex imperfectis omnes; atque ex perfectis, quæ enunciatiuę non sunt; quas oportebit iterum legere supra num 314. aduertendo mentales orationes esse, ac dici illos interiores actus, siue illas apprehensiones, quarum vocales orationes ibi annumeratæ, sunt Vicesgerentes, & quæ dicunt interius, quod voces illæ sonant, & significant exterius.

Infertur tertiò. contra graues Recentiores, qui rem examinarunt per transennam, *definitionem* in apprehensione, siue *apprehensionem non esse*. Vt probatum à nobis est supra num. 163. & 431. & hic confirmatur. quia *definitio* dicitur ab *Aristotele*, 6. Top. loco 13. & 2. Post. c. 10. & S. *Thoma*, ibi lect. 8. & sæpe alibi Oratio, Ratio, Medium, seu Principium, & præmissa immediata demonstrationis, conclusio, distincta à demonstratione ordine positionis quasi localis. Terminus, quia rem circumquaque comprehendens terminat. rursus quando ab eisdem definitio definitur, ac diuiditur ibidem, semper innuitur ignotũ, seu definitum. atque in definitionibus particularibus adductis pro exemplo subiectum, seu definitum exprimitur, siquidem propositiones formatæ afferuntur. consentit S. *Augustinus* indicans c. 6. Categ. definitionem esse scientialem demonstrationem; & fusius de quantitate animæ, c. 25. dicens hanc esse definitionem, *Homo est animal rationale, mortale*, & eam assertionem veram esse. & S. *Thomas* 3. de anim. lect. 11. lit. E. definitionem *simpliciter falsam* vocat, quando bona non est, & 9. m. lect. 11. lit. E. 1123

Arist. Aristotel. S.Thomas.

S. August.

S.Thomas.

Consonant omnes Theologi, Iureconsulti, Philosophi, Rhetores, & Grammatici videndi, vbi definitionẽ definiunt, & apud *Calepinum*, & *Ioannem Caluum* in lexico verbo *definitio*. & in *Euerardo in loco à definitione*. vbi afferuntur *Cicero*, *Boetius*, *Rodolphus*, & alij, qui tamen omnes temperandi, & intelligendi sunt iuxta à nobis dicta illo num. 431.

Rationes sunt. quia definitio est perfectus modus sciendi, idest instrumentum securum, & certa rei notitia, eius scientiã generans. est oratio secundum omnes, & consequenter verbo constat secundum

nostros

nostros Præceptores, vt vides supra n. 314. est perfectior modus sciendi, quam diuisio, hæc tamen propositio est: ergo illa nequit esse simplex apprehensio; quæ ex natura sua, est cognitio infirma quasi iners, elumbis, & inefficax, nihil certo sciens. secus excludenda erit à Logicæ obiecto, ab ijs, qui excludunt apprehensionem. neque contradicunt *Aristot.* & *S. Thomas* 1. Post. lect. 19. lit. C. dicentes *terminos*, quos item vocant *diffinitiones*, quia propositiones vtrinque concludunt, non affirmare, aut negare; nam indifferenter vocant diffinitionem subiectum, & prædicatum. nec in 3. de anima. lect. 11. lit. E. generaliter docentes apprehensionem esse quodammodo veram, si repræsentet rem incomplexá etiam vt est, tractant de Definitione, quæ rem complexam sine dubio repræsentat.

Aristotel. S. Thom.

SECTIO II.

Declarat qualis sit Apprehensio, *& quatenus putarit Aristoteles eam proprie nec veram, nec falsam esse; ipsius quantitatem, & obiecta.*

Dico primo. *apprehensio proprie loquendo non habet qualitatem*. id quod colligitur euidéter ex dictis à n. 349. & Probatur. quia in primis in apprehensione non est affirmatio, neque negatio, vt constat ex eius definitione; deinde, proprie loquendo, nec est vera, nec falsa, quia veritas, & falsitas consistunt in conformitate, vel difformitate actus enunciantis cum suo obiecto, *ex eo enim*, ait *Aristoteles*, cap. de Priori, *quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*; sed in apprehensione non sunt huiusmodi conformitas, vel difformitas coniunctæ cum affirmatione, aut negatione; ergo apprehensio nullam habet qualitatem. accedit, quod non solemus proprie dicere falli, aut errare illum, qui male apprehendit, sed illum, qui male iudicat.

Aristotel.

Maiorem, & minorem syllogismi nos docuerunt *Aristoteles*, & *Sanctus Thomas*, ille initio lib. Periher. ibi. *quemadmodum in anima est conceptus interdum sine veritate, aut falsitate, interdum est talis, vt horum alterum necessario competat, sic etiam in voce, nam verum, falsumque in compositione, diuisioneque consistit*. & Sacer Interpres ibidem in sua lect. 1. *sola*, Inquit, *Oratio enunciatiua, in qua verum, vel falsum inuenitur, interpretatio vocatur, intitulatur ergo liber iste de interpretatione, ac si diceretur de enunciatiua oratione, in qua verum, vel falsum inuenitur*. & 1. par. quæst. 16. artic. 2. corp. ad finem dicit. *proprie loquendo veritas est in actu componente, & diuidente; non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est*, scilicet in apprehensione, vt patet ex contextu. atque in his testimonijs edocemur nullam speciem qualitatis, idest, neque affirmationem, aut negationem; neque veritatem, aut falsitatem reperiri in prima operatione intellectus, sed in secunda, vt iterum ex *Aristotele* tradit S. Doctor 1. Periher. lect. 3. lit. B. sibi item consonat *Aristot.* 6. metap. cap. 2. & 9. cap. vltimo.

Aristotel. S. Thomas. S. Thomas. Aristotel. S. Thomas.

Dici autem possunt per quandam attributionem apprehensiones, quæ determinant ad iudicia vera, affirmatiua, vel negatiua, radicaliter, siue occasionaliter veræ, affirmatiuæ, vel negatiuæ, sicut & componentes, ac diuidentes: & simili modo, quæ determinant ad iudicia falsa affirmatiua, vel negatiua, radicaliter quoque, & occasionaliter falsæ, affirmatiuæ, vel negatiuæ; quia nimirum fuerunt occasiones, & quasi radices suo modulo, vtcumque vario cognoscendi, declarato nu. 1112. similium iudiciorum, in quibus formaliter, & proprie eæ qualitates reperiuntur. sed præterea. 1124

Dico secundo, *in apprehensione est quoque quodammodo veritas formaliter*. ita cum *Aristotele*, *Sancto Thoma*, & alijs dixerunt ante me PP. *Conimbricens.* in Logica, cap. de signis, quæst. 5. artic. 2. §. Deinde. & ratio dicti est *S. Thomæ* 1. parte, quæstion. 16 artic. 2. corp. quoniam imago quæcumque vera dicitur non incongrue, si repræsentet illud cuius est imago, seu imitago, & illi conformetur, quasi imitando illud; sed apprehensiones sunt hoc modo imagines, ergo veræ erunt, quandiu obiecta sua, vt sunt in se repræsentent, & cum illis se conforment. quocirca apprehensio, qua quis apprehendat

S. Thomas.

Pet rum

Petrum hominem, aut *Petrū esse animal*, vera erit, non tantum radicaliter, inquantum determinat ad hoc verum iudicium *Petrus est homo*, sed etiam formaliliter, quia est vera imago, & repræsentio rei, sicut in se est, & sic cum illa se conformat, assonat *S. Thomas*, item in Opusc. 48. tractat. de Interpret. cap. 6. & expresse tradit id ipsum cum *Aristotele* 3. de anima. lect. 11. lit. E. de apprehensione rei item incomplexæ.

Aristotel. S. Thomas.

Atqui etiam actus sensuum corporeorum participes sunt huiusmodi veritatis, sicut & conformitatis cum obiectis suis. Sed quoniam conformitas, & difformitas rigorosæ, & propriæ, reperiuntur solum, vbi est enunciatio, & sic in solis actibus, quibus respondere possumus mētiris, aut verum dicis, ideo absolute loquendo veritatem, & falsitatem reperiri solum in iudicio, atque discursu docent communiter Doctores; qui tamen vt veritatem, illustrent distinguunt duplicem veritatem sic. alia est perfecta, & complexa, quæ consistit in perfecta, & quasi efficaci cō formitate actus enunciantis cum obiecto: alia est simplex, & inefficax, quæ consistit in simplici, & inefficaci conformitate cum obiecto, nil affirmante, aut negante: & priorem illam veritatem dicunt cōuenire iudicio, atque discursui; posteriorem vero apprehensioni. ita procedunt *Conimbricens.* vbi supra in art. 4. *Ruiz* de scientia Dei disput. 87. *Hurtado* disp. 9. de anima §. 4. *Arriaga* hic disp. 14 sect. 4. & communiter Recentiores. & fauet *Vasquez* 1. par. quæst. 75. cap. 3.

1125 Dico tertio. *quāuis in apprehensione, & in actibus sensuum detur radicalis, & occasionalis falsitas, & item quodammodo radicalis & formalis veritas, verumtamen, nulla est in illis formalis falsitas, nec impropria dicta, sed*, vt loquitur cum *Aristotele* S. *Thomas* in 9. met. lect. 11. lit. G. *ignorantia*, nimirum in apprehendenti. Etenim simplices apprehensiones semper se conformant cum obiectis suis, & eorum sunt imagines veræ, & expressæ, quantumuis aliunde obiecta fictitia, & quasi falsa sint in se ipsis, de quo non curat apprehensio, contenta solum, si repręsentet ad viuum, quod sibi objicitur, verum, aut falsum, verum ens, vel apparens, aurum, siue aurichalcum; vnde vera semper est veritate incomplexa supra declarata: neque enim dici poterit apprehensio rei vnius, si eam rem illa non exprimat ad viuum, & vt est in se; sed dicenda erit apprehensio rei diuersę, nempe illius, cuius imago sit; licet eiusmodi res præter intentionem, aut per errorem apprehensa sit. Cui doctrinæ consonat *S. Thomas* 1. par. quæst. 16. art. 2. & q. 17. a. 3. c. & quæst. 85. artic. 5. ad 1. sed euidentius cum *Aristotele* in 3. de anima lect. 11. lit. E. & 9. metaph. lect. 11. lit. E. & G. quare, dum dicitur quis male apprehendere; & sic falsa dixisse, non ideo dicitur male apprehendisse, quia habuerit falsam apprehensionem, sed quia rem, quam putabat apprehendere, non apprehendebat, vt erat in se, sed vel aliam loco illius, vel eam cum aliqua additione, aut diminutione apprehenderit, & exinde ansam sumpserit ad male, aut falso iudicandum. apprehensio ergo complexi etiam illius *Petrum asinum*, vel *Petrus est asinus*, est vera, quia est expressa imago Petri, & asini, vel chimæræ compactæ ex his duobus; & subinde repræsentat ea obiecta secundum quod quid sunt. quod colligo ex *S. Thoma* responso ad illud primum, & *Aristotele* locis allegatis, ex quibus eruitur illud. *apprehendentium non est deceptio, nec mendacium*. sicut in his vocibus, *complexum ex Petro, & asino, chimæra*, & similibus nulla est falsitas.

Aristotel. S. Thomas.

Aristotel. S. Thomas.

Aristotel. S. Thomas.

Dico quarto *obiecta apprehensionis simplicis, seu primæ operationis intellectus, sunt omnia illa, quæ sunt obiecta intellectus*; nempe cognoscibilia omnia; quo modo sunt primario vera omnia entia, & positiua; deinde entia negatiua, ficta & apparentia. ex quo facile apparet quāta sit apprehensio, nam apprehensio, vt sic concepta, & in communi, videbitur habere quantitatem infinitam, siquidem se extendit ad infinita cognoscibilia. sed descendendo ad particulares apprehēsiones, illa dicetur habere quantitatem particularem, quæ obiectum particulare repræsentet, & illa vniuersalem, quæ vniuersale: & ita de reliquis dicendum iuxta dicta de vocum quantitate à n. 349. vnde deducitur ista definitio pro quantitate omnium actuū vitaliū, *quātitas est extensio, vel limitatio, secundum quā actus quilibet plura, pauciorave obiecta repræsētat*.

SE-

SECTIO III.

Supponit ex alibi dictis Apprehensionem capacem esse directionis logicæ, indicat regulas, quibus de facto dirigitur, & statuit in ea non esse terminos mentales.

1126 Apprehensionem esse capacem logicæ directionis, & artificiosæ, probaui contra quosdam, & regulas, quibus re ipsa dirigitur proposui supra in Præfatione num. 102. §. *Sed contra*. & vberius à num. 763. quod si in eis locis non inueniantur regulæ omnes, quæ seruiunt apprehensioni dirigendæ, facile venient in mentem, quæ desiderentur, ibi præscriptas contemplanti, ne nos eadem sæpius repetere cogamur.

Preterquamquod simplex apprehensio illustratur quoque, ac dirigitur à tota logicali doctrina speculatiua, si tamen ea logicalis est, & non potius metaphysica, quæ videlicet in toto Commentario præcedenti declarauit, ac definiuit, quid essent prædicabilia, quid rationes cæteræ analogę, & quid prædicaméta vera, & ficta, qui enim ea omnia scit quoadquid sunt, siue definire, facile, ac directe eadem postmodum efficiet, ea apprehendendo, & abstrahendo. Vnde qui scit speculatiue quid sit genus, vel aliud prædicabile, facile illud abstrahet; & similiter efficiet definitionem, qui sciat eam constare genere, ac differentia, directus ab ea sua scientia speculatiua sola, quin attendere necesse habeat ad regulas Logicę practicæ generalis. quæ fuit sententia *Aristotelis & S. Thomæ*, vt animaduerterunt ante me *Conimbricens.* PP. lib. 1. Prior. cap. 1. in Commentar. §. *neque obstant*, dicentes ibi. *idem est docuisse quid sit demonstratio, & quo pacto fiat*. nimirum idem æquiualenter.

Aristotel. S.Thom.

Propterea non absurde opinaretur, qui existimaret satis superque esse ad dirigendas tres operationes intellectus, imo & ad disponendas voces, & adaptandas res Logicam speculatiuam solam, eam nimirum, quæ procedit definiendo modos sciendi omnes, & subiecta, & prædicabilia omnia; etenim eiusmodi doctrina, licet in rigore loquendo sit scientia metaphysica, sed tamen merito addi potest cumulo Logicæ, & ab illa auferri, vt huic adscribatur, & hæc magis ornetur, & succrescat, quamuis accessione rei alienæ; quoniá ita videtur placuisse doctoribus, præsertim Recentioribus, qui quandoque pro arbitratu posse se putant de scientijs disponere; & cum eisdem, iusta causa existente, dispensare, vt hæ cum alijs coniungantur.

Rursus supra num. 273. sic definiebam vocem siue terminum vocalem in communi, *Terminus est, in quem resoluitur propositio tanquam in subiectum & prædicatum*. quæ definitio conuenit etiam modo suo termino mentali. necesse ergo est ac hoc, vt mentalis terminus sit verè terminus, quod sit, aut possit esse extremum propositionis, & pars quasi subiecta aut prædicata, idest, quasi subijciens, & prædicans actiue res, quæ proprie subijciuntur & prædicátur, iuxta ea, quæ olim notabamus loco allegato, declarantes quo pacto voces dicantur, & sint subiecta, & prędicata. quare cum apprehensio nunquam possit esse extremum, nec pars iudicij, aut propositionis, terminus nequit esse; nec in prima operatione intellectus aliqui termini vnquam reperientur; & consequenter vocales termini nunquam pro apprehéſionibus supponentur; licet sint voces, quæ significent apprehensiones, & pro eis supponi possint extra propositiones, vti dicebamus; quæ tamen voces, quatenus supponuntur pro apprehensionibus, & earum vices gerunt, termini vocales in rigore non erunt. quæ doctrina roboratur infra, vbi probatur iudicium siue assensum, dissensumue esse vnam simplicem qualitatem, & non apprehensionum congeriem. 1127

SECTIO IV.

Respondet nonnullis obiectionibus contra doctrinam sectionum præcedentium de Apprehensione.

Primo obijcis, apprehensio non semper est simplex cognitio, ergo nó bene dicitur in definitione omnis apprehensio simplex. antecedét patet; nam multæ sunt com- 1128

complexæ, & quasi compositæ apprehensiones; nempe orationes, quæ ad minus repræsentant significata nominis,& verbi; & aliæ,quæ alia complexa,apprehendunt, quales sunt hæ. *Domine exaudi orationem meam, & deprecationem meam, & gemitus meos. Heus Petre amice, saluus ne est Pater meus? fac hoc serue.* & similes.

Respondeo primam operationem intellectus vocari simplicem,non quia semper, ac de necessitate cognoscat simplex vnum obiectum, sed quia non enunciat componendo, ac diuidendo; seu quia non affirmat, nec negat. quare aliatæ apprehensiones,licet complexæ sint, sunt simplices idest simpliciter, & sine enunciatione obiecta sua cognoscentes, propterea dici etiam solent apprehensiones quasi inefficaces, ad differentiam iudiciorum, quæ efficaces cognitiones dicuntur, propter similitudinem,quam illæ habent cum velleitatibus, & hæc cum actibus efficacibus volútatis,vti magis declarabitur Inferius.

Secundo obijcies. omnis actus intellectus dicitur,& est apprehẽsio proprij obiecti, ergo apprehendere competit non soli primæ operationi intellectus,verum etiam secundæ,& tertiæ. Respondeo concedendo totum, quia omnis actus intellectus sicut à Latinis Vocatur,cognitio, notitia, imago obiecti,& repræsentatio, signum formale, Intellectio, conceptus, siue conceptio, & huiusmodi aliter; sic etiam vocatur apprehensio, sed tamen nomen hoc *simplex apprehensio*, signatè Indicat primam operationem intellectus; quinimo,& nomen *apprehensio* nude prolatum illam innuit plerumque nisi aliud adnotetur, præsertim in scholis. quemadmodum licet Pater diuinus sit spiritus, & sanctus, & similiter sit Filius eius, iam Ecclesiæ vsus obtinuit, vt nomen *Spiritus sanctus* tantum significet tertiam Personam Trinitatis.

Obijcies tertio. apprehensio sæpe apprehendit vnionem prædicati cum subiecto, ergo sæpe simplex non est, sed componit, ac diuidit aliquando. antecedens concessum à nobis est supra; & probatur, quia non solum attingere solet apprehensio prædictam vnionem, quando procedit dubitando, vel interrogando sic. *Paterne vtitur bona valetudine? Ioannes est Domi? an non?* sed etiam asserendo resolutorie sic *Pater saluus est. Ioannes est Domi.*

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam;& ad probationem antecedentis dico ea obiecta, & similia apprehendi simpliciter ab apprehensione complexa non formaliter enunciante, sed solum quasi materialiter repræsentante illa eadem obiecta, quæ solet repræsentare iudicium diuerso modo, & energia valde differenti; etenim Iudicium quasi efficaciter procedit dum asserit, vel enunciat hoc prædicatum conuenire,aut non conuenire subiecto illi; apprehensio autẽ efficaciam non habet, sed simpliciter est imago obiecti, quasi inefficax: istud vero genus apprehensionum inefficacium, licet complexarum, frequenter contingit esse in pueris paruulis repetentibus more psytacorum,quę audierunt à grandioribus; neque enim ipsi indicant, aut sententiam in actu exercito ferunt,sed suspensi adhuc manent post apprehensiones suas, quas exterius manifestant, quando simpliciter & sine malitia dicunt. *iuro per Deum Pater meus est improbus. Mater mea stulta.* & huiusmodi, propter quæ male dicta à nutricibus statim carpuntur, vt deinceps talia non proferant; quæ tamen illi balbutientes protulerunt, & innocenter, sane,vt reor, sine affirmatione, & negatione formalibus. 1129

DISPVTATIO VIII.

De secunda operatione intellectus definienda, ac dirigenda, nempe de iudicio, *super duos libros de* Interpretatione; *sed prius de nostris, & Philosophi scopo, & intentione.*

IN duobus libris Periher. siue de *Interpretatione* egit *Aristoteles* de nomine, & verbo, & varijs orationibus, & propositionibus vocalibus, & ideo librorum horum primaria materia,& obiectum sunt voces, vt 1. par. Logicæ monstratum est. Philosophi quippe intentio fuit, & finis dirigere secundam operationem intellectus, vt author est S. *Thomas* initio 1. libri, lect. 1. dicens *Aristoteles* in libro Periherm. *determinauit de his, quæ pertinent ad secundã operationẽ intellectus*; hoc est ad ipsius declarationẽ, & directionẽ, quã

quidem Philosophus ex bona vocum dispositione assequitur, licet indirecte; qui enim directe loquitur, supponit sine dubio actus mentis directos, vt perspicue declarabam olim nu. 40. 110. & 114.

1130 Nos tamen in præsenti directe magis agemus de mentalibus nomine, & verbo, de orationibus, & propositionibus internis, accommodantes nos tam consuetudini Dialecticorum, qui hic tractarunt non solum de vocibus cum *Aristotele*, sed de actibus mentis, quorum illæ sunt Vicariæ sensibiles, tum etiam intentioni Philosophi eiusdem, quæ, vt nuper dicebam, fuit declarare quodammodo, & dirigere iudicium, siue secundam operationem intellectus.

Sed quoniam in decursu disputationis huius dicturus sum mentalem propositionem esse simplicem qualitatem, vnicum actum, & non congeriem plurium apprehensionum, idcirco tracto de terminis mentalibus in hac eadem Disputatione, quando sermo est de propositione mentali: quia termini mentales non sunt integræ aliquot apprehensiones, vt opinantur nonnulli, sed particulę quędam, & formalitates propositionis interioris, vt iam declaro.

QVAESTIO I.

Tractat de Termino, Nomine, & Verbo Mentalibus. De Termini speciebus, & proprietatibus. Postquam de Signo pauca præmiserit.

Signum formale, siue mentale in communi, quod definiui supra num. 204. *est quidquid absque præuia cognitione sui aliud à se diuersum nobis repræsentat.* quæ definitio licet quadret omnibus actibus potentiæ cognoscitiuæ, tamen nunc potissimum accommodatur actibus intellectus. lege tu, quæ ibi dicta sunt, & ego ad terminos mentales transibo, & videbo quomodo tam variæ illæ voces, & termini, quos olim appellabamus Vicarios conceptuum mentis, habeant in mente actus Proprietarios sibi correspondentes; incipiam tamen á terminis non ab integra propositione, hic obiter aduertendo signa, nomina, & verba, in simplici operatione intellectus reperiri; *terminos* vero proprie loquendo, in secunda tantum, & in tertia; vbi nimirum est ennunciatio, seu propositio, & ipsius extrema, & partes, aut quasi partes.

SECTIO I.

Decernit quid & quotuplex sit Terminus mentalis, & Nomen definit.

Terminus mentalis est *signum formale naturale, in quod resoluitur propositio tanquam in repræsentans subiectum, vel prædicatum.* vel *est extremum propositionis mentalis.* idest, est quædam veluti simplex particella propositionis mentalis, quæ est signum formale naturaliter repræsentans rem, quæ est propositionis obiectiuæ subiectum; vel rem, quæ est eiusdem prædicatum; quando enim dicis mente, *Petrus est animal*, vel habes in mente tres apprehensiones, vt quidam opinantur, vel habes, vt ego reor, simplicem actum distinguibilem in tres quasi particulas per intellectum; quarum vna respondet subiecto, alia verbo, tertia prędicato. Vnde ab aliquibus quasi per abusum prima apprehensio, vel particula dici solet subiectum, secunda verbum, tertia prædicatum: melius nos loquimur eas appellantes repræsentatiuas subiecti, verbi, & prædicati, vel etiam subijcientes, & prædicantes quasi actiue, & formaliter res, quæ vere subiecta, & prædicata sunt, iuxta ea, quæ docuimus supra num. 273. & alibi, & nunc repetemus cum Toleto. atque ex ista declaratione apparet, in quo conueniant, ac differant inter se termini mentales comparati cum vocalibus, scriptis, & cum terminis distantiæ, & locorum. 1131

Bene ergo distinxit *Toletus* munera distincta vocum, rerum, & conceptuum in prædicationibus exercita, & propositionibus dicens in 3. Præludio Prædicamentorum. *existimo dicendum res prædicari, dici, ennunciari; voces vere prædicare instrumentaliter, dicere, & ennunciare; conceptus vero formaliter; intellectum effectiue v. g. si petis quæ est causa effectiua prædicationis? est intellectus. si petis per quid prædicat, aut indicat formaliter? sunt notitia, &* con-

cenc epeus iudicatiui, si petas instrumenta? voces dicam; at quid prædicatur? dicam res; vnde res sunt prædicatum, & subiectum passiuum, quod alij prædicari obis. Siue vicant, voces & conceptus sunt prædicare quasi actiuum.

1132 Multiplex est terminus mentalis, primus, & principalis est *vniuocus*, qui est illa formalitas iudicij, quæ repræsentat ex parte prædicati, vel subiecti rem singularem aliquam, vel rationem vniuoce communem pluribus; vnde termini vniuoci huius propositionis, *Petrus est animal*, sunt particulæ eius enunciationis mentalis correspondentes extremis repræsentatis. Secundus est terminus *concretus*, nempe ille, qui intra propositionem repræsentat habens, & formam habitam. tertius est *abstractus*, qui solum repræsentat formam habitam. qui vero sint abstracti vltimi, & non vltimi, concreti vltimi, & non vltimi, substantiui, & adiectiui, & eiusmodi aliter, colligite vos ex rebus, & obiectis, quæ repræsentant, & ex terminis vocalibus, quibus ea obiecta significantur, legentes iterum, quæ dictauimus in 1.par.Logicæ, disput. 1. & 2. Denique *nomen mentale erit quicumque actus intellectus, vel quæcumque eius pars, quæ intra orationes, vel extra, repræsentet significatum nominis, vel cuius nomen vocale sit Vicarium, & interpres*. siquidem nomina sunt quoque signa conceptuum, & *vox vna conceptionis compositæ partem*, aut quasi partem, *significat*, vt S.Thomas. ait S. *Thomas*, 1. Perih. lect. 4.

SECTIO II.

De Verbo mentali, Terminis mentalibus syncategorematico, & Mixto; ac de alijs, qui in mente non sunt, vbi nonnihil de cognitionibus Indiuidui Vagi, & veritatis Propositionis Disiunctiuæ.

VErbum mentis dicitur, & est quicumque actus intellectus, vt in libris de anima edocemur, quoniam omnis actus intellectus est quædam interior loquutio; sed modo non vacat tractare de hoc verbo, in ea acceptione, sed de illo, quod solet simul incedere cum nomine, cum eo componendo varias orationes, vel propositiones mentales; nempe de verbo mentali, cuius est Vicarium sensibile, & interpres vocale verbum declaratum supra à num. 264.

Est ergo verbū mentale formalitas actus intellectus formaliter repræsentans aliquam actionem, vel quasi actionem, & eius tempus, & simul repræsentans vnionem, aut separationem, quæ in aliquo tempore, vel semper intercedere solent inter subiecta, & prædicata, quæ intellectus cognoscit simpliciter, aut asserit. Siue, vt vno verbo dicā, verbum mentale est quidquid repræsentat illud, quod significat verbum vocale sibi correspondens, definitum loco citato, adiunctis paucis, quæ hic superaddemus. Dicitur in ista descriptione *formalitas* verbum mentale, quia est, quasi pars orationis internæ ratione distincta à socijs, non integra aliqua, & realis apprehensio, vel oratio. vt apparet ibi. *Petrus est animal. Petre amas me?* vbi verba mentis sunt, quæ repræsentant significatum illius *est*. & illius *amas*.

Vnde infertur in mente reperiri non tā tum syncategorematicum terminum, sed mixtum, nempe ex syncategoremate, & categoremate quasi compositum. patet quia verbum iuxta dicta num.243. quandoque est vox syncategorematica, quandoque mixta, vt videre est in his mentalibus propositionibus. *Petrus est animal*. vbi *est* syncategorema est, quia dicit puram vnionem. *Petrus currit*, vbi *currit* est terminus mixtus, quod valet, vt ait supra *S.Thomas*, *Petrus est currens*. sicut *Deus est* vbique valet, *Deus est existens in omni loco*. Sed vero, quia tenuissimum est syncategorema obiectiuum, & ex alia parte relatiuum; siquidem si vnio, aliquorum est vnio; si separatio, aliquorum est inuicem disiunctio; ideo videtur impossibilis actus mentis integer, qui syncategorema obiectiuum purum repræsentet. concordat hæc doctrina cum Philosophi 1.Periher. cap. 3. 1133 S.Thomas. Aristotel.

Deinde opinor in mente non esse vllum terminum materialem, sed omnes esse formales, idest, aliquid à se distinctum repræsentantes, si nullus est actus intellectus, qui adæquate de se loquatur, & seipsum adæquate, & non aliud repræsentet, quin vlla intercedat distinctio inter repræsentans, & repræsentatum,

vt videtur probabilius. Secundo indico in mente non reperiri terminum æquiuocum. & ratio est, quia nullus est actus intellectus, qui non sit signum naturale alicuius certi, ac determinati obiecti; Vox autem *canis* v.g. imponi libere potuit ad significanda plura indeterminate. & ob eandem rationem credo quod non sit in mente terminus analogus, ni forte is stet pro famosiori significato, aut analogato primo, tunc enim non analogus, sed vniuocus terminus fit, sicut etiam fit æquiuocus, vniuocus ex circumstantijs. iam vero supra à num. 965. stabilitum est dari in mente conceptum abstrahentem rationem entis analogam, dictam ab aliquibus, quæ quidem quodam modo, & sufficienti determinata est, & potens terminare actum determinatum intellectus ipsam cognoscentis, ac præscindentis.

Sed cõtra dicta de termino æquiuoco esse videtur communis opinio, quę admittit in mente cognitiones tum Indiuidui vagi, tum significati propositionis disiunctiuæ; dicimus enim mentaliter *aliquis homo mouetur*, & iterum, *Petrus currit, vel dormit*, & huiusmodi aliter. potest ergo dari in mente cognitio, quin sit repræsentatio determinati obiecti, sed quæ repræsentet plura, vt plura, qualiter repræsentat vox *Canis*.

1134 Respondeo concesso antecedenti cum communi sententia, sed negando consequentiam; & discrimen est; etenim cognitiones indiuidui vagi, atque Disiuncti, non carent determinato, idest certo suo obiecto, siquidem aliquis homo, & significatum orationis disiunctiuæ, aliquid indeterminatum est, & sic aliquid certũ in indeterminatione sua est, potẽs determinare actum saltem confusum, idest, talem, qui licet sciat aliquid, tamen determinare nesciat, quis homo moueatur, & vtra categoricarum vera sit; cum tamen sæpe certo sciat aliquem hominem moueri, & alterum ex assertis sub disiunctione verum omnino esse. nihil autem huiusmodi video elucere in obiecto termini æquiuoci, neque enim confuse significat canem aliquem, neque sub disiunctione hunc, vel illum; & ideo absolute dicendum in mente non esse, circa quæ lege optima à n. 415. & 707.

SECTIO III.

Declarat aliquot proprietates Terminorum mentalium, quæ communes sunt omnibus actibus intellectus.

IN Disp. 2. Summul q. 1. egi per sectiones plures de varijs propriet atibus terminorum vocalium, ac de varijs eorundẽ suppositionibus, & vsu multiplici, quarum ferme nullam video competere termino mentali. ratio generalis est, quia dum sumus in hoc mortali corpore non solemus supponere actus mẽtis pro alijs, quorum vices gerant. Sed quoniam supra animaduerti posse à Deo, Angelis, aut à Beatis, seu etiam ab animis separatis imponi actum quendam intellectus ad aliquid aliud significandum ad placitum.

Addo primo talẽ actũ supponi posse loco eius significati. addo secundo, in Patria cęlesti, quo conuehere non poterimus historias scriptas, & res cõplures, suppositum iri a nobis actus intellectus pro eiusmodi rebus, quas velimus alijs spiritibus manifestare, quandiu externis vocibus, vti nolimus, in quibus actibus Beati spiritus videbunt quidquid mentaliter illis dixerimus; queadmodũ plurima vident in verbo Dei, veluti quasi in imagine expressa, quæ veluti suppositæ est loco rerũ; vnde plus quam merito dixerit S. *Gregor.* in 4. Dialo. quem refert S. *Tho.* 1. p. q. 12. ar. 8. *quid est, quod non videant, qui vident em omnia vident.* S. Thomas.

Lege per otiũ proprietates reliquas loco superius allegato Summularum, & applica, quas potueris, mentali termino, siue actibus intellectus quibuscumque; nam, vt tute vides, in supra modo dictis, supponi nõ tantum quadrat mentali termino, idest, formalitatibus propositionis, quæ sunt tanquam subiecta, & prædicata, verum etiam integris apprehensioni, iudicio, atque discursui, vt quoque annotaui supra n. 288. 1135

QVAESTIO II.

De mentali Propositione, siue Iudicio in communi, de ipsius speciebus, proprietatibus, & obiecto.

CVncta formè, quę de Iudicio dicemus in quæst. præsenti, conueniunt simul discur-

discursu, inquantum ipse est assensus quidam, & enunciatio, vt planum fiet contemplanti. id quod hic prænotasse, claritudinis ergo, operæ pretium fuerit.

SECTIO I.

An sit, quid, & quotuplex iudicium, siue Propositio mentalis; vbi cur dici soleat Compositio, *atque* Diuisio *exponitur; & eius obiectum.*

Experientia demonstrat existere in rerum natura Iudicium. id vero est *cognitio spiritualis formaliter, & quasi actiue enuncians aliquid de aliquo.* vt hæc. *Deus est bonus. Damon non est iustus.* & huiusmodi mentis nostræ propositiones negantes, & affirmantes.

Multiplex est iudicium, seu propositio mentalis, nempe iuxta modum, & numerű, quo supra à n.321. vsque ad n.417. diuisa est propositio vocalis. legantur quæ ibi dicta fuerunt, & applicentur instituto præsenti. de alijs autem diuisionibus Iudicij successiue agemus in sequentibus.

Aristotel. *S.Thomas.* Vocatur communiter Iudiciű ex Philosopho in 1.Periher. & S. *Thoma* ibi, & 1. p.quęst.58.art.4. *Compositio*, atque *Diuisio*. omissis vero aliorum subobscuris interpretationibus, quas habes apud P. *Vasquez*, 1. par.disp.223.c.1.& 2. dico iudicium affirmatiuum dici compositionem *quia ex modo procedendi, & enunciandi coniungit, & quasi componit prædicatum cum subiecto*. vt ibi. *Petrus est animal Ioannes est albus. Paulus componitur anima, & corpore*. iudicium vero negatiuű appellari diuisioné, *quatenus ex modo suo procedendi separat, ac diuidit prædicatum à subiecto*. vt apparet ibi. *Petrus non est lapis. corpus non est spiritus.* ita colligo ex *Aristotele*, & *S.Thoma* 1.Periher.lect. 3. lit.B. *Aristotel.* *S.Thomas.*

1136 Vnde deduco primo, iudiciű id vtrumque semper facere, aut supponere distinctionem aliquam inter prædicatum suum, atque subiectű; siquidem duo necesse est esse, vbi futura est compositio, vel diuisio. secundo reperiri posse compositionem, ac diuisioné etiam in actu simplici enunciante; simplex enim qualitas est quodlibet iudicium nostrum, & tamen compositio est, atque diuisio propter dicta; quare non reputo necessum esse ad compositionem, vel diuisionem, multitudinem conceptuű, aut apprehensionű congeriem, quarum altera attingat subiectum, altera prædicatum, quamuis credã cum *Arist.* & *S. Thom.* supra n.1121. allegatis, ad quoduis nostrum iudicium præcedere necessario simplices apprehensiones indicandorű; id enim contingit in nobis ex necessitate quadam naturæ, & imperfectione in cognoscédo, materialiter, & quasi concomitanter solű, respectu *compositionis*, ac *diuisionis*, quæ ibi reperientur, vbi earum supradictæ definitiones.

Quare an alius intellectus quicũque ille fuerit, componat, aut diuidat, dum dixerit, *Petrus est iustus. Ioannes constat anima, & corpore particularibus. Michael non est iniustus*, aliorű esto iudiciű. illud ego assero, quod nimirű non componat intellectus, nec diuidat, si ad id necesse sit partiri obiectű in formalitates ratione distinctas, quas aliunde talis intellectus nequeat partiri, vt contingere diuino, & sæpe Angelico intellectui putant plerique Doctores.

Denique obiectű Iudicij mentalis adæquatum est quidquid enunciabile de alio est, affirmatiuè, & negatiuè, idest, quidquid à nostro intellectu de alio potest prædicari quomodolibet, intrante quoque in id obiectum illud aliud, quod est prædicationis subiectum. Vnde res omnes veræ, vel apparentes, & illa omnia, quæ supra dicebam, esse obiecta apprehensionis, constituunt obiectum integrum Iudicij.

SECTIO II.

Statuit omne Iudicium, mentalemuè propositionem esse simplicem qualitatem; & argumentis respondet.

Disquirimus an, sicut propositio vocalis constare solet duabus, vel tribus vocibus, quæ sunt loco subiecti, vnionis, & prædicati, vt hæc, *Petrus est homo*, ita similiter propositio mẽtalis cõstet tribus actibus internis, seu tribus apprehẽsionibus illis vocibus correspondẽtibus, & earű significata repræsentãtibus; ita quod mẽtale iudicium, siue propositio interior, non sit vna 1137

 simplex

simplex qualitas, aut vnicus actus, sed multorum congeries.

In qua quæstione putamus dicendum, iudicium quodlibet esse simplicem qualitatem formaliter, sed virtute quasi multiplicem, & compositam. ita dixerunt ante nos *Conimbricens.* hic cap. 4. qu. 4. art. 3. *Card. Toletus* in 3. de anima. q. 19. P. *Hurtado* dis. 7. de anima sect. 2. *Castilius* lib. 1. cap. 2. *Arriaga* disp. 6. de anima sect. 4. & alij Antiqui, & ex modernis complures, & Probamus primo, quia possibilis est actus vnus, & simplex, qui assertiuus sit, & iudicet *Petrus est homo*, sicut possibilis est vna simplex vox, quæ in sensu æquiualeat eis tribus, aut pluribus, (vt dicebamus supra num. 279.) & vna simplex apprehēsio, quæ plura obiecta simul repræsentet; & vnus actus amoris, qui plura obiecta simul amet; & aliunde nihil prohibet, nec suadet appositum, vt apparebit in solutione argumentorum, ergo omne iudicium est simplex qualitas.

Probatur secundo. nam communis sētentia distinguit secundam operationem intellectus à prima, & merito; quoniam Prima simpliciter, & quasi inefficaciter cognoscit obiecta sua, nempe sine affirmatione, & negatione; secunda vero quasi cum efficacia affirmat, aut negat aliquid de alio; ergo secunda operatio, siue iudicium non componitur ex inefficacibus apprehēsionibus; sed est alia simplex qualitas, sed efficacior entitas,

Probant tertio Recentiores. quia iudicium consistit in cognitione assertiua, vel remotiua vnionis prædicati cum subiecto, vel à subiecto; sed talis cognitio est simplex vnus actus, ergo. maior, & consequentia patent. minor probatur. quia per eumdem actum, quo cognoscitur vnio duorum inter se, vel separatio eorum ab inuicem, intelliguntur necessario ea duo, testante Philosopho 1. lib. Periher. C. 3. impossibile esse intelligi vnionem, quæ est inter extrema duo, quin etiam extremum vtrumque intelligatur; ergo idem actus, qui attingit, & intelligit vnionem prædicati cum subiecto, attingit id vtrumque vniri; ergo simplex, & vnus est, & non multorum congeries, actus iudicatiuus.

Aristotel.

1138 Sed contra stant *Sotus* lib. 3 Summul. cap. 6. notabili 4. *Rubius* lib. 1. Periher. cap. 4. quæst. 4. & alij plures, qui credūt iudicium esse collectionem trium apprehensionum, pro quibus objicitur primo, vocalis propositio non est simplex qualitas, ergo neque mentalis. Respondeo distinguendo antecedens; vocalis propositio non est simplex qualitas de necessitate, nego antecedens; ex mero libito hominum, concedo antecedens. linguarum nimirum Impositores voluere propositiones vocales constare pluribus vocibus, cū tamē possent velle eas cōponi vna voce sola. imo vero quotidie qui loquuntur, & scribunt. *Se entienden per Zifra*. vna sola voce, vel etiā vna sola litera, aut caractere scripto vtūtur pro vna, aut pluribus integris propositionibus, atque sententijs, quare argumentum hoc nihil conuincit, sed id contra aduersarios retorquebamus supra sic. vna sola, & simplex qualitas externa, qualis est vna sola vox, potest esse vna propositio externa; ergo potiori iure potuit propositio interna esse vna simplex qualitas, aut entitas sola.

Secundo objicitur. Deus, & Angeli iudicant, & intelligunt per vnicam, & simplicem qualitatem, aut quasi qualitatem, nempe, per indiuisibilem actum; ergo nos homines imperfectiores, non tantum in nostro esse, sed in nostro modo intelligendi, non iudicamus per simplex iudicium, sed per compositum ex apprehensionibus multis. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; in alijs multis vincimur, & superamur à Diuina scientia, & Angelica, & ab eorum iudicio, & modo intelligendi, licet in re præsenti nostra scientia, iudicium, & modus intelligendi quodammodo illorum similia sint. nempe quantum ad simplicitatem iudicij excludentis etiam in nobis multitudinem actuum.

Tertio objicitur. Simplicitas interioris iudicij sumenda videtur à simplicitate obiecti; ergo quando obiecta sunt plura, actus ea cognoscens non erit vnus. ergo iudicium categoricum, vel certe hypotheticum est actuum plurium collectio; siquidem iudicium vtrumque versatur circa plura obiecta. Respondeo negando antecedens, & consequentias ambas; quia ea est eminētia actus intellectus, vt vnus cum sit formaliter, eminenter, & virtute sit quasi multiplex, idest, cognoscere pos-

posſit plura obiecta. quare ad ſummum dici poterit complexus, aut quaſi compoſitus virtualiter, quatenus æquiualet pluribus præſertim actus hypotheticus; vt
1139 ille. *Petrus currit, & Ioannes ſtudet*. qui eſt vnus, & ſimplex, ſed æquiualet duobus illis. *Petrus currit*. *Ioannes ſtudet*. vel etiam ille. *omnis homo eſt animal*, qui æquipollet infinitis actibus, vt explicabamus num. 328. Demum doctrinam hanc facit veram exemplum petitum à noſtra voluntate, quæ per vnicum actũ amare poteſt, & ſolet Deum, & ſimul propter ipſum innumeras alias creaturas. & confirmant ea, quæ tradunt S. *Thomas* S.Thomas. 1. par. quæſt. 85. art. 4. ſub titulo illo *Vtrum poſſimus multa ſimul cognoſcere*, & eius Interpretes.

SECTIO III.

De Veritate, & Falſitate Iudicij, ſeu mentalis Propoſitionis.

Ariſtotel. S.Thomas. S.Auguſt. DE his qualitatibus tractarunt *Ariſtoteles* hic cap. *de ſubſtantia*. & io 6.& 9.& Metap. S. *Thomas* in 6. lect. 4. & in 9. lect. 11.& 1. par. quæſt. 16. fuſe de *veritate* per totam. & de *Falſitate* tota quæſt. 17. & locis allegandis infra. S. *Auguſtin.* fuſe item vbi affertur à S. *Thoma*, tomo 3. lib. 2. de Doctr. Chr. c. 35. PP. *Suarez* diſp. 8. Metaph. ſect. 2. *Vaſquez* 1. par. diſp. 76. cap. 1. *Rubius* in cap. 4. quæſt. 3. *Conimbricenſ* in cap. 1. de Signis. quæſt. 5. art. 1. *Hurtado* diſp. 9. de *Anima*. ſect. 3. *Arriaga* optime hic diſp. 14. nos breuiſsime, ne actum agamus, dicemus Iudicium noſtrum.

Prima Pars Sectionis explicat quid ſit, & quotuplex, Veritas & Falſitas.

S.Thomas S.Auguſt. VEritas in communi, vt ſuppono ex meliori Metaphyſica, & colligo ex S. *Thoma* 1. par. quæſt. 16. art. 1 & S *Auguſtino* allegato ibi, *eſt adæquatio, ſimilitudo, & conformitas rei vnius cum altera, quæ illius eſt veluti menſura, & exemplar*.

Triplex eſt veritas. Prima eſt veritas in ſignificando, quæ eſt ſignificatio vocalis propoſitionis, vel orationis, conformis cũ re ſignificata. Secunda dicitur veritas in repræſentando, ſiue in cognoſcendo, & eſt conformitas & ſimilitudo actus interioris cum obiecto ſuo; hæc rurſus dupliciter eſt; alia eſt veritas incomplexa, qualiter eſſe diximus ſupra num. 1114. in Apprehenſione. alia eſt veritas cõpleta, quę vel definit B. *Thomas* 1. par. quæſt. 16. art. 2. & quæſt. 21. art. 2. c & ſæpe alibi *conſiſtit in adæquatione intellectus, & rei* intellectæ, & ideo ibidem, & quæſt. 16. art. 1. & 2. & de verit. quæſt. 1. art. 1. c. cum S. *Auguſtino* & 1. Perih. lect. 3, lit. B. Opuſc. 9. & in 3. de Anima lect. 1. cum *Ariſtotele* vocat veritatem iſtam *ſimilitudinem, habitudinem, conſonantiam, conformitatem* inter actũ, & obiectum. Tertia demum veritas appellatur veritas *tranſcendentalis, in eſſendo*, & item *incomplexa*, qua veritate vnaquęque res in ſe talis eſt, & eam eſſentiam habet, quam diuinum, vel aliud verum iudicium ſcit, & iudicat illam rem habere, vt fuſius declarat S. *Thomas* 1. parte quæſt. 16. art. 2. c. & ibi P. *Granado* & vno verbo 22. C. 1. T. 1. D. 2. n. 1. (S.Thomas. S.Auguſt. Ariſtotel. S.Thom.)

Triplex quoque diſtingui poteſt falſitas, ſiquidem relatiue correſpondet veritati. prima eſt difformitas noſtrarum orationum, ſeu loquutionum cum rebus ſignificatis, de qua loquuti ſunt S. *Thomas* 1. parte quæſt. 17. artic. 1 c. & 22. quæſt. 40. artic. 3. c. & S. *Auguſtinus* ſupra numer. 231. ſecunda eſt difformitas iudicij cum ſuo obiecto, quod iudicat eſſe aliter, ac in ſe eſt. quod bene proſequitur S. *Thomas* 1. parte quæſt. 17. artic. 3. c. *ex eo enim*, inquit *Ariſtoteles*, *quod res eſt, vel non eſt, Oratio noſtra vera, vel falſa eſt*. atque hæc falſitas dicitur *complexa*, & formalis dici poteſt, quia reperitur in ſignis formalibus. quamuis nulla ſit propria falſitas formalis incomplexa propter dicta ſupra numer. 1125. 1140 (S.Thomas S.Auguſt. Ariſtotel.)

Tertia falſitas obiectiua in rebus re vera non eſt, quia omnes res ſiue veræ, ſiue fictæ, ita in ſe ſunt, ſicut debent eſſe. dicuntur vero falſę, vt tradunt S. *Thomas* 1. par. 17. art. 1. & ibi S. *Auguſtinus* tum ob comparationem & veriſimilitudinem cum alijs; tum quia dant occaſionẽ falſitati, nimirum vt faciamus iudicia falſa. ſic homo fictus, aut canis dicitur (S.Thomas. S.Auguſt.)

Nn 4 *falſus*,

falsus, & Tragœdus *falsus Hector* ab *Augustino*, & quia eæ fictiones aptæ *natæ sunt facere de se opinionem falsam*, si nimirum iudicemus manuducti à sensibus, vel ab actibus fingentibus. Hominem fictum, verum esse, aut Tragœdum esse ipsummet Hectorem. Et huiusmodi aliter.

De Veritate nos, & falsitate complexis in cognoscendo, atque formalibus hic breui tractamus, fusiorem tractatum de his, & illis alijs ad Metaphysicam remittentes; & indagare tentamus vtrum eæ sint intrinsecæ iudicijs nostris internis, & alijs mentis conceptibus, componendo, ac diuidendo enunciantibus.

Secunda Pars Sectionis refert duas sententias oppositas inter se; & eas quasi concordando concludit Veritatem, & Falsitatem esse partim intrinsecas, partim extrinsecas Propositionibus mentis.

1141 Prima sententia est *veritatem, & falsitatem esse intrinsecas Propositionibus mentis*. & Probatur de veritate sic. veritas propositionis stat in eo, quod propositio sit expressa imago, & repræsentatio ad viuum obiecti, sicuti ipsum est in se; & in eo, quod sit ordo transcendentalis ad obiectum, signum eius formale, & similitudo illi conformis; sed esse imaginem, repræsentationem ad viuum, ordinem transcendentalem, signum formale & similitudinem expressam obiecti, est de essentia propositionis mētalis; ergo de ipsius essentia est veritas. ita me docuit Hispali *Magister* meus cum allegatis *Aristotele* c de substantia, & 6. met. *S. Thoma* 1. par. quæst. 16. art. 1. c. & ad 3. *Aureolo* in 1. d. 19. a. 2 afferente *Anselmum* de veritate c. 2. & 3. & tradunt dicti Iuniores ante, & post P. *Hurtado* disp. 3. de Anima. Aristotel. S. Thomas.

Secunda sententia è contrario docet *veritatem, & falsitatem esse extrinsecas eiusmodi propositionibus*. Hanc tenēt *Suarez* in metap. disp. 8. sect. 2. *Vasquez* 1. 2. d. 55. c. 2. n. 8. *Conimbr.* ad c. 5. de substantia. *Blanch.* d. 9. sect. 2. *Castelui* disp. vnica dub. 3. Plerique Recentiores, & nouissime P. *Arriaga*, qui, vt modo video, parum à nobis dissentit hic dis. 14. dicens veritatem hanc esse complexum duorum, siue Relationem cuiusdam conformitatis, ac similitudinis, quæ minus quam ex duobus cōponi, siue constare non potest. Potissima ratio huius sententiæ est, quia vna propositio vera, potest mutari in falsam, & vice versa, falsa in verā. quod si ita est, est signū manifestum veritatem, & falsitatem esse propositionibus valde accidentales, & extrinsecas. licet rationem hanc non approbet *Arriaga*.

Ego vero olim dixi eas qualitates, idest veritatem, & falsitatem esse propositionibus partim intrinsecas, partim extrinsecas, & esse specialem quandam Relationem coalescentem ex *mensura & mensurabili* mensura est obiectū, quod si ita est vt per propositionem enunciatur, *constat veritatē eius, vnde Philosophus dicit quod opinio & oratio vera est ex eo, quod res est*, vt loquitur *S. Thomas* 1. p. q. 16. a. 1. ad 3. *mensurabilis* ergo est propositio cognoscēs, & repræsentans obiectū id sicuti est. & modo magis declaro rem, & veritatem hanc distinguendo sic quasi inutiliter, vt punctum defficile facilius capiāt Tyrones

Duplex adhuc est veritas formalis in iudicio, alia est quasi pure formalis, simplex entitas, & non ita complexa, quæ cōsistit integre in ordine, seu relatione trāscēdentali actus ad obiectum; & est obiecti vt est in se imago expressa, & viua ipsius repræsentatio, & vt ait *S. Tho.* 1. p. q. 17. a. 3. c. *Similitudo* rei cognitę. & ista intrinseca est omnino propositionibus, & totaliter reperitur ex parte ipsarum; si quidem est relatio transcendens mensurabilis ad mensuram, quæ iuxta alibi dicta, licet indigeat termino, non completur per ipsum tanquam per compartem essentialem. 1142 S. Thomas.

Alia veritas est non pure formalis, sed quasi mista ex formali, & obiectiua; & subinde magis complexa, est nempe complexum, & peraccidens; quæ definitur supra à *S. Thoma*, & à communi Doctorum *adæquatio, & conformitas intellectus cum re intellecta*; ac dicitur ab *Aristoteles*, *Augustino* & *S Thomas*, supra n. 1139. *Conformitas, Similitudo, Consonantia, habitudo*, & huiusmodi. quæ denominationes oriuntur necessario à duabus formis, aut quasi formis, vt consideranti manifestum est, & à nobis probatū in q. de Relatione. quod si aliquādo, vna forma sufficiat, forsā ea erit ex sua parte relatio trāscendētalis. S. Thom. Aristotel. S. August.

Ex

Ex quo sequitur veram esse primam sententiam intellectam de veritate incomplexa, quia hæc oratio *Petrus erat hora sexta loquetur*, est essentialiter imago expressa eius totius obiecti, est relatio trāscendētalis ad ipsū, & in summa sic esse est sua essētia, & vt talis à Deo cognoscitur. Sed vero ista essentialis imago loquutionis illius, non est veritas complexa, de qua loquimur modo, quinimo de se est indifferens ad veritatē, & falsitatē, quia composita loqutione in illa hora, erit vera; atque eadē essentialis imago nihilo mutata cōposita nō loquutione erit falsa. Siquidem veritas propositionis enunciantis est complexum cognitionis, & rei cognitæ, *& propter hoc*, ait S. Thomas, 1. p. q. 16. art. 2. c *per conformitatem intellectus*, seu cognitionis, *& rei veritas definitur. Vnde conformitatem istā cognoscere est cognoscere veritatem*. quare secundum *Aristotelem*, & *S. Thomam*, & *Caietanum* ibi, veritas constatur è duobus altero intrinseco propositioni, quod est cognitio, & repræsentatio enunciatiua rei, altero extrinseco quod est esse rei, sed formæ enuncianti conforme. Hinc collige, vt rem penetres, intrinsecum illius propositionis, casu quod sit vera, & intrinsecum alterius similis falsę, solo numero differre, & ideo putare non debes veritatem esse nouam formalitatem intrinsecam actui vero, præter repræsentationem dictam, vt bene conuincit P. *Arriaga* hic, & nos alibi commodius.

S. Thom.

Aristotel.

Tertia Pars Sectionis probat Propositiones mentales mutari non posse de veris, in falsas, neque de falsis in veras.

1143 **A**Ristotelis 9. met. & ibi lect. 11. lit. C. S. Thomas. & cap. de substantia, vt iterum repetit *S. Thomas* 1. p. quæst. 14. artic. 15. ad 3. videntur docuisse contrarium. etenim ita ibi scribit S. Doctor. *sed hæc opinio falsa est, quia sequeretur quod propositio, quæ semel est vera, esset semper vera, quod est contra Philosophum, qui dicit, quod hæc oratio, Sortes sedet, vera est, eo sedente; & eadem falsa est, eo surgente. Vnde cognitio nostra variatur, vel secundum veritatem, & falsitatem, puta si mutata re, tandem opinionem de illa retineamus*.

Aristotel. S. Thom.

Ad tam claram authoritatem Philosophi dicunt Interpretes illum loquutum non ex sua, sed ex vulgi opinione. & aliter interpretatur *Simplicius* legendus ad textum de substantia. ego dico *Aristotelem*, & *Thomam*, vel loquutos de vocali oratione, vel si de mentali, eadem moraliter, & quasi habitualiter duranti, non de eadem numero, sed specie, neque enim solent nostræ cognitiones physice durare diu; quasi expectando sui ipsarum falsificationem, seu mutationem obiecti, in tempore non suo contingentem; siquidem & illæ breues morulas habent, & nos ita loqui solemus, Petrus adhuc est in ea opinione, vt credat *Suecum* viuere, sed ea opinatio, quæ olim vera fuit, iam est falsa, & huiusmodi aliter.

Ducor ad ita dicendum, quia est quasi axioma *Aristotelis*, *S. Thomæ*, *S. Augustini*, & Dialecticorum, omnem propositionem, præsertim contingentem ratione sui verbi postulare tempus actionis exercitæ, vel quæ exercetur, aut exercebitur; siue id tempus sit æternum, siue finitum, determinatum, vel quod dicitur indeterminatum, confusum, aut vagum, præteritum, præsens, vel futurum; vt videre est supra à numero 264 vbi definitum est verbum, & infra numero 1145. id, quod tam verum putat S. *Thomas*, vt dixerit cum *Aristotele* 1. Periher. lect. 5. lit. E. veras esse propositiones aliorum temporum per respectum ad præsens, & ideo illam *Petrus curret*, esse veram, quia aliquando verum erit, dicere *Petrus currit*. quæ doctrina necessario concedenda est in his, & similibus propositionibus. *Deus existit*. *Homo est animal*. *Christus nascetur, & mane videbitis gloriam eius*. *Antichristus erit*.

Aristot. S. Augu. S. Thom.

Quare quod dicit *Suarez* disp. 8. sect. 2. quem imitatur *Castelui*. disput. vnica, dub. 6. nempe posse dari aliquod iudicium imperfectum, quod afferat tempus quasi plus minus, & indeterminatum, nil facit contra me, qui dico id tempus cum ea latitudine, & confusione determinate peti ab aliqua confusa propositione. etenim quæ magis confusa loquutio potest *esse*, quam hæc, *Petrus loquetur*, quæ ex intentione Proferentis 1144

non

non est vera, si tamen vera est, nisi pro tépore, quo loquutus est, quod Deus certo scit, & quod respectu Dei determinatum est ipsum, quod respectu ignorantiæ nostræ vagum, & confusum dicitur. nulla ergo propositio poterit extrahi à proprio tépore, quod semper in se determinatũ est, vt bene conuicit Magister meus in M. S.

SECTIO IV.

Docet quando Propositio incipiat esse vera, vel falsa; & ad quod, vel quale tempus referenda sit præsertim ea, quæ est præsentis indicatiui.

Dico primo, circa quæstionem tituli huius, tunc primum propositio incipit esse vera, vel falsa, quando integre existit in rerum natura, cum omnibus suis prædicatis, & circũstãtijs. dixit hoc S *Tho.* in 4. dist. 8 quæst. 2. art. 3. ad 6. P. *Suarez* cum *Aristotele*, & *Ochamo*. & consentit P. *Lugo*, de Eucharist. d. 11. sect. 4. & ratione demonstratur, quia nulla res antequam sit, habere potest essentiam, nec proprietates. dicuntur vero à Philosophis rem alibi disputantibus, sufficienter existere in rerũ natura propositiones, etiã vocales, & scriptæ, in vltimo instanti prolationis sui, aut scriptionis; quamtumuis tunc iam bona, aut maior pars earum elapsa fuerit, & interierit, quoniam sic est natura rerum hatumce successiuarum.

Aristoteles

Dico secundo, necesse est ad hoc, vt propositiones sint veræ, vel falsæ, ipsas referri ad aliquod tempus, seu significare cum tempore, in quo exerceantur actiones, vel fiant illa, quæ affirmantur fieri, aut esse. vti exposui modò, & in Logica vocali numer. 267. vbi fuse tractabam de verbi significatione. quale autem debeat esse hoc tempus, facile cernitur in propositionibus de præterito, ac de futuro, & item in de præsenti indicatiui, quando istud quodammodo æquipollet temporibus de præterito, vel futuro, vt vides in his exemplis. *Adamus loquutus est. Antichristus nascetur. ego taceo. ego dormio. ego venio hodie ad concio. die Iouis defenduntur theses.* quæ omnes vera dicunt, si ipsarum prædicata ponantur, aut posita sint tempore determinato suo. Maior vero difficultas est in determinando tempore, ad quod debeat referri, seu cum quo debeat significare verbum præsentis indicatiui, quando stricte, & rigorose est præsens, nempe quando tale tempus significatum est instans, cum nos in instanti loqui, aut scribere non possimus, licet possemus intellectu concipere.

Dico ergo tertio, propositio vocalis, v.g. temporis præsentis stricte sumpti, solet esse vera propter relationem ad instans temporis, quod antecessit, antequam propositio integre existeret, patet hoc exemplis, & ratione. exempla sunt hæ, & similes propositiones. *Hoc instans A. est indiuisibile. cum hoc instanti A. commensuratur vbi hoc.* quæ veræ censentur, licet quando integre prolatæ sunt, instans illud *A.* euanuerit. ratio vero est, quia durum videtur dicere non posse homines conceptus suos omnes interiores, loquendo palam facere; cum ergo possit Petrus indicare de instanti *A.* tale instans esse præsens, aut aliud prædicatum illi tribuere, consonum videtur, vt possit id ipsum verbis edocere discipulos; ergo necesse non est semper regulare veritatem propositionis de præsenti, ab obiecto, prout erit in instanti, aut tempore finitæ propositionis; sed quandoque regulabitur ab obiecto, prout erat ante finitam propositionem; quasi ad modum, quo regulatur veritas propositionis de præterito. Hoc dictum est ad mentem Patris *Suarez*, & non negatur à Patre *Lugo*. 1145

Dixit quarto generaliter P. *Suarez* tomo 3. in 3. p. d. 58. de Eucharist. sect. 5. sic. *existimo in omni proprietate, & rigore sermonis, sufficere quodlibet instans rerum, quæ coexistunt prolationi propositionis, vt ex illo possit veritas propositionis de præsenti mensurari* siue illud instans sit primũ, siue medium, siue vltimum. Vnde colligit intentum suum Doctissimus Pater, nempe illam Christi propositionem, *Hoc est corpus meum*, esse veram, quia in vltimo instanti prolationis, vere adest corpus Christi. & consequenter diceret hanc esse veram, *Petrus est intra hanc domum in hoc instanti A.* quod est primum, aut medium prolationis; licet contingeret quod in vltimo prolationis, aut scriptionis instanti, domi iam non esset, neque propterea proferens,

ferens, etiam si exitum Petri nosset in instanti B. aut C. mentiretur asserens esse domi instanti A. neque forent contradictoriæ hæ propositiones simul fluentes, & simul à duobus prolatæ, *Petrus est intra hanc domũ. Petrus non est intra hanc domum*. sed simul veræ; quia non sunt de tempore eodem; nam altera refertur ad tempus prius, altera ad posterius. & vtraque est vicaria sensibilis, duplicis veri conceptus interni existentis in diuersis instantibus, aut partibus temporis, siue pro diuersis temporibus rem afferentis.

1146 Dixit quinto P. Lugo, *ego existimo veritatem propositionis vocalis, quæ formatur per copulam est regulariter loquendi, nisi aliud constet ex ipso modo loquendi, non debere regulari ab obiecto prout erat tempore prolationis copulæ, sed tempore finitæ propositionis*. vt apparet in hac & similibus propositionibus, *Petrus est intra hãc domũ*. quæ vera erit, si finita prolatione Domi sit Petrus, secus non, regulariter loquendo, & nisi aliud constet ex modo loquendi: quoniam ergo liberum est cuilibet enunciare, quod vult pro instanti, aut tempore, quod sibi bene visum est; vera dixit *Suarez*, tunc vel maxime quando propositiones sunt de obiectis, quæ in instanti tantum sunt, vt exemplificaui dicto 3. quod non negat P. *Lugo*; sed quia plerunque nostræ enunciationes sunt de obiectis, quæ sunt, vel fiunt successiue, vel saltem in tempore successiuo, & ex quoque successiue fiunt, vera quoque dixit P. *Lugo* atque contradicit *Suarez*; siquidem vltimum tempus, aut instans designat, qui loquitur. & ideo tantis Patribus ego libenter subscribo.

SECTIO V.

Monstrat propositiones de Futuro contingenti absoluto esse determinate veras, & falsas, & reijcit Philosophi errorem cum suis fundamentis.

Hæ, & similes sunt propositiones de Futuro contingenti. *Bellum nauale fiet. Petrus peccabit*. ita dictæ, quia eorum prædicata ita contingenter cõueniũt subiectis, vt potuerint nõ cõuenire. difficultas ergo est, an eiusmodi propositiones iam nunc, ante euentum prædicatorum, quæ in eis fore affirmantur, sint determinate veræ, aut falsæ, vel solum indifferentes ad verum, vel falsum.

Vera, & catholica sententia affirmat, quam sequuntur, & probant ex sacra Pagina, & rationibus S. *Thomas* 1. p. qu. 14. art. 13. & ibi *Vasquez, Bañez, Zumel, Valentia*, & alij interpretes. *Suarez* Opusc. de scientia lib. 1. c. 2. *Granado* tract. 4. de scientia d. 2. *Hurtado* disput. 9. de anima quæst. 6. *Arriaga* hic disp. 14. à num. 97. & alij sine numero, quos sequitur, & allegat P. *Ruiz* de scientia. disp. 23. S. Thomas

Prima ratio Theologica sic est. Diuinę propositiones, seu prædictiones de futuris contingentibus sunt omnino veræ; quo modo sunt illæ. *erunt terræ motus, erunt bella & seditiones, Antichristus peccabit*. ergo similiter veræ erunt propositiones nostræ de eiusmodi futuris.

Secunda ratio est. etenim illa propositio actu est vera, quæ actu conformatur cum suo obiecto; sicut quæ non conformatur est falsa; sed hæc propositio *Petrus cras peccabit*, actu conformatur, vel non conformatur cum suo obiecto; ergo actu, & determinate est vera, aut falsa. maior est certa. probatur minor; quia supposita propositione affirmante peccatum fore cras; vel peccatũ erit cras, vel non erit, vti debet necessario euenire; siquidẽ e duobus contradictorijs alterũ de necessitate erit, nimirũ vel peccatũ, vel negatio eius: si ergo cras peccatum erit, propositio cõformatur nunc cum suo obiecto, & est vera: si vero peccatum non erit, non conformatur, & sic est falsa.

Confirmatur hæc ratio: quia, existente iam peccato, vera est ea propositio, *Petrus peccat*, ergo vera similiter erat propositio, quæ paulo ante dicebat *Petrus paulo post peccabit*. quoniam (& videtur lumine naturæ notum) ex eo quod res asserta, erit, vel non erit, propositio asserens de futuro dicitur vera, vel falsa; sicut ex eo quod res asserta, fuit, vel non fuit, propositio de præterito dicitur vera, vel falsa. in hoc enim similes orationes æquiparãtur cum de præsenti, de quibus dicit *Aristoteles, ex eo quod res est, vel non est, oratio vera, aut falsa dicitur*. an vero peccatum Petri re ipsa futurum sit, necne, nos nescimus, quia Dij non sumus, sed sumus quasi indifferentes, & in æquilibrio 1147

librio nescientes determinare veritatem futuri euentus.

Aristotel. Sed veritati huic opponitur *Aristoteles* 1. lib. Perih. c. 6. alias 8. qui licet merito concedat veritatem propositionibus contingentibus de præterito, de præsenti, & vniuersalibus de futuro, ductus illo suo vero semper, & solido fundamento, nempe *ex contradictorijs alterum verum, alterum falsum debere esse*, excepit ab ista regula generali propositiones particulares de futuro contingenti, ipsis negando veritatem, & falsitatem. & ideo in hoc creditur errasse, vt ostendit cum multis alijs *Suarez* in opusc. lib. 1. de scientia c. 2. & de gratia Prolegom. 2. c. 7. nu. 11. Scribens *ingenue fateor me in hac parte ab Aristotele dissentire, quia eius sententiam fidei veritati repugnare sentio.* diluamus ergo nos illius fundamenta, quæ hominem infidelem nescientem conciliare Dei præscientiam certam, cum contingentia futurorum, & libertate nostra, errare fecerit.

Primum fundamentum sic claritatis gratia proponitur. Si hæc propositio *bellum nauale fiet cras*, modo esset vera determinate, tollitur belli, ac cæterarum rerum cōtingentia; sed hoc est impossibile; ergo & illud, ex quo sequitur. probat Maiorem, quoniam si ea propositio nunc est vera, ab æterno quoque fuit vera, & consequenter ab æterno bellum futurum fuit; quod autem ab æterno futurum est, nequit non fore, siue necessario futurum est. ex quo vlterius fiet nihil casu, aut fortuna fieri; sed omnia fatali necessitate.

Respondeo negando maiorem ad eius
1148 probationem distinguendo dic, illud quod ab æterno futurum est, necessario fore, non absoluta necessitate, sed ex suppositione, quod futurum sit, absolute autem contingenter erit, & sæpe casu, & fortuna respectu eorum, qui tale euenturum non putarant, quoties ab æterno potuit non esse futurum: vt potuit, si archithalasi voluntas inclinatura fuisset in pacem. quare, licet bellum futurum sit cras, quia duces ita esse determinabunt, contingenter fiet, quia potuit non fore, si Duces vt potuerunt, aliud determinassent.

Secundum est. etenim si bellum fiet cras; tollitur militum. Ducumque libertas, necessario enim debent pugnare, vt veritas futuri euentus impleatur. ex quo vlterius sequitur impertinentes esse consultationes, quæ fiunt ante bella, & alia negotia aggrediendum; quinimo furta, internecionies hominum, & alia bona, & mala, necessario, & sine libertate à nobis fieri, sine culpa, & sine vllo merito; vt contingit fieri a Brutis; sed hæc omnia sunt absurda. ergo propositio illa non est vera. maiorē similiter probat, quia, quod ab æterno futurum certo est, & vt futurum certo scitur, & enunciatur, necessario, & non libere faciendum est; siquidem ad vtrum libet, seu indiffereps non est. quocirca non occurrit pensare aliud, nec credere, quod oppositum possit euenire.

Respondeo similiter distinguēdo, id, quod certo, & determinate futurum est, necessario faciendum est, simpliciter, & absoluta necessitate, nego. faciendum est necessitate secundum quid, seu, ex suppositione, quod se determinabit voluntas ad vnum, & sic concedo. necessitas vero hæc ex suppositione, nec tollit contingentiam futuri, neque libertatem, aut indifferentiam voluntatis ad vtrumlibet, sed eam perficit; vt paret in bello præsenti, quod dum fit, nequit non fieri, quod tamen libere fit, potuit enim non fieri; quia similis necessitas non venit antecedenter ab alia radice, aut causa superiore cogente, sed à beneplacito ipsius liberæ voluntatis, sic volentis, & sibi necessitatem imponentis, dum se ad bellum gerendum potius, se determinabit, quam ad oppositum, auditis, & bene ponderatis consilijs, & sententijs pro vtraque parte; & ideo consilia prudenter præmitti solent, ac debent: & item bona fient, & mala, non sine merito, ac demerito.

Quod si vera est illa propositio, *bellum nauale fiet*, & illa, *Petrus peccabit*, Deus potuit ab æterno similes veritates dicere, & in tempore alicui reuelare, quin propterea tollatur, aut contingentia futuri, aut indifferentia nostræ voluntatis; quoniam scientia Dei supponit fore exercitium nostrę libertatis, & determinationem nostrā; vt fuse Theologi probant, ipsi consulantur, & nos contenti simus dictis; & firmiter teneamus illud axioma esse certum *quodlibet erit, vel non erit. bellum erit, vel non erit.* quæ vero pars disiuncti huius futura sit, nos nescimus, Deus autem scit: & ideo, si cum hoc contentus erit *Aristoteles*, damus illi contingentia dici posse

posse indifferentia ad fore, & non fore per denominationem à nostra inscitia, & ignorantia, nam rogati *bellum erit erat; nec ne?* penduli hæremus non scientes determinate quod erit, quantumuis bellum fortasse iam determinate, & certo sit futurum.

SECTIO VI.

Probat propositiones categoricas de conditionato extremo, versantes circa futura contingentia sub conditione, nunc iam esse determinate veras, vel falsas.

1149 Particula *si* varie accepta facit varias conditionales propositiones. Nam primo sumpta *illatiue*, facit hypotheticas, in quibus vnū necessario infertur ex alio. vt ibi. *si Sol lucebit, dies erit*, & in his propositionibus veritas est bona illatio, & nihil aliud; vnde illa est vera *si Petrus est equus, hinnibilis est*. & illa falsa. *si est homo, albus est*. atque de his in præsenti non disputamus, sed satis diximus supra in Summulis n. 498.

Secundo *si* sumitur quasi *causaliter*, denotans id, quod supponitur, esse prærequisitum ad illud, quod affirmatur, licet ex eo non inferatur. vt ibi. *si veneris Romam, videbis Pontificem si ego te vocarem, tu responderes*. & huiusmodi aliter.

Tertio sumi solet particula *si temporaliter*, seu *concomitanter*, tunc, videlicet, quando perinde valet, atque *simul*, aut *quando*, aut resoluitur per ablatiuum absolutum; & tunc denotat id, quod supponitur vt conditio, nullo modo inferre, quod affirmatur, sed esse quidpiam dispare se habens cum ipso, vt ibi, *si Turca dormiret, Papa vigilaret*, quæ facit hunc sensum, quando Turca dormiret, vel eo dormiente, tunc simul Papa vigilabit. Hunc tertium sensum conditionis *si* admittunt, non tantùm illi graues Authores Latini, Philosophi & Theologi, quos adducit *P. Montoya* de scientia disp. 68. sect. 5 in Appendice. Verumetiā scriptores Theologi, & Iureconsulti in materia de *voto conditionali*, speciatim videantur *Albericus* in Dictionario lit. S. *Sotus* 4. d. 29. q. 2. art. 1. *Ledesma* de matri. dub. 25. conclus. 1. *Sanchez* lib. 8. disp. 10. n. 4. *Lessius* lib. 2. d. 6. c. 4 *Laiman* lib. 4. tract. 4. c. 6. num. 1. *Suarez* de Relig. lib. 6. c. 22. nu. 7. & alij exemplificantes sic. *Voueo Religionem me ingressurum, si Pater moriatur*, idest, *quando* Pater morietur, vel *eo mortuo*, aut *postquam* mortuus fuerit. His præmissis.

Dico primo illas propositiones *si venires Romam. videres Papam, si te vocarem responderes*, & similes, in quibus conditio aliquo modo conducit ad id, quod affirmant, habere determinatam veritatem, & falsitatem, ita dixerunt ante me *Dominic. Soto* lib. 3. Summ. c. 8. lect. 3. *Mercado* ibidem lib. 4. c. 2. lect. 1. *Vincen Iustin*. l. 4. Instit. Dial. cap. 16. §. cæterum. *Bañes* in Summul. lib. 3. tract. 2. c. 2. dicens *si* non semper *illatiue* accepi. *Suarez* in Opusc. lib. 2. *Hurtado* D. 9. de Anima. *Arriaga* in D. 14. log. lect. 6. *Teophilus* in Theolog. nat. D. 8. q. 1. ar. 2. n. 25. *Castilius* in sua introduc. lib. 2. tr. 2. c. 1. *Card. Oregius* de Deo vno, tr. 1. c. 10. quęsito 3. circa finem. *P Sfortia* in Philosop. Instrument. lib. 1. c. 5. n. 150. & 152. & alij complures vidēdi in *Ruiz* lib. 4. de Scientia disput. 61. & *Baeza* tom 3. lib. 14. c. 16. quibus fauent *S. Augustinus*, & *S. Thomas* in 3. par. q. 1. a. 5. ad 2. Rationes vero dicti huius sunt eædem, quæ supra n. 1148 probabant veritatem propositionum de futuro absoluto, quæ ex parte reperiuntur inferius. 1150

Dico Secundo. Propositiones conditionales disparatæ; siue dissolutæ de futuro contingenti sunt quoque determinate veræ aut falsæ, vt hæ, *si Turca dormiret. Papa vigilaret, si Petrus veniret ex India Roma plueret*. Consentiunt *Suarez* lib. illo 2. c. 6. *Granado, Tānerus, Fonseca, Mencæus, Ruiz, Molina, Albertinus, Curiel, Zumel, Hacherus, Herico, Castilius* vbi supra §. Notandum sexto, & alij.

Quarta ratio huius dicti secundi est illa secunda, qua supra probatur veritas futurorum absolutorum, quæ sic iterum confirmatur. nam quod videmus re ipsa fieri contingenter simul, & concomitanter cum alijs circumstantijs, vere potuit antea prædici futurum sub eisdem circumstantijs, & cum eisdem, vel cum ipsæ ponerentur; ergo vera est nunc propositio, quæ illud affirmet fore si adessent illæ circumstantiæ, vel coexistentia earum. 1151

Tunc

Tunc sic argumentor. Multa absolute futura sunt, & multa simul iam coexistunt cum quibusdam circumstantijs omnino disparatis, & sibi non necessarijs, vt apparet consideranti: Antichristus enim existet cum luce Solis diei Lunæ, cum aliqua pluuia, cum varijs actionibus artificum, & aliorum; quemadmodum nunc nobiscum coexistunt fames, pestes, & tot bella; ergo veræ fuissent hæ propositiones *si quidam homo deambularet, Antichristus dormiret. Si Franciscus iret Romam, bellum nauale fieret.* & si *Ioannes esset Romæ, Serenissimus Cardinalis Infans iret in Germaniam.* quoniam earum sensus est. fore, vt illa, quæ futura affirmantur, contingenter coexisterent simul. Vti de facto iam aliqua coextitere, & alia coexisterent in alijs occasionibus; nimirum quodlibet ex vi causæ suæ liberæ, vel necessariæ, quemadmodum concomitanter coexistunt cognita a Deo, qui subinde scientia quasi reflexa dicit, ego scio quod Turca dormiente, Papa vigilaret, ille præ lassitudine, hic præ solicitudine. id quod prætendimus, dum dicimus illud esse verum. *si Turca dormiret, Papa vigilaret.*

Cum ergo doctrina duplici dicto contenta fundata sit in illis duobus principijs mihi indubitatis, nimirum, *in quanis hypothesi, & circumstantia necessario futurum alterum ex duobus contradictorijs.* atque *ex eo quod res erit vel non erit orationem nostram veram, vel falsam dici.* existimo æqualem certitudinem habere sententiam, quæ concedit futuris absolutis veritatem, & falsitatem, atque hanc, quæ eas concedit conditionatis, saluo meliori iudicio.

Altera pars Sectionis exponit opinionem eorum, qui negant veritatem propositionibus conditionalibus de futuro contingenti, ac respondet ipsorum fundamẽtis.

I*Auellus* in Logica tract. 3. cap. 3. *Titelman.* ibidem lib. 3. c. 20. *August. Hunnaus* item in logica lib. 3. vbi de *veritate, & falsitate enunciationum*, & alij multi de schola *S. Thomæ*, ac de alijs, docuerunt veritatem conditionalem esse bonam cõsequentiam, seu illationem necessariam consequentis ex antecedenti; vbi autem illatio talis non fuerit, nullam veritatem esse, sed falsitatem, & impossibilitatem. Vnde dicunt, quod illa propositio, *si venires Romam, videres Papam*, est impossibilis, quia Papæ visio ex aduentu illo non infertur. illa vero est vera, *si Petrus est equus, hinnire potest*, quia non requiritur partium propositionis veritas, sed illatio vnius ex altera. Dicitur enim veteri prouerbio, *conditionalis nihil ponit in esse*, idest non indiget ad veritatem propriam, quod verũ sit, quod supponit, & affirmat, dummodo id inferatur ex ea suppositione, & ideo conditionalium veritas dicitur bona illatio, & *veritas consequentiæ*, ad differentiam veritatis conditionalium nostrarum, quæ dicitur *veritas consequentis*, nimirum, quæ reperitur in propositione affirmante aliquid sub tali suppositione, licet ex ea nullo modo inferatur.

Addit etiam *Iauellus* Thomista insignis, duo esse de essentia suarum cõditionalium, primum est, *quod si ponas antecedens, ponas consequens*; nam non potes ponere antecedẽs, quin adsit consequens; vt ibi, *si tu curris, tu moueris*. Secundum est, *requiri ad veritatem conditionalium, quod oppositum consequentis repugnet antecedenti*; & ideo in opinione multorum, hæc est propositio falsa. *si vocares Petrum, ipse veniret*; quia desunt illi illa duo, siquidẽ aduentus Petri non sequitur necessario ex vocatione; & præterea negatio aduentus illius potest componi cum vocatione, & hæc doctrina vera est, ait *Iauellus*, quia conditionalis propositio est quędã formalis argumẽtatio, & consequentia. 1152

Consentiunt docti Recentiores, qui vt tenerent doctrinam *Iauelli*, inuenerunt modum, quo facerent omnes propositiones conditionales, etiam quas diximus supra *dissolutas*, omnino *illatiuas*, nempe ponentes in causa prima voluntatem faciendi consequens sub quauis conditione, & circumstantia; ex quo fit illas propositiones *si vocares Petrum, ipse tibi respondebit. si Ioannes veniret in Vrbem, Nilus vicinos campos inundaret*, & similes tam veras, & infallibiles esse. atque has, *si Sol luceret, dies esset. si tu esses animal, esses viuens.* & subinde cum vocatione illa tua non posse componi non responsionem Petri, sed hanc tantum illi vocationi oppo-

opponi, quantum responsioni, iuxta regulam Logicæ videndam supra nu.451. & præ statuta duo principia *Iauelli.* Authores proxime relati sunt Doctissimi Magistri *Aluarez, Cabezudo, Gonzalez, Ripal, Zanardus, Nazarius, Cabello, Hispalis, Passerus, Cursus Salmantinus,* & alij, quos imitatur *Collegium Complut.* libro 2. de Proposit. cap. 4. quorum.

1153 Fundamentum primum est authoritas *Aristotelis, S. Thomæ,* & communis Dialecticorum. etenim *Aristoteles* a fortiori negasset futuris conditionalibus contingētibus veritatem, siquidem negauit absolutis. & Angelicus doctor in Opusc. 48. de enunciat. c. 12. videtur docere enunciationes conditionales omnes esse illatiuas, & necessarias, & nullam liberam, seu contingentem, vt apparet ex suis illis exemplis, *si immobile curret, immobile mouetur.* quā merito dicit veram, sicut, & illam falsam. *si homo est albus, homo est musicus.* denique communiter Dialectici tradunt conditionalem esse veram, si consequens inferatur ex antecedenti; & falsam, quando non infertur.

S.Thom. Aristotel.

Respondeo authoritatem Philosophi nō valere in hoc puncto, quia sicut errauit in negotio primo de absolutis, potuit falli in hoc secundo, de conditionalibus. *S. Thomas* vera docet, loquendo de rigorosa conditionali, quam diximus hypotheticam supra num. 408. de qua item existimo loquutos fuisse Dialecticos, propterea quod dixit vbi supra *Sotus* suo tempore a Præceptoribus plerisque admitti propositiones conditionales contingentes veras, & falsas.

Secundum fundamentum est. nulla propositio de futuro est vera, quæ non habeat aliquam de præsenti veram; ideo enim nunc prolata est vera hęc: *Petrus loquetur,* quia aliquando vera erit ista, *Petrus loquitur.* quæ doctrina videtur esse *Aristotelis,* & *S. Thomæ,* 1. Perih. lect. 5. lit. E. sed propositio de futuro conditionali sæpe nullam habet de præsenti veram; ergo ipsa modo nequit esse vera. minor patet in his, & alijs multis, quæ enunciant futura, quæ nunquā erunt. *si ego irem Constantinopolim, viderem Turcam. Si Iudas coniugisset ad B Mariam, saluus fuisset.*

Aristotel. S.Thom.

Respondetur maiorem esse falsam, etiā in propositionibus de futuro absoluto, quanto magis de conditionali. sic enim hæ sunt veræ, *à mane ad noctem existet integra dies, per aeternitatem erunt infinita Beatorum cogitationes,* & similes, & tamen nullam habent de præsenti veram, quia nunquam erit verum dicere, *nunc existit integra dies; neque iam nunc sunt factæ infinitæ cogitationes;* & ratio est: quia titulus, ob quem eiusmodi propositiones sunt veræ, non est habere correspondentē de præsenti veram, sed ex eo, quod res esset, vel non esset, oratio præsens dicitur vera, aut falsa. neque aliud persuadet *Aristoteles,* & *S. Thomas* si bene intelligantur.

Tertium fundamentum est. ex eo quod res erit propositio dicitur vera, sed modo obiectum, seu res, quæ affirmatur futura, per conditionales contingentes, non potest esse futura, siquidem modo non habet causam suæ futuritionis; ergo eæ propositiones modo non sunt veræ. minor probatur, & clare apparet in ea propositione. *si Sinarum Rex Romam veniret, visitaret Papam,* quæ enim modo est causa, ob quā modo visitatio Regis habeat verum esse actuale, casu, quo veniret? sine causa vero, nulla res est, neque erit, & subinde, absente causa, vel non existente, oratio nulla vera erit, sed falsa. vel admittendum erit decretum præsens in Deo, ex vi cuius esse habeant res omnes, quæ forent in quauis circumstantia. 1154

Respondetur ad rem, quæ in aliqua suppositione foret, sat esse causam, quæ tunc quoque foret; neque requiritur causā modo esse; quemadmodum ad rem possibilē, & præteritam sufficiunt causa possibilis, & præterita. & ideo intellectus habet eam facultatem, & eminentiam, vt possit enunciare modo de præsenti propositiones versantes circa præterita, & futura absoluta, vel sub conditione, contentus cum obiectorum suorum existentia, siue præsentia obiectiua, quam vocat *S. Thomas secundū quid & in anima;* neque alia maior existētia causæ, vel effectus requiritur ad veritatem suarum propositionum. casu autem quo Rex ille veniret in Vrbem, ipse haberet liberum arbitrium, & Dei adiutorium, quod vtrumque foret causa sufficiens visitationis illius, quam nunc, tunc futuram enunciat nostra propositio conditionalis. alia argumenta nostri Theologi proponunt, & dissoluunt. ipsi videantur.

S.Thom. sup.n.698.

SE-

SECTIO VII.

Enumerat species varias Iudicij, vbi de opinione probabili, & iudicio censore, & censurandi formulis, à quibus abstinere debemus.

S. August. S. Thomas 1. IVdicium *erroneum*, siue error, vt ait *Augustin*. in Enchir. & S. *Thom.* 4. d.30.q.1.a.1. *est existimatio, vel approbatio veri pro falso, & certi pro incerto, vel è conuerso*, idest, falsum iudicium, quod nõ se conformat cum obiecto, duplex distinguitur, alter est error in fide, alter error in philosophia, ille parum distat ab hæresi, vt videbis apud *Granado* de fide tract. 15. d.2.& 4. *Vasquez, Sanchez* lib. 2. c. 7. vbi allegantur SS. *PP. Aug. & Thom.* hic vero est propositio communiter reiecta tanquam falsa.

Aristotel. 2. *Propositum*, siue *positio*, error quoq; videtur, dicit enim *Aristotel.* 1.Top.c.9. quod *est opinio admirabilis alienius familiarium secundum Philosophiam*, idest, ex domesticis eius, *vt quod non est contradicere, quemadmodum dixit Antisthenes, & quod omnia mouentur secundum Heraclitum, aut quod vnum est ens, quemadmodum Millesius dixit.*

3. *Paradoxu*, vel Paradoxon his est affine, est enim iudicium admirabile, & inauditam assertum, seu præter opinionem, quod primo suspendit audientiũ animos, ac deinde docet aliquid extraordinarium, & contra, aut præter omnium expectationem, qualiter videtur illud, *elementum ignis est super omnia grauissimum, & centrum eius est infimum terræ centrum, vbi damnati torquentur.* Paradoxum quandoque sumitur pro noua opinione, & tunc non ita male sonat.

1155 4. *Noua opinio*, siue nouum iudicium est recenta ssertum, noua sententia, *sane* inquit, *Philo Alexand.* in vita Moysi, *præclaru ingenia multa nouant circa scientias*; & ideo noua inuenta contemnenda non sunt, quando sunt vtilia, *neque sceleratum est*, aiebat, *Isidorus Pelus.* lib. 2. epist. 16. *aliquid innouare, cum vtilitas nouitati adiuncta est.*

5. *Antiquum* vero iudicium est antiqua assertio tradita ab Antiquis; dicitur enim antiquum, quasi antiqui aui, *antiquatum* autem iudicium est opinio longo vsu contrario abolita, & obsoleta, *nouantiquum*, est opinio renouata, illa nimirum, quæ erat Antiquorum, sed in obliuione, & situ, & nunc denuo in lucemr editur; & ita est, quidquid insigne de nouo venit, *nihil enim est sub sole nouum, si sit insigne*, explicat *Pinedu* ex *Thaumaturgo*.

6. Aliud iudicium est *certum*, vt hoc *Deus est*, & quod firmiter adhæret obiecto; aliud est clarum, & *euidens*, nempe quod clare videt obiectum, vt hoc, *Sol est maior cælo*. Iudicium certum est tripliciter. Metaphysice, Physice, Moraliter, de quibus vide supra num. 325. & 338. & *Granado* 1. 2. contron. 2. tract. 12. d. 4. sect. 1. iudicia vero incertum, obscurum, & incuidens sunt opposito modo.

7. Probabile iudicium est, vt colligo ex Aristotele, *quod videtur omnibus, aut pluribus, aut cuiqut sua artis perito*, nimirum, vt addit *Cicero*, *innitenti aliqua sufficiente ratione*, ita vt falsitatis conuinci non possit. Vnde satis videtur ad hoc, quod opinio sit probabilis, quod habeat bonum rationis fundamentum, & quod argumenta in contrarium insolubilia non sint. improbabile iudicium est opposito modo declarandum, & norandum Dialecticos Magistros teneri docere probabiliores opiniones, vt tradunt *Sanchez* lib. 1. cap. 9. num. 26. & in Consil. lib. 1. c. 3. dub. 4. & alij. Aristotel.

8. *Iudicium, opinio, placitum, quodlibetum, sententia, dictum*, aliud est, *commune*, aliud *particulare*, aut singulare. iudicium commune, siue opinio cõmunis est, quam ex professo tractantes tradunt adminus sex, aut septẽ *classici* Authores, hi vero sunt, qui approbati sunt in Scholis, & sæpe legi, & allegari solent; cæteri viliores, & *proletarij* censentur, vt constat, ex *Gellio* lib. 19. cap. 8. ita describunt opinionem communem PP. *Azor* p. 1. lib. 2. c.13: *Sanchez* lib 3.d.44. n.2. *Vasquez* 1. 2.q.19. d.6. c.2. num.5. & apud ipsos alij complures.

Opinio singularis est, quam particularis homo tenet, quę probabilis erit, si eius author sit homo doctus præsertim huius tẽporis, & bene perpenderit partis cõtrariæ fundamenta, eisque solutis suam opinionem ex professo fulcierit, ita docent communiter Doctores spec atim *Vasquez* 1. 2. q.19.d.62.cap.4. *Sanchez*. *Valentia*, *Nauarrus*,

uarrus, & S *Thom.* quos refert, & sequitur *P. Granado* 2. controuer. 12. tract. 12. d. 4. sect. 1. & Iureconsulti, qui frequēter vsurpant illud axioma ex *l. Deo authore*, C. *de vetere iure Enuclean.* *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & aequius est iudicatote; cum possit vnius forsan, & deterioris sententia multos, & maiores aliqua in parte superare.* Et ideo non inconuenit singularem opinionem quandoque esse probabiliorem, & veram, & communem probabilem quidem, sed falsam.

1156 9. Iudicium *temerarium*, aut temeraria opinio, est assertio sine vllo, aut cum leui fundamento, opposita communi doctorū, vt bene docet *Vasquez* 12. disput. 62. c. 4. nascitur autem eiusmodi praesumptuosa assertio, ait S. *Thom.* 2. 2. q. 53. ar. 3. ad 2. *vel ex impetu passionis, vel ex contemptu regula dirigentis.* *Praecipitatum* autem iudicium parum distat à temerario, videtur enim esse resolutio festinata, nolentis expectare tempus consultandi. vnde dixit S. *Thom* vbi supra ex *Aristotele*, *praecipitatio directius opponitur rectitudini consilij.*

S. Thomas.

Aristotel.

10 Iudicium *obstinatum*, obduratū, pertinax, & proteruum, videntur esse sententiae, aut opiniones plus iusto resolutae, & effraenatae, superadiunctis prauae voluntatis affectibus, iudicij proprij tenacioribus, quae non admittunt, imo excludunt sapientiorum consilia, atque sententias, parit ergo eiusmodi perniciosa iudicia superbia pertinax, *Pertinacia vere*, ait *Augustin.* to. 2. epist. 29. *constantia dici affectat, & non est. quia illa est virtus, & hac vitium.* quod ingenia docilia, & ingenua debent procul amandare.

S. August.

11 Iudiciū *censurans* requirit, ne sit iniustum, varias circumstantias, & ideo ante simile Iudicium oportet plene nosse merita iudicandae rei, ne condemnetur, quod nescitur, vt pulchre cauetur C. *sciendum*, dist. 29. & in *Seneca* in Apocol. Claudij & *Tertulliano* in Apol. lib. 2. cap. 1. *turpe est enim*, ait *Aristoteles*, *quemquam iudicari causa inspecta.* deinde aequum est dicentis, facientisve intentionem in meliorem partem trahere, vt bene tradunt *Lucius Seneca* de Benef. lib. 6. c. 38. & *S. Ignatius* in principio Exercitiorum Spiritual. ex doctrina Christi D. & exēplis. scimus hoc ipsum docuisse nos Sanctissimum Patriarcham, qui quando factum fratris non poterat, ipsius intentionem excusabat. praeterquamquod aliorum sententias notis inurere cogit non raro inuidentia, ideo saepe se ipsos taxant, ac produnt, & palam faciunt censores se alijs esse, quibus inuideant, inferiores, *quia minoribus maior aemulandi cura est*, aiebat Tacitus in 5. Annalium lib. 4. Historiarum. His ergo praemissis.

Iudicium censorium, siue censura est sententia lata, qua quis declarat dicens, quod sibi videtur de quacumq; re proposita, & videtur quadruplex, alia *iusta*, quae nimirum fertur secundum quod meretur censurata res. alia *iniusta*, quia excedit meritum rei. Vtraq; diuiditur in approbatiuam, & correctiuam, siue in approbantem, & corrigentem. Censura *approbatiua* est, quae *approbat*, laudatve rem; siue ea laude, aut vituperio digna sit. *Correctiua* vero est, quae reprehendit factum, vel dictum. Sed quoniam vt plurimum in Scholis censura sonat iniustam reprehensionem, & notam inustam, qua inuritur, & notatur doctrina, vel aliqua assertio authoris alicuius vnius, vel plurium, ideo operae pretium duxi hic colligere aliquot propositiones censurantes, atque mordaces, & praescribere Logicae regulam docentem, nunquam sciendam praeferendamve propositionem, cuius praedicatum iniuste applicetur subiecto, quae deseruit maxime, tum directioni intellectus, tum rectitudini voluntatis.

Claritatis ergo supponamus, & proponamus exemplum vnum, vel alterum. 1157
Sanctiss. Pater Paulus V. P. M. circa annum 1608. vt vides in Mag. *Lezana* in q. Regul. c. 3. n. 24. dimisit, atque dissoluit caetum Patrum Praedicatorum, & Societatis Iesu, qui coram Sanctiss. D. P. disputarant de auxilijs gratiae Dei, dicens se suo tempore producturum de ea lite cōponenda decretum; interim tamen omnibus, & singulis cuiusq; oppositarum in ea re partium defensoribus, scriptoribus, tractatoribus, quicumque illi sint, serio interdixit, ne quis eorum perstringat vlla censurae nota alterutram sententiā, nec vtatur vllis verborum aculeis, & quae malam animi intētionē prae se ferre videantur: ac deniq; qui secus faxit, seuere puniendū pronunciauit.

Oo Ergo

Ergo veniunt hic continuo in quæstionem quatuor. Primum est, quæ sint certò verba censuræ hic prohibitæ. Secundum, quæ tales videantur. Tertium, quæ sint potius verba mordentia, & aculei pungêtes, quam veræ censuræ. Quartum est, quæ verba vsurpare licebit præsertim inter disputandum. Sed vero quæ de hac re satis librica dixero, ad quorundam licentiam in varijs materijs coercendam, & aliorum scrupulos submouendos, sicut & reliqua omnia Ecclesiæ, atque sapientium melius meliori iudicio, censuræq; submitto. qui vero volet scire propositiones, quæ à Theologis pro meritis censurantur, Legat *P. Granado* de fide tract. 15. disp. 4. vel *Cordubam* in 1. quæstionario qu. 17. aut *Castrum* lib. 1. de iusta Hæret. punit. c. 3. quia de hac materia ego non tracto. videatur item *P. Turrianus* in Selectis. p. 1. disput. 30. dub. 1. vbi, sicut hi allegati faciunt, explicat censurarum sensum, & vim.

Ad primam quæstionem dico has, & æquipollentes, esse claras, & non ferendas censuras. *hæc opinio est heretica*, nempe *Pelagiana, Lutherana, Caluiniana*, aut huiusmodi alterius. *est erronea, errori proxima, est male sonans, & piarum aurium offensiua, temeraria*, aut *hæresim, & errorem sapiens*. Patet dictum hoc ex Concilio Constantiensi, quod his clausulis seuere notat errores seu dogmata *Ioannis Hus*, in sessione 8. qui vero volet curiosius scire quam vim habeant prædicta verba in censurando. adeat *P. Coninc.* in disput. 15. dub. 8. de enti supernaturali *Canum* li. 12. c. 11. *Caiet.* 2. 2. q. 11. a. 1. *Bañes* ibidem a. 2. *Castrum* lib. 1. c. 1. *Turrecrem.* lib. 4. *Sum.* c. 2. c. 3. *Syluestrū* verb. Hæresi. q. 1. *Lorcam* 22. q. 11. disp. 4 *Turrian.* disp. 55. dub. 3.

Ad secundam quæstionem dico sequêtes quoque censuras videri præcedentibus valde affines. *Hæc opinio est causa seditionum, & turbulentiarum in Ecclesia Dei digna, à qua aures piæ abhorreant, quæ ab ecclesia censura notetur*, vel *examinetur. est execranda, reprobata à SS. Patribus, atque damnata est similis illis, quas Sancti Patres, atque Concilia reprobarunt siue damnarunt, ac detestantur, est contra sacram Scripturam, contra Apostolum, contra Concilia & Patres, improbabilis, parum tuta, opposita est de Fide*, & his æquiualentes.

Ad quæsitum tertium dico verborum aculeos, & dicteria mordentia, quæ quousquisque sapiens, nedum Christianus debuit excusare; videri illas formulas loquendi, quæ supponam, & quæ neque acutum ingenium, neque bene ordinatum secundum charitatem, affectum præse ferunt, nempe istæ & similes. *Hæc opinio est ridicula, Vulgi siue indoctorum iuuenum, excogitata in tripode. Aspernanda, & sibilis excipienda, falsissima. iam est ablegata ab Scholis, non est vir doctus, qui illam defendat, opinio sine multo fundamento, indicent de illa viri docti.* Ergo eiusmodi omnia, quæ ad rem non pertinent, euitare conuenit, & in dicendo tenere modum, quem præscripserunt *Sanctus Hilarius* legendus in l. 10. de Trinit. à principio, & *Sanctus Nazianzenus* in Oratione 26. de Moderatione in Disputationibus habêda, quam sic exorsus est, *Vnde vos instruere incipiam fratres mei. quid optimum dicam, aut quid maximum? quid animabus vestris profuturum?* post pauca, *pax addam etiam vtilissimum, contra quid turpissimum, ac perniciosissimum velitatum disiunctio.* & Tullius de Finib. *maledicta*, inquit, *côtumeliæ, contentionesque in disputando, pertinaces, indigna Philosophia videri solet.* 1158

Verumtamen non puto vllo iure prohiberi, quod faciunt passim multi viri doctissimi, & valde timorati, qui dum propriam opinionem côfirmant, allegant Concilia, à quibus sibi persuadent argumenti vi, & consequentiæ, fuisse stabilitam, & oppositam damnatam; id quod argumentis desumptis ex collatione opinionum hæreticorum, & Catholicorum procurant conuincere; quamuis in scriptis & disputationibus publicis parcissime, & modestissime semper loquendum, præsertim si contingat Pelagij, Kemnitij aut Lutheri dogma cum eo, quod defenditur æquiparari.

QVAESTIO III.

Declarat breui quid, & quotuplex sit Prædicatio, & indicat regulas, quibus à Logica dirigitur secunda hæc operatio intellectus.

Prædicatio idem videtur esse, ac propositio, & ideo sic definitur, *prædicatio est,* 1159

est enuntiatio alicuius de aliquo: vel quæ enunciat prædicatum de subiecto vt hæ, & similes, *Petrus est iustus. Ioannes est animal.*

Multiplex est prædicatio. alia *identica*, quæ dici etiã potuit identitatis formalis, essentialis, & realis. vt hæ, *Deus est Deus, Petrus est Petrus*, & illa diuina, *ego sum, qui sum.* & generatim illæ omnes, quarum prædicata sunt idem formaliter, aut formalissime cum subiectis, intra quarum gregem adnumeraui supra à num. 702. definitiones perfectas: siquidem, vt apparet in hac, *homo est animal rationale*, prædicatum formalissime est idem cum subiecto, neque ab eo differt nisi verborum sonis. Vnde colligis eiusmodi prædicationis identicas, & esse verissimas, & in mente reperiri; quis enim prohibeat eas à nobis mentaliter efformari? licet aliquæ earum non videantur vtiles ad sciendum alia prædicatio dicitur *disparata*, vt hæc, *homo est equus*, & similes, quarum prædicata nullam connexionem, sed potius omnimodam auersionem habent erga subiecta. alia est *doctrinalis*, nempe omnis illa, cuius prædicatum quodammodo distinguitur à subiecto, sed ei conuenit; ac de hac in præsenti præcipue tractamus; quia vtilis est maxime ad sciendum.

Prædicatio ergo doctrinalis alia est ordinata, aut *directa*, alia *indirecta*, & inordinata, *directa* est illa, in qua illud est subiectum est, quod ex natura sua subijci debet prædicato, quod subinde de tali subiecto naturaliter prædicandum fuit: vt hæc, *Petrus est animal*. *indirecta* vero est, quæ opposito modo est, ea nimirum in qua inuerso modo, & ordine naturæ, prædicatio irregulariter fit, ita vt loco subiecti sit prædicatum, & loco prædicati subiectum, vt hæc, *animal est Petrus*: regula ergo generalis Logicę pro facienda prædicatione directa, & pro euitanda indirecta, sic formari poterit, *illud in directa propositione ponendum loco subiecti, quod est basis, & fundamentum prædicatorum, & ea quoquo modo recipit, ac sustentat*. ideo *Petrus* v. g. apte subijcitur prædicatis omnibus suæ lineæ substantialis, tam ijs, quæ vides in recta linea, quam, quæ ad latus, & etiam quinq; prædicabilibus; quia directe prædicas. *Petrus est homo, animal, corpus, substantia, rationalis, corporeus*, &c. & Iterum *Petrus est animal, homo, rationalis, visibilis, albus*. Sanè vtilis est ea regula, ad directionem iudicij, vt nemo non videt.

S. August. sup. n. 790

S. Thomas supra 5431

Rursus prædicatio, doctrinalis, vti notabam supra num. 319. Solet esse in triplici sensu vera. Primo in sensu reali, vel materiali, qualiter est, quæ affirmat prædicatum identificari cum subiecto, realiter, vt hæc. *animal est Petrus. animalitas est rationalitas. rationalitas est Petreitas*, & similes. Secundo in sensu formali & essentiali, vel, vt aiunt, formalis inclusionis; quales sunt illæ, quæ affirmant prædicata, quæ inclusa sunt in subiectis, vt hæ, *Petrus est animal, albedo est color*. Tertio in sensu accidentali, quo modo sunt propositiones, quæ repræsentant prædicata, quæ contingenter conueniunt subiectis; vt illæ, *Petrus est albus: Ioannes legit vel dormit*. Legantur quæ de his propositionibus superius dicta fuerunt.

1160 Ex dictis infertur primo prædicari bene abstracta de abstractis in sensu reali, non formali; vt quando dicis, *animalitas est rationalitas*; quia ea duo, licet non includantur inuicem, neque vnum in alio, identificantur in re, quod si abstractum, quod est prædicatum, includatur in altero abstracto, quod est subiectum, & sit de subiecti eius essentia, propositio vera erit, non tantum in sensu identico, aut reali, sed etiam in formali: ideo veræ sunt istæ & similes. *Deitas est entitas, humanitas est rationalitas, animalitas est sensibilitas.*

Infertur secundo. abstracta vltima non bene prædicari de concretis, neque concreta de eiusmodi abstractis in sensu alio, præterquam reali, & identico; in quo solo sensu veræ sunt hæ propositiones, & similes, *homo est animalitas. Humanitas est animal. Petreitas est homo. animal est Petreitas.* quoniam eorum prædicata non clauduntur in subiectis, quamuis cum ipsis realiter identificentur, vt probabam olim à nu. 340. & ideo ab eiusmodi inusitatis prædicationibus abstinere nos debemus, quia quodammodo irregulares sunt. Verumtamen si tractemus de diuinis prædicatis, ac de alijs creatis transcendentibus, bene poterimus prædicare abstracta, de concretis, & concreta de abstractis, &

cum vtilitate, vti nos docuit S. *Thomas*, quem refert, ac sequitur *Capreolus* Thomista insignis in 2. dist. 4. q. 2. a. 1. Vsitatæ enim sunt eiusmodi prædicationes. *Deus est Deus. Deitas est Deus. Deus est infinita entitas, & sapientia. Sapientia infinita est Deus.* & iterũ, *ens est entitas*, & *entitas est ens*. & ratio huius est, quia ea prædicata in subiectis clauduntur essentialiter & ipsa transcendunt, nec solum cum subiectis identificantur realiter. legantur *Vasquez* 1. p. d. 119. c. 2. num. 7. *Ruiz* de Trin. d. 11. sect. 6. & ea, quæ nos dicimus nu. 651. vbi reiecimus illam prædicationem *Petrus est materia*.

Infertur tertio, concreta secundæ intentionis non solum rite prædicari de concretis primæ intentionis, sed de alijs etiã concretis secundæ intentionis, vt vides in his prædicationibus. *Petrus est homo, homo est animal, animal est genus*. & quidem tria ista corollaria sunt totidem regulę logicales apprimè seruientes directioni huius secũdæ operationis intellectus, siue ad efformanda iudicia directa, & scientifica.

1161 Seruiunt præterea ad ipsum propositũ tum quæ in hac quæst. initio docuimus, tum etiam regulæ omnes, quæ docent nos vniuersalia quinque, & prædicabilia quæuis fabricari, & prædicare, atque componere prædicamenta, & eis vti in varijs propositionibus, quæ item docent efficere definitiones, diuisiones, & syllogismorũ præmissas, quas regulas, iterum nos indicabimus infra, ac deducemus, ex *Aristotele* quando cum ipso tractemus de præmissis *immediatis atque per se*. Licet enim inibi speculatiuo modo procedamus, adnotatũ habeo supra nu. 1126. doctrinam speculatiuam Logicæ perinde adiuuare ad praxim, siue ad efformandos actus directos, atque regulas Logicæ practicas, præterquã quod cognita speculatiue definitione præmissa, vel alio quouis artefaciendo, facile efformabit quis, si volet, regulam practicã pro ijs omnibus rite construendis.

Ad finem quæstionis, & disputationis huius pono Regulam generalissimam pro facienda bona prædicatione, quam me docuit S. *Thomas* de Ente, & Essentia cap. 4. & 1. p. q. 13. a. 12. c. & sic efformari potest, *Omnis bona prædicatio fundari debet in aliquã identitate prædicati cum subiecto*, idest, semper prædicatum, ita debet coũenire subiecto, vt cum illo identificetur, sin minus omnino ratione habentis, & formæ habitæ, (quando nimirum contingat prædicatum esse concretum, vt ad perfectam prædicationem oportet esse; saltem ratione habentis, quæ regula verificatur in omnibus prędicationibus perfectis, & scientiã subiectorum in nobis generantibus: quales sunt prędicationes sequentes definitionis, & quinque prędicabilium. *Petrus est animal, est homo, est rationalis, est risibilis, est albus, & est animal rationale*, in quibus prædicatum dicto modo identificatur cũ subiecto, & etiam illa, *Petrus est albus*, siquidem habẽs albedinem idem est ac Petrus, licet albedinis forma à Petro distinguatur. Vide explicationem Regulæ huius sup. n. 336. & indicem *Sancti Thomæ* verbo *Prædicatio*.

S. Thomas

DISPVTATIO IX.

Partim Philosophica, partim Logica de Discursu, *tertia operatione intellectus, de illius speciebus, & proprietatibus, ac Regulis, quibus Dirigitur à Logica, in libros Reliquos Aristotelis.*

PRæsens vltima disputatio interpretabitur, quæ reliqua sunt, & in superioribus prętermissa, circa duos libros de *Priori*, & totidẽ de *Posteriori Analysi*, octo *Topicorum*, & duos *Elenchorum*, quoniam potissimum, & proxime intendit dirigere tertiam operationem intellectus, mediantibus regulis, & Logicæ mentalis documẽtis, in decursu, vel expresse, vel tacite indicandis; siquidem ijdem libri omnes directionem tertiæ eius operationis, idest, discursus in primis prętendunt, vt testatur S. *Th.* super 1. Poster. lec. 1. ibi, *tertius vero actus rationis, siue intellectus, est secũdum id, quod est proprium rationis, scilicet, discurrere ab vno in aliud, vt per id, quod est notum deueniat in cognitionem ignoti, & huic actui deseruiunt reliqui libri Logicæ*. nempe quos modo enumeraui. 1162

S. Thomas

Recolantur, quæ in Summulis scripsi præsertim disp. 3. vbi de argumentatione, & syllogismo, & varijs syllogismorum figuris, ne eadem repetere cogamur, & nequid in præsenti commentario desiderari videatur. Sed omnes id habeant præ oculis, quod sæpe repetij, nempe, illic,

illic loco allegato, Logicæ regulas quasi mediate intendisse conceptuum mentis directionem, ad vocum, quam immediate intenderunt, consequutam; hic vero Logicæ Mentalis regulas immediate versari circa eosdem mentis conceptus arte faciendos. Sed & hic necessum erit aliqua ex philosophia transferre ad maiorem intelligentiam logicalis materiæ præsentis.

QVAESTIO I.

De discursu mentali in communi super libros Priorum; vbi tracto de præmissis, quas ille supponit, & bonitate illationis; postquam pauca dixero de nominibus librorum horum.

ARistoteles egit in his duobus libris de syllogismo in communi, atque de omnibus syllogismorum figuris in generali, non descendendo ad materiam particularem; & ideo docet ibi, quo modo syllogismus in communi faciendus, & componendus sit, ac resoluendus, in suas partes, vt melius nos eius naturam penetremus, & quoniam, quæ vniuersalia sunt, priora dicuntur, illi libri vocati sunt ab Interpretibus *Libri Priorum*, siue de priori Analysi, vel resolutione, idest, tractantes de syllogismorum in communi regulis, compositione, resolutione, doctrina, & cognitione. Libri alij duo sequentes tractant de fabrica, compositione, & resolutione syllogismorum in particulari, nempe de syllogismo demonstratiuo, probabili, & apparenti; idcirco nominantur. De posteriori Analysi, siue *Libri Posteriorum*, quia, scilicet, syllogismi particulares posteriores sunt vniuersalibus.

1163 Sed Pater *Castilius* lib. 3. tract. 2. cap. 2. notat ex *Soto* ad syllogismum probatiuum requiri duo, Primum est, bona consequētia. Secundum est, quod illatio nascatur ex præmissis veris, & necessarijs: quare examinatio bonitatis consequentiæ dicitur prior resolutio; quæ, quia fit in his duobus libris, ij dicuntur *Libri Priorum*, idest, prioris examinis, & resolutionis. examinatio verò de præmissis veris & necessarijs, dicitur posterior resolutio; vnde dicti sunt *Libri Posteriorum*, seu de posteriori resolutione, vel examine. quoniam vero nos abunde satis tractauimus de syllogismis in communi, & eorum modis, & figuris in disput. 3. hic solum agemus de his, quæ ibi prætermissa fuere, quæ magis spectant ad materiam, & partes syllogismorum, quam ad eorum structuram, & formam.

SECTIO I.

Declarat an sit, quid sit formaliter Discursus, quotuplex, & propter quid.

EXperientia, & communis sententia demonstrant existere discursum, quē ita definit *Aristoteles* 1. Poster. c. 1. *Discursus est actus, qui ex præexistente fit cognitione*, siue, vt ait *S. Augustinus* de quantitate animæ c. 23. *Discursus, siue ratiocinatio est, qua per ea, quæ conceduntur, vel cognita sunt, in aliquod incognitum ducimur*. non quidem ita quod necesse sit, vt illud, in cuius cognitionem per discursum ducimur, non fuerit nobis antea cognitum; sed ita quod ipse de se sit notitia certa & scientialis obiecti sui in eius cognitionem nos ducens formaliter, iuxta dicta supra n. 422. *Aristoteles* *S. August.*

Sed clarius ex *S. Thoma* q. 2. de veritate *S. Thom.*
a. 3. ad 3. discursus sic definitur communiter. *Discursus est cognitio vnius veritatis per aliam veritatem, & post aliam habita*, idest, quædam nostra cognitio, per quam noster intellectus cognoscit aliquam nouam veritatem, adiutus, & determinatus ab alijs suis præcedentibus cognitionibus cognoscentibus alia obiecta, & veritates, ex quibus infertur veritas de nouo cognita; talis est illa cognitio, qua tu scis animal habere ordinem transcendentalem ad suas differentias, quam ex illis antecedentibus eruisti syllogizando sic, *omnis compars compositi cuiuslibet habet relationem transcendentalem ad compartem, cum qua componit; sed animal est compars compositi metaphysici, quod fit ex eo, & differentijs rationale, & hinnibile; ergo animal habet relationem transcendentalem ad eas suas differentias*. 1164

 Hinc

Hinc collige primò. syllogismum mentalem esse illos tres actus plerunque distinctos inter se realiter, (vel, quod possibile, & factibile mihi videatur, vnius actus hypothetici tres formalitates) enunciatiuè repræsentantes tria obiecta complexa. quorum prior dicitur *maior*, secundus *minor*, tertius *conclusio*, siue discursus formalis, propter ea, quæ diximus supra num. 455. fateor tamen totum syllogismum dici quoque solere discursum per metaphoram, qua *totum* nominamus nomine *partis*.

Collige secundo. strictè loquendo discursum esse solam conclusionem, quia illi soli competit definitio tota discursus. licet conclusio ipsa necessario supponat antecedentes præmissas. & ideo differt essentialiter ab Apprehensione, & Iudicio. Vnde vlterius colligas præmissas ambas, licet partes sint syllogismi, qui sæpius est quoddam ens per accidens, esse iudicia, ac directe spectare ad secundam operationem intellectus.

1165 Collige tertio. discursum reperiri in quocumque, qui possit cognoscere vnam veritatem per aliam, & post aliam, procedendo de notis ad ignota; & sic non solum in humano intellectu, sed etiam in angelico in materijs, Angelis non omnino notis; in Brutis verò minime. Bruta enim non discurrunt. vt habes supra nu. 211. & multo minus discurrit Deus cuius iudicatiuæ scientiæ infinitæ, immediate omnia nuda, & aperta sunt.

Collige quarto, discursum esse imperfectiorem absolutè iudicio, & secundum quid perfectiorem eodem. est nimirum iudicium perfectius discursu absolutè, quia est immediata cognitio, & sic ex modo cognoscendi nobilius proprium Dei, & Angelorum, vt vides supra num. 163. discursus verò est per alium, & post alium actũ; & propterea nullo modo in Deo reperitur, quia, scilicet, discursiuus modus procedendi est imperfectus, & quasi ad longum: excedit autem discursus noster aliquo modo iudicium nostrum, quia medio discursu finaliter concludimus, & cognoscimus; quæ iudicio immediato cognoscere non potuimus.

Multiplex est discursus. alius est certus alius est euidens, alius opinatiuus, & probabilis. de quibus infra. est verò discursus in eum finem, vt scilicet, se ipso ornet, atque perficiat intellectum, siue propter perfectionem intellectus, & vt reddat ipsum scientem. sed quoniam discursus in obliquo, sed necessario affert præmissas, vnde ducit suam veritatem, certitudinem, euidentiam, vel etiam improbabilitatem; agendum fuit nobis hic de præmissis in communi.

SECTIO II.

Exponit amplius quid sint in syllogismo Præmissæ formales, & obiectiuæ; & quid Bonitas, vel Malitia illationis; & Cognitio eius; quæ omnia præsupponit Discursus.

Hic syllogismus *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, habet tres propositiones mentales; priores duæ dicuntur *præmissæ formales*; quia antecedunt discursum. maior, & minor, siue repræsentationes maioris, & & minoris obiectiuarũ. Tertia dicitur *conclusio formalis*, discursus, consequens, vel assensus conclusionis: atque illæ res, & obiecta complexa, repræsentata per eas tres mentales propositiones, dicuntur, & sunt *præmissæ*, & *conclusio obiectiuæ*. quando autem quis elicuit secundum regulas Logicæ priores illas duas præmissas, antequam conclusioni det assensum, reflectere debet necessario supra præmissas suas obiectiuas actu quodam speculatiuo logico, qui examinet an præmissæ suæ sint rite dispositæ in modo, & figura, & videat bene inferri ex illis conclusionem, quæ cum eis necessariam, vel probabilem connexionem habeat; atque illa virtus, quæ inest præmissis præsertim obiectiuis, secundum quam inferunt conclusionem formalem, obiectiuam, dicitur, & est *bonitas illationis*, siue consequentia; & si virtus non est in præmissis ad inferendum, dicitur *mala*, aut *nulla consequentia*; cognitio autem illa siue speculatio logica, quæ cognoscit, & videt ratam, & bonam esse illationem, dicitur *cognitio bonitatis illationis*, quæ cognitio videtur aliquibus futura esse necessario iudicium, quo sic magis firmiter procedat intellectus ad conclusionem, ab eo quasi efficaciter determina- 1166

tus, quamuis etiam apprehenſio complexa ſpeculatiua ſufficere aliquando videatur, ſuppoſito, quod à præmiſsis principaliter determinetur intellectus.

Ex his infertur primo. cognitionem bonitatis illationis eſſe omnino diſtinctam à concluſione, atque diſcurſu illato; tum quia illa cognitio ſolet eſſe apprehenſio ſimplex; tum quia eſt ſemper actus ſpectãs ad Logicam, concluſio vero fere ſemper eſt aliarum ſcientiarum; tum denique, quia cognitio bonitatis illationis ſolet eſſe vera. etiam quando concluſio, & diſcurſus eſt falſus, vt apparet in hoc ſyllogiſmo, *omnis homo eſt lapis, omne viſibile eſt homo, ergo omne viſibile eſt lapis*. & clarius in illa argumentatione, *Petrus eſt equus, ergo Petrus eſt hinnibilis*. in quibus bonitas illationis eſt ipſa veritas, & vera eſt cognitio, quæ iudicat conſequens bene inferri ex antecedenti; cum tamen ambæ concluſiones ſint falſæ. atque eadem hæc ratio perſuadet hanc cognitionem diſtingui etiam à præmiſſis etiam, vel ab antecedenti.

1167 Infertur ſecundo, non ſolum frequenter eſſe in nobis prædictam cognitionem logicam de bonitate illationis, cuius meminit
S. Auguſt. S. *Auguſtinus* lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 37. dicens *itaque plerunque citius videt ingenioſus non eſſe ratam concluſionem, quã præcepta eius capit, tardus autem non eã videt, ſed multo minus, quod de ea præcipitur*. ſed etiam infertur contra *Hurtado* diſput. 7. de anima, ſect. 5. talem cognitionem neceſſario, & ſemper præcedere diſcurſum. ratio eſt quia intellectus non dabit aſſenſum concluſioni donec videat bonam, & ratam eſſe illationem eius ex antecedenti, propter quod illi aſſentitur, quare licet ego ſciam ſolem lucere, non procedam vlterius dicendo *ergo dies eſt*, niſi præuidero ſaltem per apprehenſionẽ complexam, connexionem diei cum ſolis luce, quæ connexio, & illatio, quæ neceſſario præcognoſcenda eſt, non cognoſcitur per præmiſſas formales, neque per concluſionem, quoniam obiecta præmiſſarũ, & concluſionis valde diuerſa ſunt ab obiecto cognitionis huius; ſicut diuerſum quid eſt ſolem lucere, & diem eſſe, ab eo, quod eſt diem inferri ex luce. preterquamquod, quando intellectus dubitat de illatione conſequentis ab antecedenti, ſuſpenſus manet, neceſſaria ergo eſt cognitio de bonitate illationis, bona re vera, vel apparenti, vel probabili, quę intellectum determinet ad ſerio concludendum.

Infertur tertio, bonitatem illationis ſiue conſequentiam non eſſe formaliter loquendo propoſitionem, aut orationem, ſed energiam, & vim illam pręmiſſarum ad inferendum conſequens, quod ex illis infertur. ergo in hac argumentatione, *ſi ſol lucet, dies eſt*, bonitas illationis obiectiua eſt vis præſentis ſolis neceſſario cauſans lucem; & bonitas illationis formalis, ſiue quæ reperitur in præmiſſis formalibus, eſt vis cognitionis cognoſcentis, & affirmantis ſolem lucere, quæ neceſſario infert, & determinando quaſi cauſat aliã ſubſequentem cognitionem, qua affirmetur *ergo dies eſt*; quas ambas bonitates illationis potes tu appellare propenſiones, inclinationes, ordines quaſi tranſcendentales ad concluſionem, quas videt, & examinat logica ſpeculatio, quæ propterea dicitur cognitio bonitatis illationis, & vltimo determinat intellectum, vt eliciat concluſionem, ſiue diſcurſum.

Et quia bonitas illationis iſta nõ eſt pro- 1168
poſitio formaliter, communiter dicitur à Dialecticis *bona*, vel *mala illatio*, aut *conſequentia*, non autẽ *vera*, vel *falſa*; & ideo etiã non diſtinguitur inter reſpondendũ, nã cum nõ ſit oratio, non habet varios ſenſus, ſed negatur, aut conceditur abſolutè; quia aut bene infertur conſequens ex antecedenti aut male: conſequens vero quia eſt oratio, diſtinguitur, quando oportet, quia poteſt, & ſolet varios ſenſus habere.

Infertur quarto, præmiſſas formales iungere, atque componere intentionaliter extremitates obiectiuas cũ Tertio, ſiue cum medio, & concluſioné formalẽ iungere, & componere extremitates eaſdem inter ſe; quando autẽ pręmiſſæ formales disiungũt, aut diuidunt extremitates, vel alterã earũ à medio, concluſio, quæ infertur disiungit, ac diuidit eaſdem ab ſe inuicem, iuxta ea quæ dicta ſunt, ſupra numero 458.

SECTIO III.

Statuit Præmiſſas obiectiuas, & earum Bonitatem illationis eſſe rationes formales, vt quod, *extrinſecas Diſcurſus; Præmiſſas verò*

formales, & Cognitionē bonitatis illationis esse conditiones, atque rationes formales vltimas, vt quo, *motiones assertas, & applicationes intentionales.*

1169 Dvplex, quoad præsens attinet, distinguitur causa, motiuum, ac ratio formalis, altera dicitur *vt quod*; altera *vt quo*; illa est quodcumque agens secundum quod principale agens est; hæc vero est mediū, quo tale agens agit cōmunicando virtutē suā alteri, vel quo exercet suā qualemcūq; causalitatem, aut motionē exempla duo rem illustrant, alterum petitum à causa physica, siue causante sine dependentia ab intellectu; alterum à causa intentionali, siue causante post intellectum, & per intellectum. ignis v.g. est causa, vt *quod* respectu alterius ignis, quem physice producit; calor verò, & calefactio, medijs, quibus alterum ignem producit, dicuntur causæ ignis producti, *vt quo*, vel *quibus*: similiter bonitas rei est motiuum, *vt quod* ad se trahens voluntatem, siue eius amorem, & cognitio, qua bonitas proponitur, dici potest motiuum, *vt quo*, siue motio, qua vt medio bonitas quasi vtitur, vt se ostentet voluntati, & illam in sui amorem trahat, & alliciat. atqui vsus hic terminorum horum, vt *quod*, & vt *quo*, est alius ab eo, qui declaratus fuit supra à num. 726. sed vterque valde vtilis ad sciendum.

Dico ergo primo, præmissæ obiectiuæ, & bonitas illationis non sunt causæ efficientes discursus, sed tantū sunt eius quasi causæ formales extrinsecę, *vt quod*, quatenus cognitæ à præmissis formalibus determinant intellectum, vt assentiatur conclusioni, siue discursum eliciat. dictum quoad primam partem est certum; quia impossibile est quod hæc obiecta, *omnis homo est animal*, *Turca est homo*, physicè producant hanc meam mentalem cōclusionem, *ergo Turca est animal*, tum quia sufficiēs virtus est in intellectu meo ad eam producendam; tum quia rationes communes, quæ sæpe assumi solent, non habent vim physice influendi *propriam singularium*, vt ait *Aristot.* 1. met. cap. 1. & ibi *S. Thom.* & res existentes Constantinopoli, nequeūt producere meum actum existentem Hispali, aut Romæ; quod si semel conuincitur, vel vnam conclusionem non indigere concursu physico præmissarum obiectiuarum, manifeste colligetur earum concursum ad minus esse superfluum, & non necessarium; & sic impossibilem: *nibil enim est superfluum in natura*.

Aristotel. *S. Thom.*

Quoad secundam partem dicti probatur, etenim illæ dicuntur rationes formales motiuæ alicuius actus intellectus, quæ intellectum ipsum mouent, ac determinant ad eliciendum talem actum; sed præmissæ obiectiuæ, & bonitas illationis mouent, ac determinant intellectum ad eliciendam talem conclusionem; ergo tales præmissæ, & bonitas illationis sunt rationes formales conclusionis, siue discursus; & quoniam eædem præmissæ, & bonitas illationis principaliter mouent intellectum ad conclusionem, congrue dicuntur rationes formales mouentes *vt quod*, vnde si petas rationem principalem, vt *quod*, propterquam ego asserui, *ergo Turca est animal*, respondebo propterea me id asseruisse, quia viderim omnem hominem esse animal, & Turcam hominem esse, & ex his bene inferri conclusionem obiectiuam, idest, Turcam, qui est vnus homo, esse animal; quia meus intellectus postquam per formales præmissas agnouit extremitates obiectiuas vniri cum medio, & rite inde inferri conclusionem, motus, ac determinatus à talibus obiectis per eas cognitiones, tanquam per motiones, & vltimas rationes mouendi, asseruit, & vniuit extremitates ambas inter se. 1170

Vocaui autem præmissas obiectiuas, & bonitatem illationis habitam ex parte earum, *rationes formales extrinsecas*, quæ intellectum mouent media cognitione sui, respectu conclusionis, vel discursus; quia is illas præmissas, neque cognoscit, neque attingit, solū enim attingit, atque cognoscit obiecta, quæ dicit, dicit autem tantum, *ergo Turca est animal*, & nihil amplius, & ideo obiecta reliqua, ei sunt extrinseca.

Sed contra dices. cōclusio formalis specificatur à præmissis obiectiuis; ergo eas attingit, atque cognoscit. distinguo antecedens conclusio specificatur à præmissis tanquā à specificatiuo remoto, cōcedo antecedēs; tāquā à specificatiuo proximo, nego antecedens. idest cōclusio immediate, & proxime speciem sumit à suo obiecto, imme-

immediato, & à se cognito, nempe ab ex-
tremitatibus a se vnitis, vel non vnitis: sed
quoniam extremitates inter se vniuntur,
quia vnitæ fuerunt cum medio, siue Ter-
tio, idcirco specificatio conclusionis à
præmissis deriuatur; vnde fit obiectiuas
præmissas esse radicaliter, & remote spe-
1171 cificatiuas, & formales causas conclusio-
nis. quando autem aliquis actus specifi-
catur hoc modo mediate ab aliqua re,
necesse non est, vt talem rem attingat, sat
est vt attingat illud obiectum, quod tale
in se est propter alia obiecta præceden-
tia, quibus subordinetur, vel à quibus
aliqualem habeat dependentiam, saltem
cognitionum ordine, siue, ex modo co-
gnoscendi.

Dico secundo, medium, siue vltima ratio formalis *vt quo*, vel quasi causalitas, & motio, mediante qua præmissæ obiectiuæ, & bonitas illationis in actu secundo actualiter mouent, ac determinant intellectum ad eliciendam conclusionem, sũt præmissæ formales, & cognitio illationis. Probatur. illud est vltima ratio formalis actu mouendi *vt quo*, ac determinandi aliud, vt aliquid efficiat, per quod res vna mouet, ac determinat actualiter id aliud ad aliquid faciendum; sed præmissæ obiectiuæ & bonitas illationis actualiter mouẽt, ac determinãt intellectum, vt conclusionem efficiat, per præmissas formales, & cognitionem illationis; ergo tales præmissæ & cognitio sunt rationes formales mouendi *vt quo*, siue motiones; quod est vno verbo dixisse præmissas obiectiuas, quas dixi supra esse rationes formales ad mouendum intellectum potentes ex se in actu primo, constitui mouentes ipsum intellectum in actu secundo, per præmissas formales, & cognitionem bonitatis illationis. sicut ignis cum calore potens producere ignem in actu primo, constituitur per calefactionem producens in actu secundo; & sicut bonitas potens mouere per suam perfectionem in actu primo, constituitur mouens voluntatem in actu secundo, per cognitionem sui.

Dico Tertio, prædictæ præmissæ formales, & cognitio bonitatis illationis respectu intellectus item sunt conditiones ipsi applicantes obiecta sua, quæ sunt rationes formales adæquate mouere potentes in actu primo intellectum ad conclusionem eliciendam, vt modo dicebam. probatur primo, istæ præmissæ formales, & cognitio illationis proponunt intellectui obiecta sua, adæquate sufficientia illum mouere ad conclusionem, sicut cognitio bonitatis alicuius rei, eam proponit amandam voluntati; sed hæc cognitio est conditio, ergo & illæ sunt conditiones.

Probatur secundo. bene stat obiectum 1172
esse motiuum adæquatum, & cognitionem, per quam tale motiuum proponitur esse meram applicationem, & conditionem; ergo præmissæ formales possunt esse conditiones. antecedens patet tum in fine, cuius bonitas est motiuum adæquatum amoris, & eius cognitio est solum conditio. tum in authoritate diuina, quæ adæquatum motiuum est adæquatè determinans intellectum ad actum fidei, accedente solum, vt conditione, cognitione reuelationis diuinæ de mysterio credendo; possunt ergo præmissæ formales, & cognitio illationis se habere vt cõditiones, & applicationes applicantes formalia motiua integra aliunde, & adæquata, quæ adæquate in linea rationis formalis determinant intellectum ad conclusionem; ita quod tota virtus mouendi, & determinandi, *vt quod*, sit in præmissis obiectiuis, & actus illi sint meræ applicationes, & conditiones; ad eum modum, quo tota virtus calefaciendi, & comburendi est in calore, & igne, quorum applicatio ad stupam est mera conditio.

Vnde inferes præmissas formales duplex munus exercere. primum est, proponere intellectui obiecta determinatiua adæquata, & iuxta id munus esse conditiones. Secundum est, esse rationes formales vltimas, & motiones deseruientes præmissis obiectiuis, vt hæ illis medijs exerceãt suam motionem, erga intellectũ, vt ipse eliciat conclusionem, & iuxta id munus dici posse rationes formales mouendi *vt quo*, vt sic concilientur Recentiores Magistri secum, & cum amica veritate. simile quid dixisse me memini tractando de causalitate finis ad 2. Phys. vbi, tenui eam consistere in cognitione bonitatis eius, & in amore, quæ duo rite propterea dicuntur, & sunt motiones, & conditiones applicantes, quarum quoque

memi-

S. August. meminit S. *Augustinus* to. 9. tract. 26. in Ioannem.

1173 Dico quarto, neque Præmissæ formales neq; cognitio illationis effectiuè producunt conclusionem. ita dicunt *Durandus* 1. d. 24. quæst. 2. *Hurtado* de anima d. 7. sect. 8. *Arriaga* hic d. 15. à num. 58. & alij communiter contra *Gabrielem*, *Molinam*, *Toletum*, *Rubium*, *Blanchum*, quos allegat, & sequitur *M. Castelui* d. 2. de Demonstr. dub. 5. & probatur, tum quia similis effectiuus concursus prouenìens à præmissis superfluit; sufficit enim virtus intellectus ad faciendam cõclusionem ex determinatione, & illuminatione informante illarum; vti dicebam supra in simili à num. 145. tum quoniam non raro videbitur is concursus impossibilis, nimirum, quando ex falso sequitur verũ, vt potest, & solet, vt ibi, *Petrus est equus, ergo Petrus est animal*; & quotiescunque intellectus eliciat conclusionem veram, ex præmissis, quas existimarit esse veras, cum re vera falsæ sint, licet inferentes, ac dirigentes ad conclusionem veram. quo casu non videtur dicendum præmissam falsam producere conclusionem veram.

Rursus vti docebo infra numer. 1187. memoria præmissarum, quæ potest esse apprehensio simplex, & imperfecta, & item ordinis naturalis, ex rei natura sufficit adiuuandum intellectum, vt eliciat conclusionem quantumuis perfectam, etiam supernaturalem, vti monstraui in casu simili supra num. 59. & 146. & infra num. 1222. cuius propterea non potest esse causa, nec partialis memoria apprehensiua cognitio naturalis, & imperfecta, & multo minus causa principalis, vti vult *Castelui* fore præmissas in §. *dico tertio*.

Neque admittendum est, vt obiter replicis occurratur, præmissas esse species impressas effectiue tangentes conclusionem, vt alibi ostendero, dici tamem poterunt eędem improprie causæ efficientes propter aliqualem similitudinem, quam habent cum causis proprie efficientibus, in operando, ob quam illas nominarunt *causas conclusionis Aristoteles* 1. Poster. cap. 5. & 2. & 2. Phys. tex. 21. & S. *Thomas* ad 1. Poster. Lect. 3. in principio. sed nec loquutiones sacræ Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum, persuadent, vt reor, inesse gratiæ actuali Dei, id est, illustrationibus, & inspirationibus, quibus mouemur, ac determinamur ad eliciendos alios actus supernaturales plus quam moralem huic similem præmisseram influentiam.

Aristotel. S. Thomas

SECTIO IV.

Dissoluit argumenta, quæ intendunt euincere Præmissas formales esse causas efficientes; vel rationes formales discursus, non minus, quam obiectiuas.

Obijcies primo. discursus fit, vt dicebat Philosophus, ex præmissa, seu præexistente cognitione, ergo præmissæ formales sunt causæ effectiuæ, vel saltem formales discursus, & non meræ conditiones. Aristotel.

Respondeo distinguendo antecedens discursus fit ex præexistente cognitione, tãquam à causa efficienti, vel formali *vt quod*, nego antecedens; tanquam ab applicante conditione, vel ratione formali, *vt quo*, concedo antecedens. aliquando enim, quod est conditio large causa dicitur, & facere effectum; ita dicimus applicationem ignis ad stupam, vel applicãtem quempiam combussisse stupam, vel vrbem; & cognitionem vniuersalis, id effecisse, & eius aptitudinem; præterquã quod aliquid amplius habent præmissæ formales, ob quod dici aliquo modo possint efficere conclusionem, vel conclusionem ex eis fieri ex eis, inquam, tanquam ex motionibus & causalitatibus, quibus exercent erga intellectum determinandũ ad conclusionem faciendam præmissæ obiectiuæ suam virtutem motiuam, & quibus veluti ab informantibus, & constillatijs mouetur intellectus, & adiuuatur ad conclusionem efficiendam. atque in aliquo sensu ex his, intelligi potuit loquutus supra *Aristoteles*. Aristotel.

1174 Obijcies secundo. intellectus mouetur, ac determinatur ad eliciendam conclusionem, non solum à præmissis obiectiuis, & à bonitate illationis tanquam à motiuo, *vt quod*, sed etiam similiter mouetur à præmissis formalibus, & cognitione illationis; ergo genus vtrumque præmissarum est ratio formalis *vt quod*. confirmatur, quia præmissæ sunt repræsentationes præmissa-

missarum obiectiuarum; ergo possunt similiter esse rationes motiuæ, *vt quod.*

Respondetur negando similiter moueri intellectum à præmissis obiectiuis, atque à formalibus: adæquatum enim motiuum, quod determinat intellectum, vt eliciat conclusionem, sunt obiectiuæ præmissæ, & bonitas illationis, cum eæ solæ sint, quę attinguntur, & cognoscuntur ab intellectu, qui non mouetur tanquam à motiuo, *vt quod*, nisi ab eo, quod cognoscit, & sibi ipse, vt sui motiuum proponit; sicut voluntas non mouetur tanquam à motiuo, *vt quod*, nisi ab obiecto bono, sibi proposito; vnde formales præmissæ, & cognitio illationis, sicut & cognitio boni, propositiones, & conditiones tantum esse censentur: quod si præmissæ formales per actum reflexum ante conclusionem eliciendam præcognoscerentur, essent rationes formales mouentes ad conclusionem, non minus, quam obiectiuæ; quia earum sunt repræsentationes, at in eo euentu præmissæ formales gererent triplex munus; nempe essent motiua intellectus, *vt quod*, & rationes mouendi, per quas mouerent præmissæ obiectiuæ, *vt quo*, intellectum, & conditiones, sine quibus non, respectu conclusionis; sicut, & cognitio bonitatis cuiusdam finis, reflexe cognita, vt bona, esset partiale mouens, *vt quod*; & ratio actualiter monendi, *vt quo*, bonitatis alterius à se propositæ; & conditio respectu amoris, & electionis mediorum spectantium ad assequendum talem finem.

1175 Obijcies tertio. Conclusio mentalis sumit speciem à præmissis etiam formalibus, & à cognitione illationis: ergo eæ sunt rationes formales, & non tantum conditiones. Probatur antecedens; nam si præmissæ formales sint probabiles; conclusio euadit probabilis: rursus, etiam si præmissæ formales sint in se euidentes, si cognitio illationis sit tantum probabilis, elicitur conclusio probabilis; ergo intentum.

Respondeo negando antecedens, & consequentiam; ad probationem dico conclusionem euidentem supponere, vt talis sit, præmissas formales, & cognitionem illationis euidentes, necessario, vt conditiones, nō vt rationes formales specificatiuas; & similiter conclusionem probabilem supponere præmissas formales probabiles, vt conditiones applicantes obiectiuas, quę solæ sufficientes sunt specificare conclusionem, determinantes intellectum ad eliciēdam huius speciei conclusionem, & non alterius. cōtingit autem effectus vnius speciei supponere ad suam speciem, & essentiam aliquod determinatum prærequisitū tanquam conditionem (à quo dicunt aliqui specificari tanquam à conditione, siue tanquam ab applicante specificatiuum) v. g. actus amoris cuiuscumque speciei supponit ante se necessario, non quamlibet applicationem bonitatis, à qua sumit speciem, sed applicationem intentionalem, siue quæ sit cognitio bonitatis illius. Deinde ignis, vt producat ignem talis suæ speciei, supponit necessario approximationem, non quamlibet, sed quæ est secundum locum, & non cuiusuis applicationis, sed alterius ignis; quinimo petit existentiam habere alium ignem, à quo producendus sit, & actionem, per quam fiat. & tamen receptissima sententia est cognitionem boni, & applicationem ignis, & eius existentiam, & actionem, qua ignis agit, esse meras conditiones. est conformis ista doctrinæ S. *Thomæ*, 1. 2. quæst. 31. artic. 3. ad 1. quam bene declarat P. *Suarez* in metaph. disput. 23. sect. 8. num. 11. S. Thomas.

Ita similiter in proposito, conclusio euidens supponit necessario præmissas formales, non quascunque indifferenter, sed determinate euidentes; & conclusio probabilis supponit determinate præmissas probabiles; sed tamen vt conditiones; vt omittam hic fidem diuinam obscuram, quæ necessario prærequirit, vt sumat speciem, quam habet ab authoritatate diuina, cognitionem obscuræ reuelationis, vt conditionem; quia res Theologorum est.

SECTIO V.

Defendit præmissas formales, & cognitionem illationis semper, & necessario esse certiores, vel probabiliores conclusione, siue discursu, & respondet argumentis.

Tituli assertū tuetur cōmunis sentētia, & *Suarez* 3. de Fide, d. 6. sect. 5. n. 8. 1176

& pro-

Aristotel. & probat *Aristoteles* primo Poster. cap. 2. dicens *semper illud est tale magis, ob quod vnumquodque est tale. veluti magis id est dilectum, atque amatum, ob quod amamus, & diligimus, quare si ob prima scimus, ac credimus, & iam illa sane scimus, ac credimus magis, quoniã & propter illa posteriora scimus*. vnde emanauit vetus prouerbiũ *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*; sed cõclusiones, vel discursus sunt tales, v g. certi & euidẽtes propter præmissarũ, & cognitionis de bonitate illationis certitudinem, & euidentiam; ergo magis certæ, & euidentes sunt præmissæ, & cognitio illationis, quã conclusio, siue discursus. quare magis firmiter adhærent præmissæ formales, & cognitio illationis suis obiectis, quam conclusio suo; sicut magis firmiter adhæret, & magis appretiatiue amor noster Deo, quam creaturis, quando illas propter Deũ amamus; quia sine dubio magis nos trahit, & mouet erga se intelligendum, & amandum illud motiuum, quod intercedit, & intendit quodammodo, quod propter se intelligamus alia, ac diligamus.

Probatur secundo. quia si pręmissæ nõ sunt veriores, & notę intellectui magis, quam conclusio. frustra, & imprudenter illas præsumit intellectus, vt ex notis sibi, deueniat in cognitionem rei ignoræ; sicut imprudenter procedit, qui ex ignotis, vel ex ęque ignotis ad æque ignota progreditur, cum progressio prudens fieri debeat a facilioribus, & notioribus ad difficiliora, & minus nota, vt monet *Aristoteles* in 5. Metaph.

Aristotel. Sed contra opponis primò. hæc propositio mentalis, quæ dicit, *Petrus est rationalis*, est magis certa, quam illa antecedentia, ex quibus deduci valet, *Petrus est risibilis, Petrus ratiocinatur*. Respondeo & distinguo antecedens, illa propositio est magis certa in quantum est propositio immediata, siue quãdo nõ est cõclusio deducta ex assignatis illis antecedẽtibus; omitto antecedẽs in quantũ est cõclusio deductae ex eis, nego antecedẽs. *nã propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*. vel dic illam posse, & solere esse magis notam quoad se, idest, magis immediatam, non vero semper esse magis notam quoad nos, præsertim quando nobis ignota est, & ideo illam procuramus scire medijs alijs principijs, quæ sunt nobis magis nota, quia sensibus magis sunt per via, vel ex alio principio

Opponis secundo. Conclusio huius syllogismi, quotiescunque sol lucet videntur colores; sed modo sol lucet; ergo modo videntur colores; si non est euidentior, & certior præmissis, certe est illis æque certa, & euidens, cum eius obiectum etiã oculis videatur. ergo non sunt semper pręmissæ conclusione certiores. 1177

Respõderur eam conclusionem neque esse certiorem, neque præmissis æque certam, vel euidentem absolutè loquendo, propter dictum axioma; quamuis secundum quid certior dici posse videatur, & euidentior, non ipsa conclusio intrinsece, & propter se, sed propter concomitantem oculorum visionem circa colores.

Opponis Tertio. actus intellectus certi, & euidentes, omnes sunt inter se æqualiter certi, & euidentes, & similiter probabiles omnes, æqualiter probabiles sunt; ergo non potest certa conclusio certior esse præmissis certis, neque conclusio minus probabilis, præmissis probabilibus. probas antecedens; quia præmissæ obiectiuę æqualiter certę, & euidentes, & probabiles sunt; ergo & formales.

Respondeo negando antecedens; quia hæc cognitio, *quodlibet est, vel non est*, & hęc, *totum est maius sua parte*, & similes euidentiores sunt, & certiores alijs cognitionibus certis, & euidentibus; & similiter se excedunt in probabilitate mẽtales opiniones; & ratio vtriusque asserti est, quia ille actus est euidentior, & probabilior, qui ob motiua firmiora firmius adhæret obiecto, quod ita esse, vel non esse magis efficaciter asserit, & quasi defendit. ad probationem dico, præmissas obiectiuas reales, siue res nullam habere euidentiam intrinsecam, neque probabilitatem, dici verò solent euidentes per extrinsecam denominationem, quando cognoscuntur per cognitiones probabiles; quod certum videtur; quia vna res sine sui intrinseca variatione ab vno euidenter cognoscitur, respectu cuius dicitur euidens; ab altero solum probabiliter, respectu cuius dicitur res probabilis; ab altero penitur ignoratur, respectu cuius dicitur res obscura, & ignota. quapropter S. Thomas

in

in hac sectione de præmissis, & conclusione formalibus, in quibus intrinsece reperiuntur certitudo, euidentia, & probabilitas, fuit noster sermo.

Opponis quarto, sæpe contingit consequens esse magis necessarium, quam antecedens, imo necessarium solet esse, & ve-
1178 rum, & antecedens contingens, & falsum; ergo similiter consequens poterit esse magis certum, aut magis probabile, aut saltem æque certum, ac probabile, atque est antecedens.

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; & disparitas est; quia consequentis necessitas, aut veritas non sumitur ex antecedenti, neque est verum, aut necessarium consequens mentale propter mentale antecedens, sed quia res est, vel non est, quilibet actus dicitur verus, aut falsus, & quando enuntiat actus prædicatum necessario conueniens subiecto, necessarius est, & verus; secus, impossibilis, & falsus: at vero consequentis mentalis certitudo & probabilitas, quæ sunt firmæ, vel infirmæ adhæsiones actuũ verorum, vel falsorum ad obiecta sua, sumũtur à præmissis, & ab illis deriuantur, & ideo exceduntur ab eisdem in certitudine, & probabilitate, nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*

Vt reliqua obiecta diluas aduerte hoc *Aristotelis* axioma verum semper esse non tantum in præsenti materia de præmissis, sed in alia quacunque quando concurrunt tres conditiones, prima est, quando est vtrumq; idest, illud, & aliud, quod est propter illud, capax eiusdem denominationis; defectu cuius conditionis, quamuis homo sit talis propter animam rationalem, non ideo anima est magis homo. Secunda est, vt prędicatũ, quod illis attribuitur, suscipiat magis, & minus, vt scilicet cõtingit esse certum, & magis certum, & huiusmodi. Tertia est, vt illud, quod est causa, propter quã est aliud, sit huius causa ęquiuoca, siue distincta in specie ab eo, & ideo nõ est necesse quod Petrus filius sit infirmior Patre suo, licet propter eum, & ex ipso sit. qui plura volet de axiomate isto legat S. *Thomam* 1. par. quęst. 87. art. 2. ad 3. & 1. Poster. lect. 6. & in 1. dist. 12. quæst. 1. art. 2. ad 2.

S. Thomas

SECTIO VI.

Ostendit medium, cum quo extremitates iunguntur in præmissis non esse obiectum immediatũ discursus, seu, vt alij vulgo dicũt, mediũ non intrare in conclusionem, & *Respondet quorundam argumentis.*

DOcẽt communiter, & merito Iunio- 1179
res obiectum adæquatum huius discursus, siue conclusionis, *ergo Petrus est animal*, esse illud, quod ipsa repræsentat, nempe extremitates ambas inter se vnitas atque compositas, quæ in præmissis illis, *omnis homo est animal, Petrus est homo* iungebantur cũ medio: & consequenter prædictam conclusionem non attingere; neque cognoscere medium cognitum à præmissis, & similiter de alijs discursibus dicendum putant. inclinant in istam opinionem PP. *Suarez* 3. p. to. 1. disp. 54. sect. 4. §. dico secũdo. *Vasquez* 1. 2. dis. 53. c. 3. n. 58. *Granado* de fide trac. 12. disp. 2. num. 8.

Et ratio est, quia actus, qui illis solis verbis explicatur, *ergo Petrus est animal*, est, per aliud, & post aliud, idest consequitur ex suppositis præmissis, quin medium, quod illarũ obiectũ est, attingat, vt patet eam conclusionẽ, consideranti, & præmissas, vnde illa infertur; ergo discursus mediũ non attingit. Confirmatur 1. quia possibilis est, quinimo de facto datur actus, quo solũ asserat intellectus *ergo Petrus est animal*, motus & determinatus à pręcedẽtibus alijs actibus; sed is est discursus, siue conclusio; ergo conclusio integra saluatur, quin attingat mediũ. Confirmatur secũdo, illa est cõclusio adęquate, quæ iũgit extremitas ambas inter se; sed prædictus actus, & similes iũgunt ambas extremitates inter se; ergo adæquate sunt conclusiones,
licet medium non attingant. 1180

Alia ratio est, quia si necessario deberet conclusio medium attingere sic inferendo, *ergo Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo*, sequeretur, quod nunquam ex antecedenti falso inferretur consequens verum, contra communem sententiam, quæ admittit, vt verissimam illam regulam gene-

generalem, *ex vero nil nisi verum, ex falso verum, & falsum sequitur*. Sequella probatur, quoniam omnis conclusio elicita ex falso antecedenti, esset falsa, vt apparet in his conclusinnibus falsis, ergo *Petrus est animal, quia est equus. ergo omnis homo est substantia. quia omnis lapis est substantia, & omnis homo est lapis*; quæ conclusiones, & similes, si solum, vt oportet, & sufficit, attingant extremitates, verissimæ sunt, licet ex falso sequantur; si vlterius attingant medium, & reliqua, quæ sunt cum eo, falsæ erūt; propter illud *quia*. sicut hoc iudicium categoricum, *Petrus est animal*, est verum, & illud hypotheticum falsum, *Petrus est animal, quia est albus*.

Sed verò ego ingenuè fateor conclusionem posse attingere medium, vel præmissas obiectiuas imo, & obiectum cognitionis illationis, si tu velis, & quotiescumque velis concludere hypothetica conclusione sic. ergo *Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo, & quia bene infertur hoc consequens ex antecedenti, &c.* etenim huiusmodi conclusio, & actus ex nullo capite videtur repugnare, quamuis dixero non esse de necessitate semper ita concludendum, sed sufficere conclusioni perfectæ, si iungat extremitates inter se, quin alio modo medium attingat. & alia ratio est. quia bene potest vnus actus attingere simul obiectum, cui assentitur, & motiuum ob quod assentitur, vti de facto attingunt illi, & similes, *quia sol lucet, dies est. quia Deus ita dicit, credo verbum incarnatum fuisse*. & ita tradunt
S.Thomas. de *Fide* PP. *Granado* cum *S. Thoma*, & communi Theologorum 1. 2. cont. 1. tract. 12. disp. 2. num. 7. *Laiman* tract. 1. c. 4. & ibi *Capreolus, Bañes, Turrianus, Suarez*, & *Coninc*. & plerique Recentiores.

Verumtamen P. *Rubius* lib. 1. Post. c. 1. quæst. 6. num. 54. P. *Arriaga* fuse disp. 15. logica à nu. 30. & aliqui Antiqui tenent medium necessario intrare conclusionem, sicut motiuum fidei intrat in ipsam. pro quibus opponis primò. sicut se habet amor, & electio mediorum respectu finis, se habet conclusio respectu præmissarum obiectiuarum; sed amor, & electio mediorum necessario amat, & attingit finem, ergo conclusio cognoscit, seu attingit præ-
1181 missas obiectiuas, seu medium.

Respondeo omissa maiori, negando minorem; quia amor quo, quis v.g. amat, & vult sumere potionem amaram, vel deambulationem, tanquam media ad sanitatem, non attingit sanitatem, sed imperatus est ab amore sanitatis, qui dicitur intentio, quemadmodum actio ipsa exterior deambulandi, vel potandi potionem, vere dicitur, & est propter finem, vel sanitatem, quia imperata similiter est ab intentione finis; & tamen nullo modo attingit sanitatem. habent quippe media, & remedia bonitatem propriam, & proportionatam, sibi dignam, & sufficientem, quæ ametur, si non propter se, propter finem quidem amatũ, & intentum per alium actum; sic obiectũ conclusionis habet veritatem, quæ cognoscatur ab intellectu determinato à præmissis, siue propter eas; sed non nego posse hominem eodem actu amare finem, & medium, siue medium propter finem eodem actu attingendo vtrumque; sed id ita semper fieri, ac necessario, non dico, vt alibi dixi ad 2. Physicorum.

Opponis secundo. quilibet actus debet habere non solum suum obiectum formale, quod attingat, sed etiam obiectum suũ motiuum, ac determinatiuum; ergo mediũ est obiectum motiuum conclusionis, quod ipsa attingit. confirmatur, quia ex eo, quod lux est obiectum motiuum, ac determinatiuum, vt visio attingat colores, ideo visio attingit hos colores, & lucem illam ergo simili modo conclusio, vel discursus necessario attingit ambas extremitates, & medium simul.

Concedo antecedens; habet enim con- 1182
clusio hæc, *ergo Petrus est animal*, obiectũ suum formale, quæ sunt extremitates vnitæ, siue *animal*, quod cognoscitur in Petro, & affirmatur illi inesse propter ea, quæ præsupposita sunt; & præterea eadem conclusio habet pro obiecro determinatiuo extrinseco, non à se tacto præmissas obiectiuas, siue medium. quare nego consequentiam. ad confirmationem dicendũ, non ideo lucem videri, & attingi à visione vidente colores, quia sit obiectum motiuũ, ac determinatiuum vtcumque, sed quia tale est, & quia colores non possunt emittere species, quibus videātur nisi luce præsenti, simul emittenti species sui ad oculos. species verò obiecti conclusionis non indigent consortio specierum medij, aut præmissarum, sed solæ concurrunt, vt solũ

obie-

obiectum illud cognoscatur, Ideft illuminant, & informant intellectum de quibusdam primis veritatibus, vnde ipse informatus alias colligat discurrendo, & eliciendo actus vlteriores, & consequenter circa nouam veritatem, nonnmqne obiectum saltem partiale versantes. quod si, vt fieri potest, discursus medium attingat, dicetur potius discursus virtualis, quam formalis, vt bene aduertit P. *Lugo*, de Incarnat. disp. 20. sect. 6. nu. 76.

Vt reliqua argumenta diluas nota primo fidem Diuinam attingere semper debere motiuum ad credendum; quia est virtus Theologica, quæ semper versatur circa Deum. secundo nota quod licet concludenti *ergo Petrus est animal*, proponatur, & eluceat euidenter ratio, ob quā vere *Petrus animal sit*, siue obqnam *animal* conueniat, & vniatur cum *Petro*, non ideo conclusionem attingere debere eam rationem, tum quia iam ea ratio tangitur ab intellectu per Præmissas, & sic frustra tangeretur per conclusionem *natura* vero *nihil facit frustra*. tum quia, dato quod denuo tangi deberet, sufficit tangi per actū alium necessario repetendum, non per cōclusionem, quæ fertur ad propriū, & adæquatum obiectum declaratum.

Adde quod si intellectus applicans se ad cognoscendum aliquid, debet per eandem cognitionem tangere quidquid tunc clare proponitur, vt verum, corruit structura syllogistica demonstrationis, & nunquam erit discursus distinctus à Præmissa minori, siquidem quando dicit intellectus, *omnis homo est animal*, *Petrus est homo*, euidenter videt *animal conuenire Petro*. & sic oportebit confundi conclusionem cum minori. sed hæc alibi prosequar commodius.

SECTIO VII.

Decidit quando intellectus ita moueatur à præmissis formalibus, & à cognitione illationis ad eliciendam conclusionem, vt necessitetur; & respondet argumentis.

Dvplex in præsenti distinguitur necessitas; altera dicitur *necessitas quoad specificationem*, seu speciem: altera *quoad exercitium*. illa datur in potentia ita disposita, vt si quem actum elicitura sit, hunc actum eliciat, & non oppositum. hac necessitate cogitur voluntas amare obiectū, quod sibi vt bonum ex omni parte propositum est, si velit prorumpere in actum; si autem nolit, sed maneat suspensa, nequit certe elicere actum odij circa tale obiectum. *Necessitas quoad exercitiū* est illa, quæ reperitur in potentia, eam cogens ad aliquam operationem hic, & nunc exercendam, ita vt talis potentia nequeat suspendere concursum, & manere suspensa. ita necessitatur oculus apertus ad videndum colorem in illuminato loco positum, nihilo impediente.

His positis sit prima conclusio. *positis præmissis formalibus probabilibus, & euidenti cognitione bonitatis illationis, necessitatur intellectus solum quoad speciem ad eliciendam conclusionem.* Probatur, quia licet intellectus possit suspendere assensum conclusionis compositus cum eiusmodi præmissis, quia illum non conuincit, neque rapit ad conclusionem præmissarū probabilitas; tamen si eliciturus sit aliquam conclusionem, non potest elicere oppositam ei, quam videt euidenter inferri ex eis præmissis: quia non potest assentiri duobus contrarijs, neque contradictorijs etiam per actus probabiles; si autem assentiretur opposito consequentis, & eliceret conclusionem oppositam ei, quam videt inferri e a præmissis; daret assensum duobus contrarijs, vel contradictorijs; quia oppositum consequentis, quod bene infertur ex aliquo antecedenti, opponitur contrarie, vel contradictorie ipsi antecedenti. v. g. concessisti has præmissas probabiles. *omnis appetitus distinguitur realiter ab anima; sed aliqua potentia est appetitus.* & vides euidenter ex eis inferri hanc conclusionem probabilem. *ergo aliqua potentia distinguitur realiter ab anima.* circa quam potes quidem suspendi, sed si aliquā conclusionem eliciturus sis, eam necessario eliciturus es: non enim potes aduertenter hanc ei oppositam elicere, *ergo aliqua potentia non distinguitur realiter ab anima*. quia hæc conclusio concedit contradictorie oppositum ei, quod conceditur in præmissis, vt manifestum est.

Sit secunda conclusio. *positis præmissis probabilibus, vel etiam euidentibus, & cognitione illationis probabili tantum, intello-*

tellectus nullo modo necessitatur, sed potest suspendi, vel elicere conclusionem quam probabiliter videt inferri, vel ei oppositam, quam etiam videt probabiliter inferri. ratio est quia in eo casu nihil est, quod conuincat intellectum ad eliciendam hanc conclusionem potius, quam illam, si nullam videt certò inferri, sed vtramque solum probabiliter: idest hanc & sui oppositam; & sic pro libito voluntas inclinabit intellectum ad partē, quam volet, vti sapienter docuit S. Pater *Ignatius* infra referendus.

1184 Sit Tertia conclusio. *positis præmissis euidentibus, & cognitione illationis euidenti, necessitatur intellectus ad conclusionem eliciendam, non solum necessitate quoad speciem, sed etiam quoad exercitium, voluntate mere negatiue se habente*, probatur, omnis causa necessaria, positis omnibus requisitis ad actum, necessario eum producit; intellectus est causa necessaria, & positis præmissis, & cognitione illationis euidentibus, & voluntate negatiue se habente, seù non impediente, habet omnia requisita ad actum conclusionis: ergo necessario illum producet. propter hanc rationem oculi aperti percipiunt necessario colores; & aures sonos. & ideo hanc conclusionem tradunt *Conimbr.* afferendi, & apud ipsos. *Aristot.* Aristotel. S.Thomas *S.Tho. Soncinas, Scotus, Herueus, Fonseca, Arriaga* hic d. 15. n. 65. *& Communis.*

Sed quæris an cōclusio ea vera sit etiā reluctante, & renuente voluntate, vel an possit voluntas ita imperare intellectui, vt cohibeat assensum, vt ipse suspendatur, & conclusionem non eliciat. Respondent optime *Conimbr.* cum alijs multis 1. Post. c. 1. q. 4. ar. 4. voluntatem non posse retardare intellectum à sua operatione imperando, & directè volendo ne intellectus eliciat conclusionem; quia cum sit intellectus in hoc casu causa necessaria non minus, quā oculus apertus, obedire nō potest voluntati, sicut oculus nō obedit, sed videt colorē præsentē, etiā renuēte voluntate.

Poterit verò voluntas intellectum diuertere applicādo illū ad intelligēda alia obiecta, & sic indirectè impedire illius assensum in conclusionem; sicut solet impedire oculos, ne videant aliquem colorem, illos diuertendo ad alia conspicienda, vel illos claudendo; vel taliter animi attentionem ad aliquid affigendo, vt oculi aperti, & videntes non videant, nequaquam autem poterit voluntas directè facere quod oculi aperti non videant obiecta colorata præsentia, licet enim id conetur, irriti, & frustra erunt conatus eius. Hæc videtur fuisse sententia S. *Ignatij* Parentis nostri in celebri Epistola de obedientia, illic. *vis animi*, siue intellectus, *multis in rebus, in quibus, videlicet, cognita veritatis euidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam inclinari*. sentic ergo S. Pater ita rapi ab euidentibus intellectum, vt in illis à voluntate non possit cohiberi, aut retardari, bene tamen in probabilibus. nisi tantum indirectè. vt notarunt *Conimbr.* Patres.

Ratio huius doctrinæ est bona, etenim dupliciter fingi potest quod voluntas possit impedire conclusionem. primo, suspēdendo concursum proprium, quo concurreret cum intellectu ad conclusionem. secundo, tollendo obiectum, vel in eo ponendo aliquod impedimentum, vel intellectum impediendo multiplicatione aliorum obiectorum, quæ vult ab illo tunc intelligi. primo modo non potest, quia voluntas non habet concursum ad cōclusionem, quem suspendere possit. secundo modo, & medio si vtitur, vt potest, impediet quidem conclusionem, sed indirectè, quod non negamus, quin potius experiri posse nos putamus. 1185

Confirmatur ea ratio. quia voluntas non debet esse efficacior circa actus alienos, neque habere maius dominium circa illos, quam circa proprios; sed proprios actus non potest retardare, quando nimirum necessario operatur, quia rapitur ab obiecto bono ex omni parte; ergo non potest alienos.

Argumenta in contrarium facile dilues, si aduertas primo, esse quidem intellectū nobiliorem potētiam, quam sensus externos, sed non propterea magis subdi voluntati, quam illos; imo verò, quia pefectior est, in aliquibus liberior, & absolutior debet esse. secundo, in hac vita nullū esse bonum tam perfectum, quod necessitet voluntatem quo ad exercitium, (nisi in actibus primo primis, & alijs defectu aduertētiæ), quia volūtas cum sit potētia formaliter libera, habet maximū dominium supra suos

suos actus, non tantum dominium habent reliquæ potentiæ supra suos, neque semper supra eas potentias, & earũ actus volũtas. vnde neq; oculus apertus potest cessare à visione colorum; neque voluntas eã visionem directe impedire; & similiter se habent intellectus in euidentibus, qui naturalite, & necessario præbet assensum ei, quod sibi veri speciem præbet, etiam renuente voluntate. Tertio intellectum elicitnrum esse necessario simul duas conclusiones, si euidenter videret ex præ-
1186 missis euidentibus ambas inferri, alteram directam, alteram indirectam; sicut necessario videt oculus duos, vel plures colores præsentes. Quarto aduerte hominem non posse quidem moueri à se, neque sponte sua currere, idest potentiam motiuam non posse exercere suum actum sine præuio imperio voluntatis, intellectum verò præcedere sæpe voluntatem, & eius imperium, vel illud non sequi, neque enim tantam ab eo dependentiam habet, quantam habent sensus, & potentiæ inferiores.

Quinto aduerte quod elebat supra S. *Ignatius*, positis præmissis probabilibus posse voluntatem directe inclinare intellectum in alterutram partem, volendo vt hanc eliciat conclusionem, & non illam. verbi gratia, potest tua voluntas inclinare te, vt sequaris meam opinionem de Logicæ obiecto, & non alterius magistri, & similiter de alijs: in probabilibus enim, idest in illis, quæ non conuincunt intellectum, illam partem solemus tenere, & sequi illos Authores, circa quos melius affecti sumus, vel quos magis æstimamus, & illud amplecti solemus intellectu, in quod inclinamus affectu. & ideo dixit *S. Thomas* 2. 2. quæst. 60. artic. 3. *vnusquisque faciliter credit, quod appetit*. (S. Thom.) in euidentibus autem saltem euidentia existimata, dicere solemus, *amicus Plato, sed magis amica veritas*.

Sexto. si forte intellectus ad tantas angustias redigeretur, quod iam non posset elicere nisi tres actus, & eliceret duas præmissas euidentes, & tertiam cognitionem de bonitate illationis, ibi omnino mansurum suspensum, per accidens tamen, defectu virtutis naturalis.

SECTIO VIII.

Probat conclusionem non posse elici ab intellectu, si non existant actu præmissæ, vel memoria earum, quamuis existat habitus intensus, & respondet argumento.

Svperius in sectione 3. ostendi præmis- 1187
sas formales esse non tantum conditiones, sine quibus non, verum etiam motiones, siue rationes vltimas formales mouendi intellectum, seu eius causalitates, & media, quibus intellectus ipse motus, ac determinatus elicit, & efficit conclusionem ex præmissis deductam. Vnde colligitur hæc ratio efficax pro conuincendo asserto in hoc titulo contento. etenim nulla causa potest efficere effectũ suum sine causalitate, aut sine medio, quod requiritur, vt conditio sine qua non; sed præmissæ formales sunt conditiones sine quibus non, & causalitates respectu intellectus in ordine ad eliciendam conclusionem; ergo iste sine illis hãc nequit efficere.

Confirmatur ea ratio primo, paritate desumpta à voluntate, quæ nequit amare medium, vt tale, quin simul finem amet, quia is amor finis est causalitas finis & motio inclinans voluntatem ad electionem, & amorem efficacem mediorum: ergo ob similem rationem nequibit intellectus sine præmissis elicere conclusionem vt talem, vel saltem sine earundem memoria. est autem memoria recordatio, siue cognitio præsens reflexe cognoscens præteritas præmissas, & bonitatem illationis.

Secundo confirmatur, quoniam intellectus concludendo iungit extremitates inter se, cum nota illationis, quia, scilicet, vides eas iungi cum tertio, & bene inferri conclusionem ex præmissis, atq; ex eiusmodi visione, & cognitione motus audacter elicit conclusionem; ergo eam non potest elicere sine præmissis, secus, aut operabitur temere, & in incertum, aut re vera non eliciet formalem conclusionem, sed aliquod aliud iudicium ex apprehensione terminorum mouentium, ortum: cõclusio enim ex natura sua postulat fieri

per alium, & post alium actum mouentẽ, ac determinantem ad ipsã; quæ propterea licet non connectatur, vt ego reor, cum præmissis intrinseco aliquo nexu, aut relatione ; intellectus tamen eam non potest facere sine præmissis, quando se applicat ad discurrendum, sumendo nimirum motiua notiora ad cognoscẽda ignotiora; & ideo rogatus quis cur concluserit, *ergo Petrus est capax disciplinæ*. non respondebit, quia habeo habitum ita cõcludendi ; sed sui dicti reddet rationem motiuam, quia, nimirum, scio omnem hominem capacem esse disciplinæ, & Petrũ hominem esse, vel horum recordor.

1188 Quare motiuum istud intellectus suppleri nunquam potuit ab habitu quantũuis intenso, tum quia is se tenet ex parte intellectus facilitando ipsum effectiue, non motiue, & formaliter, vt omnino necessum est : tum etiam, quia intellectus potest facere sine habitu, quidquid cum illo facit ; ac proinde fieret, si diceremus sufficere habitũ sine præmissis, posse intellectum solum, & nudum concludere. quod nemo dicat. atque, vt modo video, omnino sentit nobiscũ P. *Arriaga* hic disp. 15. n. 57. dicens cum communi requiri coexistant præmissæ cum conclusione in eodem instanti.

Ex his infero primo, conclusionem fore probabilem, si memoria probabiliter recordetur præmissarum etiam euidentiũ, sicut conclusio probabilis euadit ex præmissis euidentibus, si cognitio bonitatis illationis sit tantum probabilis. Secundo ad iudicium prærequiri necessario apprehensiones præsentes, vel eorum obiectorum memoriam; quia sicut prẽmissæ obiectiuę determinant intellectum ad conclusionem, ita apprehensionũ obiecta ipsum determinãt ad iudiciũ, neq; ad iudicãdum sat esse potest habitus. & ideo in hac parte non placet *Suar.* qui in met. disp. 44. sect. 6. num. 13. putat intellectũ cum habitu solo, sine præmissis posse conclusionem elicere.

Sed opponis. nulla est repugnantia in eo, quod efficiatur ab intellectu hic actus seorsim, *ergo Petrus est animal* ; ergo elici potest conclusio sine præmissis actu existentibus. Probatur antecedens ; nam in primis is actus habet obiectum formale adæquatum distinctum ab obiectis præmissarum : deinde licet seorsim fiat, & sine præmissis, conclusio ipsa dicet ordinem transcendentalem ad præmissas, quæ fuerunt, vel quæ potuerunt esse, si is ordo requisitus sit.

Respondeo negando antecedens ; repugnantia enim est, & contradictio, quod fiat conclusio sine motiuo adæquato, & quod intellectus eam efficiat affirmando extremitates vniri inter se, quia vniantur cum medio in præmissis, quin videat eas vniri cum tali medio, vel quin eius vnionem recordetur : ex inde enim fieret, quod talis actus esset conclusio, idest habita post, & per præmissas mouentes, & non esset conclusio ; quia non esset habita post, & per præmissas mouentes. ab probationem concedo conclusionem habere obiectum formale adæquatum immediatum, distinctum ab obiectis præmissarum ; nego tamen inde sequi quod intendit argumentum, vti iam magis declaro.

Ergo ad id, quod additur, nempe quod sufficeret si conclusio transcendentaliter respiceret præmissas, quæ fuerunt, vel esse potuerunt, respondeo omittendo id sufficere, attenta conclusione, quæ solum per se postulat illa obiecta, quæ actu attingit, ipsaue repræsentat, & ijs contenta est; nego tamen eum ordinem transcendentalem sufficientem esse, licet daretur, vt conclusio sine actualibus præmissis elliciatur, attendendo ad indigentiã intellectus, qui determinari nullo modo potest ad affirmandum quod *Petrus est animal*, quin actu sciat, quod *omnis homo est animal*, & quod *Petrus sit homo*, vel quin eiusdem rei actu recordetur, si tamẽ vtitur discursu, vt supra dictum est.

QVAESTIO II.

De Demonstratione, & demonstratiuo discursu; siue Sciẽtia actuali; vbi de distinctiuis scientiarum in duos libros posteriorum Aristotelis.

Demonstratio significat tum syllogismum demonstratiuum integrum, 1189 tum etiam conclusionem euidentem deductam ex præmissis certis, & euidentibus. de demonstratione supra in vtraque

acce-

acceptione agimus; sed prius de syllogismo integro, atque de eius præmissis, vnde cõclusio certa deducitur, legatur S. Thomas in sua Logica idest in Opusculo 48. tractat. de syllogismo demonstratiuo. vbi plus quam optima inueniuntur. *S. Thomas.*

SECTIO I.

An sit, quid, & quotuplex Demõstratio, vbi de Demonstrationibus quia, & propter quid.

1190 Certum videtur dari, & existere demonstrationem, ea vero est, ait *Aristoteles* hic lib. 1. cap. 2. *syllogismus scientialis, siue efficiens scientiam. idest syllogismus constans præmissis certis, & euidentibus, ex quibus conclusio certa, & euidens infertur,* vt hic, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.* & alij, qui possunt formari in aliqua figura præsertim, inquit *Aristoteles* c. 14. illi, qui fiunt in quatuor modis primæ figuræ. *Aristotel.*

Aristotel. S. Thomas Duplex in primis est Demonstratio secundum Philosophum 1. Poster. cap. 13. & S. *Thomam* in c. 1. alia est demonstratio *quia*, alia *propter quid*. demonstratio *propter quid*, quæ etiam dicitur à *priori*, siue à causa, est illa, in qua medium in aliquo genere, vel modo est causa prędicati conclusionis, vt hæc, *omnis homo est discursiuus, Petrus est homo, ergo Petrus est discursiuus.* in qua medium *homo* est causa discursus, & in causa, vt Petro is conueniat. demonstratio *quia*, quæ etiam dicitur à *posteriori*, siue ab effectu est illa, in qua medium, est effectus in aliquo genere causæ, prædicati, quod tribuitur in conclusione subiecto, vt hæc, *omne quod ridet est homo, Petrus ridet, ergo Petrus est homo.* vbi *ridere*, quod est medium, est effectus hominis, & est in causa, vt propterea nos cognoscamus Petrum ridentem esse hominem.

Hic aduerte diligenter duo, primum est, requiri ad demonstrationem *propter quid* quod medium ita sit aliquo modo, aut genere causa prædicati conclusionis, vt tale prædicatum à nulla alia causa causari possit, aut soleat. & similiter requiri ad demonstrationem *quia*, quod affectus, qui assumuntur vt medium ad probandũ prædicatum conclusionis, procedat semper à solo eo prædicato, tanquam à sua causa. secundum est, ominem demõstrationem, vel esse *propter quid, vel quia*. & sic eam diuisionem esse adæquatam: & præterea eas demonstrationẽs, physice loquẽdo, fere semper specie, aut genere distingui, quando, scilicet, earum obiecta specie aut genere distinguntur; Logicè vero specie distingui, quando concinnati sint syllogismi demonstratorij secundum diuersas in specie regulas; & numero solum quando facti fuerunt secundum easdẽ, vel vniformes regulas, vti bene nostis ex alibi dictis circa logicas cõsiderationes

Denique demonstratio alia dicitur *quidditatis*, in qua scitur in conclusione 1191
aliquod prædicatum essentiale subiecto à priori, vel posteriori; alia dicitur *qualitatis*, qua scitur prędicatum, quod est extra essentiam subiecti, conclusionis; alia est vniuersalis; alia particularis; alia singularis; alia affirmatiua; alia negatiua; quæ clarissimæ sunt. lege *Aristotelem* 1. Poster. cap. 19. *Aristot.*

SECTIO II.

Proponit, & exponit Præcognitiones, & Præcognita ad omnem Demonstrationem prærequisita, & conditiones, quas debent habere eius Præmissæ.

Aristoteles hic in 1. Posterio. exorditur dicens, *omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua*, idest omnis cõclusio scientialis, *ex præexistente fit cognitione*, seu præcognitione multiplici præcedenti. & ideo docuit in primis prærequiri duas præcognitiones ante quãlibet demonstrationem efficiendã; prima, quæ præuideat *quod res sit* siue, vt aiũt interpretes, *an res sit actu, vel saltem potentia*. secunda, quæ præcognoscat *quid nominis*, seu quid sit res, quod solet nomen explicare. *Aristotel.*

Res vero præcognoscẽdę, quæ ideo prę cognita dicuntur, sunt tres. prima est subiectum conclusionis, quod Gręci vocant *datum*, vel concessum, & *Aristoteles* vocat *vnitatem*. Secunda est *passio*, idest prædicatum conclusionis, quod ideo pas-

sio dicitur, quia communiter passiones prædicata sunt, & de suis subiectis prædicantur. tertia res est *principium*, siue præmissæ, ex quibus conclusio solet inferri, descendendo ergo magis in particulari ad præ cognitiones quæ præhabendæ sunt circa ista tria præcognita.

Aristotel. S.Thomas De subiecto conclusionis ait *Aristoteles* esse præcognoscendum *quod sit*, nimirum *an sit* actu, vel possibiliter, *nã* inquit, *quod non est, nullus scit*. vt bene declarat *S.Thomas* 1. Poster. l. 6. & *quid sit*, siue, vt ipse dixit *quid nominis*, seu quod sit nomẽ eius. de Passione vero sat erit, inquit, prænosse *quid nominis*, quia eius existentia, & quod iam sit, probetur in cõclusione ipsa. Denique de Præmissis præcognoscendum *an sint veræ*, & quoniam obiter præcognoscitur, quid nominis, siue quid illæ sint, quando cognoscuntur vt veræ, non docuit expresse Philosophus præ cognoscendum in præmissis *quid nominis*, earum.

1192 Deinde Auerroes super istum lib. Post. cõm. 1. in Epil. c. 1. addidit duas alias præcognitiones, nempe agentem, & dirigentẽ. dirigens est illa, quæ non necessitat intellectum ad inferendã conclusionẽ, & ideo nõ pertinet ad demonstrationẽ. agẽs vero, dirigit, & necessitat intellectũ ad conclusionem. & quidem, vt opinor, istæ præcognitiones sunt cognitiones probabilis & euidens de bonitate illationis, declaratæ à nobis superius in Sect. 2. quæstionis præcedentis.

Sed circa eas omnes præcognitiones nota primo, posse esse indicia, vel apprehensiones, quibus intellectus certo, vel clare videat cognoscenda circa præcognita. secundo, eiusmodi præcognitiones dici vltimas dispositiones, & motiones proximas, quibus intellectus vltimo determinatur ad eliciendã conclusionem. Tertio præter eas prærequiri regulas logicales docentes inuenire media demonstrationis & eis inuentis componere argumẽtationes in modo, & figura conuincenti. vt omittã alios actus remotius præsupponendos, & prærequisitos ab *Aristotele* alibi: hic enim in libro præsenti, solũ tractat de proximioribus conclusioni euidenti; quæ tandem in nobis fit ex præexistentibus, additis præmissis formalibus certis, & euidentibus vti definiemus inferius.

Conditiones autem, quas debẽt seruare, vel habere præmissæ demonstrationis, incipit ponere, & exponere *Aristotel.* in 1. Post. a c. 2. prima est, quod *sint veræ, Primæ, immediatæ, notiores, Priores, & causæ conclusionis. veræ debent esse*, quia, inquit, *non est scibile, quod nõ est verũ*. Primæ, autẽ, & *immediatæ* dicũtur quia debent esse principia prima; & vt vocat, *indemõstrabiles*, quatenus nõ indigeãt ea sciri per ambages, & per alias anteriores præmissas, sed tam claræ sint, vt sint lumini naturali patentes, vel, vt dici solet sint *per se nota*, & pateant ex sola terminorũ apprehensione. vt hæc, *totũ est maius sua parte. Cælum est totũ. & sol est cæli pars.* dicuntur etiam *immediata*, nõ solũ quia, vt dictũ est, per se ipsas, & sine alio medio noscuntur, sed quia sunt de immediatis prædicatis, immediate vnitis cum subiectis. vt ibi, *omnis homo est animal, Petrus est homo*, & similes iuxta dicta num. 678. Aristotel.

Deinde præmissæ debent esse *notiores*, quã cõclusio, saltẽ quoad nos, quoniã ita cõstituti sumus homines, vt à notis procedamus ad cognoscẽda ignota. *Priores* quoque sunt vel prioritate causæ, vel cognitionis, quia omnis nostra scientia discursiua, vt initio dicebat Philosophus, fit ex præexistenti cognitione rerum antecedentium. *causæ* demum sunt, præmissæ non solum in demonstratione, *propter quid*, in qua assumimus causam nobis notam ad cognoscendum eius effectus, verum etiam in demonstratione *quia*, in qua, è conuerso, ex effectu assumpto, vt magis noto, descendimus ad cognitionem causæ suæ, quoniam quæcunque præmissæ in toto rigore dicendæ sunt causæ conclusionis, quę absolute fieri dicitur ex præexistente cognitione. 1193

Secunda conditio, vt colligo ex *Aristotele* 5. cap. 4. & 6. metaph. & *S.Thoma* ibi lect. 2. lit. H. petit quod præmissæ sint *Per se, De omni, de vniuersali*. præmissa per se est propositio necessariæ materiæ, & naturalis. nimirum cuius prædicatum necessario conueniat subiecto, & semper; quando verò prædicatum est de definitione subiecti, vt hæ *homo est animal*, *vel rationale*, vel vtrumque, dicitur propositio *Per se* primo modo, quando autem prædicatum

est

est veluti proprietas subiecti, vt hæc *ingulatus grauiter interijt. homo est risibilis*, dicitur propositio de secundo modo *per se*. vnde colliges prædicationes, quæ pertinent ad prædicabilia primum, secundum, tertium, & quartum, esse *per se*; reliquas de quinto, *per accidens*.

Aristotel. Hic ex *Aristotele* c.4. annotauit optime cũ *Durando* allegato, P.*Vasq*. 1.p.dis.157. à n.50. propositiones *per se* tales semper esse, vt illarum subiectis addi possint illæ notæ, quas *Perseitatis* vocant, *inquantum*, *secundum quod ipsum*, & similes. & ideo in primo modo per se dicimus *homo est rationalis*, videlicet, *homo inquantum*, *& secundum quod est homo, est rationalis*. & in secundo modo item dicimus, *homo est risibilis* nimirum *inquantum*, *& secundũ quod est homo, est risibilis*. sed de his reduplicatiuis particulis tractaui cum P.*Vasq*. supra num.610.& 1053.

Rursus præmissa *de omni* est illa, cuius prædicatum conuenit subiecto, & omnibus inferioribus eius, ita vt *de omni* inferiori subiecti possit legitime prædicari prædicatione de *Per se*. vt hæ, *omnis homo est rationalis. omne risibile est homo*. vbi vides, quod *rationale*, & *homo* sunt prædicata de *omni*. Præmissæ demum debent esse de *vniuersali* prædicato, idest, vt inquit *Aristoteles*, quæ vtiq; de omni sint, & per se. quare istud requisitum complectitur id vtrumq; opinor autem signate postulari à Philosopho prædicata vniuersalia ad præmissas demonstrationis, & scientialis; quia sæpe docuit de singularibus nõ posse in hac vita haberi scientiam. Hic aduerte prædictas omnes cõditiones, quasi idem velle, & intendere, quasi æquiualẽtes esse, & se mutuo inferre, & explicare, & solum nominibus plerasq; differre.

1194 Tertia denique conditio postulat, quod syllogismus demonstratiuus faciendus sit in aliquo modo ex quatuor perfectis primæ figuræ. & quidem nos hic materiam demonstratorij syllogismi indicauimus, sed modum construẽdi ipsum exposuimus supra à n. 460. vbi sunt regulæ generales pro syllogismorum omnium structura.

Aristotel. S.Thom. Legat qui plura volet *Aristotelem*, & S.*Thomam* in sua Logica, vel Opusc. 48. in cap.2.3. & 4. hæc omnia bene declarantem, & ita demonstratorium syllogismum definiẽtem cap. illo 1. *est autem demonstratio syllogismus procedens ex veris, necessarijs, per se, primis, proprijs, per se notis, immediatis, & causis conclusionis*. appellat hic S. Doctor ex *Aristotele* prædicata *propria*, vt inquiunt docti Interpretes, quæ subiecto insunt, secundum quod ipsum est, idest secundum suam vltimam, & specificam differentiam, nec solum secundum quasi genericam & cõmunem. Aristotel. sed vero *Aristoteles* 1. Poster cap.8. vocat *principia propria*, siue præmissas de prædicatis proprijs, quæ sunt scientiæ eiusdem, ac est conclusio. vt hæ. *omne animal est sensibile, omnis homo est animal, ergo omnis homo est sensibilis*. cuius demonstrationis præmissæ, & conclusio sunt Metaphysicæ, & è contra, principia communia vocat, quæ seruiunt scientijs pluribus, siue deducendis conclusionibus spectantibus ad varias scientias. exempla habes infra num.1206 & 1223. licet quæ sunt ex communibus principijs, perfectæ quoque demonstrationes censentur. sane expediret sæpe inter disputandũ reflectere supra syllogismos nostros, & videre an seruent præfatas conditiones, vti nempe Logica artificiali, nec semper fidere consuetudini naturali.

Ego præterea pro doctrinę complemẽto pauca superaddam. primum est, prædictas conditiones traditas fuisse ab *Aristotele* pro demonstratione perfectissima, nõ vero repugnant demonstrationes aliæ perfectæ, & scientiales, licet non seruent tam strictas, & rigorosas conditiones; si tamen earum præmissæ seruent sequentes, quæ cõmunes debent esse quibuscumque demonstrationibus, siue eæ sint affirmantes, vel negantes; nempe vt præmissæ sint verę certæ, & euidentes, necessariæ absoluta necessitate, vel etiam ex suppositione; & sint priores, & notiores conclusione, saltem quoad nos; & item causæ, aut quasi causæ conclusionis; etiam quando præmissarum medium est effectus prædicati conclusionis, vt contingit in demonstratione *quia*, vel à *posteriori*; quia is sit nobis notior, & subinde motiuum, & medium assumptum ad suæ causæ cognitionem. Licet deficiat aliquando illa conditio, quod nimirum, præmissæ non sint *prima, per se nota, & immediata*, neque quoad se, neque quoad nos. quid autem sit aliquid esse jis

1195 modis immediatum declaraui iam hic ex parte, & fusius supra num. 678.

Secundum est, eiusmodi conditiones esse optimas regulas generales Logicæ realis inuentiuæ, siquidem, vt nemo non videt, docent inuenire materiam pro demóstrationibus componendis, quæ materia sine dubio sunt plerumque res assumendæ intellectu, vel ab eo præcognoscendæ, vt inde eliciat rerum aliarum notitiam mediante conclusione euidenti. & ideo negandum non fuerit obiectum immediatum Logicæ, & regularum eius esse assumendas, & præcognoscendas res, vt sæpe alibi demonstratum est.

SECTIO III.

De Circulo vtili, & vitioso vitando in Demonstratione, & in alijs argumentis.

Circulus Demonstrationis est *regressus mentis à consequenti ad antecedens*. & tunc inuenitur, quando ex consequenti probato per antecedens, probatur ipsum antecedens. Vt si diceretur, *Petrus est rationalis, ergo est risibilis.* & deinde, *Petrus est risibilis, ergo est rationalis.* nam ibi probatur Petrum esse risibilem, quia est rationalis, & rursus probatur ipsum Petrũ rationalem esse, quia risibilis est, id quod videtur vitiosus circulus, alioqui vtilis, vt ex dicendis apparebit.

Vt ergo facile explicem veritatem suppono duo. primum est, dupliciter circulum esse, alium scilicet formalem, alium obiectiuum; formalis circulus est ille, qui exercetur inter duos actus intellectus; quando nimirum assumeretur idem actus, qui fuit consequens deductus ex alio, vt ex antecedenti, vt esset antecedens, ex quo deduceretur ille antecedens mutatus in consequens; circulus vero obiectiuus contingit inter duas res, & veritates obiectiuas, quando vna earũ fit modo obiectiuũ consequens rei, cuius pauló ante fuerat obiectiuum antecedens, vt supra exemplificabamus, in *rationali*, & *risibili*. Secundum est, veritatem obiectiuam consequentis posse, & solere nobis esse notam aliunde ex diuerso medio, & antecedenti distincto ab antecedenti, quod in præsenti simul est consequens illius consequentis mutati, & sub figura antecedentis. quibus ita suppositis.

Dico primo. Impossibilis est circulus formalis. ita dicit communis opinio cum *Aristotele* hic 1. Poster. cap. 3. & probant Moderni tum quia actus, qui est consequens, siue conclusio est essentialiter discursus supponens præmissas, seu antecedens, vt deno at nota *ergo*, quæ semper comitatur consequens; antecedens vero est iudicium immediatum, & sæpe, præsertim in demonstratione, est axioma, principium primum, per se notum; tum etiam, quia actus, qui est antecedens semper est certior consequenti; ergo non potest esse, aut fieri huius consequentis consequens: siquidem implicatorium est quod idem actus numero sit alio eodem certior, & incertior. 1196 *Aristotel.*

Dico secundo. Vitiosus videtur circulus obiectiuus, si veritas obiectiua consequentis non sit nobis aliunde nota per viã diuersam ab antecedenti, idest, quando dixeris, *Petrus est rationalis*, ergo *est risibilis*, non debes assumere veritatem consequentis inutiliter mutando terminos sic, *Petrus est risibilis*, ergo *est rationalis*, nisi forte tute scias Petrum esse risibilem aliunde ex alio medio, siue antecedenti distincto ab illo, *Petrus est rationalis*; & ratio est, quia parum vtile videtur rem eandem sciri à te, & probari per semetipsam, & moto ab ipsa, idem enim esset scire idem per idem. hoc autem sequitur, vt vides nam si ex eo probas Petrum esse risibilem, quia est rationalis, & aliunde non tibi cõstat quod Petrus sit risibilis, nisi quia est rationalis; si regrediaris probando Petrum esse rationalem, quia est risibilis, siue maiori penetratione risibilis, quam est illa, quam habuisti, & collegisti ex rationali; sequitur de primo ad vltimum, ideo à te probari, & sciri Petrum esse risibilem, quia risibilis est; & sic quasi idem per idem, quod iuuat ad sciendum denuo nihil. quia regressus sit à causa ad effectum, & iterum ab effectu æque noto, ac prius, ad causam æqua luce cognoscendam: & ego non nego similem circulum posse fieri pro arbitrio cuiuslibet, sed in eo nullam vtilitatem video præter scientiæ eiusdem, & notitiæ repetitionẽ, quo sic pressius animo inferatur, & firmius memoria retineatur.

Dico

Dico tertio, si autem veritas obiectiua, quæ fuit consequens aliunde per aliud medium magis penetretur, & non tantum nota sit ex hoc determinato, & solo antecedenti, bene poterit, & sine vitio repetitionis, reassumi vt antecedens ad probandum hoc antecedens, ex quo illam collegimus. & ideo bene sic procedes, *fuit paulò ante pluuia, ergo datur terra humectatio.* & rursus, *terra humida est, vt sensibus percipis, ergo fuit paulò ante pluuia.* Circulus vtilis est, authore Philosopho in 2. de Cælo, & ibidem in lect.7. sua S. *Thoma*, vbi S. Pater affert exemplum de pulsu, ex quo cognoscimus motum cordis, & rursus cognito motu cordis ex alijs capitibus, & medijs, melius penetramus motum pulsus, ad ipsum regrediendo.

Aristotel. S.Thomas.

1197 Et ratio huius clara est; etenim non raro fit regressus à demonstratione *quia*, seu à Posteriori, in qua medium est effectus, ad demonstrationem à Priori dictam *propter quid*, in qua medium est causa effectus; idque vtiliter, vt bene declarat quidam Iunior ex *Aristotele* 1. Posterior. tex.77.& 98. contra *Balduinum* in quæst. de regressu; sed vero, vt is vera dixerit, est intelligendus, quando nō est merus circulus, & purus, quia medium nouum interuenerit, sed effectus melius aliunde penetratus reassumitur, vt medium generaturum in nobis maiorem cognitionem causæ, quā antea habebamus. vt declarabā dicto præcedenti: quamuis sciam in simili euentu non committi propriissime circulum, idest puram repetitionem mediorum eodem modo penetratorum, sed tantum quasi materialiter, & impropriè, quatenus medium modo magis penetratum, quam antea, absolute, & formaliter non est idem, ac antea; licet dici posset materialiter idem, & simili modo, repetitio eiusdem, materialis circulus.

Aristotel.

SECTIO IV.

Decernit contra Philosophos Antiquiores quod sit scientia; quid sit; & quotuplex; & tractat de eius veritate, certitudine, & euidentia; & conditionibus obiectorum scientiæ, siue quæ possunt euidenter sciri.

Aristotel. S.August. S.Thomas.

Non tracto in præsenti de habituali scientia, cuius existentiam admittit quoque S. *Augustin.* tom.1.lib.3. contra Academ. c. 3. & *est facilitas residens in intellectu generata ab actuali scientia* ipsum perficiens, & coadiuuans ad similes scientiæ actus producendos. sed nec tracto de scientia definitiua, quam appellat *Aristoteles terminum rei*, quia eius est perfectissima comprehensio, vt supra numer.431. & alibi dictum est. sed de actuali scientia discursiua cum Philosopho hic, & S. *Thoma* legendo in Opusc. 48. tract. de *syllogismo demonstratiuo* à cap.1. quam scientiam existere demonstrant tum experientia, qua videmus multos viros Sapientissimos. tum sapientissimi tres nostri Præceptores sæpius inuecti contra *Pyrrum*, *Heraclitum*, *Cratylum*, & alios antiquos, qui in vniuersum scientiam negauerunt. legantur ergo *Aristoteles* 1. metaph. & 4. & ibi S. *Thom.* & 1.p.q.84.art.1.& S. *Augustin.* tom. 3.l. 12. de Trinit. cap. 15. & tom.5.l.19. de Ciuitate Dei, c.18. tom.1. lib.contra Acad.cap.9. vbi pulchro dilemmate conuincit in aduersarijs quoq; scientiam esse.

Est autem *scientia actualis cognitio discursiua vera, certa & euidens deducta ex præmissis veris, certis, & euidentibus.* ita colligo ex *Aristotele* 1. Poster. cap. 2. incipient sic, *scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter, sed non sophistice modo, qui est secundum accidens, cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, & non contingere hoc aliter se habere*, & ex S. *Thoma* vbi supra, & quæst.14. de Veritate, art. 9. & ex communi Doctorum. 1198

Aristotel. S.Thomas.

Idest scientia actualis est actus intellectus, dicta à nobis supra num. 811. cum *Augustin.* 1.ret.cap. 4. qualitas *insensibilis* facile mobilis à subiecto, & habitus inchoatus, seu via, & quasi dispositio ad scientiam habitualem, quæ pertinet ad tertiam operationem intellectus. *vera*, qui a dicit S. *Augustinus* tom.1.lib. 3. contra Academicos, cap.2. scientiam definiendo *quoquomodo eam determinem, illud omnibus placuit scientiam falsarum rerum esse non posse.* debet autem scientia taliter vera

S. August.

eſſe, vt neceſſaria veritate, & incommutabili vera ſit, pro tempore ſaltem, quo vera eſt, vt patet in his concluſionibus, quæ deducantur ex præmiſsis euidentibus. *ergo Deus eſt bonus, ergo Petrus modo loquitur.* quorum prior eſt immobiliter, & neceſſario, & abſolute vera. Secunda quoque eſt neceſſario vera, ſed ex ſuppoſitione, quod ita ſit obiectum, quod enunciat; vel pro tempore, quod ita perſeueret, vti declarabo infra.

Debet item ſcientia eſſe *certa*, & meritò, quia eam oportet imperturbabilem eſſe & excludere dubitationem omnem circa proprium obiectum, eique firmiter adhærentem. & ideo docti Iuniores cum *P. Beccano* p.3. tom. de fide quæſt. 2. num. 9. P. *Granado* 2. 2. de Spe tractat. 2. diſput. 1. num. 4. & *Sancto Thoma* in 3. diſtin. 26. quæſt. 2. ar.4. corpor. *certitudinem* eſſe definiunt *firmam adhæſionem intellectus ad obiectum*, ratione cuius intellectus conſtanter, & ſine formidine affirmat prædicatum aliquod conuenire ſubiecto. eiuſmodi autem ſcientiæ certitudo, ſiue dicatur modus eius intrinſecus, ſiue ipſamet eſſentia ſcientiæ, vel quidpiam aliud extrinſecum, in ipſam deriuatur, & refunditur ex motiuis extrinſecis, ſiue ex principijs, aut præmiſſis, quibus innititur intellectus, vt manifeſtum eſt, & docet *Sanctus Thomas* 2. 2. quæſt. 4. art. 8. ad 3. & *Granado* ibi.

S. Thom. — S. Thomas

Dicitur deinde ſcientia *euidens*, ideſt,
1199 notitia clara, & quaſi videns obiectum ita omnino eſſe, vt ipſa dicit, & ſcit. Euidentia enim eſt quędam claritas, qua actus euidens fertur in obiectum illuminatum, & clarificatum, vel ex apprehenſione præeunte, vt facula, vel ex intellectu, ideſt, clara cognitione principiorũ; eſt enim euidẽtia duplex; vna immediata, qualis eſt ea, quam habent pręmiſſę, ſiue principia prima, ſiue ea ſint iudicia, ſiue apprehenſiones; alia mediata, ſiue ſecunda, nempe ea, quę ineſt diſcurſui, & ſcientię, quę propterea clara, & euidens dicitur titulo duplici, nimirum, & propter motiui pręcedentis euidentiam, & propter modum proprium tendendi clarum, & euidentem. horum nominum vſus deſumptus eſt à modo, quo procedit viſio noſtra corporea circa conſpicuos luce colores. Sed ea rem omnem ſatis declarant. quo autem modo ſcientia à fide diuina diſcriminetur propter euidentiam, licet conueniat cum ea propter certitudinem, dicturus ſum infra, adde tamen hic prius quædam corollaria.

Primum aduertit ante me *P. Hurtado* in diſput.8. de anim. ſect.4. et *P. Maratius* tom. 2. tractatu de Fide, diſput.22. ſect. 1. cum *Vega*, quod eſt, nullum actum, & nullam ſcientiam poſse eſse re vera certam, et euidentem, ſi vera non ſit; ſiquidem nequit eſse ſolida, et vera certitudo, & euidentia, quę fallax eſt, & ſubiecta falſitati. Illa enim firma, vel obfirmata, ſeu obſtinata adhæſio omnino libera ab omni formidine, & dubitatione, qua Capitones aſſerta aliquot ſua contuentur, nequaquam vera certitudo, aut euidentia, ſed pertinacia potius debuit nominari. Addo inſuper videri dicendum in opinione quorundam, eſſe extrinſecas actibus ſcientificis certitudines ſuas, & euidentias; ſiquidem ſupra veritatem extrinſecam eiſdem fundantur; & conſequenter abeſſe poſſe ab eis actibus, quandiu ij a veritate deſerantur, ſed iſtud conſectarium indiget maiori examine, & conſideratione, quia videtur opponi magnis viris.

Secundum aduertendũ *PP. Suarez* 1. p. tom. 1. lib. 2. c.2. & *Vaſquez* 1.p. diſp.9. cap.3. nu.10. & diſp.68. c.5. nu.33. docentes certitudinem ſe habere ex parte intellectus, ſicut, & infallibilitatem, & intrinſecam eſſe actibus illius: obiectis vero, & alijs rebus extrinſecam; nam obiecta ſcibilia ex ſe quidem, & intrinſece neceſſaria ſolent dici, & eſſe, vel contingentia, æterna, vel temporalia, vel etiam indifferentia adeſſe, & non eſſe; certa vero, euidentia, vel oppoſito modo, non dicuntur, niſi large, & per extrinſecam denominationem ab actu certo, aut euidenti, aut aliter ea cognoſcenti. Vide tamen *Maratium* to.2. tr. de fide diſp. 12. ſect.1. vbi certitudinem obiectiuam vocat immutabilitatem.

Tertio Pater *Beccanus* vbi ſupra no-
tabat dupliciter eſse adhæſionem actus 1200
certi ad ſuum obiectum, ſeu certitudinem actus, aliam nimirum aſſenſus certi directi primo cognoſcentis obiectum; aliam aſſenſus, ſiue iudicij reflectentis ſupra priorem actum certum, quo dicimus bene nos intellexiſse, certiſsime rem nos

ſcire,

scire, & aliter rem illam atque à nobis scitur, esse non posse, & sane quando homo habet huiusmodi reflexiones sapiens est, & scit, nec solum scit, sed et sui sciti, valet reddere rationem.

Quarto P. *Grando* in controuer. 1. de fide tract. 12. disp. 4. à nn. 4. et P. *F. Suarez* in materia de Fide disp. 6. sect. 5. cum plurimis doctoribus allegatis, et cum *S. Thoma*, 2. 2. q. 4. a. 8. corp. et ad 1. animaduertunt certitudinē diuinæ Fidei, et cōsequenter conclusionis Theologicæ, simpliciter, et absolute loquendo, esse maiorem certitudine scientiæ cuiusuis naturalis, quamuis hæc semper secum importet euidentiam, et propterea dicatur maior, seu perfectior secundum quid, et ex parte subiecti, idest, quoad nos, *inquantum non plene assequimur per intellectum ea, quæ sunt fidei*, quia altissima sunt, ea vero, vt interpretatur *P. Granado* n. 6. quæ solemus scire, et media, per quæ solemus scire, sunt magis proportionata intellectui nostro, et ea assequimur per modum euidentem: ex quo etiam prouenit, vt interdum occurrāt primi motus dubitationum circa res fidei, qui non occurrunt circa obiectum euidēs, id quod non est signum maioris certitudinis, absolute, quę pensatur penes motiua assensuum; sed solum certitudinis magis proportionatæ limitato modo nostro cognoscendi, quæ omnia egregie notauit in illo art. S. *Thomas*, legatur item P. *Meratius* tract. de fide, dispu. 12. sect. 1. in tom. 2.

Vltimo ego aduerto circa scientiæ definitionem, eam ab aliquibus, ita modificari *scientia est cognitio certa, vel euidens*, &c. nimirum sub ea disiunctione, vt defendant Theologiam perfectam scientiam esse, atque ita voluerunt definire *P. Granado* 1. par. disput. 5. sect. 6. & adducit pro se *S. Thomam*, & alios plures, & graues Doctores: ego autem dico Theologiam quidē in multis alijs superare scientias naturales; tamen proprie loquendo scientiam non esse, quia licet certa sit, est obscura, & caret euidentia, quam inesse debere omni scientiæ perfectæ, vtpote deductæ ex præmissis euidenter, & clare notis, opinantur cum *Aristotel.* vbi supra, & communi Dialecticorum, *Vasquez* 1. par. disput. 4. cap. 6. & 8. *Molina* disput. 3. *Valentia* puncto 3. §. 1. *Gilius* lib. 1. tr. 4. cap. 6. *Tannerus* disput. 1. quæst. 2. dub. 3. num. 5. & 7. & alij complures, & inclinat *Sanctus Augustinus* tom. de quant. animæ c. 29.

S. Thomas

S. Thomas.

Aristotel.

S. August.

Obiecta demum, & res, quæ possunt sciri, sunt omnia, quæ quoquo modo habent entitatem, & essentiam. Sed *Aristoteles* 1. Poster. cap. 6. & 7. vel tex. 5. aut 7. & tex. 33. vel 34. & lib. 2. de anima tex. 68. exigit aliquas conditiones; quas putat esse necessarias ad hoc, vt res sit obiectum scientiæ. Prima est, vt sit necessaria, perpetua, & immutabilis. Secunda ne sit singularis, sed vniuersalis, vt sic remotior sit a mutatione, cui subiacere putabat singularia. Tertia, vt sit verum ens reale, *quia*, inquit, *quod non est, non scitur*. Quarta demum conditio est, ne sit ens per accidens, sedens per se, quia illud nequit habere genus, & differentiam. ex magna parte consentit S. *Thomas* 1. lib. metaphysicæ lect. 4. & in 2. distin. 24. quæst. 2. art. 4. ad 6. & lib. Poster. lect. 16. & alibi frequenter. 1201

Aristotel.

S. Thomas.

Porro Philosophus satis rigorose loquutus est, vel intellexit vt in pluribus ire euenire vt homines ea tantum scire soleant, quæ habeant illas quatuor conditiones, neque enim ille negare potuit, nec nos catholicè negare debemus scientiam esse posse, atque de facto esse in Deo, & in alijs, de non necessarijs, siue de contingentibus, temporalibus, & caducis, & de ijs, quæ sunt in continua mutatione, de singularibus, de entibus rationis, imo etiam quodammodo de his, quæ non sunt, aut falsa sunt, vt dicebamus ex *Patre Vasquez* in disput. 5. q. 10. Appendice 2. ac demum de entibus per accidens. Etenim Deus omniscius omnia ea eo modo, quo sunt comprehendit: & Angeli, & multi homines sapientes ea bene norunt, quinimo, & rusticani euidenter sciunt latrare lycifcam, mugire bouem suum, Brunellum currere, & cursu superare Bucephalum, & alia complura, quæ vident oculis, vel vsurpant alio sensu. quantumuis ea mobilia, temporalia, contingentia, & singularia fuerint.

Sed ingenue fateor obiectum scientiæ semper debere esse necessarium, nimirum simpliciter, & absolute, vt est Deum esse, vel hominē esse animal; vel saltem ex suppositione.

positione, vt est cursus equi ex suppositione, quod sit, vel futurus sit; siquidem in eo euentu prædicatum assertionis necessario annectitur cum subiecto, iuxta vetus prouerbium, *omne quod est ex suppositione quod sit, necesse est esse*, deinde fateor facilius sciri illa, quæ dicit Philosophus, reliqua non ita frequenter, neque cum tanta
S.Thomas. infallibilitate. fauet S. *Thomas* 1.p. q. 14. art 13. ad 3. quæst. 84. art. 1. cor. & ad 3. & *Agric.* lib. 2. de Inuent. definit entia per-
Aristotel. accidens in cap. 5. imo *Aristoteles* supra n. 1190.

Ad finem ne nos nominum quorundam ignorantia halluzinet, atque confundat, sapienter animaduertit *Vasquez* 1. par. disp. 10. nu. 13. *super articulum 6. S. Thomæ*, vbi dicitur quod Theologia sit sapientia, & *P. Granado* ibidem dicens eam, & scientiam perfectam esse, & maxime sapientiam. nempe *scientia* est, vt supra declarata est. idest, omnis cognitio discursiua certa, & euidens, vel saltem certa, vti contentus est *Granado*. *Sapientia* vero dicitur notitia, quæ facit habentem exquisitissimum in scientia, vel arte sua, ita quod ratione eius notitiæ comprehendat suæ artis, nō tantū conclusiones, sed principia etiā, vnde conclusiones deducuntur;
1202 quod est habere simul sciētiam, & intellectum; *intellectus* enim est cognitio clara principiorum, sicut *scientia* conclusionū. dicitur etiam *sapientia* collectio cognitionum rerum, quæ summo honore dignæ sunt, vti Dei, & causarum aliarum superiorum. vt est Philosophia prima, seu Metaphysica; & Theologia. tota hæc doctrina desumpta est ex Philosopho 1. metap. c. 2.
Aristotel. & 1. Magn. Mor. c. 35. & 6. Ethic. cap. 7.
S.Thomas. & S. *Thoma*, quod confitetur, vbi supra *P. Vasquez*, & eam applicat suæ metaphysicæ P. *Suarez* in disput. 1. sect. 5. vbi eam Sapientiam absolute compellat.

SECTIO V.

Ostendit septem Dictis quomodo, & propter quid scientiæ actuales interse differant; vbi de distinctione reliquorum actuum vitalium; & iterum occurrit tractare de obiectorum scibilitate, & attingibilitate; sed prius repetam pauca de obiectis in communi.

Ad præsentis difficultatis claram definitionem suppono primo, me in præsenti non tractare de distinctione scientiarum integrarum inter se, idest, de modo, aut titulo, ob quem Logica, v. g. differat à Philosophia, & hæc ab illa, & reliquis scientijs, id enim præsto sect. 7. sequenti. tracto ergo solum de distinctione singularium scientificarum conclusionū, etiam spectantium ad eandē scientiā, integrandā, quæ dici solēt sciētiæ actuales & obiter determino, quę distinctio intersit inter quoslibet actus vitales tam corporeos, quam spirituales, tam cognoscitiuæ potentiæ, quam appetitiuæ. Vnde facile quis colliget discrimina habituum quorumlibet.

Secundo, vt morem geram Recentioribus, suppono quę circa obiectum in communi docuit conformiter ad eorū gustum *P. Gilius* 1. p. lib. 2. tract. 3. c. 2. distinguens triplex obiectum formale. nempe quod vocant *quod, quo, seu propter quod*, & *sub quo*; vel, quæ eadem distinctio est, ratio formalis, *quæ qua, seu propter quam*, & *sub qua*. obiectum *formale quod* appellant ipsum materiale obiectum, quod se ipso. & secundum suam entitatem terminat actū. obiectum vero formale *quo*, seu *propter quod*, dicitur illud, quod est motiuum, & mouet potentiam ad actum, per quem modo id attingitur, modo non. Obiectum demum formale *sub quo*, quod item dici solet *formalissimum*, est aptitudo, quam habet obiectum quodcumque, vt terminet actum se tangentem.

Exempla rem illustrāt. actus v. g. visionis 1203 obiectum formale *quod*, est color, qui terminat actum se videntem. obiectum formale *quo*, seu *propter quod* color videtur, est lux, per quā illustratur color, & obiectum *sub quo* est visibilitat coloris, seu potentia, vel aptitudo, qua color fit potens videri. atque exemplificando in actu conclusionis, eius obiectum formale, *quod* sunt extremitates vnitæ inter se; si conclusio est affirmans, vel separatæ, si conclusio est negans. obiectum formale *quo*, seu *propter quod*, sunt præmissæ obiectiuæ, & obiectum formale *sub quo* est cognoscibilitas,

litas, aut scibilitas, qua obiectum conclusionis potest sciri. huiusmodi vero cognoscibilitates obiectorum, vt alibi adnotatum habeo, ab actu non exprimuntur, neque enim omnis actus dicit obiectum suum esse cognoscibile.

Ista Recentiorum doctrina videtur mihi obscura atque confusa, & ideo vt vera sit, & clare tradatur, temperanda est, & intelligenda iuxta dicta à nobis supra n. 29. vbi dicebam obiectum materiale esse illud, quod in actibus enunciatiuis affertur ex parte subiecti; & obiectum formale esse, quod affertur vt prædicatum; & vtrumque solere actum terminare, & ab actu tangi, sed cum ea differētia notabili, quod obiectum formale semper est ratio, sub qua, id est secundum quam materiale obiectum tangitur, vel quæ quasi in eo inexistens tangitur, atque cognoscitur; nec enim semper cognoscitur quidquid in eo est, sed vnum modo per vnum actum, & postmodum, aliud; obiectum vero motiuum, siue determinatiuum, dictum *quo*, seu *propter quod*, dixi esse medium illud, quod mouet vt *quod*, intellectum ad procedendum, vlterius, & aliud nouum cognoscendum ex vi talis medij, id quod plerumque non tangitur ab actu, ad quem mouet; vtrumque autem obiectum materiale, scilicet, & formale, scibile est, ac diciditur tum intrinsece, quatenus talis naturæ, & conditionis est, vt aptum sit, & possit sciri; tum extrinsece ab intellectu illud scire potenti. Vt dicebam olim à num. 600. & ex parte repetam inferius.

1204 Sed & hic animaduerto nomina ista *attingibile, scibile, iudicabile*, & eorum abstracta attingibilitas, & eiusmodi, nihil afferre de nouo, quod conducat ad actuum specificationem, sed illud ipsum, quod significant illa nomina *obiecta materialia*, & *formalia*, quæ sunt quasi eorum habentia, solumque illa bene seruire ad discriminanda nobis obiecta diuersarum potentiarum, secundum quod dicimus obiectum intellectus, esse omne intelligibile; & obiectum visus, omne visibile; & obiectum voluntatis, omne amabile, siue volibile; & huiusmodi aliter. deinde aduerto obiectum materiale, & formale solere confundi, & esse idem omnino respectu actuum, qui non indicant, saltem quando tangitur ab actu; & ideo color pomi dici potest obiectum materiale visionis, quatenus est materia, circa quam versatur oculus; & idem color obiectum formale est, quatenus actum specificat, & est aliquid, quod inhæret in pomo, vt in subiecto, quod quidem dici etiam potest obiectum materiale non tactum. vt declarabam vberius ab illo num. 29. His ita suppositis ne sectio ista euadat longior iusto.

Prima pars Sectionis, producit tres resolutiones, cir. a specificationem scientiarum, & actuum vitalium quorumlibet.

Dico ergo generaliter *omnes scientificas conclusiones, siue scientias actuales, imo etiam quaslibet actus intellectus, vel alterius cuiuscumque potentiæ vitalis, specificari, & inter se distingui penes, & secundum essentiam, & distinctionem obiectorum, quæ prædicti actus attingunt, expresse repræsentant, & immediate cognoscunt, sentiunt, vel amant, siue ea obiecta dicantur materialia, vel formalia, & talia re vera sint*. Hoc dictum est conforme SS.PP. *Augustino*, & *Thoma*, & PP. *Hurtado*, & *Hurtado*, & alijs afferendis in sect. sequenti. & probatur, vt mihi videtur, euidenter ex principijs ipsis Recentiorum, qui hoc dictum, quasi exosum habent satis inconsequenter. S. August. S. Thomas.

Etenim primo, quotiescumque obiecta cognoscenda, sunt distincta inter se specie, aut genere, ea sua diuersitate petunt repræsentari, atque cognosci; ergo eorum repræsentationes, siue cognitiones, vtpotè, quæ illis se conformant, & illorum sunt natu. alia signa, expressæ imagines, exemplaria sua ad viuum repræsentantes, penes eorum entitates specificantur, & penes eorumdem diuersitatem inter se diuersificā. tur. antecedens est certum, & consequentia manifesta; si quidem omnis imago, vt talis sit, debet esse imago, seu imago sui prototypi, & esse secundum quod ipse est, & non aliter; & ideo imago corporea, vel spiritualis repræsentans coruum, sine dubio specie differt ab imagine corporea, vel spirituali repræsentante olorem, aut philomelam. quo vero modo fit cognitio imago obiecti, bene declarat *Conine*, de fide, disput. 5. dub. 4. num. 33.

Proba-

1205 Probatur secundo à paritate, quoniam quotiescumque termini, vel effectus producti distinguuntur specie, aut genere, similiter distinguuntur productiones, quibus fiunt, etiam si contingat fieri ab eodē agente, vti docet melior Philosophia; ergo simili modo quotiescumque obiecta actuū distinguuntur specie, aut genere, actus similiter distinguentur. hanc rationem cum suo fundamento inuenio in S. *Thoma*, 2.2. quæst. 26. art. 7. corp. dicente, *omnis actus ex obiecto habet speciem, sicut motus habet speciem à termino, ad quem est, quòd oportet quod proportionetur obiecto,* quia, videlicet, est imago ipsius, & quia vt, inquit, S. Doctor. 1.2. quæst. 54. art. 2. c. ordines transcendentales, qualiter sunt actus erga obiecta, & actiones seu motus erga terminos, & effectus, ab obiectis, & ijs terminis specificantur, & penes ipsa diuersificantur. Verba eius sunt, *omnia autem, quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad quæ dicuntur;* sed actus, & scientiæ sūt ordines transcendentales ad obiecta, quæ tangunt; ergo ab ipsis specificantur, & diuersificantur.

S. Thomas.

Neque proficit respondere veram esse nostram conclusionem, quando non sit idem formale obiectum; etenim istud formale obiectum, quantumuis vnicum, & idem sit, nequit trahere ad sui speciem, siue naturam, obiecta materialia specie distincta, quæ per ipsum cognoscuntur, neque ea immutare, aut reddere similis naturæ; & ideo sicut lux, & albedo, specie differt à luce, & nigredine; & sicut compositum ex anima nostra, & materia, idest, iste homo specie differt ab alio homine composito ex simili *anima, & alia materia,* alterius speciei: vt notat bene P. *Granado,* tract. 7. de Eucharist. disp. 3. sect. 3. nu. 11. & similiter differunt alia quæuis concreta etiam ob variationem solius materiæ, vel alterius partis; ita contingit in proposito; & actus, qui cognoscerent einsmodi enumerata cōposita, sine dubio specie distinguuntur. & si, claritatis gratia supponas actus assertiuos non esse simplices qualitates, sed apprehensionum congeries, eorum distinctio specifica, & plus quam numeralis, aut materialis elucet euidentior. explico magis, & confirmo rationem hanc infra num. 1218.

Non vos scandalizet, neque conturbet inferri ex dicto præcedenti, Fidei actus, & aliarum virtutum esse specie differentes, etiam elicitos propter idem obiectum formale; quoniam infra ostendam habitus earum virtutum esse causas quasi æquiuocas, & vniuersales, potentes efficere actus specie physica diuersos. quoniā vero actus vitales non solum specificantur ab obiectis tactis, siue ea sint formalia, siue materialia; sed etiam ab alijs motiuis magis extrinsecis, quæ mouent intellectum, vt eliciat potius hos actus, quam illos, & potius huius, quam alterius speciei.

Dico secundo. *non quotiescumque principia, siue præmissæ obiectiuæ quæ sunt obiectum formale* quo, *vel* propter quod *scientiarum, distinguuntur specie, aut genere, euadūt scientiæ simili distinctione diuersæ.* 1206
& probatur, quia duo binaria præmissarum specie, aut genere inter se diuersa, atque ad diuersas scientias spectantia, possunt, & solent determinare intellectum ad eamdē numero, vel specie conclusionem, vel sciētiam; ergo istę non semper euadunt differentes pro differentia præmissarum suarū. patet antecedens exemplo patenti. ecce istæ præmissæ. *nullus homo est albedo, Petrus est homo,* specie logica, & physica differunt ab his, *omne quod manet pereunte albedine, non est albedo, Petrus manet pereunte albedine,* & tamen determinant, et causant hanc conclusionem eandem numero, vel specie, ergo *Petrus non est albedo.*

Præterquamquod antecedens est expressa sententia *Aristotelis,* 1. Poster. c. 21. & S. *Thomæ* ibi lect. 41. vbi docent hanc conclusionem, *ergo terra est rotunda,* inferri ex præmissis, et medijs Astrologiæ, et Philosophiæ, quæ sunt plusquam specie diuersa. Ita loquitur S. Doctor commentando prædictum textum, *terram esse rotundam per aliud medium demonstrat Astrologus, scilicet, per eclipsim solis, & lunæ, & per aliud Naturalis, scilicet, per motum grauium tendentium ad centrum, vt dicitur in 2. Physicorum.* atque idem repetit in 1.2. q. 54. art. 2. ad 2.

Aristotel. S Thom.

S. Thom.

Probatur idipsum secundo à paritate manifesta. Etenim duo, aut plura principia naturalia, vel duæ causæ efficientes specie, vel genere differentes, causare possunt, et solent eundem numero, aut specie effectum.

ctum, et sic non bene infertur, agentia physica differunt inter se genere, vel specie, ergo similiter differunt eorum effectus. ergo duo præmissarum binaria valde distincta inter se mouere, ac determinare poterunt ad eliciendam eamdem, vel similem conclusionem, & scientiam. antecedens, & consequentiam tradidit cum Philosopho S. *Thom.* lib. 2. Poster. in lec. 19 ad illa verba Philosophi *contingit autem vnius plures causas esse*; & id ipsum demonstrat Deus, sol, ignis, calor, piper, vinū, homo, & alia sexcenta agentia inter se plusquam genere discrepantia, quę possint, vel solent producere eundem numero, vel saltem specie calorem. & ratio huius est, qui multæ causæ solent habere virtutem communem in ordine ad producendos eosdem effectus: vnde similes effectus eā habent latitudinem cordis, vt æque bene producantur ab hac, atque ab illa, aut alia causa, ad quas omnes habent respectum transcendentem.

Aristotel. S. Thomas.

1207 Dico tertio, *Tunc præmissæ, siue obiecta formalia* quibus, *vel* propter quę, *determinant, & mouent intellectum ad eliciendas conclusiones, vel scientias distinctas iuxta earum diuersitatem, quando tales præmissæ & obiecta mouent ad hanc conclusionem, & non ad aliam alterius conditionis, ad quam aliæ præmissæ determinant.* declaro me sic. Clarissimum indicium est, vt colligamus effectum vnum distingui specie ab altero, videre quod vnus prodeat ab vna causa, ita vt ab alia prodire non valeat; & alter simili restrictione prodeat ab altera, ab illa prima ad minus specie diuersa; & ideo colligimus euidenter Petrum specie differre à Brunello, quia Petrus generatur ab homine, & Brunellus ab equo; ita vt impossibile sit generationes istas aliter se habere, aut generari equum ab homine, vel hominem ab equo.

Vnde istæ sunt legitimæ argumentationes. Homo generatur ab homine: & equus ab equo; ergo isti geniti differunt specie, sicuti genitores differunt. Angelus producitur à Deo, & aurum a Sole: ergo angelus, & aurum plusquam specie discernuntur. Veritatem hanc nostræ assertionis, & eius fundamentum indicauit S. *Thomas* 1. par. q. 14. ar. 5. ad 3. & in 12. q. 54. ar. 2. corpore, dicens *formas siue effectus distingui inter se secundum diuersa principia actiua; eo quod omne agens intendit assimilare sibi effectum*. sin minus semper secundum propriam speciem, & naturam, saltem secundum aliquid, quod necessario redoleat, vel æmuletur tale agens, & non aliud quoduis indifferenter. Sic enim interpretor S. Doctorem.

S. Thomas.

Ergo dicti huius tertij doctrinam sic explicatam tradidit *Aristoteles* 1. Poster. c. 21. dicens, *diuersæ vero scientiæ sunt, quarum principia, neque ex eisdem, neque ex alterutris sunt*, idest, tali diuersitate diuersa sunt, vt vnumquodque suam determinatā scientiam causet, & non aliā; et nullo modo cōmunicet cū alio principio in virtute causandi scientiam eandem. ita interpretatur *Sanctus Thomas* in lect. 41. ibi, *dicit enim*, Aristoteles, *quod vna scientia est altera ab alia; quarum principia sunt diuersa; ita quod nec ambarum scientiarum principia procedant ex aliquibus principijs prioribus, nec principia vnius scientiæ, procedant ex principijs alterius; quia sine procedant ex eisdem principijs, siue alia ex alijs, non esset diuersa scientia.* Consonat item *S. Thomas* in 1. 2. q. 54 art. 2. ad 2. dicens *diuersa media*, siue præmissæ, *sunt sicut diuersa principia actiua secundum quæ, habitus scientiarum diuersificantur.* nimirum quando hæc, & illa non communicant in eadem virtute causandi eosdem, vel similes effectus, vt communicare solere dixerunt supra in dicto præcedenti *Aristoteles*, et *Sanctus Thomas*, et adnotarunt supra contextum Philosophi, Patres *Conimbricenses* lit. G.

Aristotel. S. Thom.

S. Thom.

Aristotel. S. Thom.

Et ratio huius dicti est illa, quā indicauit in illo artic. 2. S. Doctor; Etenim quando causæ specie differentes operantur effectus suos secundum propriam suam virtutem, vel producunt similes sibi in specie, vel secum tantùm habentes connexionis respectum; ergo quando præmissæ simili modo operantur conclusiones suas, illis refundunt diuersitatem suam: ex quo vlterius fit conclusiones fore specie differentes, aut genere, quando earum præmissæ fuerint inter se simili distinctione diuersæ. vti supra declaratum est. atque veritas hæc consistit etiam si respectum habeamus ad præmissas formales, licet eas olim diximus esse tantum vltimas motiones, et applicationes, quibus proxime intellectus applicatur, et mouetur ad eliciendas

suas

suas cóclusiones. si tamen istæ præmissæ signatè ad hanc conclusionem mouent, & non possent ad aliam; & similiter illæ ad illam, & non ad alienam, quod item adnotaui superius num. 1175.

Secunda pars Sectionis quatuor reliquas assertiones pronunciat circa specificationem Scientiarum, & vitalium actum, cæterorum.

Dico quarto, *existentibus eisdem præmissis obiectiuis, & obiectis immediatis, idest eisdem obiectis, quod, & quo, adhuc eadunt conclusiones specie differentes, si principia actiua, seu intellectus specie, aut genere distinguantur*, ita dixit ante me *S. Thomas* in illa quæst 54. art. 2. in 1. 2. cuius verba legis sæpe supra: & Probatur, quia omnis effectus præsertim vitalis, tam strictè, & essentialiter connectitur cum sua causa affectiua, vt ab ea sola produci queat. ergo quãdo intellectus differunt specie, aut genere, simili modo differunt scientiæ, etiam existentibus eisdem obiectis. sufficit enim ad hoc, vt vna scientia, vel actus differat ab alio, quod habeat collectionem specificantium se, diuersam ab eo alio, co'lectio vero diuersa fit etiam propter diuersitatem vnius tantum partis, vt contingit in proposito. S.Thomas.

1209 Et ideo scientia Diuina de rosa, differt ab Angelica, de eadem, nimirum ratione diuersi intellectus. & ea vtraque scientia differt ab humana. rursus si quidam Angelus, & simul quidam homo eliciãt istos, vel similes syllogismos, *quidquid Deus dicit est verum, Deus dicit se esse trinum, & vnum, ergo Deus est trinus & vnus, quidquid non inuoluit contradictionem potest Deus facere, non inuoluit contradictionem Deum incarnari, ergo Deus potest carnem assumere.* elicerent conclusiones tenore quidem verborum easdem, sed mentaliter specie differentes; quia fierent à principijs actiuis intellectiuis valdè distinctis, quæ quodammodo intendunt assimilare sibi suos effectus. vel saltem in eos refundunt peculiarem ordinem, & connexionis respectum erga se. vt supra dixi cum *S. Thoma*.

Atque iste est sensus communis doctorum, qui non solum tenent actus diuersarum potentiarum vitalium diuersæ lineæ, nempe voluntatis, & intellectus, visus, & auditus maxime differre inter se secundũ potentiarum distinctionem; verum etiam actus naturales voluntatis, & intellectus hominum, & Angelorum collatorum inuicem; & ideo docent actum naturalem amoris Dei, seu versantis erga Deum, factum ab Angelo specie differre ab actu naturali amoris nostro versante circa idem obiectum. consonant *Coninc.* de act. supern. disp. 5. dub. 2. & 3. & ibi *S. Thomas*, *Hurtado, Molina*, & *Lorca*. S.Thomas

Sed vero loquendo de amoribus supernaturalibus humanis, & Angelicis, plerique Recentiores opinantur esse eiusdem speciei; & ita procedunt Patres *Vasquez*, 1. par. disp. 47. cap. 5. fine. *Suarez* lib. 2. de attributis cap. 19. nu. 4. loquendo de actibus charitatis hominum, & Angelorum; et discrimen dant; quia actus supernaturales non ita strictè connectuntur cum vno intellectu, vt non possint æque quoad se quasi connaturaliter fieri ab altero; secus de actibus naturalibus, qui propter suam limitationem magis connectuntur cum potentijs, à quibus connaturaliter, et proportionate fiunt. nobiscum consentit in prædictis omnibus P. *Granado* 1. 2. cont. 2. tract. 8. disp. 4.

Dico quinto, *quamuis prædicta obiecta formalia, propter quod, vel quo, quæ non solent attingi, non semper diuersificent scientias, seu actus, ad quos determinant iuxta diuersitatem propriam, semper tamen eos specificant*: dictum declaro, & probo sic. Calor v. g. dicunt Iuniores, specificatur à sole, & luce, & à reliquis suis causis, quæ illum solent producere; quoniam ad eas omnes habet connaturalem ordinem transcendentalem; atque ita contingere in proposito, nimirum conclusionem hanc, *ergo terra est rotunda*; & similes, quę possunt causari ex multis binarijs præmissarum, aut medijs, specificari ab eis omnibus, etiam quando contingit causari actu ab hoc medio solo; quoniam tunc etiam transcendentaliter respicit alia item media, à quibus æque connaturaliter causari poterit. sicut constare aiunt de calore.

Probabilis est iste modus dicendi, atque communis; sed fortasse verius est conclusiones non habere respectum transcendẽtalem 1210

talem

talem nisi erga obiecta immediata, quæ tangunt, atque cognoscunt, præsertim cum medium non intrat conclusionem, quemadmodum electiones mediorũ, quæ media sola amant, dixi alibi non referri ad finem plusquam extrinsece. Vt vt vero sint hæc, illud certum videtur semper pendere à medijs, siue præmissis, tam formalibus, quã obiectiuis specificationem conclusionum, quamuis hęc transcendentaliter non respicerentur; quatenus ea, vel occasionaliter, & applicatiue mouent intellectum, vt eliciat istam conclusionem huius speciei, modò, modò illam speciei alterius; vel etiam indirectè specificando conclusiones, quando nimirum contingit medium, quod est in præmissis, esse causam prædicati conclusionis, quod subinde vt effectus speciem sumit ab illo, vt à causa, & deinde ipsum specificat conclusionem immediate. ita vt causa causæ sit causa causati; ad eum modũ, quo dici potuisset Deum specificasse meum actum cognoscentem Angelum, quia Deus creauit illum, & dedit mihi occasionem cognoscendi ipsum.

Dico sexto, *scientiæ, & quicumque alij actus vitales specificantur, & diuersificantur inter se penes diuersos suos proprios modos tendendi erga eadem obiecta sua, quando tales modi tendendi sunt differentiæ intrinsecæ actuum ipsorum, vel redolent ipsas differentias.* dixit hoc S. Thomas 1.2 quæst. 54. art. 2. cor. sic colligens fere omnem doctrinam antecedentem. *sic igitur secundum tria habitus*, & actus etiam, vt bene aduertit P. *Granado* ad mentem Sancti Doctoris 1.2. contr. 2. tract. 8. disp. 4. num. 3. *specie distinguuntur, vno quidẽ modo secundum principia actiua; alio quidem modo secundum naturam; tertio vero modo secundum obiecta specie differentia*; consonat *Cenine*. dub. 4. S. Thomas.

1211 Et quide P. *Granado* in eo loco, & 1.2. contr. de spe 2. tract. 4. disput. 2. num. 10. congerit plura exempla actuum, qui præ se ferunt diuersam naturam, seu diuersum modum tendendi, quem merito vocant alij specificatiuum, & diuersificatiuum intrinsecum, Et ideo, cum *Durando* ait in disput. illa 4. num. 4. diuersus modus tendendi ad idem obiectum formale, facit actus esse diuersos specie, & genere. primum enim actus naturalis, quo amamus diuinam bonitatem, differt plusquam specie ab actu supernaturali, quo amamus eandem. deinde actus bonus, & malus circa idem obiectum necessario differunt specie. Vti sunt voluntas furandi ad dandam eleemosynam, & voluntas laborandi ad eandem elargiendam. tertio plusquam specie differunt actus spei, & desperationis, quantumuis versentur circa idem formale obiectum, & similes. & fortasse diuersos modos tendendi in specie habent actus certus, & euidens, & actus incertus, & probabilis tantum, circa eandem veritatem. & eiusdem obiecti apprehensio simplex, & iudicium; voluntas efficax, & inefficax complacentia; siue velleitas, & resoluta voluntas erga idem. quamuis communiter Recentiores, non ita conformiter ad S. *Thomam*. 2. 2. quæst. 184. art. 3. ad 3. & Patrem *Vasquez* 1. 2. disp. 110. artic. 10. in commentario, tradunt actus efficaces, & inefficaces charitatis esse eiusdem speciei ratione eiusdem obiecti, licet nonnihil propter modum tendendi differentes. S. Thom.

Dico septimo. *actus quicumque, & effectus numero distinguuntur, quando fiunt à diuersis agentibus, vel ab eodem in diuersis temporibus, vel diuersis instrumentis, vel concurrentibus alijs circumstantijs, ex quibus sumitur distinctio individuorũ.* iuxta ea, quæ docent Metaphysici videatur *Suarez* tom. 1. Metap. disp. 5. & *Arriaga* disput. 1. Metaphys. sect. 3. à num. 60.

Ad finem ingeniosus Tyro quæsiuit duo pro plenaria dictorum horum intelligentia. primum est, an tota doctrina dispersa in ista Sectione, de distinctione sciẽtiarum, & reliquorum actuum vitalium comprehendatur in dicto primo. Secundum est, quid sentiendum de obiectorum solemni *scibilitate*, aut scibilitatibus, quas nonnulli Recentiores multiplicant ad satietatem, & sine fine, dicentes in rosa v. g. quia sciri potest à multis intellectibus, & per infinitos actus distinguendas esse infinitas formalitates, quas vocant *attingibilitates*, & *scibilitates*, & addunt esse ordines transcendentales mutuos erga intellectus actus, intelligibilem rosam scituros, distinctas penes eorum intellectuum, & actuum distinctionem, existentes autem in rosa realiter, & quasi latitantes.

Sed

1212 Sed respondeo ad primum in eo dicto ferme omnem doctrinam contineri, vt ex dicendis pro illius confirmatione initio Sectionis sequentis apparebit. ad secundũ vero tenendam omnino esse sententiam SS. PP. Augustini, Thomæ. Boetij, Aristotelis, & ipsius antiquorum interpretum. & aliorum, qui ponentes relationem transcendentalem in scientia erga scibile obiectum, docuerunt non referri mutuo scibile obiectum versus scientiam. vti moustraui supra numer. 938. & iterum S. Thomæ & PP. Suarez. Vasquez. Hurtado. Montoya. quos allegabam supra num. 600. qui tenuerunt scibilitates esse denominationes extrinsecas, aut nihil aliud præter quidditatem obiecti, & scientiæ potentis illud scire. scibile enim obiectũ sufficienter dicitur à posibili scientia, sicut scitum dicitur ab actuali scientia.

Aristotel. S. August. S. Thom. S. Thomas.

Et sane admirabile est quod ponant istas scibilitates Nouiores tanquam obiecta formalia, seu formalisima specificatura scientias, à quibus tamen eæ scibilitates, nec cognoscuntur, neque repræsentantur, vti ante me aduertit S. Thomas 1. par. quæst. 16. art. 3. ad 3. vbi dicit requiri quidem ad hoc, vt ens sciatur, quod sit verum, & intelligibile, sed plerunque nec veritas, neque intelligibilitas intelliguntur; nisi dicas rosa est vera, rosa est scibilis, & intelligibilis; tunc enim secundum nostram veram opinionem, veritas, & intelligibilitas erit prædicatum, obiectum formale, & ratio formalis, secundum quam, & sub qua rosa cognoscitur. & ideo potest dici scibilitates indifferenter esse ipsamet obiecta formalia, vel materialia, quæ sciuntur, & scientias specificant, nisi quando ipsæ de suis subiectis scibilibus in actu signato prædicentur, tunc enim obiecta formalia dicuntur.

SECTIO VI.

Respondet ad obiecta contra dictum primum de specificatione Actuũ vitalium, etiam ab obiecto materiali; vbi id distinguitur in proximum, & remotum; & ostenditur à Fide, Spe, & Charitate elici actus specie differentes secundum opinionem multorum grauium Scholasticorum, & efficacem rationem.

Dixi in superioribus conformiter ad S. Thomam 3. par. quæst. 10. art. 7. obiectum formale actus iudicatiui esse prædicatum, quod enunciat esse in subiecto, atque istud esse obiectum materiale, & vtrumque specificare actum tãgentem, & cognoscentem ipsum. vt apparet in isto iudicio, rosa est odorifera. quod specificant odor, & rosa, ista vt materiale obiectum, ille vt formale; quemadmodum specificant hominem Anima, materia, & vnio, sed principalius specificat formale obiectum, sicut & anima, & forma.

Sed contra stant Recentiores communiter negantes vllum obiectum materiale specificare; an consequenter ipsi viderint & ego adnotabo infra; & allegare possunt contra nos S. Thomam 2. 2. quæst. 5. art. 6. & 1. par. quæst. 1. art. 3. Granado 2. 2. controu. 2. tract. 8. disp. 4. Lugo de incarnatione disp. 34. sect. 1. n. 13. & 14. Suarez de fide disput. 6. sect. 3. & alios, quatenus docent in generali obiectum formale specificare actus, non verò materiale. deinde allegant eos, & alios Doctores speciatim Richardum in 3. disput. 27. art. 6. quæst. 3. qui virtutes Theologicas nempe Fidem, Spem, & Charitatem dicunt esse eiusdem speciei quoad habitus, & actus; quibus iterum fauere videtur S. Thomas infra referendus, sed pro nobis explicandus. veniamus nunc ad Recentiorum fundamenta, & obiecta diluenda. 1213

S. Thomas.

Primo ergo obijciunt. si obiectum, quod immediate attingitur ab actu, ipsum specificaret, sequitur, quod isti actus fidei eliciti propter authoritatem Dei. Asina Balaam loquuta est. Deus est trinus, & vnus, & similes specie differant, vel genere. & similimodo different actus charitatis, quorum alter amet Petrum, propter diuinam bonitatem, & alter propter eandem bonitatem amet sanctam Trinitatem; vel etiam illi, quibus amemus Petro, modo bona temporalia, modo æterna propter Deum; sed hoc videtur absurdum, & præter opinionem communem, si non est contra; ergo absurde dicitur specifi-

cificari actus vitales ab obiectis etiam materialibus.

Respondemus concedendo maiorem cum SS. Patribus *Augustino*, in pluribus locis allegato à P. *Aegidio Coninch.* in disput. 22. de Charitate dub. 6. num. 78. &
S.Thomas S.*Thoma* 2.2.q.26.art.7.c. dicente *sunt diuersæ dilectionis species secundum diuersa bona, quæ optamus his, quos diligimus*. & tractat. de actibus Charitatis supernaturalis. & cum PP. *Hurtado* de Anima, dispu. 5. sect. 6. §. 41. *Herice* 1.p. disput. 49. cap. 40. numer. 3. & alijs Recentioribus tractantibus de Fide & cum multis alijs Theologis, qui opinati sunt habitus virtutum Theologalium esse quasi causas vniuersales, & æquiuocas, instar potentiarum, potentes producere, vnamquamque actus specie differentes.

1214 H. Doctores sunt in primis *Scotus* in 4. distinct. 59. quæst. 54. *ad quæstionem* vers. *aliter potest dici. Liquetus* in 3. dist. 31. *Capreolus* 1. distin. 1 q. 3. ad 3. *Paludan.* in 3. distin. 31. quæst. 1. art. 6. sub finem. *Tartaretus* ibidem q. vnica §. *quæritur hic. Almainus* in 3. dist. 30. quæst. vnica dub. 3. *Gabriel* 3. distin. 31 q. vnica, art. 3. dub. 2. *Cordub.* lib. 1. Quæstionar. q. 42. ad 6. *Zumel.* 1. par. quæst. 22. art. 4. fol. mihi 545. *Pesantius* 2. 2. quæst. 14. art. 12. disput. vnica, concl 3. *Aragon* ar. 7. fol. 572. ad 2. *Medina* 3. par. quæst. 19. art. 3 q. sua 2. ad 2. *Coninc.* in disput. 23. de Charitat. dub. 3 num. 20. & prius in num. 13. pro se allegarat *Caietanum, Ferraram, Dionysium*
S. August. S.Thom. *sium Carthus.* & SS. PP. *Augustinum & Thomam* 2.2. quæst. 22, art. 7. ad 3. & ipse *Coninc.* de Spe disp. 19. dub. 10. *P. Laiman* lib. 2. trac. 1. c. 3. num. 5. qui omnes affirmarunt ab vno, & eodem habitu effici actus specie differentes, dum asserunt actus charitatis in via specie differre ab actibus eiusdem virtutis, in Patria. quorum assertionem reputat probabilem *P. Suarez*, tom. 1. in 3. par. disp. 39. sect. 1. §. *dicet*, & fauet authoribus sequentibus tract. 2. de Charitate disput. 2. sect. 2. num. 5. & 6. & *P. Salas* 1.2. tract. 7. disp. 2. sect. 9. num. 88. *Valentia* to. 3. disp. 3. q. 3. punc. 1. *Lorca* 2. 2. sect. 3. disput. 24. nu. 9. & alij admittunt actus illos charitatis specie diuersos ratione obiecti differentis, dicentes, dilectiones Dei, & proximi ex charitate procedentes esse actus essentialiter diuersos.

Deinde actus virtutis spei eiusdem, esse posse, & solere specie differentes ratione modi tendendi diuersi erga idem suum obiectum formale, docuerunt *Maior* in 3. dist. 26. quæst. 3. P. *Suarez* lib. 2. de Gratia cap. 14. num. 25. & de Spe tract. 2. disp. 1. sect. 3. & 4. sibi cōsonat P. *Coninch* disp. 19. de Spe dub. 2. num. 31. & dub. 10. nu. 128. vbi cum *Scoto* optime declarat ab eodem habitu infuso, qui est veluti potentia, posse elici actus specie distinctos: quod idem præstat vbi supra *Suarez* numero illo 25. dicens *Licet amor & spes sint actus specie distincti esse ita subordinatos inter se in ordine ad idem formale obiectum, vt ad eundem habitum pertineant, sicut de amore & gaudio constat. & P. Laiman* superius allegatus & lib. 2. tract. 2. cap. 2. num. 5. tractando de Actibus Spei reputat probabile ab eodem habitu posse elici actus specie diuersos.

Denique ad punctum nostrum magis accedunt, qui docent in generali obiecta item materialia specificare actus, hi sunt PP. *Salas* 1.2. tom. 2. tract. 7. disputat. 2. sect. 9. num. 86. *Hurtado* disput. 5. de Anima sect. 5. § 41. qui allegat pro se
Sanctum Thomam 1. par. quæst. 1. art. 3. S.Thomas
& quæst. 77. art. 3. c. & *Molinam* 1. p. q. 1. art. 3. disput. 48. sect. 3. num. 6. quòd attinet ad actus naturales consentientem. *Herice.* 1. par. disput. 49 cap. 3. allego etiā *Gabrielem, Ochamum*, quos allegat contra se *P. Granado* t. 2. controuers. 2. tract. 8. disp. 4. num. 2. quia existimarunt *ex quacumque distinctione obiecti, desumi essentialem distinctionem actuum*, nouissime vero *P. Arriaga* disp 3. de Anima, sect. 4. subiect. 2. probat obiecta materialia spe-
cificare. Vnde fit absurdum non esse con- 1215
cedere actus virtutum Theologicarum specie differentes, neque eos ab obiectis materialibus specificari, & diuersificari.

Neque contrarius nobis est S. *Thomas* S.Thomas.
alicubi. nam 1. p. q. 1 art. 3. solum contendit: *Vnitatem potentiæ & habitus considerandam secundum obiectum, non quidem materialiter; sed secundum rationem formalem obiecti*. Sed nihil determinat de Vnitate actuum, imo vero indicat ibidem ab eodem habitu elici diuersos actus in specie. Sicut solent effici ab eadem potentia, cui æquiparat habitum, & qualiter sunt visiones corporales, quæ vident *Asi-*

num, lapidem, & hominem, quantumuis, *conueniant in vna ratione formali colorati* vt ibidem supponit S. Doctor. & idem docuit 12. quæst. 54. art. 2. & 3. vbi dixit in generali habitus specificari, & diuersificari à suis obiectis formalibus, sicut, & potentias, nihil determinando de actibus.

S. Thomas

Rursus 1. 2. q. 1. art. 3. c. & q. 18. art. 6. c. statuit cum S. *Ambrosio* actus humanos speciem sortiri ex fine, siue ex obiecto formali, quod verum tenet, nam non curamus nisi de specificatiuo principali, & magis notorio, quo modo solum est obiectum formale, sicut hominem, & aliud quoduis compositum dicimus specificari, & diuersificari ab alijs per formas, non autem per materias; licet non raro per istas etiam diuersificentur. ita se declarat *S. Thomas* incipiens illum articulum tertium sic, *Respondeo dicendum quod vnumquodq; sortitur speciem secundum actum, & non secundum potentiam: vnde ea, quæ sunt composita ex materia & forma, constituuntur in suis speciebus per proprias formas.*

S. Thomas.

S. Tom.

Insuper S. *Thomas* videbitur magis vrgere nos in 22. quæst. 25. art. 1. vbi quasi colligendo omnem doctrinam suam circa rem præsentem, ait habitum producere actus vnius speciei, & actus, qui sunt vnius speciei, quia habent idem obiectum formale ad vnum habitum pertinere. Vnde concludit *manifestum est quod idem spetie actus est ille quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus, & propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi*, & sibi consonat quæst. 23. artic. 5. ad 2. & interpretes plerique hoc testimonio vtuntur, vt probent actus charitatis, quibus Deus, & proximus diliguntur propter vnicam bonitatem Dei, esse eiusdem speciei, & ad summum materialiter, seu quasi plusquam numero differentes.

1216 Ita procedunt *Bañes*, & *Aragon*, ad illum articulum quintũ. *Magister* in 3. d. 24 *Carthus.* quæst. 4. *Richar.* art. 6. quæst. 1. ad 3 *Bonauens.* art. 2. q. 3. *Suarez* to. 1. de Religione tract. 1. lib. 3. cap. 5. num. 11. *Vasquez* lib. 1. de Adorat. disp. 6. cap. 2. *Azor.* tom. 1. lib. 9. cap 3. quæst. 5. atque idem testimonium facit pro illis, qui in generali ponunt actus charitatis esse eiusdem speciei omnes nullo dempto. hi sunt *P. Granado* 2. 2. controuer. 3. tract. 1. disp. 5 sect. 3. *Tannerus* 2. 2. de Charitate disp. 2. q. 2. dub. 3. num. 94. & ibi, *Medina*, *Bañes*, *Valentia*, *Suarez*, *Vasquez*, *Luisius Turrianus*, & nouissimè doctus *P. Martinus* tract. de Fide disp. 10. sect. 1.

Sed, quia S. *Thomas* in eadem 22. q. 26 art. 7. c. clare dixit *Diuersas esse dilectionis species secundum diuersa bona, quæ optamus his, quos diligimus*, & in ea quæst. 23. art. 5. ad 1. respondit Deum esse principalius obiectũ, quam est proximus, & ideo Deum attendi oportere solum ad hoc, vt ponatur vna sola Charitas, idest vnus Charitatis habitus; teneor interpretari sic Sanctum Præceptorem, vt velit actus virtutis Theologicæ esse eiusdem speciei Theologicè sumptos, & secundum speciem, quæ in eos deriuatur ex supernaturali, atque diuino obiecto, à quo principaliter specificantur tanquam ab obiecto formali, seu ratione formali; à forma autem, vt vbique docet S. Pater sumitur rerum differentia constitutiua; & distinctiua; à materia vero non ita frequenter, quoniam ab ea sumi solet rerum genus; cum ergo obiectum theologicum Charitatis sit eadem diuina bonitas, etiam quando amatur Deus ipse, vel proximus, ideo ij amores censentur eiusdem speciei, quamuis aliunde ratione materialium obiectorum, de quibus non curat ibi S. *Thomas*, discriminentur plus quam genere. Atque eodem modo interpretor eundem in 3. par. quæst. 85. art. 2. ad 1. dicentem *ad eundem habitum charitatis pertinere amorem, gaudium, & tristitiam*; quia licet habeant diuersa obiecta materialia, gaudent eodem formali. quare dici potest similes actus virtutũ harũ theologicè esse eiusdẽ speciei; physice, & materialiter solere esse diuersæ, quasi habeant duas species quasi incompletas, vnã pure Theologicam, aliam non ita pure, sed sumptã ab obiecto creato; quemadmodũ quasi duas species habet ille actus *Petrus est homo, & albus*, & alij innumerabiles.

S. Thomas.

S. Thomas. sup n. 731.

Circa fidẽ nihil speciale inuenio, quod dixerit cõtra nos *S. Thomas*, vel quod nobis facessat difficultatem; nam solum do. cuit in 2. 2 q. 4 art. 6. habitum fidei esse vnius speciei numero solum multiplicatum in fidelibus, quo credunt omnia obiecta tem- 1217

S. Thomas.

temporalia, & æterna, quæ reuelata sunt, ratione vnius obiecti formalis, quod est veritas prima. Vnde verificatur illud. Apostoli Eph. 4. *Vnus Dominus, vna fides*. ibi enim fides dicitur vna, vt inquit apud P. *Iustinianum*, *S. Hieronymus*, *quia idem omnes fideles credunt, eademque est vbique gentium in ijs, quæ spectant ad fidem Catholicorum sententia*; Ijdem sunt articuli fidei nostræ, vna est fides, *ait P. Cornelius, quæ ad Deum, & salutem nos ducit, non multa*, quæ est, non quam tradunt Politici, & Libertini, qui indifferenter promittunt salutem in fide Caluini, Lutheri, & quauis alia secta pestilenti; sed quam tradit vna vera Catholica Ecclesia Romana.

Dicitur ergo fides vna ab Apostolo, quia vnus est Deus, obiectum fidei, & quia passiua fides, & obiectiua est vna, & eadem vbique collectio credendorum, atque vti docet *S. Thomas* 2.2.q.4.art.6.& ibi *Caietanus, Valentia, Coninc. Granado, Torres, Lorca, Pesantius*, & alij communiter; quia vnus est habitus fidei saltem in specie, quem probat esse vnicum, quia obiectum principale, & formale vnicum est, ratione cuius omnes articuli creduntur, quare neque Apostolus, neque *Sanctus Thomas* negarunt actus fidei specie differentes, attentis materialibus obiectis; licet contendat Angelicus Doctor omnes esse eiusdé speciei Theologice loquendo, vt supra declaratum est. S. Thom.

Ergo ab vnico habitu proficisci posse & solere actus specie differentes, sic lubet quasi extra formam demonstrare ex principijs authorum partis aduersæ, quorum vnus est *P. Didacus, Granado* vir plane eximiæ doctrinæ. & conspicuæ probitatis, qui, quia sibi persuasit ita sensisse *S. Thomam*, a cuius doctrina nec transuersum vnguem se discessisse vnquam voluit, ita declarabat voce rem præsentem, & scriptam reliquit 2.2. Controu. 1. de fide tract. 13. disput. 13. num 4. & sæpe alibi. Nimirum omnes actus fidei v.g. esse vnius infimæ speciei, quantumuis circa credibilia obiecta valde diuersa versantes, sed vero cum ea sola discretione, quod ille actus essent omnino synonymi, seu omnino similes, & solo numero differentes, qui crederent similia obiecta, aut solo numero diuersa, vel qui repetuntur circa idem materiale obiectum; illi autem, qui crederent obiecta materialiter diuersa, simili distinctione, idest, plusquam numero intra eandem speciem dissiderent, vti differre credidit ipse pater marem, & fœminam, & animam Beatæ Mariæ Virginis, ab anima beatæ Mariæ Magdalenæ, vt videre est in Libro de essentia peccati Originalis dispot. 3. sect. 6. numer. 7. illud vero displicet in tanto Magistro, quod dixerit actus credentes obiecta specie, vel genere differentia, non discrepare inter se plusquam ista sua materiali distinctione, & ideo vt id conuincam, non esse verum, sic argumentor.

1218 Actus, qui credit extitisse Sanctum Petrum, & actus, qui credit extitisse Sanctũ Paulum propter diuinum testimonium solo numero differunt, quia supponimus Apostolorum animas, & reliqua sua solo numero differre. Rursus actus, qui credunt S. Virginem Mariam extitisse, & Matrem eius Annam, aut iterum Sanctum Petrum, differunt materialiter, & plusquam numero; quia supponimus animas rationales Beatæ Virginis, beatæ Annæ, & S. Petri, aut saltem sua corpora materialiter, & plusquam numero distingui; ergo actus, qui credit propter idem diuinum testimonium Sanctam Trinitatem esse Deum, plusquam specie distinguitur ab actu, qui credit Asinam Balaam fuisse loquutam. patet consequentia: quia ideo actus illi versantes circa obiecta similia, similes sunt, & qui versantur circa dissimilia, dissimiles, quia ita postulant obiecta materialia, quorum illi sunt expressæ repræsentationes; ergo actus, qui versantur circa obiecta specie, aut genere diuersa; similiter diuersi erunt. Vnde sic colligitur demonstratorius syllogismus.

Quotiescunque obiecta repræsentata ab actibus sunt talia, tales sunt actus ea repræsentantes, non obstante, quod idem sit obiectum formale; sed Sancta Trinitas, & Asina Balaam repræsentata ab illis actibus sunt plusquam specie, & genere diuersa, ergo similiter sunt diuersi actus ea repræsentantes: maior liquet à paritate sumpta ab actibus materialiter diuersis, & euidéter patet ex eo, quod obiectum formale quantumuis idem nõ immu-

tat essentiam obiectorum, quæ creduntur; sed ea relinquit, vt in se sunt, & ea finit repræsentari eo modo, quo in se sunt, & non aliter. & ideo formalitas actus fidei, si nō est apprehensio integra, quæ credit, & repræsentat Trinitatem, non est eadem specie cum altera repræsentante prædictā bestiam, siquidem sunt ordines transcendentales sumentes diuersitatem ab eis tam diuersis obiectis, quorum sunt imagines expressæ; vt apparet euidenter supra ipsas reflectenti, & in eis veluti in speculis, siue picturis, obiecta propria discernenti. Secus, si tanta vis conceditur formali obiecto, vt possit facere synonymas, & vniformes repræsentationes omnium credibiliū abiectorum, dicatur consequenter omnes actus fidei esse omnino similes, & nunquam plus quam numero substantialiter differentes. quare concludendo dico hos, & similes actus specie, aut genere discrepare, quia absolute loquendo, habent adęquata specificantia obiecta specie, aut genere diuersa. qualiter sine dubio sunt authoritas diuina, & Trinitas ex vna parte; et eadem authoritas, et Asina Balaam ex altera. Lege supra n. 1204.

1219 Ad finem nota pro doctrinæ complemento duo, aut tria. Primū est, in isto actu fidei, *Asina Balaam loquuta est, quia Deus ita dixit*, reperiri obiectum formale *quo*, seu *propter quod*, quod est diuina authoritas reuelans; obiectum formale *sub quo* materiale cognoscitur, aut creditur, idest, quod creditur inesse, vel fuisse in materiali obiecto, idque esse *Asina loquutionem*; Asinā vero esse materiale obiectum, iuxta quod supra dictum est initio Sectionis. Licet theologice loquendo subiectum, et prædicatum propositionis fidei, censetur materiale obiectum.

Secundum notabile est, duplex distingui materiale obiectum, alterum, quod tangitur ab actu, vt est ibi, *albedo est color*, *albedo*, & in exemplo adducto, *Asina Balaam*, alterum, quod non tangitur, sed sustentat id, quod tangitur, vt est ibi subiectum albedinis, dum dicis, *illa albedo est color*, & sermo est de albedine huius chartæ; charta, vel quantitas eius est eius actus materiale obiectum, quod propterea vocabamus olim obiectū mediatum materiale, & remotum, Tertio aduerto doctrinam pręcedentem tenere in omnibus actibus cuiusuis potentiæ vitalis, & habitus tam naturalis, quam supernaturalis. Saluo tamen meliori iudicio.

Hæc ego dixerim non animo contentioso, sed veritatis tuendæ, quia licet sit amicus Plato, magis est amica veritas. & sane desidero videre solutionem sufficientem huius mei fundamenti: quod opinor solui non posse, si prius non negatur ordo repræsentationis ad repræsentatum obiectum materiale. is vero temere negandus non fuerit. Sileo doctores, qui putant Fidei multos actus esse discursiuos, et consequēter specie differentes ab immediatis, quod fatetur P. *Laiman* lib. 2. tract. 1. c. 3. num. 5. non reputans inconueniens ab vnico habitu enasci actus specie diuersos.

SECTIO VII.

Determinat plures esse Scientias, & Artes, quæ sint, & propter quid discernantur: & tractat breui de actibus speculatiuis, & practicis; de subalternatione scientiarum, & numero.

QVamnis P. *Lorinus* non ita absurde, vt immerito non nemo censuit, opinetur *in tract. de scientia* sect. 3. quæst. 1. vnicam solam esse rerum omnium scientiam, quam omnes scientiæ actuales, & habituales adintegrent, atque componant, & cuius obiectum attributionis assignari posset omne cognoscibile quocumq; modo. Verumtamen communis vsus plures sciētias secernit, atq; distinguit cum bono fundamento, vti docuerunt PP. *Conimbricenses*, in Procemio Physicorum. fateor rē hanc esse arbitrariam, & pendere ex Philosophorum beneplacito: nam parum interest, siue dicas omnes scientificas cognitiones pertinere ad vnam scientiam grandem, vti ponunt Theologi scientiam diuinam vnicam sine distinctione Logicę, Physicæ, aut Metaphysicæ, siue alterius; siue distinguas illas in scientias, & classes differentes. 1220

Fundamentum congruum istius distinctionis est, quoniam illæ scientiæ inter se distinctæ sunt, quæ habent obiecta attributio-

butionis propria,& ab alijs diuerſa,quia ſecundum Philoſophum in 1.Poſter. c.23. *Vna ſcientia eſt,quæ eſt vnius generis ſubiecti*: ſed plures ſcientiæ ſunt huiuſmodi; ergo plures ſciētiæ diſtinctæ ſunt. & ideo Logica,cuius ſubiectum, ſiue obiectum attributionis,& ad quod potiſsimū ordinatur,eſt directio actuum intellectus,eſt ſciētia diuerſa à Metaphyſica, quæ habet pro obiecto ens ſecundum entis eſſentiam, & ſimiliter de alijs ſcientijs philoſophãdum erit, quibus pro Sapiētium arbitrio propria obiecta attributionis aſsignata erunt.

Sunt ergo prædictæ ſcientiæ, quas exiſtere in rerum natura,& inter ſe valde differre nolumus dubitare, quædã collectiones habituum permanenter reſidentium in intellectu; & actuum ſcientificorum,ad quos illi inclinant, & facilitant intellectū ſucceſſiue fluentium, verſantiū circa propria obiecta. v. g. Logica eſt non vna ſimplex qualitas,aut vna ſola entitas, ſed collectio numeroſa habituum inclinantium intellectum,vbi eſt, ad coefficiēdas actuales regulas logicas,& alios actus ſpeculatiuos, quibus quaſi in vnum aceruum congeſtis Logica tota componitur, & ita ſunt modo ſuo reliquæ artes,& ſcientiæ,vt bene colligit *Laiman* ex *Ariſtotele* & alijs, lib.2.ſuæ Theologiæ Moral.tract.1.cap 3. n.5.& tradunt *Suarez* in Metaph. diſp.44. ſect.11. *Hurtado* diſp.1.Metaph. *Arriaga* diſp.1.Logica,*Pererius* lib.Phyſ.cap.8. *Conimb.* in Proœm.Phyſ. & ibi S. *Auguſtinus* Platonici omnes cum Magiſtro ſuo 2. *de Repub.* & *Dialogo de Regno,& furore poetico.* & Recentiores contra *Lorinum* ſupra. *Mirandul.* lib.13.de Euerſ. ſingul.certam. ſect.6.& 7 *Iuli.Siren.* lib. de Obiect. Metaph. ſect.3.c.5.6 & 7.& alios in Prologo ſent.q.4.vnam ſolam ſcientiam agnoſcentes.quot vero ſcientiæ ſint dicam infra.

Ariſtotel. *S. Auguſt.*

1221 Primò ergo alia eſt ſcientia practica,alia ſpeculatiua.*Speculatiua*.quæ etiam Theorica appellatur, eſt ſcientia, quæ ſiſtit in ſola contemplatione veritatis ſui obiecti, & quantum de ſe eſt de opere faciundo non curat. Scientia autem practica, quæ item ars dicitur,eſt illa, *quæ tēdit ad opus*, & ad opus dirigit regulis ſuis artificem, in quo eſt: ita quod generaliter loquendo practica ſcientia, vel cognitio ſit illa, ex cuius directione aliquid facimus, vel poſſumus facere, vel quæ modo practico, & directorio procedit.ergo ſcientiæ *ſpeculatiua*,ait *Ariſt.* 2.metaph.c.2.*finis veritas, Practicæ autem opus*.

Ariſtotel.

Scientia ſpeculatiua diuiditur in Metaphyſicam, quæ contemplatur *ens in communi*,& in Philoſophiam naturalem, quæ agit de *ente mobili*, ſiue conſiderat rerum varias mutationes.& in Mathematicam, quæ contemplatur *quantitatem*. Species Mathematicæ,& quæ dicuntur,& ſunt purè tales,ſunt *Geometria*, quæ agit de quãtitate continua. *Arithmetica*, quæ de quãtitate diſcreta. aliæ ſunt ſpecies Mathematicæ non purè, quia videlicet, agunt de quantitate non pura, ſed admixta rebus ſenſibilibus alijs;quales ſint 1. *Perſpectiua*. 2.*Muſica*. 3. *Aſtrologia*. 4 *Geographia*. quarum prima agit de lineis viſualibus; Secunda de numero ſonoro.Tertia de motu,& magnitudine cælorum. Quarta de terræ, Quinta de maris deſcriptione. quãuis ego non puto iſtas omnes ſcientias, dempta Metaphyſica,eſſe tam pure ſpeculatiuas, vt non videam in ipſis aliquos actus practicos,& ſpeciatim illos notaui in Philoſophia in 2. Phyſicorum, & ſupra n.142.quod & notauit P. *Suarez* in Met. d.44 ſect.13. à nu. 53.

Scientia practica diuiditur in actiuam, & factiuam.actiua verſatur directiue circa actiones immanentes intra artificem, aut circa actus tandiu ſolum durantes, quandiu durat actio; vt eſt Logica, & Philoſophiæ moralis pars quædam;quorum illa dirigit actus intellectus;iſta voluntatis, qui manent intra ſuppoſitum intelligens, & volens; vel ars citharum pulſãdi. factiua vero verſatur circa opera externa arte facienda, quæ durant poſt actionem; vt ſunt Architectura, quæ occupatur in fabrica domorum;& Grammatica,quæ facit ſermonis externi ſcripti congruentiã, ſicut Rhetorica elegantiam;& Poetica, quæ inducit metri concinnitatem; & Logica vocalis, quæ conſtruit vocales orationes in formam modi ſciendi ſcripti tamen. ita collegi ex *Ariſtot.* 1. Magnor.Moral.c.33. *Ariſtotel.*

Et quidē inter actus practicos alij ſūt intrinſece tales,alij ſolū extrinſecè,quãuis in virtute efficiēdi, ſeu docēdi aliquid efficere, illis ſint æquiualētes. prioris generis ſūt regulæ illæ,*definitio faciēda eſt per adhibitionē generis,ac differētiæ ſui definiti.quid quid eſſētialiter prædicat de genere,prædi-*

cabis de specie sub genere contenta & similes, quæ practicæ, & instructorio modo procedunt; quę propterea dicuntur practici actus ex modo tendendi. secundi generis sunt actus, qui non ita procedunt, sed dant sufficientem notitiam, vt fiat illud obiectū, quod ipsi speculatiuè cōsiderant, vt hi. *Definitio est modus sciendi constans genere, & differentia, diuisio constat partibus diuisis; & propositio categorica vnico subiecto copula verbali, & vnico prædicato.* qui actus mere speculatiui sunt, vt nemo non videt, sed sufficiunt, & quandoque seruiunt construendis ijs artificiosis modis sciendi, à quibus practici denominantur extrinsece, sicut ille paries albus denominatur visus, à visione, quæ non est in illo sed in me, sed vero de his videsup. à n. 447

1222 Rursus scientia practica alia solet esse in potente facere opus, ad quod illa dirigit, alia non item; Primo modo sunt regulę prædictæ. Secundo eædem positæ in infideli, qui naturaliter non poterit efficere modum sciendi supernaturalem, quamuis regulæ ad eum afficiendum se extendant, siquidem generaliter docent quod omnis definitio, siue naturalis, siue supernaturalis, debeat repræsentare genus, & differentiam. atque quiuis Architectus suis regulis instructus efficeret domos ex quauis idonea materia, etiam cælesti, aut alia sibi penitus impossibili. & sane Christus Dominus potuit efformare, si de facto non efformauit, multas propositiones supernaturales mediante scientia habituali infusa, ex solo ductu Logicæ ordinis naturæ, siue dicamus ipsum vsum fuisse logica naturali, siue Aristotelica, & artificiali.

Hic vides decisam affirmatiue grauem illam quæstionem *an*, videlicet, *dari possit scientia practica respectu operis impossibilis per viros naturales, talem scientiā habentis*, & vt te liberes ab argumentis, nota primo similem scientiam dicendam versari circa tale opus *impertinenter*, quia id sit quasi alterius ordinis, & exequi ab ipsa non possit sine superiori iuuamine, & confortatione. Secundo, causas physicas ita connexas esse cum effectis suis, vt quando hæc naturaliter ab illis nequeant fieri, ille esse nō possint; secus esse causas morales, ad quas reducūtur scientiæ practicæ, & artes. discriminis ratio est varietas influxus in effectus suos, vt alibi prosequar cōgruētius.

Vesū P. *Arriaga* d. 1. Logica à n. 52. *Scotus, Richardus, Capreolus, Aureolus, Durādus*, & alij videndi apud *Gilium* lib. 1. tract. 5. c. 6. *Caietanus, Molina, Suarez* in metaph. d. 44. sect. 13. num. 42. *Conimbric.* quæst. 4. Procem. a. 5. circa fin. *Hurtado* disp. 11. de Anima sect. 3. *Rubius* q. 5. Procem. §. controuersis. *Arrubal.* 1 p. d. 4. c 2. §. pro intelligentia. & alij, quos allegant, & imitātur docti Recentiores, requirunt ad scientiam practicam potentiam ad opus in habente. Sed nos tenemus oppositum propter rationes paulo ante indicatas. & opinamur pro nobis stare S. *Thomam* n. 3. d. 14 q. vnic. in 4. ad 2 S. *Bonauent.* in 3. ar. 4. ad penultimum. *Fonsecā.* 6. metahp. c. 1. q. 5. sect. 2. & 4. P. *Gilium* lib 1. de Attributis tract. 5. c. 6. nu. 9. & 10. omnino legēdum, ne nos actum agamus. multum fauet meo discursui P. *Maratius* to. 2. tract. de Fide disp. 15. versu, *& ratio prioris est.* *S. Thomas.*

Præterea scientia factiua diuiditur in *Liberalem*, & *Mechanicam*. Scientiæ, vel artes liberales dicuntur, quæ, & quia exornant animum, & ad quæstum lucrumque non solent ordinari, quæ omnes in hoc carmine continentur.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Sonus, Angulus, Astra.

idest, Grāmatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astrologia. Mechanicæ vero artes, aut scientiæ ita nominaræ, quia subseruiunt corpori, (quæ vt restatur *Aristoteles* prius inuentæ sunt, quam liberales) illo alio carmine comprehenduntur. *Aristotel.* *Aristotel.*

Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

Hoc est, Agricultura, Ars venandi, Disciplina militaris, & quæ ad eā ordināur, vt artes frenofactoria, & equestris, Ars fabrilis. Medicina secūdū eā partē, quę docet pharmaca, & alia Medicamina cōcinnare, & Ars quę circa lanas versatur, ac demū Ars Nautica, siue Naucleri. Vocaui prædictas artes Scientias, tum quia communis vsus sciētias vocat, tum potissimum, quia earū pleræq; constant regulis certissimis longo vsu, obseruantia, quinimo palmari, & manifesta inductione, quæ secundum Philosophū formalis, & perfecta argumentatio est, inuentis vt planum fiet eiusmodi regulas contēplanti; siquidem nūquam errare finent eas in suis artefaciēdis obseruantem. *recte enim* 1223 *Aristotel. sup. n. 442.*

se

se habet, quod secundum artem fit, aiebat Plato in Alcibiade, *& repetit Aristoteles*. *Aristotel.*

Denique alia scientia dicitur *subalternata*, alia *subalternata*. Hæc est illa, quæ pēdet ab illa alia, & eidem vt superiori subijcitur. Subalternans vero est superior, & aqua subalternata pendet. v. g. ars frenofactoria subijcitur, & subordinatur arti eque stri, vt suæ subalternanti, & superiori; & equestris militari: & generaliter dici potest subalternata scientia, quæ alteri subijcitur, vel ratione finis, vt subordinatur ars equestris militari; vel ratione obiecti, vt musica agens de numero sonoro, subijcitur arithmeticæ, quæ agit de numero in communi. tertio demum ratione principiorum subalternatur Perspectiua *Geometriæ*, à qua *illius principia* probātur, & illi exhibētur.

Sed tamen tres conditiones ponuntur, quas debeāt seruare scientiæ subalternatę. Prima est, vt obiectum subalternatæ contineatur sub obiecto subalternantis; ita tamen, vt scientia subalternata addat supra illud aliquid peculiare, ratione cuius à subalternante distinguatur. Secunda est, vt id peculiare distinctiuum sit accidentale obiecto scientiæ subalternantis, & nullo modo essentiale, aut propria passio; quia si ita foret, scientia ipsa subalternans de ipso tractaret; siquidem ad scientiam quampiā pertinet tractare de proprio obiecto, ac de passionibus eius. tertia conditio est, vt præmissæ, siue principia, vnde deducit suas conclusiones scientia subalternata, probētur à scientia subalternanti, & illi probata, & secura exhibeantur. *S. Thom. Prol. M.*

1224 Tota doctrina apparet de Medicina subalternata Philosophię. nam primo illius obiectum, quod est *animal sanabile*, est sub obiecto Philosophiæ, quod est *animal mobile*: deinde supra *animal* addit considerandam Medicina *sanitatem*, quæ accidentalis est *animali*, licet valde connaturalis. tertia multa principia Medicinæ probantur à Philosophia, per alia anteriora, & vniuersaliora principia. v. g. Hoc est axioma Medicum, *morbi calidi remedijs frigidis curandi sunt*. quod Medici indnentes personam Philosophorum probatum habent, siue probarūt ex illis principijs Philosophiæ. *contraria sunt, quæ ab eodē subiecto mutuo se expellunt. & calida, & frigida sunt contraria*. vnde post paucas conclusiones deduxerunt illam suam, & eam effecere axioma certum, siue, vt vocant, Aphorismum. Videantur PP. *Vasquez* 1. par. dist. 6. cap. 2. *Fonseca* lib. 4. c. 1. quæst. 2. *Conimb.* in cap. 10. de Demonstrat. q. 2. art. 1. *Suarez* disput. 1 Metap. sect. 5. n. 46. *Sandeus* qui docte, & fuse tractauit de subalternatione scientiarum, & *Arriaga* de Anim. d. 6. à num 115.

Denique, quia res hæc est quasi arbitraria, ego dico sex scientias esse, ad quas aliæ, si quæ supersunt, reduci poterunt. Prima est *Theologia*, cuius obiectum est Deus, & diuina eo modo, quo declarant 1. par. Interpretes S. *Thomæ*, Secunda *Metaphysica*, qua considerat omne ens. Tertia *Physica*, cuius obiectū est ens mobile. Quarta *Philosophia Moralis*, quæ dirigit actus humanos, eorumque directionem pro obiecto habet. Quinta *Logica*, quæ versatur circa directionem Vocum, Conceptuum, & Rerum. Sexta *Mathematica*, cuius obiectum est. quantitas, modo, quo rem omnem declaro infra nu. 1228. aliter scientias diuisit *S. Aug.* cum *Platone* to. 5. lib. 8. de Ciuit. Dei c. 4. omnino legendus. *S. August.*

Altera Pars Sectionis colligit ex dictis Logicam esse scientiam perfectam practicam, & speculatiuam; & quo pacto ad ipsam pertineat ex officio examinare quæ sit Scientia, & quæ non; & quod Praxis possint item esse actus interiores.

SVpra à n. 21. cum *Aristotele* 11. Met. c. 3. & 7. SS. *Augustino*, *Thoma*, & multis alijs, statuimus Logicam esse scientiam perfectam. & ratio nostra erat; quia Regulæ Logicæ eo præsertim modo, quo sunt à nobis compositæ, & expositæ d. 5. q. 10. per totam, sunt certissimæ, & veluti prima principia, inuentæ, & consideratæ ad modum, quo principia certa solere inueniri, & considerari docuit Philosophus 1. Ethic. c. 7. fine. etiam illæ, vt ibi quoque notauit S *Thomas*, quæ pertinent ad partem Topicam, idest, quæ docent efficere modos sciendi, & alias propositiones probabiles; siquidem eæ omnes procedūt certo modo probato, & assecurato per diuturnam obseruationem, inductionem, & exēpla Sapientium. et ideo si à nobis obseruentur nunquam sinent nos errare, *Aristotel. Aristotel. S. Thom. Aristotel. S. Tom.*

Aristotel. quoniam vt scite dixit *Aristoteles* 2. Eth. cap. 3. cum suo Magistro *Platone, bene se habet, quod secundum artem fit*. vnde dicebam supra Artes item Mechanicas esse scientias certas.

1225 Et sane, si Logica scientia non est, frustra dicimus, et sine fundamento Metaphysicã, Physicam, et alias esse scientias; quis enim hoc sciat, aut sapiens erit, sine Logicæ præceptis, aut si logica præcepta certa non sint? etenim, vt optime ante me aduertit P. *Vasquez* 1.p.disp.4.c.1.et *S. Augustinus* lib.1.de Ordine cap.13.allegatus supra nu.7. *S. August.* Sola Logica scit scire, ipsa sola potest, et solet per actus suos practicos ordinare actus scientificos, idest, modos sciendi certos, in quauis scientia, et materia; et postmodum per actus speculatiuos notare, et examinare an ij actus euaserint suis regulis conformes, deducantur ex præmissis certis, et euidentibus, vel sint rerum definitiones, et huiusmodi aliter, propter *S. August.* quod vocatur ab *Augustino* supra n.1055. Logica *scientia veritatis*, & ideo euidenter mihi persuadeo Logicam esse scientiã, & sæpe subalternantes esse regulas eius, & superiores etiam ad Metaphysicam; vt vides ibi, *quidquid prædicatur de definitione, prædicatur de definito; sed animal rationale est principium discursus: ergo similiter est homo, aut Petrus*. vbi prima præmissa est Logicum axioma, & minor cum conclusione sunt metaphysici actus.

Et ideo displicent doctores, qui opinati sunt Logicam non esse scientiam perfectã nimirum *Temistius* 1. Post.c.24. *Aegidius Rom.* 1. Elench initio. *Mirandul.* in sua Apolog. *Zabarella* lib.1.de Natura Logicę c.15 *Valduinus* quæstio 1.in Logic. *P. Lerinus* q.2.Proœm. §.1. et 2.P. *Vallius* in Prolog.p.2.q.4.c.10.& 11.& alij, quorum fundamenta facile diluuntur ex dictis in hac sect.& supra à num.21.& ex quibusdã his paucis obseruandis. primum est, ab *Aristotele* in 2. metaph.c.3. appellari Logicam modum sciendi, non quia putarit eam scientiam non esse, aut certam; sed quia tradat ipsa modum in scientijs reliquis tenendum. vnde ego potius colligebam *Aristotel.* paulo ante oppositum; quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Si enim aliæ scientiæ tales sunt; quia imitantur, & exequuntur directionem Logicæ, Logica ipsa scientia certa multo magis erit.

Secundum est, aliquando à *S. Hieronymo* to.6.in Epist. Titi c.3.circa medium Commentarij, Logicam dici *artẽ contentiosam*. & à *S. Gregor. Nazianz.* in *Orat. de Moderatione, in disp. seruanda*, vocatur *prauum Artium Aristotelicarum artificium*, neque enim SS. Patres negant Logicam esse sciẽtiam, sed talem esse paulo infra expressit *Nazianzenus*, est enim ipsa ars simul, & scientia, idest scientia practica, vt a nu.26. declaratum est. Sed quando animaduertũt in abutentes Logicæ præceptis, soliti sunt SS. Patres paruipendere Logicæ Sophistica præcepta, & ea quasi per contemptum vocare artem, nolentes pro tunc Logicam nobilitare nomine honorifico scientiæ; quod nusquam negarunt Logicæ præceptis vtilioribus, & conducentibus ad sciendum.

Tertium est. Logicam, nempe collectionem regularum eius, & cæterorum actuũ 1226 ad ipsam pertinentium esse rem valde bonam, & appetibilem etiã propter se; siquidẽ ipsa quoq; illustrat, & ornat intellectum; licet plerũq; appetatur propter alias sciẽtias, vt assolet medium appeti propter finem: quia Logica est mediũ vtile, & quasi necessarium ad alias scientias cõparandas, vt bene declarat *S. Thom.* in *Boet.* de Trinit. *S. Thomas.* q.de Diuisione scient.spec.ad 2.sed neque officeret scientiæ vt talis esset, nunquã appeti propter se, si aliunde certa foret, & euidens. Sunt vero tam infallibilis regulæ Logicales vt supra n.25. asserere ausus fuerim nullam regulam nõ esse certam; quod verum est, si regulæ logicales tradantur modo dicto nu.1034. Secus aliquot erunt tantum probabiles.

Vnde tandem colliges praxim posse esse actus intellectus; idest obiectum, circa quod versetur ars, aut scientia practica, vt bene cum Communi conuincit contra *Scotum*. *Suarez* in Metaph. d.44. sect.13. num.530. etenim si, vt ait supra *Aristoteles* *Aristotel.* *speculatio sistit*, vt in fine, *in contemplatione obiecti*; scientia, quæ vlterius tendat in opus, quod sint actus intellectus, speculatiua non erit, sed practica; licet simul ex parte esse possit Speculatiua; vti esse Logicam monstraui supra nu.15. & à num.38. et tenent *Suarez* nu.54.& multi Iuniores, neq; oppositum persuadet P. *Arriaga* hic d.3.à nu.16. adducens pro se multos Authores, quorum rationes ex nostris principijs facile diluuntur.

SECTIO VIII.

Refert, ac Sententiam fert de Opinionibus Aliorum circa distinctionem Scientiarum: vbi de Abstractionibus, & Luminibus, quæ circumferuntur tanquam distinctiua illarū; & de actibus, qui pertinent ad Metaphysicam, Physicā, & ad cæteras scientias.

CAietanus 1. Post. capit. 22. quæst. 1. *Toletus* ibidem cap. 23. quæst. vnica. *Albertus* in princ. Phys. *Iauellus* 6 Met. q. & 7. Thomistę cōmuniter opinātur sciētias integras distingui inter se secundū distinctas abstractiones à materia. vt vero declararent se, distinguunt tres materias. prima, inquiūt, est *singularis*, vt hic homo. secunda *sensibilis*. vt quātitas vestita qualitatibus, nempe coloribus, calore frigore, & alijs. tertia *intelligibilis*, vt est nuda. & pura quantitas. vnde docent Metaph. Mathematicā, & Physicā differre inter se, quia diuerso modo abstrahūt à materia. videlicet hoc pacto. Metaphysica abstrahit ab omni illa triplici materia, & solum agit de ente in cōmuni. Mathematica vero licet nō abstrahat à materia illa intelligibili, abstrahit à materia singulari, signata, siue sensibili. Physica deniq; abstrahit quidē à materia singulari, non tamen à sensibili. & propter istas varias abstractiones, illi censent istas tres scientias facere tres classes differētes.

1227 Sed ego habeo aduersus eos pauca. primum. quia Logica, & Philosophia moralis differūt inter se, & ab illis scientiis, & ambæ abstrahūt ab omni illa materia, & obiectis, de quibus illæ tractāt. Siquidē Logica cōsiderat actuū intellectus, & Philosophia actuū volūtatis directionē, quę neq; est materia sīgularis signata, neq; sēsibilis, neq; intelligibilis modo declarato. secundū. nā intra Metaphysicam. reperias varias partes, quæ habēt diuersas abstractiones: quæ tamē nō obstāt, quo minus ea sit vna sola sciētia; quoniam vna pars eius agit de Deo, ac de Diuinis, quę abstrahunt ab omni dicta materia realiter, & ratione. & alia pars agit de enti in cōmuni abstrahēte ab omni materia solum per intellectū.

Tertiū est. nō credo esse verū scientias abstrahere ab illis materijs, quoniam isti actus & alij innumerabiles *Deus est vnus. Petrus est rationis particeps. Ioānes cōpositū est ex hac materia, & hac forma.* pertinētia ad Methapysicā non minus, quā illi. *Homo est ens. substātia est bona.* rursus ad Physicā spectāt illi actus. *Petrus potest intelligere videt. amat, currit. quātitas calefieri potest, & moueri, calefit, & mouetur,* & similes. prętereà hi sunt actus Mathematicę, *ille homo habet longitudinis duas vlnas. iste pes palmum, & dimidium. illa quantitas est rotunda, & alia circularis.*

Quare standū est doctrinę supra traditæ, & dicendū Metaphysicam considerare vt obiectū *ens*, idest, *omne ens*, siue omnia entia secundū quod sunt, siue secundū illud, quod sunt, vel vt ait P. *Suar.* in disp. 6. sect. 8. n. 4. *secundū conditionē essendi*, ita quod actus Metap. sēper prędicēt de subiectis aliquid illis essentiale, vel valde propriū. Physicā vero cōsiderare entia secundū quod aliquo modo possunt moueri. & Mathematicā secundū quod possīt mēsurari, aut aliter cōsiderari, secundū modū peculiarē eius scientię. quia tamen omnēs actus metap. in eo conueniūt, vt cōsiderēr ens vt est, diximus obiectū totius scientię esse ens, & per id discriminari ab alijs sciētijs, quarum quælibet addit aliquid supra ens, ab ipsis considerandū; qualiter est ens mobile. ens quantū. ens intellectuale diligibile. ens appetibile, regulabile, & huiusmodi alia entia. vide quæ dixi in Præfat. c. 5. à sect. 1. circa eiusmodi obiecta, per quæ modo distinguo scientias tanquam per obiecta attributionis, in quorū quodlibet quæque scientia tendit. vt iā vberius declaro in grande emolumetū incipiētiū.

Ergo omnes illi actus intellectus, & præ-
fertim enūciatiui, & propositiones, quæ 1228
prædicāt de subiecto essentiā eius, definitionē, vel aliquod essētiale, sūt metaphysici, & ad Metaphysicā adintegrādam spectant, quales sunt prædicationes primi secundi, tertij, & ex parte quarti prædicabilis, nempe generis, speciei, differentiæ proprij, & rationum entis, & aliarum transcendentium: siue tales propositiones habeant ex parte subiecti aliquod singulare, vel vniuersale, siue sint certi, siue solum probabiles: siue sint principia prima, aut præmissæ, siue conclusiones; nam intra gregem huius scientiæ sunt item admixti boni actus cum malis, idest, certi cum incertis, ve-

ri cum

ri cum falsis. ad quam etiam reduci mus apprehensiones quascunque, quæ ex natura rei antecedunt in nobis ad eiusmodi propositiones. loquimur autem de Metaphysica intellecta, & sumpta cum ea imperfectione, qua à nobis solet comparari. nam Angelica tota fortasse certa erit. quandoque item aliquot definitiones, quę definiunt obiecta scientiarũ aliarũ, pertinent ad ipsas, siue applicãtur ipsis.

Deinde omnes illi actus enunciatiui, qui prædicant de subiectis aliquem motum, vel operationem, vel potentiam ad ipsam, componunt Physicam. vt hi. *Deus creauit omnia. Angeli mouent cælos. cæli inflant. Petrus potest intelligere, & amare, & sentire, aut intelligit, amat, sentit, mouetur. materia signata recipit, aut potest recipere formas.* & huiusmodi actus qui res considerant sub prædicato, quod tacite, vel expresse indicet motum receptum in subiecto, vel transeuntem effectum. id, quod est considerari prædicamenta à Physica, vt mobilia, siue ens, vt mobile, vel quatenus mobile est. vt explicui ad 1. Physicorum. qui vero actus componant Logicam, facile notabit, qui legat supra à num. 185. quique spectent ad Moralem Philosophiam, apparebunt contemplanti.

Denique mathematici sunt isti actus, & similes. *punctum est, cuius pars nulla est. linea est longitudo latitudinis expers. Lineæ termini sunt puncta. quando lineæ, quæ faciunt angulum, recta sunt, faciunt angulum dictum rectilineum. Circulus est figura plana sub vna linea comprehensa. Diameter circuli est recta quædam linea per centrum ducta, & ex vtraque parte in circuli peripheriam terminata, quæ circulum bifariam secat, siue per medium. Semicirculus duplex fit per diametrum. Aequilaterum est triangulum, quod tria latera habet æqualia. Isosceles autem est quod duo tantum latera habet æqualia. Scalenum vero quod habet tria inæqualia latera.* & alia problemata siue elementa, quæ habes in *Euclide*, illustrata figuris & commentarijs à P. *Clauio*, & passim ab alijs multis.

1229 Postremo magistri *Bañes* 1. par. qu. 1. art. 3. & *Zumel* ibidem in sua quæst. 2. notab. 2. explicare volentes sententiam prædictam Thomistarum, eumque magis illuminare, dixerunt Scientias totales distingui penes tria lumina. primum vocant *lumen physicum*, quod sunt externi sensus, qui sentiunt materiam sensibilem. secundum *lumen* est *metaphysicum*. quod est intellectus, quod abstrahit ab omni materia dum cognoscit ens, vt ens, & entis passiones. tertium *lumen* dicitur *mathematicum*, quod est imaginatiua, quæ imaginatur materias intelligibiles. vnde concludunt Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam esse tres diuersas scientias, quia vnaquæque earum vtitur diuerso lumine declarato, quatenus nimirum in Physica intellectus adiuuatur maxime, & immediatius à sensibus, vt procedat in cognitione obiectorum suorum: in Mathematica vero valde vtitur imaginatiua, ac demum in Metaphysica ipse solus intellectus videtur esse sibi lumen, quia ad cognoscendum ens abstractissimum, non vtitur sensuum, aut imaginatiuæ vllo ministerio.

Et sane si Authores horum luminum, & illarum Abstractionum, tantum vellent ab eiusmodi capitibus colligi aliquo modo generali, licet non ita exacto, & rigoroso distinctionem Scientiarum totalium, præsertim trium prædictarum, non ego multum curarem in re incerta, & quasi pendenti ex arbitrio Doctorum. Si tamen plus volunt, deferendi sunt, primo, quia eodem lumine vtitur intellectus in Logica, & Philosophia morali, & Metaphysica; nempe intellectus est in ijs tribus scientijs sibi lumen; & tamen scientiæ ex tres sunt. & non vna. secundo. quia secundum eos omnes Doctores, tres tantum scientiæ essent, nempe Metaphysica, physica, siue Philosophia, & Mathematica; quod verum non videtur, si re vera concedenda fuit multitudo sciẽtiarum; vti de facto ab ipsis nobiscum conceditur.

QVAESTIO III.

De Syllogismo, atque Discursu probabili, siue Opinione in octo libros Topicorum Aristoteles: *vbi pauca de Fide Diuina, & humana, & harum cum Opinione, & Scientia in persona eadem simultanea*

tanea coexistentia, postquam de Topicis locis, & eorum obiecto praefatus ero remissiue.

1230 FVse iam, & praeclare docuimus supra in disp. 5. quaest. 10. per totam, libros Topicorum esse, vbi loci positi, & expositi sunt, quae sunt, regulae, & maximae generales Logicae, docentes res assumere ad sciendum; & locorum eiusmodi obiectum esse quaecunque praedicamenta, quae, & quatenus artificiose possunt sciri. vt ibidem declarauimus. sed vero audire debemus Recentiores, qui commentando libros praesentes, ita incipiunt dicentes.

Librorum Topicorum obiectum, & materia, circa quam occupatur, est syllogismus probabilis, qui nimirum componi solet ex praemissis duabus probabilibus, vel saltem altera probabili, altera euidenti, & ideo generat conclusionem probabilem, siue opinionem. sunt autem praemissae probabiles, siue principia probabilia, quaedam propositiones, & quasi axiomata, quae licet certitudinem non contineant, recepta tamen sunt ab omnibus, vel à multis, vel ab vno solo viro docto; vel etiam in generali illa omnia iudicia, quae debiliter adhaerent obiectis, quo modo sunt hae assertiones, & similes. *omnis mater diligit filium suum. figulus odio habet figulum. Iudicium est simplex qualitas. relatio sunt extrema collata.* & generaliter Doctorum opinationes prudentes, & bono firmatae fulcro, quae quotidie disputantur, & defenduntur. atque syllogismi, quibus vtriusque opinio controuertitur, & ab vno defenditur, & roboratur, & ab alio impugnatur, plerumque sunt opinatiui, & probabiles, vtpote qui solum generant rei dubiae debilem notitiam, idest, opinionem.

Non displicet ista Recentiorum, & Interpretum doctrina. quoniam multae regulae, quas posuit *Aristoteles* in Topicis, tradunt modum arguendi probabiliter, sed ad veritatis plenitudinem addo tria, vel quatuor. primo, esse quidem librorum horum obiectum, nimirum, attributionis syllogismum probabilem, sed non eum tantum, sed simul cum demonstratiuo, siquidem in eisdem libris continentur aliae multae regulae docentes arguere demonstratiue, vel certò. *Aristotel.*

Secundo. regulas plerasque, seu maximas logicas esse certas, & infallibiles etiam quando versantur circa argumenta opinatiua, & probabilia, vt alibi cum S. Thoma traditum est, praesertim eo modo, quo eae maximae à nobis sunt compositae nu 1024. vbi regulis *Aristotelicis* addebam nonnulla verba, vt eas efficerem certas, constituentes Logicam scientiam ex omni parte perfectam. Tertio. me in quaestione praesenti cum Dialecticis fluere personam Dialectici, & induere Philosophi, vt tractem non de Logica formali, siue Regulis eius, de quibus fuse loco allegato dictum est; sed de aliquibus actibus intellectus, qui solent aut possunt esse obiecta earum regularum & de quibus fuse solent tractare Philosophi, atque Theologi, ne quid Logici hominis intentatum, aut intactum relinquamus de amplissima materia scientiae nostrae, sub directionis praetextu. *S. Thomas. sup. num. 1024.*

SECTIO I.

Philosophica declarat quod sint Fides, & Opinio; quid, & quotupliciter; earum inter se discrimina: piam voluntatis affectionem, quae ad illas praerequiritur, & necessaria est; ac demum Suspicionem, Scrupulum, Dubiumq; describit.

PRimo opinionem existere certum est, quam sic definio ex *Aristotele* 1. Poster. cap. 24. & S *Thoma* 2. 2. quaest. 2. art. 9. ad 2. *opinio est circa verum, aut falsum contingens autem esse, & aliter se habere*, idest, opinio est assensus, vel dissensus enunciatiuus, quo aliquid cognoscitur incerto, & formidoloso modo subiecto falsitati. opiniones sunt hi actus. *omne accidens distinguitur realiter à substantia; vbi est accidens; ergo vbi distinguitur realiter à substantia* & quotquot non adhaerent obiectis suis firmiter, sed cum formidine. legatur vbi supra *Aristoteles*, vel *S. Thomas*, vterque enim vt melius opinionem declaret, eam confert cum scientia. 1231 *Aristotel. S Thom.*

Ego

Ego vero ad maiorem opinionis notitiam aduerto primò, eam quandoq; te esse indicium, quandoque discursum. secundo de essentia opinionis esse formidinem virtualem, & in actu inclusam, id est, modum tendendi erga suum obiectum, debilem, & infirmum, distinctum valde à firmo, & claro, & resoluto modo tendendi scientiæ erga suum. dicitur autem i ta formido virtualis, tum propter alia, tum potissimum, quia est occasio, vt intellectus reflectendo supra suam opinionem, eliciat opinionem formaliter formidolosam, fine cum expressa formidine dicendo, *fortasse quod ego opinor, ita non est, sed fallor.*

Atque ita esse formalem formidinem docuit P. *Vasquez* in 12. disput. 62. c. 5. & disp. 67. cap. 2. num. 6. & concordant Moderni ita eam exprimentes. *mea opinio, vel istud quod sentio, forte aliter se habet, quia huius mea sententia non video me habere præmissas euidentes, aut certas.* vbi caute aduerte huiusmodi expressas formidines videri actus certissimos, sed formidines denominari ab obiecto, quia declarant debilem, & formidolosum assensum, qui vere actus incertus, & opinio est, circa quem illi reflectendo versantur, à quo proinde extrinsece, formidines dicuntur. Tertio aduerti iam supra num. 1155. quo modo fit opinio probabilis, & quæ?

Secundo indubitatum est existere fidem
1232 diuinam, & item humanam. in generali ergo *fides est actus absconsus credens aliquid propter authoritatem id testificantis.* sic est actus, quo tu credis testificante me, & propter meam authoritatem Hispali me vidisse Regem Catholicum Philippum IV. & similes. duo vero necessaria sunt ad fidem; primum est authoritas dicentis. secundum, vt dicat aliquid credendum. rursus ista authoritas componitur, & crescit ex multa scientia, qua, qui dicit, sit liber à deceptione; & ex voluntate bona, qua nunquam velit decipere. eo autem passu, quo crescit authoritas testimonium perhibentis, eo crescit perfectio, & certitudo fidei credentis, & ideo humana fides solet esse fallibilis. quam sic definit P. *Granado* in controuer. de fide tract. 9. dis. 1. desumens ex
S. Augu. S. Thom. SS.PP. *Augustino, & Thoma. actus internus fidei diuinæ est iudicium supernaturale immediate innitens diuinæ authoritati obscure reuelanti*, seu aliquid obscure testificanti. vnde fides quæcunque est obscura, quia nimirum nemo videt, quod credit. siquidem *fides est credere, quod non vides*, & ab Apostolo dicitur diuina. *argumentum non apparentium.* id est actus, cuius efficacia conuincimur ad credenda, quæ non videmus, sed tanta certitudine, ac si ea videremus, vt tradunt SS.PP. *Augustinus* lib. 15. de Trinit. S. August.
cap. 1. & lib. 2 de peccator. meritis. & S. *Chrysost.* in orat. 21 prope finem.

Tertio, quoniam noster intellectus non necessitatur ad assentiendum obiectò nisi pateat ex terminorum apprehensione, aut ex præmissis euidentibus, docent communiter Doctores speciatim P. *Granado* de Fide tract 9 disp. 2. cum S. *Augustino* S. August.
pluribus in locis. & S. *Thoma* 2.2. qu. 2. S. Thomas.
art. 2. & 9. & quæst. 4. artic. 2. necessario prærequiri ad credendum aliquid, vel vt intellectus assentiatur obiecto, quod non videt, imperium, siue motionem voluntatis, quam vocant *piam affectionem*, quæ intellectum inclinat ad assensum, vel ad quærendas verosimiles rationes, vel motiua alia, quibus tandem ad assensum accedat intellectus; siquidem hic non assentitur nisi obiecto, quod æstimat verum, vere tale, vel apparenter, etiam quando, vt dici solet, est pro ratione voluntas. inest vero magna vis in voluntate ad illum alliciendum, ad quod ipsa mauult. & ideo dicitur quasi per prouerbium desumptum ex S. *Thoma* 2.2. q. 60. S. Thom.
art. 3. *vnusquisque faciliter credit, quod appetit. & quilibet opinatur de rebus, sicuti affectus est.*

Denique *suspicio est inclinatio quædam maior intellectus versus vnam partem, cui tamen non audet assentiri. quia habet leuia indicia, & fundamenta*, vnde suspiciones, vt bene ait P. *Lessius* lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 6. cum S. *Thoma* videntur esse motus quidam ad assentiendum imperfecti, quia species aliqua veri subluceat magis in hac parte, quam in altera, quos ego declaro quando dico. *Hoc, aut illud potest esse, & forsan est, vereor ne sit*, sed nolo credere ita esse, quia, si credam ob leuia ista indicia, non ero liber à temeritate. Lege S. *Thomam* S. Thom.

mam in quæst. 60. art. 3. in 2. 2. aut *Lesium* vbi supra.

1233 *Dubium* autem *est suspensio intellectus in neutram partem inclinantis, sed manentis in æquilibrio.* vt bene tradunt *Lesius* supra. & *Vasquez* infra, & *Sanchez* lib. 2. cap. 3. num. 11. *P. Granado* 1. 2. de actibus humanis tract. 12. disput. 6. allegans *S. Thomam, Cordubam, & Medinam* & ratio est, tunc enim dicitur quis dubitare, quando hinc inde rationibus æqualibus constrictus pro vtraque parte, neutri assensum præbet, sed pendulus, & perplexus quasi in medio hæret. vnde perinde sunt suspensio, perplexitas, hæsitatio, & dubitatio, vt notat *Vasquez* 1. 2. disput. 62. cap. 5. numer. 26. *formido* vero non ita est, hæc enim, siquidem opinio est, siue sit virtualis, siue formalis, semper est determinatus assensus ad partem alteram, vt superius dictum est. ac demum *scrupulus est leuis quadam suspicio, aut existimatio ex leuibus, aut ferme nullis orta rationibus, qua quis quasi credit aliquid ita esse, quod re vera non est*, & ideo non est scrupulus iudicium formatum, sed quædam vehemens apprehensio, seu imaginatio mali, quæ oritur ex imbecillitate animi, vel ex aliqua passione, aut ignorantia. licet scrupuli possint explicari illis exemplis, quibus declaraui supra suspiciones. qui plura volet de *scientia, fide, opinione, dubio, suspicione, & scrupulo*; ac eorum differentijs legat *P. Thomam Sanchez* in Decalog. lib. 1. cap. 9. à num. 2. vel de Matrimon. lib. 2. disp. 41. num. 2. & ibi allegatos *Vasquez* & *Azorium*. & *Aristotelem* allegatum initio huius Sectionis, & ibi S. *Thomam* & 12. quæst. 67. art. 3. corpore. sufficiunt nobis quæ diximus de his, vt melius opinio, scientia, & fides caperentur.

Aristotel. S. Thomas.

SECTIO II.

Præsupponit quæ recepta debent esse pro nunc apud vtrinque disputantes circa coexistentiam Scientiæ, Fidei, & Opinionis in eadem Persona.

Certum in primis est posse in intellectu eiusdem personæ dari scientiam, fidem, & opinionem, quo ad actum, & habitum de diuersis obiectis, imo de eodem materiali; cognito sub diuersis rationibus formalibus, seu prædicatis, & ideo in me esse solet, aut potest simul hæc sciētia de homine, *homo est animal rationale*. hæc opinio, *homo habet intellectum realiter distinctum ab eius anima*. & hæc fides, *homo in cælo videbit Deum sicuti est*. quoniam præsens difficultas in eo solum sita est an scientia, fides, & opinio possint esse simul de eodē obiecto materiali cognito sub eodem prædicato. ita quod dicat quis scientifice Deus est, opinetur Deum esse, & id ipsum credat fide Diuina. & istos tres actus retineat simul, vel eorum duos.

Deinde bene possunt simul commorari in eadem persona habitus scientiæ, non solum cum habitibus fidei, & opinionis, verum etiam cum actibus fidei, & opinionis: nam illi habitus cum istis non pugnant. vt experientia docet. Siquidem Ethnicus, aut hæreticus solet habere sciētiam de existentia vnius Dei, & postmodum conuersus ad fidem credit ipsam existentiam Dei.

Tertio præmittit P. *Granado* Controu. de fide tract. 2. disput. 7. sect. 1. & probāt *P. Beccanus* quæst. 3. & fusius P *Maratius* to. 2. tract. de fide disp. 14. à sect. 1. non esse compossibiles in eodem actu categorico scientiam, & fidem de eadem veritate, siue de obiecto eodem, quia nimirum non videtur factibile, quod idē actus simplex simul sit clarus, & obscurus, vel quod obiectum fidei, siue authoritas reuelantis obscure, & motiuum euidens ita commisceantur, vt mouere possint ad actum mixtum claritate, & obscuritate. quamuis hic Pater in num. 3. non audeat negare posse esse actum hypotheticum affirmantem duas veritates, alteram clare, obscure alteram, & exemplificat in hac copulatiua, *Deus est vnus, & Christus Dominus est in Eucharistia*. cuius prior categorica est scientia, secūda fides. 1234

Ego quippe non video cur ita esse non possit; neque enim implicat fieri actum quasi monstrosum ex parte vna scientifica, & ex alia de fide saltem naturali inter se identificatis, vel vnitis, sed non ausim dicere eam fidem esse supernaturalem,

donec

donec consulam doctiores: quoniam difficile intelligi potest identificatio formalitatis naturalis vnius cum alia supernaturali, licet similem identificationem concedant idem *P. Granado* in 3. par. controu. de Sacramētis, & alij grauissimi Doctores tractando *de Potentia*, quam *obedientialem* compellant. post hæc vidi *P. Arriaga* concedere sine vllo scrupulo actum supernaturalē, qui simul sit opinio, scientia, & fides disput. 6. de anima sect. 6. sub sect. 3. sequutus *Durandum, Capreolum, Sotum, & Valentiam*, quos citat & impugnat *P. Maratius* tract. de Fide disp. 14. sect. 1. & *P. Palao* infra referendus.

Quarto vellem supponi vt indubitatum potissimam quæstionis præsentis difficultatem in eo positam esse, an ex natura rei sint incompatibiles in eodem intellectu actus fidei, & scientiæ omnino euidens de eadem veritate, & eodem obiecto, habiti tamen per diuersa media; & quod de fide Diuina, & scientia resolutum fuerit, applicandum esse fidei humanæ, & opinioni, quoniam eadem difficultas videtur esse in vtrisq; quinto suppono scientiam non posse coexistere cum opinione formaliter formidolosa, quæ dicit rem posse aliter se habere, vti declaro infra respondendo ad *Aristotelem*, & *S Thomam*.

SECTIO III.

Actum Supernaturalem Fidei Diuinæ, & actum scientiæ de eodem obiecto esse ex natura rei compatibiles, & posse esse simul in eodem intellectu, sentiunt nobiscum Sancti, & graues Doctores, indicant Scripturæ, & persuadent rationes efficaces.

Tituli relationem tenent expresse S. *Bonauent* in 3. dist. 24. art. 2. q. 2. & 3. *Durandus* dist. 31. quæst. 4. *Gabriel* quæst. vnica artic. 2. conclus. 3. *Aegidius Conine*. de Fide disp. 11. dub. 1. num. 15. & ibi *Altisiodorens. Alensis. Albertus. Suarez* 3. par. tom. 2. disput. 19. sect. 2. & 2. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 9. à num. 7. *Valentia* 22. disp. 1. puncto 4. quæst. 2. S. 2. *Hurtado* de Anima disp. 10. sect. 5. *Tannerus* 22. disp. 1. quæst. 1. dub. 2. num. 16. *Conimbricens.* 1. Poster. cap. 26 quæst. 2. att. 1. *Pesantius* 2. 2. qu. 1. art. 5. disput. 3. *Hurriquez* quodlib. 8. quæst. 14. *P. Granado* in Logicæ M. S. *Basolis* quæst. 1. Prologi. *Cornelius* ad Hebr. 1. num. 292. & *Salmeron* ibi in tract. 21. *P. Tirinus* breuè & optime ad caput Ioan. 20. num. 29. & iterum ibidem *P. Cornelius Rodericus Arriaga* de Anima disp. 6. sect. 6. subsect. 2. *Laiman* lib 2. trac. 1. cap. 3. *P. Maratius* tom. 2. tract. de Fide dis. 13. sect. 1. *P. Palao* to. 1. tract. 4. de disp. 1. par. 4. *Blasch.* sect. vltima Logicæ. Magister meus in M. S. & communiter Recentiores.

1239 *S. Thom.* Consonant alij SS. Patres in primis. *S. Thomas* in 3. dist. 21. quæst. 2. artic. 1. *dicendum*, inquit, *quod opinio & scientia quamuis, sint de eodem, non tamen secundum idem medium, sed secundum diuersa, & ideo possunt esse simul*. & 1. 2. quæst. 67. a. 3. *potest enim*, ait *vnus homo cognoscere eamdem conclusionem per medium probabile, & demonstratiuum*, & clarius 3. par. quæst. 9. art 6 ad 2. loquutus est dicens, *ad secundum dicendum quod dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: vno modo sicut via ducens ad perfectionem: alio modo sicut effectus à perfectione procedens; per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis; qua tamen adueniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. & similiter opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur: qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum Dialecticum*. ergo *S. Thomas* admittit opinionem, & scientiam circa idem posse esse in eodem subiecto, *quia nihil prohibet*, vt aiebat in illa q. 67. *quin cognitio perfecta, & imperfecta conueniant in vno obiecto, & in vno subiecto per media nimirum diuersa*. & consequenter non videtur tenere illud, quod subiungit ibidem (aut ego con capio, quod certius erit) quod *est simpliciter impossibile, quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte subiecti sint simul in eodem subiecto*. nonne, mi Pater Sanctissime, tu me docuisti, quod opinio sit cognitio imperfecta, ac debiliter tendens in obiectum, & quod

e con-

e contrario scientia sit perfecta, & firma adhęsio ad obiectum, quando paulo ante dixisti; *ex parte subiecti differunt secundum perfectum, & imperfectum opinio, fides & scientia*, quia opinio non habet firmam adhæsionem, scientia vero sic? & non puto alienum á doctrina S *Thomæ* posse quoque fidem coexistere cum sciētia, sed egere verba ipsius explicatione, & ipsam pati. vti dicam inferius. consonat sibi S. Doctor 1. par. quæst. 58. ar. 7. ad 3. S. Thomas.

Denique S. *Ambrosius* lib. 10. in *Lucam* cap. 29. scribit *facilius credimus, quæ videmus.* & S. *Augustinus* infra referendus expresse docebit B Mariam, SS. Apostolos & alios, qui viderunt Christum, & eius miracula, *credidisse, quæ videbant*; quinimo Patres antiquos Hebræorum, testatur *credidisse, quod viderant.* quamuis innuat ibidem S. Pater fidem, quæ habetur de his, quæ videntur esse fidem imperfectam, & non magni meriti, in comparatione fidei, de illis, quæ non videntur. Et ideo merito S. *Leo* eiusmodi fidem visorum supponens, dicit in Sermone 2. de Ascensione Domini, *magnarum vigor est mentium ineunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu.* venio ad rationes fundatas in bona Philosophia, sed potissimum in authoritate sacræ Scripturæ, quas ita mihi libuit proponere, & ponderare.

1236 Ratio prima est. etenim illi actus possunt esse simul in eadem potentia, qui nullam dicunt incompossibilitatem; sed scientia, fides quæcunque, & opinio, nullam dicunt incompossibilitatem; ergo possunt esse simul in eodem intellectu. minor persuadebitur infra ex solutione argumētorum exaduerso, & nunc suadetur. quis enim prohibeat quominus ego, qui modo video diem esse, credam, & opinor id ipsum, quia Petrus testatur diem esse, & quia sentio vociferationes, & rumores in platea; quantumuis otiosum sit credere, & opinari, quod video; quia libet ita otiari, vt experiar capacitatem, & virtutem mei intellectus. præterquamquod, experior me posse aliquid feruentissime amare, & id ipsū amore omnino inefficaci ob diuersa motiua [illegible]are.

Secunda ratio est. quoniam viri sapiētes sciunt euidenter Deum existere, atque id ipsum tenentur credere Diuina Fide, tanquam salutis æternæ fundamentum; quoniam, vt tradunt omnes Theologi, fides supernaturalis de Dei existentia requiritur ad iustificationem nostram; dicente Apostolo in Epistola ad Hebræos cap. 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* ergo scientia, & fides de eodem obiecto, possunt simul esse in eodem intellectu. nec proficit respondere non posse esse fidem cum scientia, aut memoria scientiæ; sed eos ambos actus, ita sibi debere succedere, vt nunquam coexistant simul; ita quod fides expectare debeat transitum, & absentiam scientiæ; & scientia similiter transitum fidei, vti respondent aliqui Recentiores, quorum vnus est *P. Granado* in sua controu. de Fide tract. 2. disput. 7. sect. 4. num. 18. non audentes absolute negare, vt negant alij suæ factionis, posse haberi fidem de rebus alioqui euidenter notis, nempe cum dicta successione, & postquam scientia, & eius memoria per obliuionem est abolita. addit etiam cum multis suæ factionis *P. Granado* posse credi euidenter scitum, sed non seorsim, sed cum alio non scito, vt *Deum esse vnum, & trinum*, in quo non sibi videntur constare, quia valde inclinant in nostram opinionem; & opponuntur fundamento sumpto ex S. *Thoma*, quod exponit, & corroborat ipse P *Granado* in sect. 2 num. 14. §. *Tertio probatur ratione S. Thomæ.*

Tertia ratio sumitur sic ex inconueniēti. si scientia impedit fidem, & fides esse non potest vbi est, vel fuit scientia, vel rei scitæ memoria, sequitur Beatam Mariam Dei genitricem nunquam habuisse fidem de principalibus mysterijs fidei nostræ, ac redemptionis; & idem dicendum de alijs Sanctis ex primoribus primitiuæ præsertim Ecclesiæ. Siquidem B. Maria euidenter sciuit, & experta fuit se concepisse sine interuentu viri: & euidenter nouit Deum existere: & alia mysteria, & quidem plurima, si forte vidit Deum vnquam, vt vidisse in hac mortali vita testantur plurimi, ijque graues Doctores. visorum vero memoria difficile potuit excidere ex intellectu Virginis, aut non redire, quando postea appellabat animum ad credendum, si forte non erat semper, aut quasi semper, in conti-

nuo

nuo exercitio virtutum Theologicarum.

1237 Quarta ratio colligitur ex certo testimonio Christi Domini dicentis Ioan. 20. *Thomæ* incredulo circa fidem Resurrectionis eius, *quia vidisti me Thoma credidisti.* vbi Interprete P. *Maldonato* ostenditur *Thomam* credidisse viso Domino eum resurrexisse, & viuere, quem videbat, & adorabat, neque contentum ea fide minus perfecta, vlterius credidisse, quem non videbat, nempe Deum esse, qui se resuscitarat, dum exclamauit dicens, iussus mittere digitum, & manum in latus, & locum clauorum, *Dominus meus, & Deus meus.* & ideo egregie dixerit *B. Laurentius Iustin.* in Serm. S. *Thomæ* Apostoli *ipsum verum hominem, ac verum Deum confessus est hominem contigit, & credidit Deum: ede orum propter vnitatem personæ, quæ in Christo est, verumque & tetigisse, & credidisse fatendum est.*

Atque hoc ipsum efficaciter conuincitur. quoniam illud credidit S. *Thomas*, quod se prius asseruerat non crediturum dicens, *nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* videlicet, resurrexisse, & viuere Dominum, quem vos, o condiscipuli dicitis, & testificamini vos vidisse. & hoc ita esse mihi persuadeo tum ex incredulitate *Thomæ* circa Christi resurrectionem, quam sine dubio habuit, & quam paulo post gloriosa confessione deleuit, & compensauit: tum etiam ex verbis Christi Domini, quibus, etsi laudauit Discipuli fidem, reprehendit etiam eius fidei circumstantias, quæ fidem solent reddere minus perfectam, nempe tarditatem, & duritiem illius in credendo, etiam testificāte *Petro*, & alijs condiscipulis; & obfirmatum animum expectādi videre Dominum ad credendum; dicens *quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.* nimirum, me Deum esse, te surrexisse, & viuere; id quod tu videndo me modo credis, in quo modo non te laudo. credidit ergo *Thomas* Christi resurrectionem, dum eum vidit, & ideo illud symboli *resurrexit à mortuis* Thomæ attribuunt *S. Augustinus* & alijs.

Subiunxit autē Christus D. illud *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, non quia beatus quodammodo non fuerit Beatus *Thomas* etiam propter fidem, qua credebat, quod videbat, sed quia beatiores multo sunt, & laude maiori digni credentes, quæ non vident, propter fidem perfectiorem, qualis plerunque est, quæ credit, quæ non videt. & ille modus loquēdi est phrasis Christi Domini. cui consonat S. *Augustinus* tom. 9. tract. 79. & 95. in Ioannem fere initio scribens. *Beati* S. August.
enim, qui non vident, & credunt, nam, & qui viderunt Christum, non in eis laudata est fides eorum, quia credebant, quod videbāt, idest filiū hominis; sed quia credebāt, quod non videbant, idest, filium Dei.

Sane laude aliqua dignus est, qui credit, quod videt, quia bene facit; sed nō tanta laude dignus est, nec inde tantum Beatus propter eiusmodi imperfectorum fidem, qui expectant videre, vt credant, quorum fidem videtur nominare vbi supra *S. Leo, fidem paruulorum.* qui tamen, vti dicebam, aliqua laude, & merito digni sunt, licet à fide, quā credunt obscura, quæ non videntur, denominentur beatiores, & longe maiori laude digni fiot. quemadmodum B. Maria *Deigenitrix*, inquit *S. Beda* in lib. 4. capit. 49 *Lucæ* 11. explicans phrasim Christi Domini. *& inde quidem Beata, quia verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amādi custos manebat æterna.* licet Christus Dominus istud subticuerit, & supposuerit, quando dixit cuidam mulieri de turba matrem suam extollenti, & beatificanti, *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Vnde colligas nō negari, sed expresse asseri à Christo Domino *Thomā* credidisse, quod viderit, licet eiusmodi fidem non laudarit, sed potius illam, quæ credit, quæ non videntur. 1238

Quapropter fides credentium, quod vident, forsan aliquando à Patribus appellabitur non fides, aliquando fides alterius modi, & naturæ; tum quia, vt supra dictum est, parua est, & meriti minoris, vt bene quoque aduertit *P. P. Ribadeneira* in vita S *Thomæ*, in comparatione fidei alterius, qua credis, quod non vides; tum etiam, quia ea imperfecta fides non solet sufficere ad salutem. vnde S. *Augustinus* tract. 26. In Ioan circa medium scribit. *quare Patres vestri manducauerunt,* S. August.

runt;& mortui sunt? quia quod videbant, credebant, quod non videbant, non intelligebant. & iterum in serm. 47.deTempore, *in homine*, inquit, *carnali tota regula intelligĕdi est cõsuetudo cernendi quod solët videre credant, quod non solent, non credunt*, id quoq; dicebat S.*Franciscus Xauerius* in Lucena lib.6. c. 11.

Vbi vides concedi à SS.Patribus imo, & à Christo Domino, eiusdem obiecti simul fidem, & scientiam, non tantum abstractiuam, sed intuitiuam, & fidem dari circa ea, quæ vidẽtur, licet ea non sit perfectissima, de qua loquuti sunt SS.Dei homines infra cum Apostolo dicente, *Fides est argumentum non apparentium. & quid est fides, nisi credere quod non vides?* cũ ergo *Thomas* aliquid denuo, quod ante non crediderat, viso Domino crediderit, fatendum est credidisse quoque quod videbat, nam quod non videbat, semper antea crediderit, & tunc credebat, nempe illum esse Dominum, & Deum suum.

1239 Hæ sunt aliquot rationes, quibus probatur nostra sententia; reliquæ videri possunt in *P.Valentia* to.3.vbi sup.& *Arriaga*, & quibus non facile posse satisfieri fatetur *Petrus de Lorca* author contrariæ partis infra referendus, & propter quas PP. *Granado*, & *Torres* dixerunt opinionem hanc esse probabilem: ita tamen nos eam defendimus cum plerisque ex Doctoribus superius allegatis, vt opinemur opinionem scientiam, fidem diuinam, & humanam de eodem obiecto, imo & visionem corpoream, vel aliam etiam sensationem sensuum corporalium posse esse simul in eodem intellectu, & in eadem persona. & ideo displicent aliqui Recentiores, e quorum numero fuit *P. Aegidius Coninc.* in disputat. 11. de Fide, dubio 1. num. 41. quia putauerunt fidem quidem diuinam posse esse cum scientia, secus fidem humanam, & opinionem, propter quoddam argumentum, quod facile soluitur ex prima nostra superiori ratione. & *P. Alarcon* qui tractat. 5. de Trinitate D. 1. cap. 5. cum *Vasquez* distinguit de scientia intuitiua, & abstractiua, & tenuit hanc posse esse simul cum fide diuina, illam vero non.

SECTIO IIII.

Respondet ad argumenta desumpta ab Authoritate sacræ Scripturæ Sanctorum Patrum, & Aristotelis, quibus graues Authores contuentur coexistere non posse in eadem persona circa idem obiectũ Scientiam, & Diuinam fidem.

HI Doctores sunt P. *Granado* retractans, quæ in Logica docuerat C. de Fide tr. 2. d. 7. sect. 3. & ibi *S.Thom, Caietanus, Bañes, Lorca, Torres, Magister, Scotus, Molina, Sotus, Capreolus, Ferrara, Richardus, Almainus*, & *Carthusianus* apud *Lorcam, Medina* 22. quæst. 67. art. 3. *Deza* in 3. quæst. 1. art. 3 Palacios dist. 3. *Aragon* 22. quæst. 1. art. 5. *Toletus* 1. Po. ster. c. 26. *Fiseca* in 6. Metap. c. 2. q. 1. sec. 5 *Capreol.* 3. d. 25. q. vnic. art. 2. cõcl. 1. & 2. P. *Recupitus* l. 1. q. 10. n. 20. fauet *Vasquez* 1. p. disp. 4. c. 2. n. 3. & *Alarcon* cum illa sua distinctione, vbi paulo ante citatus est, & communiter *Themistæ, Scotistæ* non pauci, & multi, ac docti Recentiores, qui nobis opponunt primò Apostolicam definitionem fidei, ex epist. ad Hebr. c. 11. quæ sic habet, *est autem fides sperãdarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Vnde manauit illud vulgare dictum apud SS.Patres præsertim *August.* to. 10. serm. 27. de Verbis Apostoli ibi, *est autem fides credere, quod non vides.* & *Thomam* in 22. q. 67. art. 5 Retinentes constanter Pauli definitionem, & ideo asserentes fidẽ debere necessario versari circa ea, quæ nõ videntur: & consequenter scientiam, & fidem de eodem, in eodem intellectu simul esse non posse. *S.August. S.Thom.*

Sed Respondetur Apostolum, & SS. Patres velle fidem principaliter esse de his, quæ non apparent, vt euidenter colligo ex S.Tho. 22. q. 1. ar. 6. ad 1. vbi adducit verba Pauli, & in q. 5. art. 1. c. & loquutos fuisse de fide perfectiori, & maioris laudis, ac meriti, *hæc* enim ait *August.* tra. 79. in Ioan. *est laus fidei*, sanctioris nimirum, *si quod creditur non videtur*, neq; enim negare Patres potuerunt, quod alibi & ipsi cũ Apostolo contestantur nempe aliquot obiecta esse, quæ scimus euidenter, & credere iubemur testante eodem Paulo ibidem, *accedentem ad Deũ oportet credere quia est*, & tamen Deũ esse euidenter scitur, vt idẽ Apostolus asserit, dicens ad Rom. 1. *inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per* *S.Thomas.* *S.August.*

ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. & ideo egregie notat *Cornelius* supra, epist. ad Hebr. c. 11. in suo nu. 292. non negari ab Apostolo in illa sua fidei descriptione, eam quoque extendi ad apparentia, sicut & ad ea, quæ timētur, & nō sperantur; *potest enim*, inquit, *eadem res, puta Deus, Angeli, Mors cognosci varijs modis nimirū primo demōstratione, secūdo sensu & experientia, tertio fide, quia scilicet Deus ea reuelauit.* quis vero eas omnes cognitiones prohibeat esse simul, si aliunde capax sit cognoscens eas habēdi simul?

Secundo interpretatur Apostolū *P. Va-*
1240 *lentia* 2.2. disput. 1. punct. 4. & SS. Patres, dicens eos docere, quæ creduntur non apparere, nec euidentia fieri per fidē, vtpote obscuram, seu illa, vt terminant fidem, non apparere, nec euidentia esse: hoc tamen non obstare, quominus aliunde sint clara, & euidentia, idest, scita euidenter quod si habemus ex sacra Scriptura, & Patribus plura mysteria, & euidenter sciri, & credenda à nobis esse fide diuina, vt quid negandum fuit fidem, & scientiam, & opinionem non posse cohærere simul?

Sed vrgebis SS. Patres, & alij graues
S. August. DD speciatim *August. Gregor. Anselm.* & *Beda* super illud Ioan. 20. *Quia vidisti me Thoma credidisti.* dicunt Thomā aliud vidisse, aliud credidisse, aliud tetigisse, aliud confessum esse; nempe vidisse, & palpasse hominem, & credidisse eum esse Deum. *Videbat*, inquit, pro omnibus vnus *Augustinus* apud Maldonado, *tangebatq; hominem & confitebatur Deum, quem nō videbat, neq; tangebat.* id quod dixisse videntur Patres, quod putauerint fidem semper, & necessario futuram cognitionem rerū non visarum, siue non apparentium; nam inter alios *S. Gregor.* homil. in Euang. dicit: *Fides illarum rerū est, quæ apparere non possunt quæ enim apparent iam fidem non habent, sed agnitionem.* ergo quando Thomas vidit Christum, non potuit credere, quod vidit, sed vidit hominem, & credidit Deū. quod indicasse quoque videtur Christus dicens, *quia vidisti me Thoma credidisti.*

Sanè ista replica multum probat. quia si quid probat, cōuincit fidem esse nō posse vnquam, neque successiue, circa mysteria aliunde euidenter scita, quod ego non ausim dicere, quia durus est sermo priuare B. Mariā, Apostolos, Prophetas, Angelos, & viros sapientes fide circa plures articulos fidei, qui aliunde lumini naturæ sunt patentes. quare Respondendū est replicæ, SS. Patres fecisse mentionem de fide magis gloriosa Thomæ, qua credidit, quod non vidit, nempe de ea fide, qua præteritā incredulitatem aboleuerit. neque enim decebat eos extollere imperfectam fidem à Christo Domino, quasi prætermissam, & quasi quoadmodum reprehensam. quinimo aliqui ex Patribus nempe S. *Cyrillus*, S. *Augustinus*, S. *Ambrosius* apud Maldonadum nu. 25. & ipse Maldonado, nu. 28. fine supponūt simul habuisse fidem de eo, quod videbat, & de eo quod non videbat, quatenus illi opinati sunt nunquam fuisse incredulum Thomam, & hic simul credidisse vtrumque, nempe hominem, quem tangebat, & Deum, quem non videbat. id quod plusquam optime tradidit supra *Beatus Laurentius Iustinianus* dicens id *vtrumque, & tetigisse* Thomam *& credidisse fatendum esse.* alioqui viso Domino nihil denuo credidisse Thomam dicendum erit, cum antea, & tunc Christum Deum esse crediderit.

Insistunt vero SS. Patres, ac merito re- 1241
petunt aliud vidisse, & tetigisse S. Thomā, & aliud credidisse propter tria. primo, vt eius, vti dixi, fidem perfectiorem extollāt nam verum ipsi credunt esse, quod dixit *Gregorius* in Homil. 26. in Euangelia, *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*, idest, non habet magnum meritum; quia eiusmodi fides parum difficultatis habet, & laboris: siquidē vt ait Ambros. *facilius credimus quod videmus* Secundo vt assumant inde, nempe ex manifesta, & publica confessione & fide, vel hominis antea increduli, clarum testimonium diuinitatis Christi Domini contra Iudæos, & Arianos eam plusquam perfide negantes, vt prosequitur doctissimus *Maldonado, Ioan.* 20. nu. 28. Tertio. illa verba reperūt *Cyrillus, August.* & *Ambrosius*, qui pie vt ipsi opinabantur. excusantes Thomam, putarunt nunquam illum fuisse incredulum, sed semper cum reliquis Apostolis perseuerasse in fide Resurrectionis, vt probent intentum suū, quod erat, denuo credidisse *Thomam*, quod non videbat, nam quod videbat, semper credebat. idest, à tempore, quo mysteriū Resur-

rectio.

rectionis illi sufficienter à cōdiscipulis intimatum fuit. Verum sequi SS.Patres in hoc tertio puncto non tenemur, quia satis perspicue declarata est Thomæ incredulitas à Christo Domino, Thomæ dicenti, *noli esse incredulus, sed fidelis.* vt bene conuincit *P. Ribadeneira* supra.

Ad illud, quod adducitur ex S. *Gregorio* Respondi Sectione præcedenti §. *quapropter*, & hic superaddo, ideo dictū à S. Doctore ea, quæ apparent, nō habere fidem, sed agnitionem: quia plerumque omittimus fidem de aliquibus, quæ credebamus ob testimoniū alterius, quando ea scimus, vel videmus. Vt cernere est in *Samaritanis* apud Ioan. c. 4. qui *dicebant* Samaritanæ, *quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est Saluator mundi*. non quia fuerit impossibile simul esse fidem, & sciētiam, præsertim si fides sit diuina, quę perficit intellectum, & cōfirmat magis, supra
S. August. scientiam, vt bene docuit *S. Tho.* 2. 2. q. 4.
S. Thomas. ar. 8. ad 3. licet ibidem dicat S. *Augustinus* à scientia roborari fidem.

Aristotel. Secundo opponunt *Aristot.* dicentem hic in 1. Poster. c. 24. *manifestū autē est ex*
S. Thomas. *his, quod neq; opinari simul idem, & scire contingit.* & S. *Thomam* 1. 2. q. 67. art. 3. & 22. q. 1. a. 4. & 5. & q. 14. de Veritate ar. 9. asserentem conceptis his verbis, quod *non est possibile, quod idem ab eodem sit visum, & creditum*. imo vero S. Doctor cū tanto rigore loquitur in ista materia, vt videatur docuisse absolute, non posse credi articulos, qui aliunde fuerūt sciti, nec simul, nec successiue; vnde dicit super illud Apostoli accedentem ad Deum oportet credere, quia est, *vnitatem Dei, quia nota est Philosophis, non cadere sub fide*, idest, credi ab illis nunquā potuisse, nec posse, etiā in absentia scientiæ circa eā vnitatē, & eius memorię; & de opinione idē dicit, quod *Arist.*

1242 Respondetur Philosophum & *Thomam*
Aristotel. loqui de opinione formaliter formidolo-
S. Thomas sa, quę cognoscendo obiectum suum dicit ipsum posse aliter se habere; cuius cōtradictorium dicit Scientia; & ideo secū omnino pugnare, & non posse commorari simul, quemadmodum contradictoria non possunt esse simul. colligo hanc esse mentē *Aristotel.* tum ex verbis immediatis illis. *simul enim habere posset suspicionē, quod aliter se habere, & non aliter idem esset, quod non contingit neq; est possibile in eadem*, quæ repetit *S. Tho.* q. illa 1. ar. 5. ad 4. tū etiam quia idē Philosophus in 1. Topic. c. 2. tenet quod opinio, nimirū virtualiter tantum formidolosa, est inchoata scientia, siue dispositio ad ipsam; dispositio autem solet bene cohærere cum eo, cuius est dispositio; & propter hoc ipsum *S. Thom.* qui alias negauit coexistentiam fidei diuinæ cum scientia, cōcessit compatibilitatē opinionis cū ipsa scientia, vt legis sup. n. 1735

Ad *S. Thomā*, qui ita opinatus est circa cohærentiam fidei cū scientia non habeo, quid dicā aliud, nisi quod *P. Granado* in sua sect. 2. vbi explicat eius mentē, quòd expresse dixerit Apostolus, *fide credi Deum esse authorē sæculorum.* & creatorē cęli, & terrę, & posse implere promissa, quorū primū euidēter scitū à multis, secundū ab Abrahamo manifestē scitū erat. Vnde si in hoc recedā à meo Præceptore, non ero culpandus; tū quia habeo vrgētes rationes, quibus ego nō scio satisfacere, tū quia vt ipse S. Doctor dixit 2. 2. q. 29. a. 3. ad 2. *dissētire in aliquibus paruis quasi nō videtur esse dissēsus*.

SECTIO V.

Soluit rationes, quæ probare intendunt scientiam, fidem, & opinionem de eodem obiecto, non posse cōuenire simul in eodē intellectu.

Tertio oppones. si scientia, & opinio, & fides de eodē obiecto possent esse simul in eodem intellectu, idē intellectus clarus esset, & obscurus, firmus circa aliquā veritatem, & infirmus; id autem videtur impossibile; sicut impossibile est eundem aerem esse simul clarum & obscurum, & eandem columnam firmiter, & infirmiter ligatam fune; ergo non possunt esse simul scientia, fides, & opinio. Respondeo cōcessa maiori, negando minorem; nulla enim est repugnantia in eo, quod idem intellectus sit, & dicatur clarus per vnā formam, siue per vnum actum, & obscurus per aliū ad illud de aere claro, & obscuro, Respondeo ita esse, quia tenebræ, per quas redditur obscurus aer, sunt priuatio, & absentia, lucis; non ita est priuatio scientiæ fides, vel opinio; sed se habent sicut duo funes, qui tenerent ligatam columnam; quorum alter strictissime ligaret, alter vero laxe: vel tanquam duo lumina alterum fulgen-

tissimum alterum subobscurum.

1243 Vrges primo. fides obscura affert negationem euidētiæ, sed negatio & forma negata nequeunt esse simul; ergo neq; fides & scientia euidens. distinguo maiorē, fides affert negationem euidentiæ in se ipsa, & illam à se ipsa excludit, concedo maiorē, affert negationem euidētiæ in intellectu; & sic nego maiorē. ab omnibus hoc argumentum soluitur, quando illis objicis. actus, quo cognoscis albedinem, affert negationem alterius actus, quo cognoscis lapidē, aut nigredinem; nam per talem negationem ille actus prior ab alio, & reliquis distinguitur. rursus anima, quæ subtrectatur in materia prima, habet negationē corporis, & vbi corporeum, quod est in ipsa materia, habet negationē spiritus; ergo non possunt esse simul in eadem materia.

Quare nihil infertur contra nos, sicut enim anima nostra affert negationē corporis in se, non tamen illud excludit à subiecto; sed bene cum illo, in eodē subiecto est; Ita res se habet in proposito, actus fidei est obscurus, & consequenter non est euidens, idest, habet negationem euidentiæ in se ipso; sed propterea non excludit actū euidentem ab intellectu; sed bene simul cum illo moratur; quia in eodem intellectu locus est vtrique.

Vrges secundo. intellectus est vnicū subiectū; ergo nequit retinere simul formā claram, & obscurā, siue actū euidentē scientiæ, & actus opinionis, & fidei. cōcedo antecedens, & nego consequentiā, quia tales formę, & actus nō se expellunt inuicē, nec destruunt; quia sunt duæ formæ positiuæ nullo modo inter se repugnantes, quarum altera firmiter adhæret obiecto, altera debiliter, vel si firmiter, obscure tamen; quinimo prædictæ formæ, & actus se adiuuāt quodammodo, & multis modis, atque diuersis intellectum nostrum perficiūt, & illuminant; nā licet opinio, & fides sint obscuræ. obscuritate sua positiua, lumina suo modo sunt, idest cognitiones sua obiecta cognoscentes, & de eorū veritate nos notificantes, & scientiam quidem cōfirmari, & roborari à fide dixerūt sup. *Aug. & Tho.* S. August. S. Thomas.

1244 Quare non concipiatis illas quasi tenebras corā scientia; sed quasi exiguas cādelas coram fulgentissimo Sole, qui licet coram eo parum illuminent, attamen aliquo modo collucent. ita fides humana, & opinio lucent aliqualiter in presentia sciētię, quatenus aliquam notitiam, & lucē præbēt intellectui, licet de eodē obiecto; atq; de diuina fide loqutus S. *Tho.* 22. q. 1. a. 4. ad 3. dixit *lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur.* sed & Apostol. 1. Timoth. 6. n. 3. vocat fidem scientiam ibi, *si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundū pietatē est doctrinæ, superbus est nihil sciēs;* S. Thomas. scire ergo putat Paulus eū, qui credit doctrinæ Iesu Christi Domini nostri. præterea fides est illa lux, quæ formaliter, vt dicitur Ioan. 1. & Isaiæ 9. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū, quæ habitantibus in regione vmbræ mortis orta est,* per quam elucescit Deus in cordibus nostris, & per quam scientia Philosophorū lucem maximam accepit, quatenus ea nos edocuit multas veritates, vt bene prosequitur P. *Conine.* de Fide disput. 13. dub. 2. n. 14. pag. mihi 187. & alibi.

Dixi tales actus scientiæ fidei, & opinionis nō se destruere neque inter se pugnare. nam in primis neque contradictorie, neque priuatiue opponuntur, vt patet, cū alter eorum priuatio, vel negatio alterius non sit. Deinde nō sunt contrarij, quia quilibet est assensus affirmatiuus, cōtrarij vero, vnus actus debet esse affirmatiuus, alter negatiuus, iuxta dicta in Sūmulis. quod autē actus scientiæ dicat expresse, vel virtualiter res aliter non posse se habere: & actus opinionis virtualiter dicat oppositū, siue virtualiter neget id, quod actus scientiæ affirmat; non facit eos esse incompatibiles, neque contrarios se mutuo expellentes; quia contrarietas debet esse expressa, & formalis: defectu cuius formalis conditionis non se expellerent ad inuicem substantia vini, & substantia lactucæ; neque substantia ignis, & aquæ, quantūuis sint virtualiter opposite, idest radices caloris, & frigoris.

Tertio demum licet prædicti actus relatiue opponātur, ea oppositio. vt est euidens, non reddet illos incompossibiles: 1245 quapropter sicut in eadem voluntate dari potest amor efficax Dei super omnia, & amor simplicis complacentiæ inefficax circa ipsum Deum; ita in intellectu possūt dari scientia, quæ est quasi efficax actus, & opinio, & fides saltem humana, quæ sunt quasi inefficaces.

Oppo-

Oppones quarto. obiectum fidei debet esse absens dicente *Augustino* epist. 112. c. 2. *praesentia videntur, creduntur absentia*, ergo non potest sciri. quia quod scitur praesens fit quodammodo à scientia. distinguo antecedens. obiectum fidei debet esse absens attento eo, quod petit fides, omitto antecedens; idest, ex meritis fidei; aliunde nego. praeterquamquod hoc argumentum finit posse esse fidem simul cum scientia abstractiua, quae contenta est obiecto absenti, id quod videtur sensisse P. *Vasquez* 1. p. disp. 4. cap. 2. num. 3. & quis neget Astrologiae Alumnum, qui praesentit euidenter futuram tali hora eclipsim solis, posse credere futuram eandem eadem hora, quia Magister dixerit: dato, quod otiosum esset eandē credere iam esse, quando eam videt praesentem. S. August.

Opponis quinto. fides de Deo non potest esse cum visione clara Dei in Patria; ergo nequit esse in via cum scientia clara de eodem obiecto. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio autem, ob quam non potest esse fides cum visione Dei est, quia imperfecta cognitio est, & in caelo omne imperfectum euacuatur, & non est. non quia sit aliqua alia repugnātia inter fidem, & scientiam; & propter eandem imperfectionem spes, quae est virtus existens in voluntate, qua speramus in hac vita bonum absens, nempe, videre Deum, non coexistit cum visione Dei, siue cum boni illius praesenti possessione; quia, scilicet, videtur superfluus, & otiosus ille actus, quo speramus possidere Deum, quem omni securitate possidemus & scimus in aeternum possessuros: quamuis non desunt, qui dicant actum spei, & visionem sine possessionē eiusdē obiecti, & boni, nō repugnare esse simul ex natura sua, sicuti non repugnāt sciētia, & fides.

1246 Bene vident Aduersarij haec sua argumēta parum vrgere nos: & propterea doctiores docent, & statuunt tanquam principiū probabile opinionis suae hoc, *fides, quia obscura est, talis natura est, vt necessarie connotet in intellectu absentiam scientiae.* quod colligi sufficienter putant ex *Scriptura*, & *Patribus*, sed ego infero, ergo opinio, & scientia poterūt esse simul, & fides humana; multi concedunt consequentiam, saltem de coexistentia fidei cum scientia. Modo respondeo ad id principium. non mihi videtur repugnare quod Deus infundat fidem eius naturae, vel quod eam infundat cum tali conditione, vt actus fidei non eliciatur nisi in absentia scientiae circa idem obiectum; sed tamen ita factum esse à Deo, non conuincitur, imò fidem diuinam, & scientiam de facto reperiri simul posse circa obiectum idem, ait P. *Valentia* citatus, esse magis conforme sacrae Scripturae, sanctis Patribus & rationi vt vos ex dictis collegeritis.

QVAESTIO VLTIMA.

Remissiua de Syllogismo, atque Discursu Sophistico, & apparenti, in Libros Elenchorum Aristotelis; ac Regulis logicalibus quibus dirigitur noster discursus.

Quae hic desiderare quis posset pro Commentario Elenchorum, petenda sunt ex dictis supra num. 478. & Doctoribus ibidem allegatis, solum ego aduerto quod regulae, quibus dirigitur noster discursus, non sint istae, quibus Sophistae docent componere fallaces suos, et apparentes Syllogismos; licet eae ad Logicam à SS. Patribus speciatim *Hieronymo* supra, *August.* t. 3. l. 2. de Doct. Christ. c. 31. adducente illud Ecclesiast. 36. *qui Sophistice loquitur odibilis est.* & à *Gregor. Nazianzeno* num. 1225. reprehensam. spectent: sed regulae illae perfectiores positae, & expositae à n. 220. & 1054. nempe quae docēt efficere perfectos syllogismos alicuius figurae, qui in nobis generant rerum scientiam; & has oportet in promptu semper habere, vt bene arguatis; & illas non omittere, vt facile Sophistarum vitiosas argutias deprehendatis, & tricas nugatorias dissoluatis. S. August.

Ad finem volui his quatuor logicis tractationibus, siue libellis attexere coronidē quam apposuit suis Libris de Doctrina Christiana sanctus Praeceptor noster *Augu*st. in t. 3. c. 3. lib. 4. dicens quasi in hunc modum. *Longius euasit opus hoc, quā volebam, quamque putaueram. Sed legenti cui gratum est, longum non est:* cui autē *longū est, per partes id legat, qui habere vult cognitionem.* quem vero eius *cognitionis piget, de longitudine nō quaratur. ego tamē Deo nostro gratias ago quod, in ijs quatuor libris non qualis ego essem, cui multa desunt, sed* S. August.

qualis eſſe debeat, qui in doctrina ſana, nõ ſolum ſibi, ſed alijs etiam laborare ſtudet, quantulacumq; facultate diſſerui. dixi iã, *& de proſpero exitu dictionis eidẽ* largitori bonorum omnium Deo *gratias ego,* à quo dicta hæc, & ſcripta me accepiſſe non dubito, *vt qui gloriatur in illo glorietur, in cuius manu ſunt nos & ſermones noſtri. Reliquum erit,* vti ait quoque Philoſophus in ſuæ Logicæ fine, *omnium veſtrum, vel eorum, qui audierint,* aut videant, *hoc opus, omiſſa quidem artis venia dignari, inuenta autem,* ſi quæ ſint, *multa proſequi gratia.* *Ariſtotel.*

FINIS LOGICAE TRIPARTITAE.



Compendium Doctrinæ Logicæ ſunto Concluſiones generales, quas olim Anno 1623. Aſſigi feliciter defendit Diſcipulus Propugnator in publicis diſputationibus, & Doctiſsimorum hominum in frequentiſsimo theatro, præfixo quoque titulo Dedicationis, ad tanti benefactoris erga Societatem IESV, & nos, memoriam ſempiternam.

NOBI-

NOBILISSIMO, ORNATISSIMOQ.

VIRO DOMINO
D. PETRO DE HERRERA
REGIO AVDITORI

Quondam Hiſpalenſi, & Aſtigitanæ vrbis Prætori,

Nunc vero Matriti Catholicæ Maieſtatis Conſilio in Conſilio de Hazienda, Iuris, & æquarum Legum cultori ſeruantiſsimo,
Ex eius clientela.

CHRISTOPHORVS DE AGVILAR
has ex Dialectica Propoſitiones Dedicat, Conſecratque.

EX LOGICAE totius Præfatione.

1 LOGICAM exiſtere certum videtur, ea vero eſt ſcientia & ars, quæ docet efficere modos ſciendi, & alia quæ ad eos pertinent, & quæ ea omnia artefacta contemplatur, id eſt, Logica ſunt quædam regulæ generales practicæ in mente reſidentes, dictantes quo modo fiant definitio, diuiſio & argumentatio, & ea, quibus modi ſciendi conſtant: & actus Logicæ ſpeculantes & examinantes an prædicti modi euaſerint regulis conformes, & alias eorum proprietates.

2 Logica ſic definita, quæ nec ſecundum habitum, nec ſecundum actum eſt vna ſimplex qualitas, neque vna ſola regula, aut ſpeculatio, diuiditur primo in Logicam de vocibus agentem, ſiue Vocalem; in Logicam de rebus agentem, ſiue Realem, in Logicam de actibus mentis agentem, ſiue Mentalem aut Rationalem, prima ordinat voces, ſecunda diſponit res, tertia dirigit conceptus, vnaquæque proprijs regulis, & proprijs ſpeculationibus.

3 Eſt autem Logica vocalis collectio quędam generalium regularum mentis docentium ordinare voces ſignificatiuas præſertim vniuocas in ſtructurum modorum ſciendi vocaliſ, quarum è numero illæ ſunt. *Omnis ſyllogiſmus in Darij conſtare debet tribus propoſitionibus vocalibus, quarum prima ſit vniuerſales affirmatiua*, &c. vnde valde differt à Grammatica, quæ non curat de modi ſciendi ſtructura.

4 Logica realis, item eſt congeries regularum intellectualium, quæ docent nos è quacumq; materia fabricari prædicabilia, ac de ſuis inferioribus prædicare, & quæ docent facere modos ſciendi reales, & obiectiuos mediantibus actibus mentis, vt inſtrumentis. Regulæ aliquot ſunt hæ. *Omne genus abſtrahendum eſt à pluribus diſtinctis in ſpecie; quorum ſit pars eſſentiæ in eo, quod quid, ac de illis prædicandum. Quidquid eſſentialiter prædecatur de ſuperiori, prædicatur de inferiori* & alia plura Logicæ prouerbia, circa rerum vſum, qui Loci Dialectici dicuntur.

5 Logica demum mentalis eſt collectio regularum docentium formare directe apprehenſiones, iudicia, atque diſcurſus, definitiones, diuiſiones, & argumentationes formales, ſiue mentales; quo modo ſunt hæ regulæ. *Omnis definitio mentalis debet repræſentare genus & differentiam. Omnis actus, qui facturus eſt genus, debet repræſentare rem prædicabilem de pluribus diſtinctis in ſpecie vt partem eorum eſſentiæ in eo quod quid*, &c. Hæc pars

Logicæ dicitur reflexiua, quia versatur circa alios actus mentis, cuius & ipsa actus est.

6 Sunt ergo Logicæ vniuersæ secundum varias eius partes & regulas acceptæ obiectum voces, res, & mentis conceptiones, & earum passiuæ directiones. Ita tamen vt Logicæ vocalis materiale obiectum per se sint omnes voces, quotquot aptæ sunt componendis modis sciendi vocalibus, formale autem earum vocum significatio disposita secundũ regulas. Logicæ vero realis materiale obiectum sint res omnes, ex quibus fieri possunt prædicabilia, prædicata, & subiecta, & assumi, vt principia, & media ad propositiones & modos sciẽdi reales; formale, earum rerum prædicabilitates, subijcibilitates & aptitudines, quæ dici possunt directiones, seu rerum adaptiones secundum regulas, vel passiuæ Logicæ considerationes. Ac demum Logicæ rationalis obiectũ materiale sunt actus intellectus; formale, actuũ directio, vel repræsentatio conformiter ad regulas. Prædicta directo vocum vocibus est quasi intrinseca; rebus autem, & actibus intellectus sunt omnino intrinsecæ directiones suæ, imò & eorum ipsæ essentiæ.

7 Diuiditur secundo Logica sumpta magis in communi in naturalem & artificialem, naturalis est tum quasi practicum iudicium, quo iudicat innata vi intellectus possibilem esse talem modum rei sciendæ, tum potissimum speculatio, qua euidenter nouit in Syllogismo facto facili, bonam ac ratam esse illationem. Logica autem artificialis sunt repetitæ toties regulæ generales, quæ omnes inuentæ sunt iuuante sola Logica naturali, quæ obseruauit modos sciendi, & Syllogismos variæ figuræ factos lumine naturali, vel casu, vel & ex speciali Dei prouidentia. Quare sola Logica naturalis sufficit ad Logicam artificialem, & potiori iure sufficit ad acquirendas perfecte alias scientias, ad quarum acquisitionem Logica artificialis non necessario simpliciter, sed valde vtiliter concurrit in genere causæ solum dirigentis. nec dici debuit partem vnam Logicæ faciliorem iuuare potuisse ad aliam partem difficiliorem, sed ingenue fatendum ad Logicæ artificialis acquisitionem, siue inuentionem necessario scientias alias, vel aliquam sciẽtiam saltem, præscitam præcesisse. multos actus Logica habet alios practicos, alios speculatiuos; qui quoque practici dicuntur, quãdo sufficiunt ad praxim. praxis vero potest esse actus interior, & scientia practica ad opus, quod fieri nequit ab habente.

EX LOGICA VOCUM *siue Vocali.*

8 QVoniam Logicæ vocalis materia sunt quædam signa specialia, nempe voces, vel termini vocales significantes; supponenda fuerunt signi in communi definitio, diuisio; & vsus. *Signum* ergo *est quidquid potentiæ cognoscitiuæ aliquid aliud à se distinctum repræsentat, ita vt nihil se ipsum omnino indistinctum possit significare.* diuiditur in signũ naturale, & ad placitum; in formale, & instrumentale; in practicum, & speculatiuum: & quidem vsus signorum est valde vtilis ad sciẽdum; signis vero vti solent agentia omnia rationalia, quin etiam Bruta multis signis vtuntur. contingit autem rem eandem significare, seu esse signum multifariam, nimirum, naturaliter, ad placitum, formaliter, & aliter. Sed inter signa, quibus vtuntur homines, & quæ proposito nostro magis congruunt, voces humanæ, seu vocales termini obtinent principatum. Et ideo

9 Quamuis Logica vocalis cum regulis suis & speculationibus non consideret voces seu terminos vocales secundum conditiones essendi, sed solum secundum conditiones significandi intra aliquem modum sciendi, & propositionem vocalem: tamen ex Philosophia certiori accipimus vocem in communi esse sonum ab animali factum ore proprio: & vocem significatiuam ad placitum esse sonum ex agentium rationalium beneplacito aliquid significantem; & similes voces ad placitum & immediate significare determinatas res, & determinatos conceptus: quin imò naturaliter etiam significare res aliquas, atque conceptus vage: easque supponi solere à nobis loco rerum, & item loco conceptuum, intra orationes, & extra.

10 Prædictæ voces termini dicuntur, quia orationes nostras vtrinque terminant, sunt vero termini, quoniam in eas resolui potest propositio tanquam in subiectum & prædicatum: vnde sunt materia propositionibus & modis sciendi componendis: & in eis subiecta, & prædicata dicuntur, non quidem alia ratione, aut titulo, nisi quia ibi stant à nobis substituti pro rebus, quas significant. & quæ vere subiecta, & prædicata sunt, siquidem *quoniam res ad scholas adducere non possumus, vtimur terminis pro rebus.*

11 Termini alij sunt formales. alij materiales & è formalibus alij categorematici, alij syncategorema-

goręmatici,vniuoci,æquiuoci,& aliter multis modis; circa aliquos annotamus pauca. circa syncategorema dicimus separatim etiam significare. Circa Deum, esse vocem partim communem, partim singularem. Circa supra transcendenté,posse infinitari,& retinere sufficiens significatum. Circa nomen,& verbum, ea esse definiéda, veluti Grammatici definiũt. Et verbum de præsenti non raro in vsu ordinario prudentum, æquiualere verbo de futuro.vt appareat illam assertionem S. Thomæ *Antichristus est præsens in æternitate*, esse veram, sicut & illas prolatas hodie summo mane, *hodie sunt*, vel erunt *vespera solemnes. Die Iouis defendentur*, vel defendentur *conclusiones generales*. inter terminorum proprietates est celebris suppositio triplex,formalis, materialis, mista. vnde ea est vsus termini pro suo significato,si vel pro se, aut pro vtroque simul.

12 Oratio necessario constat nomine, & verbo, & ideo distincta semper est à termino quolibet,etiam complexo: alia est imperfecta non enuncians,alia perfecta,& enuncians; & hæc est *propositio*, quæ definitur *oratio enuncians aliquid de aliquo*. eius materia triplex est, alia naturalis,alia contingens.alia remota. illæ propositiones sunt naturales, *animal est homo,rationale*, aut *Petrus*. illa est contingens,*Deus est homo*,illa videtur naturalis,*homo est Deus*,& hæc *Petrus albus est homo*. multiplex est propositio,sed omnibus quadrat præfata definitio.

13 Oppositio est quadruplex nempe Contradictoria, Contraria, subcontraria, & Subalterna. fortasse assignatur aliqua propositio,cui contradictoria non fit,sed compositę ex partibus contradicentibus nempe huic,*Petrus currit,& non currit*, contradici potest dicédo, *nõ Petrus currit,& non currit*.modus sciendi vocalis est triplex,nimirum Definitio;Diuisio;& Argumẽtatio; omnes sunt assertiuæ orationes; & perfectam scientiam indicant; sed diuisio actualis ferme nihil differt à definitione. & argumentatio formalis non debet necessario esse syllogismus, inductionem enim dicit *Aristoteles*,esse argumentationem perfectam.

EX LOGICA RERVM, siue Reali.

14 QVinque prædicabilia, ac decem rerum prædicamenta considerant per se Logicæ regulæ, & speculationes non tam secundum eorum essentias, quam secundum modum subijciendi, & prædicandi; tamen vt generalis notitia rerum omnium discentibus hic traderetur, cum meliori Metaphysica asserimus vniuersale esse duplex,aliud fundamentale, quod per abusum vniuersale dicitur, quia sunt res singulares & materia ad vniuersale formale, *quod est vnum aptum esse in pluribus, ac de illis prædicari*. Et est quædam res,ratio, ac formalitas præcisa à differentijs singularium per actum intellectus possibilis, & ab illis sola ratione distincta.

15 Vnum fit vniuersale quasi efficienter ab vnitate præcisionis, qui est actus positiuus illud remouens à multiplicitate singularium; formaliter vero sufficienter est vnum non vnitate numerali,sed formali positiue sumpta, sed abstracta ab intellectu, licet communiter dicantur hæ duæ vnitates in re identificari, & per negationes compleri. & ideo vniuersale est vna sola formalitas & ratio intrinsece vna,non singularium congeries, dicta vna per nomen extrinsecum deriuatum à confusa cognitione vna.

16 Aptum est vniuersale formale inesse pluribus non per aliquem modum positiuum verum,aut fictum superadditum, neque per solam non repugnantiam logicam, sed per aptitudinem proximam positiuam, innatum appetitum,propensioné,& relationem veram quasi realem transcendentalem, quæ aptitudo nihil aliud est quam essentia ipsa naturæ vniuersalis formalis quasi petens, & appetens singularium differentias,vt cum eis composita Metaphysica componat,cum eis identificetur, vel multiplicetur à parte rei; ad eum modũ,quo materia prima quasi petit, & appetit formas, vt cum eis composita varia Physica componat;habet præterea vniuersale prædicabilitatem, quam item opinor esse de linea suæ essentiæ,non passionem meram.

17 Vniuersali vero fundamentali, siue rebus existentibus à parte rei,nullo modo competũt prædictæ vnitas præcisionis, aptitudo, aut prædicabilitas,neq;remotæ,nec enim nos ponimus in re distinctioné aliquã inter naturã,& singularitatem; vnde defendimus naturã *specificatiue* sumptam, vt docti Scoturientes vocant;& *naturam secundum se* non dari à parte rei.sed vtramque esse vniuersale formale, atque perfectum. Inest tamen sæpius singularibus proxima potentia vt ab eis vniuersale abstrahatur, ea est physicæ, ac similes operationes,vel sensibus peruiæ.

18 Fit

18 Fit autem vniuersale non solum per abstractiuas, vel comparatiuas apprehensiones, sed per quemuis actum illud distinguentem, vel deputantem à differentijs, etiam si ille sit iudicium, vel discursus. *Vniuersale Logicum* dicitur consideratum secundum conditiones prædicandi, idest, vt est obiectum per se regularum, quæ illud docent facere, ac prædicare. *Metaphysicum* vero, consideratum secundum conditiones essendi; modo factum sit per abstractionem, modo per comparationem; neque enim necessario cogimur vniuersale *Metaphysicum* nominare titulo abstractionis, neque *Logicum* titulo comparationis: suppetunt in Logica regulæ, quæ varijs ijs actibus docent vniuersalia fabricari.

19 Vniuersale formale quodvis; ex his potissimum quæ sola ratione differunt à suis singularibus, est totum potentiale respectu suorũ, & eorum pars. abstrahitur sæpius à totis compositis Physicis, aliquando ratione omnium eorum partium, aliquando ratione aliquarum tantum. Animal, verbi gratia, desumptum est à toto Petro ratione principij Physici sentiendi, quod in Petro videtur esse anima, & vnio subsistentes. Rationale item à toto Petro ratione eius principij Physici ratiocinandi abstractum dicitur. Dici solet vniuersale esse semper, & vbique; quia vbique & semper abstrahi potest, & quia fundamentaliter est in omni loco; atque in sua abstractissima ratione, non videtur esse substantia, neque accidẽs, corpus, neque spiritus, sed nec fortasse ens, aut non ens; sed tantum vnum aptum esse in multis. Particulare eius cor relatum, est quod ei subijcitur; aliud est metaphysicum, vt homo animali subiectum, vel vt Petrus compositus animali, rationali, & petreitate, aliud est physicum, quod dici solet singulare, & indiuiduum, vt Petrus compositus corpore, & anima physicis compartibus. Indiuiduum autem est id cuius collectio proprietatum nunquam eadem nec in numero, neque in specie solet esse alijs communis, nisi raro, atque ipsum est speciei correlatiuum principaliter.

20 Genus *est vniuersale, siue vnum aptum esse in pluribus distinctis in specie, ac prædicari de illis vt pars essentiæ in eo quidquid*. Eius inferiora sunt tum species, tum indiuidua specierum. Species est *quidquid prædicatur de pluribus vt tota eorum essentia in eo quod quid*. alia est prædicabilis, quæ iam definita est; alia subijcibilis, quæ sub declarato genere ponitur, à quo vt subijcibilis recipitur. Species prædicabilis, ac subijcibilis in logica consideratione essentialiter distinguuntur. prædicabilis sola constituit secundum vniuersale.

21 Differentia *est quidquid prædicabile est de pluribus, quorum sit pars essentiæ in quale quid*. alia est infima, alia subalterna. illa conuenit pluribus solo numero distinctis: hæc pluribus etiam distinctis in specie: illa non constituitur vniuersale in ordine ad speciem, quam constituit, neque hæc in ordine ad suũ genus. Omnis differentia extrahit genus suũ. Proprium *est quidquid aptum est prædicari de pluribus in quale, ab eorum essentia dimanans*; Accidens *similiter est, sed ab inferiorum essentia non dimanat*. Hoc vtrumque prædicabile est extra essentiam suorum singularium, ac de illis prædicandum in concreto, sic. Petrus est intellectualis, vel habet intellectum. Socrates est albus, vel habet albedinem.

22 Circa quinque prædicabilia multiplex est Logicæ Realis cõsideratio, & secundum aliam sunt species infimæ, & secundum aliã pleraque sunt species subalternæ. Vnde vniuersale in communi genus infimum & subalternum est. Exemplo esto logica consideratio circa differentiam. Consideratio prima circa differentiam est, tum regula generalis ita docens abstrahere ab omni materia determinata. *Visa prius rerum similitudine ac dissimilitudine, omnis differentia abstrahenda est à pluribus, quorum sit pars essentiæ in quale quid, ac de illis ita prædicanda*. Tum etiam actus Logicæ speculatiuæ iudicans differentiam factam esse iuxta regulam, &c. Et propter vniformem modum Logicæ huius Considerationis omnes differentiæ factæ ex regulæ directione eiusdem speciei esse censentur.

23 Sunt & aliæ magis speciales Considerationes, & regulæ distinctæ inter se specie; quarum vna signanter docet facere differentias infimas dicens, *Omnis differentia infima abstrahatur à pluribus numero solum distinctis in quale quid*, &c. Cuius abstractioni succedit logica speculatio. Altera similiter signate docet facere differentias subalternas, succedente logica speculatione iudicante differentiam factam, conformiter esse ad regulam; & secundum has Logicæ cõsiderationes actiuas, sunt prædictæ duæ differentiæ specie logica passiue differentes, & similiter de alijs prædicabilibus dicendum, à quinque; ergo prædicabilibus, licet inter ipsa contingat esse multa

multa negationes, priuationes, & entia rationis, abstrahi potest prædicabile, siue vniuersale in communi, quod vere ijs omnibus conueniat, ac de ipsis tanquam suum genus subalternum prædicetur.

24 Prædicamenta decem numerantur. nempe *substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, quando, vbi, situs, habitus*. & quidem relatio prædicamentalis est consortiū duorum, vel plurium absolutorum, quorum vtrumque sæpe affert in recto, quandoque alterum in recto, alterum in obliquo, & ideo communiter describitur *relatio habitudo subiecti ad terminum per ipsum completa: à quo tamen subiectum ex meritis eius habitudinis nullo modo pendet*, siue *extremorum absolutorum erga se aliquo modo se habentium complexum*, neque petit termini existentiam. tria posuit Atistoteles genera relationum, quæ vocant alij rationes fundandi, nimirum *vnitatē*, & *numerum* pro prædicamentalibus; *actionem*, & *passionem*; *mensuram*, & *mensurabile*, pro transcendentalibus relationibus, quarum subiecta pendent à terminis, & in eo potissimum à prædicamentalibus discernuntur.

25 Ratio entis, quæ completa vulgo existimatur, quamuis proprie completam esse non facile probetur, communis est decem prædicamentis, atque est vna formalitas vere ab eis abstracta, & ratione ratiocinata distincta, vniuoca propterea est, sed non genus, quia cum suis differentijs, siue modis non componit, sed eos transcendit. Ens completum dicitur, quod ita in se integrum est, vt alterius complementum non spectet, quare licet complura entia physica completa sint; pauca, aut nulla entia metaphysica, (si de rationibus communibus loquamur) proprie completa reperientur. & ideo decem etiā suprema genera rerum ex solo modo concipiendi nostro, & ea significandi completa esse censemus, quia ea erga modos suos, quibus cum quodammodo complentur, quasi inclinare videmus.

26 Quatuor sunt Oppositorum genera, & totidem Causarum realium. nam opposita sunt, quæ sibi repugnant, & mutuo se, ac determinate excludunt. ita sunt Relatiua, Contraria, Priuatiua, Contradictoria, vt patet considеranti. *Contradictoriorum* oppositio dicitur à *S Thom.* maior, subsequitur *priuatiua*, & post *relatiua*, ac demum *contraria*. *non est*, inquit *Aristoteles, de priuatione regressus ad habitū*, idest, ad formam exclusam, siue priuatam. Causæ vero sunt *efficiens, materialis, formalis*, & *finalis*, à quibus effectus fiunt, nimirum ab vnaquaque in genere suo.

27 Loci Dialectici sunt argumentorum nostrorum, & scientiarum sedes; & formaliter loquendo sunt Maximæ, aut regulæ generales certæ & infallibiles ab *Aristotele*, & alijs Philosophis longa obseruatione inuentæ, docentes nos vti prædicabilibus, causis, effectibus, oppositis, definitione, & alijs medijs, tanquam principijs, & antecedentibus ad quoduis Thema, de quo dubium occurrit, & quæstio, sciendum. & hi Loci sunt potissima Logica *Aristotelis* contenta libris 8. *Topicorū* & omnes versantur directe circa prædicatas res, vt admiranda omnino sit inconsiderantia quorundam Doctissimorum, qui de rebus curare nihil, Logicæ documenta existimarunt.

28 Ens rationis est cuius esse solum est obiectiue in intellectu, idest, est entitas ficta, imaginata, apparens, & metaphorica producta ab intellectu; inest enim virtus intellectui ad fabricandas denuo nouas chimæras, & huiusmodi entitates *similes veris formis, similes qualitatibus, similes motibus corporum, neque tamen materia corporali, quæ sunt veluti corpora, sine corpore*, vt loquitur *Augustinus*. & ideo rite dicuntur entia similitudinaria, & metaphorica. Vnde ad similitudinem decem prędicamentorum realium possunt effingi alia decē chimærica; neque enim omne ens rationis debuit coerceri intra classem prædicamenti solius relationis.

29 Triplex circumfertur ens rationis, nempe *priuatio, relatio*, & *negatio*, quibus nominibus significantur. varia figmenta iuxta beneplacitum commune. possunt vero entia rationis efficere, videlicet, in genere quasi efficientis causæ, homines viatores intellectu, & imaginatiua: & item Beati homines, & Angeli, vel etiā media visione Beata: nec opinor cum magnis viris, dedecere Deum efficere entia rationis, non solum medijs creatis cogitationibus, quas effecit, & quasi iniecit Prophetis; quando peregrinas, & imaginarias, seu extraordinarias visiones videbant, verum etiam mediante scientia sua diuina, quam necesse est nosse omne scibile, quantumuis malum, & vanum sit, præsertim si inuoluat aliquid diuinum, vel si sciēdum sit per dissensum quasi dicendo sic, *Ego non sum chimæra, quam Arius effingebat. Variæ sunt, aut erunt opiniones circa ens rationis. ego quidem non sum entitas metaphorica, sed sum qui sum*, & huiusmodi aliter.

EX LOGICA MENTALI, siue Rationali.

30 Melior Philosophia ponit tres mẽtis operationes, nempe simplicem apprehensionem, iudicium, & discursum; & apprehensionem, quæ est cognitio obiecti sine enunciatione, diuidit in incomplexam, & cõplexam, & hanc ait præcedere ad iudicium; ergo apprehensio, quia est simplex cognitio obiecti sui, quod est omne cognoscibile, nullam videtur habere qualitatem proprie loquendo, siquidem nec affirmat, nec negat, nec est vera, aut falsa, licet dicatur communiter vera imago sui obiecti. dici etiam potest esse radicaliter vera, falsa, affirmatiua, & negatiua, quatenus ad eiusmodi iudicia determinat.

31 In apprehensione non sunt vlli termini, quoniam ij solum reperiũtur in actibus enunciantibus, vbi sunt cognitiones subiecti, & prædicati, quæ termini mentales dicuntur. Sunt vero multæ orationes tam imperfectæ, quam perfectæ, nempe quotquot enũciatiuæ non sunt, etiam imperium, quando nil affirmat aut negat, quis enim prohibeat te dicere interius, quod explicas exterius dum imperando dicis *fac hoc, & illud. vade*, aut *veni?*

32 Iudicium vero est mentalis propositio aliquid formaliter enuncians de alio, negatiuum *diuisio* dicitur, affirmatiuũ autẽ *compositio*. Iudicij veritas, & falsitas sunt quasi duæ relationes prædicamentales; & ideo ex parte illi intrinsecæ, & ex parte extrinsecæ. Veritas enim v.g. est actus intrinseca repræsentatio, & obiectum existens, vti repræsentatur, & esse dicitur ab actu, qui non potest transire in falsum obiecto variato. & similiter suo modo est falsitas. sunt autem vera, & falsa non tantum iudicia necessaria, & impossibilia, verum etiam contingentia, tum absoluta, tum conditionata, etiam illa, quæ dissoluta, siue disparata dicuntur.

33 Atque iudicium (& idem dico de discursu) non est congeries apprehensionum simpliciũ, sed alia qualitas specie ab illis distincta, quæ disponit proxime, ac determinat ad discursũ, quemadmodum ad illud prædictæ apprehensiones. Et in eo vere sunt termini, qui sunt quasi particellæ iudicij ipsius, repræsentantes res, quæ sunt propositionis obiectiuæ subiectum, & prædicatum. ibidem item, sicut in prima, & tertia operatione intellectus, reperiuntur nomen, & verbum, & notitiæ complures, quarum sunt vicariæ sensibiles voces vniuocæ, categorematicæ & reliquæ significatiuæ: quinimo, & cognitiones indiuidui vagi, atque disiuncti.

34 Iudicium præterea est multis modis, nimirum erroneum, ignorans, temerarium, obstinatum, proternum siue obduratum; aliud intellectus nuncupatum, Paradoxum, singulare, commune, nouum, antiquum, nouantiquum, antiquatum, censurans, quod cum prudentia, & charitate coniungendum fuerit; certum, probabile, quod dici solet opinio, de qua infra, & quã potest facere probabilẽ solus vnus vir doctus in quacunque materia. Dicitur etiam iudicium prædicatio, quæ diuiditur in identicam (ad quam reducitur fortasse prædicatio definitionis à definito, & contra) & formalem; indirectam, & indirectam, & in alias; ad quarum omnium veritatem, & falsitatem capiendam, proderit meminisse sensus, quos vocant formales, reales, vel identicos, præsertim quando prædicentur abstracta de abstractis, vel concretis, & è contra.

35 Tertia intellectus operatio est *discursus*, & is *cognitio vnius veritatis per aliam, & post aliam veritatem cognitam habita.* idest, conclusio syllogismi, elicita ab intellectu moto, ac determinato à præmissis obiectiuis cognitis per cognitiones, *præmissas formales*, nominatas. Vnde discursus causa efficiens est solus intellectus cum habitu, vel sine illo: illius autem causa formalis extrinseca motiua, sunt obiectiuæ præmissæ, seu obiecta præmissarũ formalium, hæ vero sunt illorum causationes, & viæ, & motiones, per quas nimirum obiecta deriuant ad intellectum motionem, ac determinationem suam ad concludendum. & ideo præmissas formales vocamus conditiones, & applicationes motiui principalis, non rationes formales vt *quod*, sed vt *quo*, cõclusionis, siue discursus; quemadmodum dicebamus olim esse cognitionem finis, mediante qua finis bonitas, allectat, & sollicitat, & quasi rapit voluntatem ad sui amorem; atque quod sentimus, de præmissis obiectiuis, & formalibus, dicendum putamus de bonitate illationis, quæ est virtus inferendi in præmissis, ac de cognitione ipsius, sine qua nequit fieri discursus.

36 *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, & ideo antecedens, siue præmissæ formales semper sunt magis firmæ, quàm conclusio, vel discursus elicitus per ipsas præmissas: quarum obiecta iste non attingit, neque cognoscit; quia vulgo dicitur medium non intrare conclusionem, nimirum de necessitate,

te, quis enim prohibeat, si tu velis, ita inutiliter ratiocinari, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, quia est homo.* sunt ergo obiecta præmissarum extremitates & medium; conclusionis vero solæ extremitates ambæ, per se loquendo. an vero vnicus actus possit esse syllogismus integer, quæstionem habet, & ego affirmo, quia nulla apparet repugnantia; & opinor etiam propter prædictum axioma iudicium perfectius esse discursu.

37 Intellectus necessitatur quoad speciē actus positis præmissis probabilibus, & euidenti cognitione illationis; sed quoad exercitium nunquam necessitatur nisi stante omni euidentia, nempe positis præmissis euidentibus & euidenti cognitione illationis, etiam renuēte voluntate. quæ tamen poterit indirecte solum impedire intellectum, ipsum ad alia diuertendo, ne eliciat conclusionem, quam videt euidenter inferri. Præterea intellectus ipse sine præmissis, vel antecedenti non potest facere actum, qui conclusio sit, vel sine illorum memoria, quantumuis habitum intensum habeat concludendi; quemadmodum iudicare nequit, quin prius apprehenderit; siquidem in conclusione non casu, aut temere, sed ex certa motione, determinatione, ac scientia, debet componere, vel diuidere, quæ prius per notitias antecedentes diuisa à medio, vel cum eo composita præuiderit.

38 Demonstratio est syllogismus scientialis, seu scientiam generans, vtpote quæ inter syllogismos, siue argumentationes est modus sciendi perfectior. talis est quæcumque constat præmissis, & conclusione certis, & euidentibus. licet non seruet rigorosas conditiones Aristotelis. Circulus in Demonstratione formalis est impossibilis; obiectiuus si proprie circulus est, inutilis videtur, sed fieri pro libito poterit. Si improprie committatur, ita quod absolute solum sit circulus quasi materialis, semper est vtilis.

39 Conclusio demonstrationis est perfecta scientia, quæ definitur, cognitio discursiua certa, & euidens, seu clara, deducta ex præmissis certis, & similiter euidentibus, & quamuis scientiæ omnes à præmissis suis speciem sumant, illud generaliter pro omnibus actibus vitalibus verum esse existimamus. Nimirum quamcumque scientiam, siue quemcumque actum specificari ab obiecto, vel obiectis, quæ tangit, repræsentat, atque cognoscit, ad quæ actus quilibet est transcendentalis relatio, siue obiecta sint, & dicantur formalia, siue materialia, siue modo vtroque simul.

40 Et licet non multum peccaret, qui omnes humanas scientias actuales, & generatim omnes nostros actus intellectuales reduceret ad vnicam scientiam, quæ haberet pro obiecto, *scibile vt sic*, Verumtamen eos omnes actus diuidere voluimus in quatuor vel quinque, vel sex classes, & totidem scientias, habendo attentionem ad quatuor genera obiectorum formalium, quæ ad specificandas, & diuersificandas eiusmodi varias scientias sat esse videntur. Scientiæ vero sunt, Theologia, Logica, Metaphysica, Physica, & Mathematica, quarum quælibet est collectio maxima actuum, & habitum concernentium proprium vniuscuiusque scientiæ obiectum: & quidem pro distinguendis scientijs integris non putamus sufficienter recurri ad varias abstractiones à materia, aut varia lumina.

41 Oportet vero maxime ad sciendum, & ad discernendum actus vnius scientiæ ab actibus alterius, obseruare non solum inter disputandum in Scholis; Verumetiam inter loquendum domi cum familiaribus, vel etiam in quauis conuersatione, actus nostros, nempe apprehensiones, iudicia, atque discursus. atque eas reducere ad Classes, & scientias suas, nempe metaphysicæ sunt actus, qui attingunt, atque cognoscunt essentiam rei, præsertim si prædicant de subiecto aliquod prædicatum essentiale, vel passionem transcendentem. Physicæ vero sunt, qui sonant motum subiecti; Mathematicæ, qui circa quantitatem, vt mensurabilem versantur; Philosophiæ moralis sunt regulæ, quæ intendunt dirigere, & ordinare nostræ voluntatis affectus: Logicæ autem, qui concernunt directionem actuum intellectus, & vocum, vel fabricam, aut vsum rerum in prædicationibus.

42 Inter actus prædictarum scientiarum, ad quas facile reducet, qui volet, alias scientias, & artes mechanicas, & liberales, reperiuntur aliqui actus speculatiui, id est, qui considerāt sui obiecti conditionem essendi, nil curantes de ipsius affectione; & aliqui practici, qui ex modo suo procedendi non tantum cognoscunt, sed docent facere, quod cognoscunt. fateor ingenue sæpe actus speculatiuos sat instruere, vt procedatur ad opus, & sic eos dici posse practicos per extrinsecam denominationem,

ceptus, secundum eorum essentiam, & non tantum more logico, sed id fecimus ex parte propter abusum communem Dialecticorum.

Tertium est, logicales omnes regulas, & Maximas, tam eas, quæ docent ordinare voces, quam alias, quæ docent dirigere conceptus, rerum assumptionem, dispositionem, et vsum, finaliter omnes directe, vel indirecte, & ex consequenti, saltem ex intentione Operantis, seu Logici, tendere in directionem conceptuum, siue in modos sciendi, vel actus scientificos, quibus efficimur sapientes.

48 Sed vero ad finem precor, aut peto à Dialecticis Recentioribus assignantibus pro obiecto Logicæ conceptus, eorumque directionem, vt probent efficaciter intentum producendo, & nobis ostendendo aliquot Regulas, vel speculationes logicas, quæ directe ordinent, tangant, vel considerent conceptus; quemadmodum Theologus sapiens, vt probet atque conuincet fidei formale obiectum esse authoritatem Dei, & materiale ea, quæ reuelata sunt ab ipso, producit actum illum, *Credo Christum resurrexisse, quia Deus dixit*, qui sine dubio eam veritatem, & testimonium Dei tangit, atque directe cognoscit; ita ergo procedant & ipsi, nam desideramus audire ab ipsis, quæ, & qualis sit sua Logica, quam toties generaliter dictitant versari circa conceptus; secus frigidæ sunt, & inefficaces aliæ rationes, quia videntur potius supponere Logicam prætendere directionem conceptuum, quam probare. siquidem in ea propositione *Logica habet pro obiecto directionem conceptuum*, subiectum quid sit nescitur, nisi aliquis actus Logicæ efformetur, qui similem directionem ionet, atque consideret, illam practice, aut speculatiue tangendo, sicuti nos iam fecimus. Doctrinam quippe nostram, industriam, & actiones, & quæ superius dicta fuerunt subijcimus sapientiorum iudicio, & dicta volumus

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

FINIS.

D. IOAN-

D. IOANNES BERMVDO VALDERRAMA, ASTIGITANVS,

BACCALAVREVS SALMANTINVS; Philoſophus,& Iureconſultus, Aduocatus eximius, olim Logicus auditor in præceptoris ſui Logicam tripartitam meditabatur hoc Epigramma.

HEV quot præcipites Logicæ tulit alta Carybdis!
Haud ſatis ad vitam ponſque, ratiſque fuit.
Sed poſtquam in riuos pelagus Franciſcus aquarum,
Diſſecuit ternos, peruia facta via eſt.
Non opus ergo tibi Pons eſt, non vlla Carina;
Per vada ſecuro, ſed pede, carpe viam.



INDEX

INDEX

COPIOSIVS RERVM, ET VERBORVM.

Vbi Numerus indicat continuatum numerum Marginalem.

Apprc.

Bonitas.

Causa.

Censura.

Certitudo.

Cognitio.

Compositum. Compositio.

Conclusio.

Concretum.

Connotatum. Connotare.

Consideratio.

Discursus.

Dispositio.

Distinctio.

Dissensus.

Diuisio.

Effectus.

Ens, & ens reale.

Ens rationis.

Error. Errare.

Falsitas.

Fides.

Figura.

Finis.

Fundamentum.

Genus.

Habi-

Logica: Logicus.

Maria.

Materia.

Medium.

Mensuratio. Mensura. Mensurabile.

Modus. Modus sciendi, loquendi, & alij.

Natura.

Necessitas. Necessarium.

Negatio.

Nomen.

Nouare.

Obiectum.

Obie-

Prædicabilitas. Prædicatio. Prædicatum.

Prædicamentum, Anteprædicamentum, & Postprædicamentum.

Præmissæ.

Prioritas, & Posterioritas.

Priuatio.

Propositio.

Proprium.

Quantitas.

Quando.

Quaestio.

Ratio. Rationale.

Realis Logica.

Regula.

Recentiores.

Relatio. Relatiuum. Respectus.

Rela-

Res.

Sapientia. Scientia. Scibile. Scibilitas.

Scriptu-

Sensus.

Significare. Significatio.

Signum.

Simile. Similitudo.

Simplicitas.

Simultas.

Singularē.

Situs.

Sophista. Sophisma.

Species.

Species

Specificatio.

Subiectum. Subijcibile.

Subsistentia, & Substantia.

Summulæ.

Suppositio.

Syllogismus.

Tempus.

Terminus.

Vocalis Logica.

Vox.

Vox

Finem imponimus Tripartitæ Logicæ, quando *Tibi Rex Sæculorum Maxime, minima Societas IESV sæculum suum in illuminatione Vultus tui grata deponit, & renouat.* Tibi vni Deo, ac Trino Laus sit, & Gloria in sæcula sæculorum.

Errata sic Corrige.

Pagina 6. columna 1. linea 9. 4. lege 5. Pag. 7. col. 2. lin. 54. *Prædicata.* lege prædicta. 11. 1. 38. *aliquod* aliquot. 56. 1. 52. *secunda* secundas, & *qua* . lege quas. 101. 2. 18. *conceptibus* conceptus. 113. 2. 35. *extrinseca* extrinsecè. 159. 1. 37. *afferri* efferre. 160. 1. lin. vltima *descendi* descendit. 161. 1. 16. *qua* qua. 109. 2. 45. c. 12. lege loco 12. & 13. 245. 2. 20. *prostatutæ* præ statutæ. 252. 1. 4. *animal.* anima. 252. 2. lin. penultima 701. l. 7. & 1. 278 1. 35. *neque* nequeo. & 2. 15. *intimus* intimius. & 6. *relatiua* relatiuas. 305. 2. 7. *sic* si sic. 327. 1. 5. *completa* incompleta. 336. 1. 4. *concedere* condere. 396. 1. 27 *Præsertim* Præsentem. 368. 1. 49. *vniuersali* vniuersalia. 371. 2. 23. *eodem* eædem. 378. 1. 48 *Superioritate* superioritatis. & 2. 6. *imperior* imperio. 381. 2. 49 *animal* anima. 396. 2. 13. *absit* assit. 407. 1. 2. *albus* albis, & lin. 3. *in* deleatur. 412. 2. 15. *fauores* fautores 420. 1. 5. *filiationes* filiations. & lin. 6. *visioni* visioni. 416. 1. 25. *perfectè* perfectæ. 430. 2. 33. 30. 3. 440. 1. 16. *potenti* potentiæ. 464. 2. lin. vltima *ad* lege hu. 570. 1. 2. *loquutus est,* locuturus est. 586. 2. 4. *præmisseram* præmissarum. 589. 2. 40. *extremitas* extremitates. 592. 12. *inferre* infert. & lin. 13. *illam.* illam partem. 597. 2. 8. *suum* solum. 606. 1. 9. *actum, cæterorum* actuum cæterorum. 624. 1. 52. *Aliis* Alij.

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt.

Omnes sunt Quaterniones, præter †, Ternionem, & T t, dimidium folij.

ROMAE, Typis, & Sumptibus Ludouici Grignani.
Anno Salutis CIↃ IↃC XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.